R. P. VINCENTII

# HOUDRY

E SOCIETATE JESU

# BIBLIOTHECA

## CONCIONATORIA

*COMPLECTENS*

# PANEGYRICAS

ORATIONES SANCTORUM.

## TOMUS QUINTUS

*IN QUO CONTINETUR*


# SUPPLEMENTUM

## PANEGYRICORUM

Per Materias generales APOSTOLORUM, MARTYRUM, CONFESSORUM, VIRGINUM, &c.

*E Gallico ſermone in Latinum translatum.*

EDITIO NOVISSIMA.




VENETIIS,

EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.

MDCCLXXVI.

Superiorum Permiſſu, ac Privilegiis.


Digitized by Google

# PRÆFATIO.

IN Parte hujus Operis tertia in medium protuli multiplices Panegyricorum in Sanctorum laudem inſtruendorum formas, atque uberem rerum ſupellectilem ſingillatim pro iis, quorum paſſim celebrantur elogia; ſed ſimul admonui fieri nequaquam poſſe, ut pro quolibet Sancto, cujus laudes ſacro Oratori eſſent exornandæ, in aliquibus locis, ubi Sancti illius dies feſtus recolitur, huc afferamus varia argumenta. Ut huic ſupplerem defectui, ratus ſum, mihi inſiſtendum Eccleſiæ Methodo, quæ præter Sanctos aliquot diverſis Ordinis, & characteris, quorum celebrat officium per annum, cum minime poſſet ſingularia pro cæteris elaborare, qui nimis multi ſunt, ſatis eſſe cenſuit illis communia aſſignare pro variis eorum ſtatibus, ac titulis, quibus decorantur; videlicet pro communi Apoſtolorum, quibus S. Paulus primum tribuit locum, pro Communi Martyrum, Doctorum, Pontificum, Virginum, quibus alia nonnulla adjiciemus eorum, qui præter nomen generale Confeſſorum, quo nuncupantur, diſtinguuntur per titulos, & qualitates Pœnitentium, Eremitarum, Religioſorum, Abbatum, & Inſtitutorum Ordinis alicujus; & denique Regum, & Principum ſexus utriuſque.

Hunc mihi ordinem propoſui in hoc Supplemento ſupellectilium pro Panegyricis orationibus; quod Operis difficultas in cauſa fuit, ut diutius differrem; & credo me ipſum aliqua in parte hujus Operis mei profeſſum fuiſſe, hoc inutile futurum: quandoquidem intellexi non deeſſe poſſe dicendi materiam pro variis id genus Elogiorum ſpeciebus in iis collectaneis, quæ in vulgus edidimus, in quibus Sanctus aliquis invenietur, qui rationem, ac ſimilitudinem habeat cum illo cujus celebratur memoria; quia omnes qui ejuſdem ſunt ordinis ad finem eundem pervenerunt eadem via; videlicet, eaſdem virtutes exercuerunt, eadem obierunt munera, eadem ſuſtinuerunt prælia, eadem ſuperaverunt pericula, ita ut exceptis tantum aliquibus actionibus particularibus, quibus ſupplere arduum non eſt, uti aliquis poſſit iiſdem argumentis, eadem partitione orationis propoſitis pro alio, qui idem vitæ genus fuerit amplexus, vel eidem reſponderit vocationi, quæ illum inſignem ſanctitate virum effecerit.

Fateor equidem rationem hanc ſatis validam mihi viſam fuiſſe, ut fidem meam liberarem, quam obligaveram illis, qui ad operis hujus finem me urgebant. Sed ex quo animadverti ad verum Sancti alicujus elogium concinnandum, ſatis non eſſe oſtendere, vel ſupponere, illum præclare perſunctum fuiſſe officiis omnibus ſtatus, aut vocationis ipſius, & illi tribuere laudem cæteris communem; quia quod commune eſt, non maximum impetum facit in Auditoribus, neque ſatis ſublimem aſtruit conceptum illius Sancti, cujus meritum volumus extollere Sermone elaborato, & qui deroſos ſapiat ungues. Illud igitur amplificandum eſt, ſecretas proferendo virtutes, actiones, quæ licet communes in hominum oculis, magnæ tamen viſæ ſunt in oculis Dei, oſtendendo conſtantem ſedulitatem exhibitam in vita ſancta, & regulari, atque in praxi bonorum operum, quæ Sanctus hic mortalium oculis abſcondit &c.

Clarius loquar. Si exempli gratia Apoſtoli, vel Apoſtolici viri exornatur elogium: neque ſatis exploratus eſt laborum ejus curſus, prædicationes, & converſiones ab illo in glorioſo hoc miniſterio peractæ: eo in caſu latius excurrere poſſumus in Zelum illius, qui cenſeri jure poteſt ardentiſſimus, quandoquidem eum meritus eſt locum, quem obtinet inter Sanctos: Celebrari poteſt ejus dexteritas, qua ſibi viam in animos hominum aperiebat; referri poſſunt rationes variæ, quibus fidei

conſonum eſt ipſum uſum fuiſſe, ad animas ad fidem perducendas, vel illis vitæ mutationem ſuadendam, Proponi poteſt Exemplum ejus, quod ampliorem conſecutum eſt effectum, quam verba, & hortationes, quas habuit in populo. In his, quæ Sanctus, cujus celebratur elogium, habuit communia cum aliis Apoſtolis, diutius immorandum eſt; & hæc applicanda ſunt præclaro quopiam loco, vel ſchemate ſatis inſigni. Semper tamen reditus faciendus eſt ad præcipuam Apoſtoli qualitatem, a qua nunquam recedendum eſt: & loquendum de aliis talentis, aut virtutibus, tanquam circumſtantiis, occaſionibus, ſubſidiis ad digne miniſterium ſuum obeundum. Hunc in uſum non minimum conferent ea collectanea, quæ in hoc Supplementum congeſſimus, quod diſtinctius connotatum eſt in ſingulos titulos, quibus peculiariter decorat Eccleſia Sanctum, in cujus laudem habendus eſt Sermo.

Nihil eſt, quod adjiciam huic Supplemento, niſi fortaſſe; argumenta de quibus hic agitur nequaquam ſuppeditare valuiſſe nobis adeo uberem rerum copiam, ut hic Tomus alios mole exæquaret, ideoque mihi addendos fuiſſe ſermones nonnullos, quibus uti licebit in texendis elogiis Sanctorum, de quibus ſermo eſt in hoc ipſo volumine, & quorum nomenclatura adjicietur pro varietate ſtatuum, & conditionum, in quibus ſanctificati fuerunt.

# SUPPLEMENTUM BIBLIOTHECÆ CONCIONATORUM.

## TRACTATUS PRÆLIMINARIS DE CANONIZATIONE SANCTORUM cum generatim, tum ſingillatim.

*EX quo in Chriſtiana religione infinita ferme Hæreſes oborta ſunt, quarum ſingula cultum & honorem impugnant, qui Sanctis adhibetur, & idolorum cultores vocant eos, qui illos colunt, & invocant; Eccleſia Romana nihil unquam prætermiſit, ut probaret hunc cultum, in quo haberi juſſit eos, quos credit, ac aſſerit ad Cœleſtem gloriam perveniſſe. Quapropter ſi ulli ſunt ritus Chriſtianæ Religionis, in quibus plures adhibendas putes cautiones, profecto hæc eſt Sanctorum Apotheoſis. Æquum ſane eſt hunc honoris gradum Dei amicis decernere, ut eorum in hoc mundo merita aliquibus præmiis decorentur, cum in altero æternam gloriam conſequuntur. Cæterum cum agitur de hoc religioſo cultu alicui Dei famulo præſtando, Sancta Sedes adeo ſedula, ac diligens eſt in inſtituendis quæſtionibus de illius virtutibus, & adeo ſevera eſt in judicio ferendo, ut licet Divina deſtitueretur ope, fieri non poſſet, ut judicium ferendo ſecundum humanæ prudentiæ regulas in id genus deciſionibus erraret; etenim minime contenta virtute præclara in iis, quos Sanctorum faſtis adſcribit, heroicam exigit: & quantumvis ſummam adhibeat diligentiam ut de hac heroicitate conſtet, vult hominum teſtimonium Dei ipſius auctoritate probari. Itaque non ſatis eſt, homines interpoſita juriſjurandi fide teſtari plures actus heroicos ſublimium virtutum; opus eſt, ut Deus illorum teſtimonium ſua auctoritate confirmet, & per miracula ſententiam ſuam probet. Cæterum minime credendum eſt a Sancta Sede quodvis miraculorum genus ſine electione probari. Nullum cautionis genus eſt, quo non utatur, ut vera a falſis ſecernat. Ex ferme centum miraculis, quæ Sacræ Rituum Congregationi fuere propoſita pro Sancti unius noviſſimorum horum ſæculorum Canonizatione, unum dumtaxat probatum fuit; & Congregatio expectandum cenſuit, donec Deo placuiſſet ad Sancti illius viri interceſſionem recentia miracula operari. Poſt has quæſtiones, perquiſitiones, ac teſtimonia negari Eccleſiæ non poteſt jus celebrandi feſtum diem Sancti, ac prætermittendi uſum rituum aliorum huic celebritati inhærentium. Verum quidem eſt, non ſemper Eccleſiam uſam fuiſſe hac norma in omnibus Sanctis, quos colit; & plurimi ſunt, qui populi tantum voce in Sanctorum album fuere relati; ſed non defuere illi cauſæ ad methodum immutandam, & hanc cæremoniam celebriorem efficiendam. Has cauſas deinceps viſuri ſumus; modo ſatis ſit, admirari ac venerari ejuſdem conſilium, & eodem cultu revereri Sanctos, quos tales appellat modo, ac illos quos ab antiquo venerata eſt.*

## DE CANONIZATIONE SANCTORUM.

APUD Ethnicos non fuit ſolum irridenda ſuperſtitio, verum etiam impietas profana, quæ ſatis diu viguit in Græcia, & Romæ in deorum album referendi Imperatores ſuos poſt obitum, & ſummos viros, quos in vita veluti heroes fuerant venerati. Hujuſmodi Apotheoſes multis ritibus celebrabantur, ac tanta magnificentia, ut fucum hominibus facerent, eiſque Religionis ſenſum immitterent erga homines ſæpe vitioſos, qui odium potius, & contemptum merebantur eorum, qui illis tanquam diis thura adolebant. Hæc inſana cæcitas, & cultus omnino ſublata fuerunt a Religione Chriſtiana; ſed mirum eſt, quot deinceps ſuborti fuerint Hæretici, qui perperam ſcandalo ſibi verterunt, quod Eccleſia juxta conſuetudinem priſcis etiam temporibus uſurpatam coluerit, atque in Sanctorum albo recenſuerit Martyres, & eos, qui honorem hunc promeriti ſunt vitæ ſanctitate probata miraculis, & auctoritate virorum fide dignorum, qui ad examen vocarunt illorum virtutes, præclara facta, & operam, quam Deo, & Eccleſiæ præſtiterunt. Injuſtam hanc exprobrationem hodierna quoque die Eccleſiæ ingerunt Hæterodoxi, illam ſaltem inſimulantes cultus ſuperſtitioſi, perinde ſit idem ac Ethnicæ ſuperſtitionis reliquia, perſonataque idololatria, quæ nomine tenus mutata eſt, cum beatos in Cœlo declaret, quos credidit vitam ſancte in terris duxiſſe. Jure igitur quilibet fidelis, & verus catholicus calumniam hanc explodit, cum illi perſuaſum ſit de enormi diſcrimine, quod inter cæcam Ethnicorum ſuperſtitionem, & religioſum intercedit cultum adhibitum iis, qui Sancti habentur, & vocantur poſt publicam ſolemnemque declarationem. Hoc enim facere conſuevit Eccleſia ad Sanctorum virtutes præmio afficiendas, ad Fideles vulgo excitandos, ut eorum actiones imitentur; cum e contra Ethnicorum Cæſarum, vel ſæpe etiam Fabuloſorum Heroum Apotheoſeos fierent ad ambitioſorum Principum gratiam captandam, qui nonnunquam efficiebant, ut ſibi divini honores ſtatuerentur, & immortales vocarentur in vita ipſa ab iis etiam, qui teſtes eſſe poterant mortis eorum. *Recens Auctor.*

Tractatus hic de Sanctorum Canonizatione ad tria puncta refertur. Quorum primum eſt utrum Sancti ſint canonizandi; alterum, cujus ſit illos canonizare, tertium utrum in hoc errare valeat Eccleſia. Sed ante omnia ſciendum eſt, quid ſit Canonizatio, ut æquus ejuſdem conceptus animo imbibatur. Canonizatio igitur non aliud eſt, quam publicum judicium, & declaratio ab iis peracta, qui præſunt in Eccleſia, de religioſo cultu Sanctis, qui gloriam adepti ſunt, deferendo. Cauſæ, quæ Eccleſiam æquiſſimam hanc rationem ſervare cogunt, hæ fere ſunt; 1. Ut honoretur Deus in Sanctis ſuis. 2. Ut inde Eccleſia ædificetur. 3. Ut Chriſtiani magis magiſque ad virtutem excitentur, 4. Ut perhibeatur teſtimonium Eccleſiæ pro articulo fidei tenentis Sanctorum communionem. Præterea animadvertendum eſt, honorem, qui Sanctis adhibetur, neque profanum, neque politicum fuiſſe, ſed ſacrum & Religioſum, & octo præcipua puncta complecti. 1. Eum, qui Canonizatur, in Sanctorum album inſeri, cum mandato ad eos omnes, qui confitentur Eccleſiam, credendi illum talem eſſe, de eodem loquendi, ſcribendique, eumque velut talem colendi. 2. Hunc in publicis precibus invocari poſſe. 3. Huic extrui poſſe Templa, Sacella, Aras, & Monumenta in illius memoriam, & ſub titulo Nominis ipſius. 4. Ejus officium celebrari poſſe, & offerri Deo in illius honorem auguſtiſſimum Miſſæ Sacrificium, & in gratiarum actionem gloriæ, quæ illi collata fuit. 5. Dies feſtos in ejus Nomine inſtitui poſſe. 6. Fieri poſſe imagines & ſimulacra, ac illi honorem adhiberi ſuperiorem ei, qui Principum imaginibus adhibetur, in ſignum gloriæ, & beatitudinis, qua in Cœlis gaudet Divinitati conjunctus. 7. Ejus lypſana cum honore aſſervari, ac proponi populo religioſo ritu colenda. 8. Peregrinos omnes undequaque confluere poſſe ad inviſendum locum, ubi humatus fuit, ad vota ſua Deo vovenda, & ſervandos eos pietatis ritus, qui quovis tempore erga Sanctos, quos hoc titulo coluit Eccleſia, ſervatus fuit. *Ex pluribus Auctoribus, ſed præſertim ex Patre Cotton.*

Quid ſit Canonizatio, ejuſque definitio.

Quam eſt æquum Canonizare.

Deus, qui certiſſima eſt omnis juſtitiæ regula, in utroque docet Teſtamento, æquum eſſe Canonizare Sanctos: primum quidem in Veteri per Eccleſiaſticum, ubi ait: *Sunt, quorum non eſt memoria, perierunt, quaſi non fuerint, & nati ſunt quaſi non nati, & filii ipſorum cum ipſis. Sed illi viri miſericordiæ ſunt, quorum pietates non defuerunt, cum ſemine eorum permanent bona. Hereditas Sancta, nepotes eorum, & in teſtamentis ſtetit ſemen eorum. Et filii eorum propter illos uſque in æternum manent, ſemen eorum, & gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipſorum in pace ſepulta ſunt, & nomen eorum vivit in generationem, & generationem. Sapientiam ipſorum narrent populi, & laudes eorum nunciet Eccleſia.* Ita recenſet in numero Sanctorum omnes Patriarchas, & Prophetas, propter eas qualitates, quibus ornati erant, dum viverent. In novo autem Teſtamento videmus, S. Lucam in Actis Apoſtolorum ſimili pacto Canonizare S. Stephanum, S. Jacobum Majorem, S. Petrum, S. Paulum, Barnabam, & Silam, unde inferri poteſt, Deum Eccleſiæ ſuæ reliquiſſe poteſtatem utendi eodem modo cum illis, quos tali honore dignos recenſet. *Ex iiſdem.*

Eccl. 44.

Cauſæ, quæ nos impellere debent, ut Sanctos colamus.

Quis inficias ibit, honorem ſequi virtutem, ut umbra ſequitur corpus? Quis neget honorem adhibere illis, quos Deus habet in honore? Quiſnam poterit tanto honore proſequi Sanctos, quanto Deus illos proſequitur? Quis ignorat quantum in animabus noſtris valeant ad eas ad pietatem excitandas eorum exempla, qui nobis ſimiles fuerunt? Cum audimus, aut videmus in eorum ſimulacris, imaginibus aliiſque monumentis, quomodo ſuperaverint Carnem, Mundum, & Satanam; quamvis iiſdem ſepti eſſent inimicis, iiſdem obnoxii periculis, iiſdemque infirmitatibus circumdati, atque gratiæ theſaurum in fictilibus vaſis, ut Apoſtolus inquit, deferrent? Quid cogitare poſſumus? Nonne cum illis unum, & idem corpus conſtituimus? Nonne hic ſermo eſt Apoſtoli ad Hebræos, & Romanos ſcribentis: *Mementote*, inquit, *præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem. Jeſus Chriſtus heri, & hodie; ipſe & in ſæcula.* Quaſi diceret, Jeſus Chriſtus eſſe poteſt in vobis id, quod fuit in illis; quemadmodum per hæc alia verba ſignificat: cum ait: *Multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alterius membra.* Æquum autem eſt ſecernere amicos Dei, quos Sanctos vocamus. Modo vero dicatur nobis cujus interſit debitos illis honores præcipere? Utrum æquum ſit, ut ſingulorum libidini liceat id ſtatuere; an operæ pretium potius ſit id relinquere Eccleſiæ, & iis, qui præſunt illi, ordinem tali in negotio conſtituendum? *Ex pluribus Auctoribus decerptum.*

Hebr. 13.

Ad quem ſpectet Sanctos Canonizare.

Sanctorum Canonizatio vel particularis eſt, vel generalis. Particularis eſt cum aliquis Sanctus declaratur in Provincia aliqua, vel una tantum Diœceſi. Generalis vero, cum pro tali habetur in univerſo Mundo. Priori modo quilibet Epiſcopus olim poterat in Diœceſi ſua aliquem Canonizare, quemadmodum videmus apud Sanctum Cyprianum in Epiſtola ſexta; ubi ſe celeriter admoneri jubet, ubi Martyr aliquis per ſanguinis ſui effuſionem perhibuerit teſtimonium Jeſu Chriſto; ut memoria illius recolatur, inquit, in oblationibus, & ſacrificiis. Verum cum per nimiam Epiſcoporum facilitatem obrepſiſſent abuſus aliqui in Tabulas, & Nomenclaturas Eccleſiarum particularium, Alexander III. itemque Innocentius III. Summi Pontifices edicto caverunt, ne impoſterum aliquis pro Sancto haberetur, niſi Apoſtolicæ Sedis auctoritate probaretur. Ita hodierna die non alia eſt Canonizatio præter generalem, quæ jure optimo pertinet ad Eccleſiam, vel Summum Pontificem, qui eam repræſentat. Et conſtat ratio: In dubiis enim ad Eccleſiam confugiendum eſt; ut in iis, quæ ad vitam, mores, & miracula Sanctorum referuntur. Eccleſiæ igitur eſt, videlicet Conciliorum, ubi cogi poſſunt, alioquin illius qui Concilii caput eſt, & ſine quo Concilium nequit eſſe legitimum, judicium ferre, & deciſionem evulgare. *Idem.*

Neque ideo putes, Sanctos omnes, quos colit Eccleſia, ſemper Canonizatos fuiſſe a Summo Pontifice, quod nunc fieri ſolet. Sancti enim Patres Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Joannes Chryſoſtomus, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, & generatim illi omnes, qui ſextum præceſſerunt ſæculum, nonniſi Præſulum approbatione, & omnium Fidelium conſenſu inter Sanctos adſcripti fuerunt; Sed Canonizatio, quæ hodierna die fit, diligentior eſt, & longe cautius inſtituta, ita ut de ſana mente dejectus habendus ſit, qui Eccleſiæ deciſionibus reſiſtit poſt tot quæſtiones, proceſſus, ac teſtes, quos illa requirit, antequam aliquem in Sanctorum albo recenſeat. *Ex pluribus auctoribus.*

Judicium Eccleſiæ & S. Sedis declarantis in Sanctorum Canonizatione eſt infallibile.

Rationes eædem, quæ S. Mathiæ probant Canonizationem, cum in Apoſtolorum numerum adlectus fuit, authenticam reddunt Sanctorum apotheoſim, cum Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedis Oraculo tales declarantur; nam ſicuti Spiritus Sanctus tunc Apoſtolorum cœtui præſidebat, præſidet adhuc cœtibus ſucceſſorum ipſorum, qui ſi falli poſſunt, ſimiliter in dubium revocari poſſet, quidquid ab illis ſancitum eſt. Secundo fidei conſonum non eſt, nobis audiendam eſſe Eccleſiam propoſita anathematis pœna, in iis controverſiis omnibus, quæ de religione ſuboriri poſſent; in hac autem re tanti momenti, licere nobis Eccleſiæ judicio obluctari, eique detrectare obedientiam. Tertio abhorret a fide, quod Divina velit Providentia talem in Eccleſia errorem permittere, & pati, a nobis eum coli, qui ſeipſum dedecore affeciſſet, & eſſet æternæ juſtitiæ ſuæ infelix objectum. Miracula etiam, quæ operatur Deus ad Sanctorum invocationem confirmant judicium, quod fit in Sancti Petri Cathedra: quia hæc totidem ſunt divina teſtimonia, quæ nos fateri cogunt Omnipotentem manum illius, qui unus operari poteſt effectus, qui naturæ vires excedant. Sed ſi unquam diligentia adhibetur in ſecernendis veris miraculis ab iis, quæ falſa, & illuſoria ſunt; tunc adhibetur profecto ubi agitur de Sanctorum beatitudine ſtatuenda. Credimus Alexandrum, Cæſarem, Pompejumque tales fuiſſe, quales Plutarchus narrat, ſimplici hujus auctoritati, ac uni Auctoris hujus, & ſimilium teſtimonio innixi; dubitabimus vero utrum admittendæ ſint probationes, quas Deus ipſe nobis ſuppeditat in judicio, quod conſtituit Eccleſia? *Ex pluribus Auctoribus.*

Summa Eccleſiæ cura in inquirendis probationibus in Sanctorum Canonizatione.

Ex his omnibus rationibus, ac teſtimoniis liquet, quam caute Eccleſia Catholica nobis Sanctorum cultum proponat, & animadvertendum eſt, nullum eſſe in terris negotium, cujus perquiſitio ſit commendatior, & quæſtio diligentior, quam de vita, moribus, obitu, & miraculis eorum, quos hoc nomine dignatur. Nam præter inquiſitionem, quæ habetur in locis, ab iis, qui ad hoc negotium deputantur, præter juramentum, atteſtationes, uniformem conſenſum, ac humana divinaque teſtimonia, quæ accuratiſſime ad examen vocantur; præter hæc, inquam, indicuntur jejunia, publicæque preces, ut Deo placeat illuminare Eccleſiam ſuam, eique adſit in re tanti momenti, quam ſubſequitur verus cultus, vel ſacrilega ſuperſtitio, ſi in album Sanctorum referret plures, quin antea illorum ortum, vitam, & mortem ad examen revocaſſet. Tamen ullo ne modo probabile videri poteſt illis, qui eam fovere de Deo, ejuſque Providentia opinionem, illum velle derelinquere Eccleſiam ſuam, eamque in tanti momenti re fallere tunc vero, cum potiſſimum illi pollicitus eſt Spiritum Sanctum, & cum omnibus recepit, ſe, ubi duo, aut tres congregati fuerint in nomine ejus, in medio eorum ſe eſſe adfuturum? Hinc facile poteſt inferri, fieri nequaquam poſſe, ut Eccleſia ſemetipſam decipiens velit decipere fideles, poſtquam etiam illorum popoſcit ſuffragia; ita ut unus, vel duo falſi teſtes ſufficerent, ut plures annos differretur, & prohiberetur Sancti unius Apotheoſis, quod accidit in Cauſa B. Roberti de Arbriſella. *Ibidem.*

Utrum credi queat de fide divina, Sanctũ Canonizatum vere frui gloria cæleſti.

Theologi hoc loco quæſtionem inſtituunt, de qua operæ pretium eſt auditores a Concionatoribus admoneri; utrum tenendum ſit tanquam articulus de fide, Sanctum a Sancta Sede conſuetis formis, curiſque in Beatorum, Sanctorumque nomenclaturam relatum, reipſa beatum eſſe, ac in Cælo Dei viſione gaudere? Quæſtioni huic facilis patet reſponſio dicendo, quamquam verum, ac certiſſimum ſit talem Sanctum N.... beatum eſſe, tamen hoc non eſſe objectum fidei divinæ. Si enim Veritas hæc in ſemetipſa perpendatur, cum minime ſit objectum peculiariter revelatum, Eccleſia fideles non obligat ad fidem hanc, niſi cum iis, de quibus in Scripturis ſingularem habemus revelationem, cujuſmodi ſunt S. Joannes Baptiſta, S. Stephanus, Sancta Eliſabeth, aliique id genus. Sin autem veritas iſta conſideretur per principia, ex quibus infertur, & per ratiocinium, Theologicumque argumentum, de fide eſt, quemlibet Sanctum talem ab Eccleſia declaratum poſt omnes regulas requiſitas vere beatum eſſe: quod autem talis Sanctus N.... meritus fuerit finalem in gratia perſeverantiam, in Dei amicitia obiiſſe, & vitæ genus prorſus ſancte duxiſſe, hoc nunquam pervenire poſſe ad certitudinem de fide, ideoque conſequens, quod elicitur ex præmiſſis hujus argumenti, nonniſi de humana fide eſſe poſſe, juxta Philoſophorum canonem docentium, Syllogiſmi concluſionem ſemper ſequi partem debiliorem, ex qua deducta eſt. Exempli gratia: in Altaris ſacrificio de fide eſt, omnem conſecratam Hoſtiam continere verum corpus Salvatoris Mundi, & adorandam eſſe hoſtiam, quam Sacerdos miſſam celebrans elevat, ſed de fide non eſt, talem hoſtiam vere conſecratam eſſe, vel Sacerdotem, qui conſecravit illam, vere ſacris ordinibus fuiſſe initiatum. Hoc ipſum dicendum eſt de Canonizatione cujuslibet Sancti ſingillatim. De fide non eſt talem Sanctum N...., eſſe in gloria; ſed ex S. Bonaventuræ ſententia, terribilis, ac temeraria incredulitas eſſet de hoc ambigere; & ſicuti tanquam hæreticus haberetur, qui nollet adorare hoſtiam, quam Sacerdos ſacris operatus elevat; ſimiliter non deeſt credendi locus, illum eſſe ſenſui Eccleſiæ rebellem, qui renuit credere, Sanctum rite, & recte inter Sanctos relatum, in Cælis eſſe beatum. *Ex Theologis.*

Inſignis temeritas eſt, quærere uter ex duobus Sanctis major ſit coram Deo. Hieron.

Inſignis temeritas eſt inſtituere velle comparationem inter merita Sanctorum, & S. Hieronymus imprudentes, & parum ſanæ mentis inſimulat eos, qui ad examen vocare conabantur, uter e duobus ſanctis major eſſet

coram

eorum Deo, & uter alterum in gloriæ ſtatu præcederet. *Qui Sanctorum merita ſtulte comparant.* Verum citra imprudentiæ notam, immo ſapienter comparari poſſunt opera bona, & actiones Sanctorum, alias aliis magis meritorias, Deoque magis acceptas judicando, quia Deus in ſcripturis nobis Canones quoſdam propoſuit, ut illas hoc pacto ſecerneremus, & cognoſceremus. Nequaquam revelavit nobis, quis in Cælo major ſit, vel glorioſior; ſed exempli gratia revelavit obedientiam Deo magis acceptam eſſe, quam Sacrificium; & ab altari eſſe recedendum, ut cum fratre redeamus in gratiam. *Hortamenta Chriſtiana P. Bourdaloue tom. I.*

Romani Pontifices evocarunt jus Sanctos Canonizandi ad Sedē Apoſtolicā ut mederēQue nimiæ Epiſcoporū Indulgentiæ.

Cum Summi Pontifices animadverterint Epiſcopos, & Metropolitas, qui uti ſuo jure pergebant, nonnunquam oſcitantius ſanctitatis probationes exigere, ita ut graves identidem abuſus obreperent, evocaverunt tandem ad Apoſtolicam Sedem jus pios homines in Sanctorum album recenſendi tanquam unam ea cauſis majoribus, de quibus judicium facere ſuum eſſet; quod tamen non accidit niſi poſtquam variis ſubinde temporibus complurium ſanctorum celebrata fuiſſet apotheoſis. Ut Sancti alicujus Canonizatio fieret authentica, nequaquam credebatur ſufficere, quod Summus Pontifex dignaretur hoc vivæ vocis oraculo vel ſcripto confirmare, niſi religioſum hunc ritum iis conveſtiret formis, & ſolemnitatibus, quæ optimo jure conſtitutæ ſunt. Hoc viſum eſt Innocentio III. qui Canonizationem reſpiciebat tanquam jus Sanctæ Sedi devolutum. Pontifex hic per Bullam anno 1208. editam, vel potius per Encyclicam Epiſtolam inſcriptam Nobilitati quinque Provinciarum Galliæ, B. Petrum de *Caſtelnau* Martyrem pro fide declarat, addens ad ejuſdem gloriam, operæ fuiſſe pretium illum mortem oppetere, ne natio univerſa periret, & ſanguinem illius futurum ſalutare lavacrum ad eluendas hæreſis ſordes, ſimulque ſemen, quod maximos in Eccleſia fructus erat paraturum. Tamen quia ſupremus ille Pontifex ibi ſubſtitit, paſſim creditum eſt, huic Martyri tribuendam non eſſe Sancti dignitatem, neque generatim ad Eccleſiam univerſam extendendum eſſe illius cultum, qui peculiariter illi in patria, & Ordine ipſius adhibetur. *Ex pluribus Auctoribus.*

Romana Eccleſia nō improbat aliquas Canonizationes a pluribus Epiſcopis factas.

Uſus juris, quod Sancta Sedes recens obtinuerat ad Sanctorum Canonizationem, ſeu fuerit receptus, ſeu in dubium vocatus, minime prohibuit quo minus aliqui Epiſcopi jus adhuc ſibi vendicaverint Canonizandi Sanctos, qui ad peculiares eorum pertinebant Eccleſias, cujus rei multa extant exempla. Romana Eccleſia nequaquam repudiavit hoc particularium Canonizationum genus, cujus effectus intra unius Diœceſis, vel Provinciæ fines continebatur: verum non diu hæc viguit conſuetudo, quominus omnis hæc ſanctificandi ratio excluſive ad omnes, uni Romano Pontifici reſervanda cenſeretur. Novus igitur ritus, quem Beatificationem dicimus, inſtitutus eſt, qui proviſionalis actus ſpecies eſt, & quædam veluti diſpoſitio ad generalem Canonizationem, & facultas interim in honore habendi Sanctum religioſo cultu in particulari Eccleſia, & in loco ſuis cancellis concluſo, puta in aliqua communitate, aut Ordine toto. Recens hæc ſpecies tunc tandem invecta eſt, ubi e re viſum eſt Sanctorum Canonizationes per diutinas temporum moras eſſe peragendas, ut diligentius, ac tutius conſtet de rei veritate per ſeveriſſimas quæſtiones. Re adhuc integra creditum eſt quinquaginta annorum ſpatium poſt ſancti viri obitum ſufficere poſſe ad detegendas malas artes, quibus fucus fieri poſſet Sanctæ Sedi, ſed quamprimum intellectum fuit ſæculi ſpatium requiri, necnon viſæ ſunt quæſtiones, ac proceſſus Canonizationis ad ducentos fere annos proferri. Hæ rationes expurgandi cultum Sanctorum in Eccleſia non ſolum compeſcuit immoderatam licentiam multiplicandi per temporum intervalla Sanctos ignotos, ſed plurimum contulerunt ad dignoſcendos plures fictitios, quorum memoria eſſet reprobanda. *Ex iiſdem.*

Articuli, de quibus conſtare debet apud omnes de Sanctorum Canonizatione.

Nemo unus diſſentire debet 1. Aliquem Canonizare, non eſſe hunc Sanctum facere, ſed talem declarare, eumque inſerre in nomenclaturam eorum, quos tanquam Beatos colit Eccleſia, quæ præcipit, ut quilibet palam eum honorare valeat, & invocare. 2. Præſuppoſita Sanctorum invocatione tanquam licita, ac ſalutari; operæ pretium eſſe, immo etiam neceſſum eſſe, ut Eccleſia determinet eos, qui coli, invocarique poſſunt, ad auferendam cuilibet facultatem ſibi ad arbitrium confingendi commentitias devotiones, & ad prohibendum omnibus ſuperſtitionibus aditum. 3. Sanctos triplici ratione tales haberi poſſe, vel ſcripturarum teſtimonio, quales fuere Simeon, Zacharias, Eliſabeth, Joannes Baptiſta, vel populorum conſenſu, quod accidit in primis Eccleſiæ Græcæ, Latinæque temporibus, S. Athanaſio, S. Gregorio Nyſſeno, S. Baſilio, S. Joanni Chryſoſtomo, S. Hieronymo, S. Ambroſio, S. Auguſtino, aliiſque; vel tandem diligenti, prudenti, ac fideli perquiſitione probationum, quæ haberi poſſunt de illorum ſanctitate, & dum viverent, & poſtquam mortui ſunt; præſertim vero per divina teſtimonia, quæ mentiri non poſſunt, ubi talia reperiuntur, qualia ſunt miracula. Hujus generis fuit Canonizatio Sanctorum Franciſci, Dominici, Bonaventuræ, utriuſque Thomæ Aquinatis, & Cantuarienſis, S. Ludovici Galliæ regis, S. Franciſci Paulani, aliorumque, qui hodierna die in Catholica celebrantur Eccleſia. 4. Fatebuntur omnes privatorum non eſſe vera a falſis ſecernere miracula propter illuſiones Antichriſti, quas Scriptura ſigna, & prodigia vocat mendacia. 5. Adeſſe eos, quibus examen hoc Eccleſia committit, & curam hanc ſummo Jeſu Chriſti Vicario eſſe reſervatam. 6. Si quis velit aſſerere, Summum Pontificem falli poſſe in Sancti approbatione, jure illi reſponderi poſſe, ipſum etiam falli poſſe in reprobatione vel Sancti, vel argumentorum Sanctitatis ipſius. 7. Tutius eſſe pendere ex judicio eorum, quos Salvator haurire juſſit tanquam ſeipſum, quam ex ſuo, ideo eo magis, ut dictum eſt, ubi nulla humana veritas attentius, atque curioſius ad examen vocatur, quam cum agitur de norma populis tradenda circa honorem, imitationem, & invocationem Sanctorum; cum præſertim in tota actione hac, nihil repugnet Verbo Dei; & nemini via afferatur, ut nolens confugiat ad Sanctos, dummodo non improbet aliorum pietatem, & celebret feſtos dies, quos celebrari jubet Eccleſia. Denique haud ægre fatebuntur omnes, Eccleſiam, quæ in Cælis eſt, unum dumtaxat corpus efficere cum illa, quæ eſt in terris; & utramque invicem ſibi eſſe conjunctam. *Ex pluribus Auctoribus.*

Vetus forma Sanctos Canonizandi.

Facultas homines in Sanctorum album referendi, Epiſcoporum auctoritati inhærebat; qui illam exercebant cum ſuffragiis, aut conſenſione Cleri ſui, ſuorumque populorum. Sed eorum conſtitutiones nonniſi in Eccleſia, vel diœceſi eorum locum habebat. Quapropter temporum omnium decurſu res in hoc ſtatu permanſit, videlicet uſque ad ſæculi decimi finem, nulla habita fuit generalis canonizatio, niſi forte, hæc particularia Epiſcoporum, vel Synodorum judicia probata, & recepta fuerint ab Eccleſia univerſa; Epiſcoporum auctoritas in eo munere legitima quidem erat, non autem infallibilis. Ratio referendi aliquem inter Sanctos primis Eccleſiæ temporibus ſimplex erat, facilis, ſine multo apparatu, ac formalitate. Primum quidem in martyribus hoc fieri tantum conſuevit, & hinc ferri poteſt judicium de cura, quæ tunc adhibebatur; nam alibi a nobis dictum fuit de cura, quam Eccleſia Romana, Sanctus Cyprianus, aliique ſancti Præſules adhibebant in colligendis eorum nominibus, qui propter Chriſtum Jeſum patiebantur, una cum circumſtantiis martyrii eorum, ut in Sacris Dypticis referrentur, & ut in ſacrificio illorum mentio recoleretur. Patet non licuiſſe honorem habere cuipiam martyri, cujus cultus non eſſet palam probatus, & munitus Epiſcopi, vel Synodi auctoritate. Honor poſtea inferendi nomen in Canonem Sanctorum mox cum Epiſcopis, Eremitis, Virginibus, aliiſque eminenti ſanctitate præditis cum maribus, cum feminis communicatus fuit, qui in oſculo pacis deceſſerant; qui mos in Oriente obtinuiſſe videtur ſub finem Ethnicarum perſecutionum: quod conjicitur minus ex cultu Sancti Gregorii Thaumaturgi, Sancti Dionyſii Alexandrini, & aliorum antiquorum, quam ex juſſu Sancti Antonii, qui Diſcipulis ſuis præcepit, ut corpus illius poſt ejus obitum abſconderent, prohibiturus ne ſuper tumulum ſuum ædificaretur ſacellum, quæ una erat tunc temporis canonizandi ratio. Cujus nobis occurrunt plurima exempla ſæculo quarto, eaque frequentia fuiſſe videntur præſertim in Palæſtina, Syria, finitimiſque Provinciis. *Ex variis Auctoribus.*

Abuſus qui obrepſerunt in deſcriptione vitæ Sanctorum.

Non defuerunt inter Catholicos viri boni, & etiam morum ſanctitate præſtantes, in quibus veritatis amor non ſemper vim habuit corrigendi ſtudium illud, quo mortales in mendacium, & figmentum impelluntur. Ipſis etiam Apoſtolorum temporibus non defuit hujus notæ vir in perſona ſancti Papiæ Hieropolitani Epiſcopi, qui ſe ferebat diſcipulum Apoſtolorum, & priſcorum eorum, qui Jeſum Chriſtum cognoverant. Papias autem licet pietate inſignis eſſet, & zelo erga Religionem, non abhorruiſſet tamen ab admittendis fabuloſis, de Jeſu Chriſto, Apoſtoliſque narrationibus, cum mirum in modum credulus eſſet & facilis recipiendo quæcunque ſibi ſub tantis nominibus nuntiarentur, quin vera a fictis ſecerneret, eum & ipſe indiſcriminatim eadem aliis venditaret; & liquet opera illius nugas, & mendacia pro factis, ac ſententiis Apoſtolorum traducta fuiſſe. Hujus characteris quales fere ſemper in Eccleſia inventi ſunt, pares etiam ſunt fictis conſcribendis hiſtoriis, non ſecus ac hæretici. Inter hos tamen illud intercedit diſcrimen, hos non decipi, niſi quod primi decepti fuerunt, quæ res illos magis excuſabiles efficere poteſt, præ Hæreticis & calumniatoribus, qui ſunt primi calumniarum auctores: ſed non ideo minus moleſtos parit effectus in animis legentium; & malum eo eſt incurabilius, quo altiores ſunt impreſſiones, quas præjudicium meritis eorum invexit. *Ex iiſdem Auctoribus.*

Rationes, quæ impulerunt Eccleſiam ut Sanctos Canonizaret.

Videmus primis Eccleſiæ ſæculis fideles vivendi genus adeo frugi, ſanctumque ducere conſueviſſe, ut eorum plurimi poſt mortem communi Epiſcoporum totiuſque populi voce in Sanctorum album referrentur; ſed fide-

ſium pietate ſæculorum decurſu tepeſcente, non ceſſabant Chriſtiani, quominus Sanctorum numero accenſerent eos, quorum virtutes, dum viverent, inclaruerant. Sed cum Eccleſia cognoſceret, hac in re quoſdam obrepere abuſus; veritatis amor effecit, ut accuratius, & ſeverius ad examen revocarentur mores, & vivendi ratio eorum, qui inter Sanctos erant adnumerandi; eamque ſibi reſervavit auctoritatem, ut filios ſuos ab omni ſuperſtitionum genere averteret, in quas ipſa quoque lapſa fuiſſet, niſi ſatis eſſe duxiſſet in Sanctorum numerum admittere perſonas virtute præditas, quæ deinceps illi propoſitæ fuerunt, ſecundum ſimplicem declarationem populorum, & ſæpe etiam amicorum, affinium, diſcipulorum, vel etiam magiſtrorum illorum, a quibus proponebantur. Id igitur piam matrem impulit, (ne deciperetur, neque deciperet filios ſuos in re tanti momenti) ut horum id genus teſtium pro ſuſpectis haberet, donec ipſa diligentiſſimas, & accuratiſſimas haberet quæſtiones, ubi de alicujus ſanctitate ageretur, ad id integros ſatiſque multos impendens annos ad propius inſpiciendum ortum, vitam & mortem eorum, qui hoc titulo eſſent honorandi.

Quo pacto primorum ſæculorum Sancti fuerint Canonizati?

Ad hæc animadvertendum eſt primis Eccleſiæ ſæculis pios homines nequaquam in album ſanctorum relatos fuiſſe ſecundum monumenta, & teſtimonia, quæ de eorum vita, moribuſque exhibita fuere; quoniam acta eorum tunc tandem fuere conſcripta, cum jam nomen illorum in canonem relatum fuiſſet. Hinc factum eſt, ut plures ſcriptores indiſcreto acti zelo erga Patriam ſuam, & pietate ſingulari erga ſanctum, quem talem eſſe arbitrabantur, eo evaſerint, ut illis facta, & peculiares actiones affingerent, non aliis probationibus innixi, niſi ſuis teſtimoniis. Hinc anſam arripuerunt Hæretici in dubium revocandi nonnullorum ſanctitatem, prætexentes, gratis aſſeri de illis facta, quæ nonniſi aliquorum ſcriptorum fide fulciuntur. Sed facile eſt hac in re illis rationem reddere; ſi enim actiones peculiares vitæ Sancti alicujus nonniſi ab uno, vel duobus referuntur, fateor equidem hæc teſtimonia ſuſpicione non carere; ſed pertinax error eſt, & voluntaria cæcitas aſſerere, aliquem vere Sanctum non eſſe, quia illi facta tribuuntur, quæ cum nonniſi a privatis aliquot cognita ſint, nondum ſatis probata ſunt; quandoquidem Eccleſia nunquam in canone retulit Sanctum juxta peculiaria teſtimonia; ſed tantum ſecundum univerſalia, idque ad enixas preces populorum, atque Regnorum, quorum intereſt magis, quam privati alicujus hominis, non falli ea in re, in qua agitur de vero cultu, vel de ſuperſtitione. Hanc ob cauſam bona Mater per ſe cognoſcere voluit rationes, quibus agebantur Populi, ut ſibi apud Deum Patronum, atque Interceſſorem eligerent. Itaque ut in hac fide ſeſe confirmet, ad hanc quoque diem plurimos impendit annos in accuratiſſimis quæſtionibus habendis, antequam ſuam de hac re proferat ſententiam.

Regula quam ſervat Eccleſia erga Sanctos, & Martyres dubios, non ſecus ac erga illos qui in errore obierunt.

Eccleſia ſemper intenta ad cultus puritatem ſervandam, non ſecus ac fidei, & morum filiorum ſuorum ſibi potius duxit negligendam memoriam Sanctorum, & Martyrum incertorum, quam ſemel periculo objicere honorem deferendi iis, qui falſo inter Sanctos accenſerentur. Patres Concilii Laodiceæ habiti in Phrygia, quod celebratum creditur imperante Conſtantio, vel Juliano Apoſtata, edicto cautum voluerunt, anathematis pœna propoſita, ne deſererentur Sancti Jeſu Chriſti pro talibus habiti, & ne quis ad illos confugeret, qui ab Hæreticis ſancti haberentur, ſive ab illis adoptati fuiſſent, ſeu tandem & ipſi hæreſi fuiſſent infecti. Eccleſia tamen non eo ſeveritatis procedit, ut eos omnes excludat qui in errore deceſſiſſe creduntur, vel qui aliquibus in ſententiis deprehenſi fuerint hæretici: neque ambigit in claſſem maximorum Sanctorum inſerere eos, quos millenarii, aliique viderentur ſibi ab illa poſſe repetere. Cenſuit vero a communione ſua alios abſcindendos eſſe, quia ad finem uſque ſe hæreticorum fautores oſtenderunt, & qui anathemate perculſi obierunt; quamvis a populis cultus religioſi honores obtinuiſſent.

Idem ſequitur argumentum.

Felicibus primitivæ Eccleſiæ temporibus facilius erat Sanctis invenire Hiſtoricos dignos ſe, ac ſibi ſimiles. S. Lucas exemplum reliquit iis, quibus ſatis eſſet ingenii & conſilii, ut eum ſequerentur. Tamen latet, cur permiſerit Deus tam paucos eſſe, qui illius veſtigia legerent, & pleroſque eorum, qui hoc ſtadium ingreſſi ſunt, non eos fuiſſe, quibus tentatum opus beneverteret. Omnium temporum Sancti minorem navarunt operam, ut aliorum Sanctorum acta conſcriberent, quam ut & ipſi facerent opera conſcribenda ad publicam eruditionem. Fatendum eſt tamen, complures quæ nobis ſuperſunt particularium Sanctorum vitas, qui quinque, aut ſex prioribus Eccleſiæ ſæculis floruerunt, Sanctos Auctores habuiſſe. Hæc opinio poſterioribus ſæculis magis percrebuit, in quibus Sancti, & boni Scriptores infrequentius claruerunt. Nam S. Eulogius Cordubenſis per hiſtoriam Martyrum ævi ſui; S. Bernardus per S. Malachiæ vitam, S. Bonaventura per illam D. Franciſci plurimum ad eam fovendam, ſervandamque contulerunt. *Ex iiſdem.*

Objectiones adverſus

Duo iſthic objiciuntur contra Eccleſiæ auctoritatem, videlicet aſſertus quidam S. Auguſtini locus: & quorundam Sanctorum vitæ, quas eruditiſſimi quidam Critici putant apocryphas; quæ tamen probantur in populis, qui in iis ſuam erga Beatos illos pietatem conſtituunt. Operæ pretium eſt brevi utrique reſpondere. Quoad priorem pertinet; obtrudunt nobis hanc Sancti Auguſtini ſententiam: *Multorum corpora honorantur in terris, quorum animæ torquentur in gehenna.* Reſpondemus autem ſententiam hanc nullibi inter S. Auguſtini opera inveniri, & licet vel ex illius ore, vel penna exciderit, eam intelligendam eſſe de Regibus, vel Monarchis Ethnicis, quorum eo proceſſit ambitio ad aſſequendam per fas, & nefas immortalitatem, ut ſuper cineres ſuos ſuperba ædificari voluerint monumenta, quæ illos poſteritati commendarent, quales extitere Ægypti Pyramides: vel dicendus eſt S. Auguſtinus locutus fuiſſe de Sanctis ſuppoſititiis; vel quod probabilius eſt, de Martyribus Donatiſtarum, qui ab Hæreticis tunc temporis colebantur, licet vere animæ eorum cum illis aliorum Hæreticorum in gehenna torquerentur. Objectio altera Sanctos reſpicit, quorum vita, mors, & generatim hiſtoria univerſa nobis vel prorſus ignota eſt, vel non ſatis ſuis circumſtantiis conveſtita; ſed de quorum ſanctitate aliunde conſtat. *Ex pluribus Auctoribus.*

Eccleſiæ infallibilitas in Canonizatione Sanctorum.

Cur Hiſtorici veritatem ſancti ſi non valuerunt ſcribentes vitas Sanctorum?

Mirum eſſe non debet ſi plura admodum antiqua, & fere oblivioni ſepulta per tyrannorum perſecutiones, ſine probationibus referuntur ab Hiſtoricis, alioquin ſatis fidelibus; quippe crediderunt Traditionem, publicamque fidem ſufficere poſſe argumento ſuo, quod in eo verſabatur, ut Sancti cognoſcerentur, & colerentur. Sed Hæretici inde anſam arripuerunt in eorum ſcripta inſerendi plura mendacia: præterquam quod nonnulli Catholici, ſeu propter ſuam utilitatem, ſeu per imprudentem zelum finxerunt, & immiſcuerunt aliquot indigna chriſtiana pietate, uti conſtat ex cenſura Gelaſii Papæ in Romano Concilio. Quid dicam de electione, ac diſpoſitione rerum, de brevitate, & proprietate verborum, de ſinceritate, ac ſpiritu, qui requiruntur ad vitas Sanctorum ſcribendas, ut in legentium animis imprimant pretium, in quo illi habendi ſunt, & deſiderium facta ipſorum imitandi? *Recens Auctor.*

Canonizandi uſus antiquitus in Eccleſia conſtitutus.

Ambigi nequit, quominus uſus canonizandi Sanctos ab ipſis uſque primordiis viguerit in Eccleſia, quandoquidem patet morem obtinuiſſe ſub finem ſæculi quarti mittendi de Provinciis Romam acta Martyrum, ut deſcriberentur, & insererentur in collectionem Sanctorum poſt examen a Summis Pontificibus de illis habendum. Videtur etiam hoc inſtitutum non potuiſſe poſterius eſſe S. Fabiano; quandoquidem ante hunc Tertullianus locutus eſt de his Eccleſiæ faſtis, ac vivente illius ſucceſſore Cornelio, S. Cyprianus etiam atque etiam commendabat, ut ſumma cura notaretur dies obitus Martyrum, & Confeſſorum, qui pro Religione paſſi fuerant, ut eorum celebrari poſſet memoria. Verum eſt Sanctum Cyprianum hoc in loco non referre, utrum ageretur de colligendis Martyrum Actis, & deſcribenda paſſionis eorum hiſtoria, ſed liquet ex vita ejus a S. Pontio Diacono ipſius conſcripta, morem hunc jam in Carthaginienſi Eccleſia viguiſſe. Non igitur eorum dumtaxat ratio habebatur, qui præ cæteris Martyribus eniteſcerent; honor idem habebatur iis, etiam qui noviſſimi erant e populo, immo iis etiam, qui hactenus erant Catechumeni; & opera collocabatur ad colligenda ea omnia quæ dixerant, fecerant, vel paſſi fuerant, & minutæ etiam conquærebantur circumſtantiæ. Nihil putabatur eſſe prætermittendum; omnia quippe in Jeſu Chriſti gloriam, vel in Fidelium ædificationem cedebant. *Ex pluribus Auctoribus.*

Quid ſint Acta martyrum?

Quod dictum fuit de cura colligendi, vel componendi Martyrum Acta, nobis oſtendit duplex eorum fuiſſe genus; eorum videlicet quæ tantum erant colligenda, & eorum, quæ poſt factum erant componenda. Prima illa, quæ vocabantur autographa, acta erant judiciaria; quia illi, qui præcellebant inter Præſides Provinciarum, ſub Ethnicis Imperatoribus, quæſtiones de Martyribus habebant. Acta hujuſmodi, quæ non aliud erant, niſi interrogationes juxta conſuetas formulas habitæ, in publicis tabulariis ſervabantur; videlicet Chriſtianis erat curæ illa conquirere, atque tranſcribere, quod ſæpe per extenſum fiebat per judicum interrogationes, & reſponſiones eorum qui accuſabantur; & ſæpe etiam contractius, & per compendium. Tabulariorum cuſtodibus mos non erat facultatem hanc negandi, & complures etiam conſuebant, ut eorumdem actorum ſibi exemplaria procurarent. Quibus mox ad libitum utebantur, ſeu, ut eadem hiſtoricorum more deſcriberent, ſeu ut de uno idiomate in aliud traducerent, ſeu ut in compendium redigerent. Inter acta autographa recenſebantur illa etiam, quæ ipſi Martyres conſcribebant, cum per otium illis liceret, quod fecerunt Sancta Perpetua, S. Flavianus, Sanctus Montanus, aliique: & ea, quæ Chriſtiani, qui aderant quæſtionibus, ipſi quoque deſcribebant tempore eodem, quo Scribæ; & illa, quæ ipſi teſtes præliorum ſtatim poſt martyrii conſummationem ſcribebant, quemadmodum fecerunt Fideles Smyrnæ, Carthaginis, & Eccleſiæ Lugdunenſis. *Ex iiſdem.*

Gene-

Compendia Actorum martyrum contulerunt aliquid eorum Canonizationi.

Generis alterius acta, quæ ad hanc quoque diem tanquam tituli authentici recipiuntur, illa ſunt, quæ immediate ex autographis deſumpta fuerunt. Hæc ut plurimum non aliud ſunt, quam compendia, ex quibus reſcinduntur moroſæ illæ judiciariæ quæſtionis formulæ; quibus Auctores ſubrogarunt aliquot animadverſiones ſuas, vel aliqua eloquentiæ ornamenta. Acta hæc ita compoſita mox ad Epiſcopos, vel alios inſpectores afferebantur, qui ea corrigerent antequam in lucem emitterentur, vel in populi manus traderentur. Breviora, ac magis ſimplicia, fere meliora habita ſunt; in duabus iſtis qualitatibus creditum fuit, ſitum eſſe verum characterem actorum authenticorum, & hunc non parum contuliſſe ad ſecernenda ea quæ in origine ſua falſa erant, vel in paraphraſi corrupta. *Ex pluribus Auctoribus.*

Acta martyrum.

Vera, & mendoſa Martyrum acta in Eccleſia multiplicata ſunt uſque ad tempus ſæviſſimæ perſecutionis Diocletiani; quemadmodum videtur ſimul in agro eodem creſcere triticum, & lolium uſque ad tempus meſſis. Sed propter Edictum, quod Imperator idem edidit anno 303. contra Sanctas Scripturas, alioſque Religionis noſtræ titulos; pleraque acta hæc eodem involuta fuerunt incendio, quo Sacra Biblia. Quæ in Templis aſſervabantur, cum eorum excidio interierunt; Quæ erant apud Lectores, aut privatos tradita fuerunt Præfectis Ethnicis, a quibus fiebat perquiſitio Scripturarum, & qui indiſcriminatim comburebant omnia. Quod in cauſa fuit, ut quam plurima ficta Martyrum acta ab Hæreticis compoſita involuta fuerint in jactura verorum, quæ in Fidelium cœtibus legebantur, & quæ Ethnici confuſe ſub generali titulo Scripturarum noſtræ Religionis complectebantur. Ante immanem illam perſecutionem Arnobius exprobraverat jam Ethnicis bellum ab ipſis contra Chriſtianorum libros illatum, quoniam intelligebant, illos lectione hac communiri, & excitari ad cauſam ſuam tuendam, pro qua martyres tot cruciatus ſubierant. Similem ob cauſam perſecutores, & judices jubebant nonnunquam proceſſus habitos adverſus martyres flammis adjudicari, quin in Tabulariis aſſervarentur, vel eorum exemplaria petentibus permitterentur. *Ex pluribus Auctoribus.*

Vitæ Patrũ in Eremo, & Monachorum.

Euſebii labores non ſoli fuerunt fructus pacis, quos Chriſtiani Imperatores Ethnicorum perſecutionibus ſuccedere voluerunt. Peculiares etiam Eccleſiæ inde profecerunt, ut in Martyrum ſuorum actis reparandis operam collocarent. Pauciſſimus eorum numerus inventus fuit; ſed nondum illis in mentem venit nova ſubſtituendi in locum eorum, quæ interciderant. Hæc inopia cauſa fuit, propter quam avidiſſime exciperetur non modicum incrementum, quod paulo poſt acceſſit hiſtoriæ vitarum Sanctorum Martyrum, per recentem quamdam martyrii ſpeciem, videlicet Eremitarum, & omnium eorum, qui cum non poſſent ad martyrii gloriam per ſanguinis ſui effuſionem pro Religionis cauſa pervenire, deſerta petiere loca quæſituri, quomodo per pœnitentiæ auſteritates martyrio ſupplerent. *Ex iiſdem.*

Reſtaurantur martyrum acta.

Quæcunque roboris, viriumque acceſſio facta fuerit per incrementum vitæ Eremitarum, ac Monachorum, ſatis non fuit, ut ſolatium afferret Eccleſiæ ob jacturam Actorum Martyrum conqueſtæ; quam in noviſſimis Ethnicorum perſecutionibus paſſa fuerat, & quæ ſubſequentibus ſæculis propter Barbarorum irruptiones fuit inſtaurata. Ea conquiſita ſunt, quæ temporum calamitatem evaſerant, & tot inimicorum furorem effugerant; atque labores impenſi ſunt, ut quæ non ultra inveniebantur, reſtituerentur. Difficile, arduumque non fuit reparare mendacia martyrum acta per eas rationes, quibus Auctores uſi erant, ut eadem elucubrarentur; ſatis enim ad id erat, ut homo libidini ſuæ obſequeretur. At non æque facile fuit vera reficere, veris, quæ interierant, ſubroganda, ut unicum ſuppeteret ſubſidium memoria viventium, & vulgares Traditiones. *Ex pluribus Auctoribus.*

Eiuſdem argumenti continuatio a Tillemontio deſumpta.

Tallemontii monumenta ſummis laudibus excipienda ſunt, eaque non aliud ſunt, quam Hiſtoria vitæ ſanctorum, in qua annos quadraginta pertinaci labore ſe inſudaſſe teſtatur, quæ non ita pridem prodiit in lucem. Si Hæreticorum, Ethnicorumque hiſtoriam impenſius evolvit, hoc accidit ſolum, ut iiſdem ad propoſitum ſibi finem multa cum utilitate uteretur. Immo neque Cæſarum Hiſtoriam prætermiſit. Antiqua, & authentica martyrum acta ibi in nativa puritate inveniuntur, non ſine iis, quæ certiſſima ſunt ex optimis Eccleſiæ monumentis, ut hiſtoria ab ipſo exornata numeris omnibus abſoluta prodiret. Acta, quæ ſuſpicione minime vacant ad examen ſumma cum verecundia, & cura vocantur, cum præſertim emunctæ naris ſit Auctor, ſcitus, & ab omni præventione expeditus. Acta fabuloſa inde proſcripta ſunt; ita ſæpe tamen, ut id retineatur, quod prodeſſe poteſt ad ſervandam, ornandamque memoriam Sanctorum, quorum nonniſi obſcuram, confuſamque cognitionem tribuunt. Nihilominus nihil illi fuit antiquius, quam ut caveret, ne fidelium pietatem falleret, cum eandem ædificare vellet, cauſatus quidquid in his incertum inveniretur, conſecratum, aut ſanctificatum fuiſſe labiis SS. Patrum, quorum ſemper rationem habendam duxit, iiſque præſtandum obſequium. *Ex pluribus Auctoribus.*

Eccleſia non expungit, et numero Sanctorum pios homines poſt quorũ mortem hæretici ſcriptis illorum falſum ſenſum affinxerunt.

Eccleſia, quæ Spiritus Sancti lumine afflata certiſſimis inhæret canonibus, ut ferat de Sanctitate judicium, nunquam renuit Sanctorum catalogo inſerere plures pios mortales, qui inciderant in ſenſus, ex quibus deinceps ſubortæ ſunt hæreſes, præſertim vero cum hæreſes ipſæ non coaluerint, vel nonniſi ab ipſis damnatæ fuerint. Hoc liquet ex pluribus exemplis ex hiſtoria Sanctorum trium primorum Sæculorum deſumptis: qui varios retinuerant errores a priſcis Philoſophis profectos, cum illi ad Evangelii dogmata traducerentur: in hiſtoria Sanctorum, qui nimis temere, leviterque Millenariorum opiniones adoptarunt, vel alias id genus nugas, quæ mox ceſſerunt in hæreticorum hæreditatem; in hiſtoria Sanctorum, qui duriuſcule, vel ſubobſcure verba fecerunt de Jeſu Chriſti nativitate; nimis contumelioſe de gratia Redemptoris, & nimis favorabiliter de naturæ viribus, & hominis libertate.

Licet Eccleſia canonizet Sanctos, non ideo omnes ſenſus illorum probat.

Pluribus in rebus nobis ſignificavit Eccleſia, ſibi ubi Sanctos in canonem inſerit, mentem non eſſe omnes illorum ſententias probare. Itaque honor, quem illis impendit, poſtquam ſolemni ritu memoriam eorum ſacravit, minime ſupponit, ubi ſemel eos canonizaverit, ſe condemnare non poſſe quidquid vere damnandum in eorum ſcriptis, ac ſententiis inveniretur. Hoc dicendum eſt quoque de Sanctis, qui poſt noviſſimas juridicæ canonizationis formulas in Cælum recepti ſunt poſt duodecimum ſæculum ſub Alexandro Papa III. licet poſtmodum longe major cura, & ſeveritas adhibita fuerit in examine, cum ſenſuum, cum actionum eorumdem. Hoc crediderunt nonnulli obſervari poſſe in Sancto Antonino Florentino, aliiſque, quibus nihil licebat ſapere, quod ſcholam non redoleret, necnon in nonnullis Sanctis mulieribus, quæ non ſecutæ ſunt ad apicem ſenſus Eccleſiæ, ubi voluerunt in lucem edere viſiones, atque revelationes ſuas; & in Sanctis aliis, qui alios quidem fideles ſuperarunt ſpiritualitate ſua, & qui Theologiæ myſticæ ſenſibus repleti fuerunt. Non eſt quidquam de Sanctorum canonizatione deterere, fateri errores, qui in ſcriptis eorum occurrunt. Una in Sole labes ejus claritatem non aufert; Eccleſia ſimulac teſtatur ſe illuſtratam doctrina Sanctorum, quos canonizat, tantum abeſt, ut omnes, & ſingulos eorum ſenſus adoptare, ac tueri velit, ut ſibi ſemper reſervet jus ſecundis curis iterum cognoſcendi, ac judicandi doctrinam, atque ſcrutandi, an qui errores fuerint illapſi. Inutile eſt igitur aſſerere, quidquid dictum fuit ab iis, qui in Sanctorum albo deſcripti ſunt, vel ab iis, quorum memoria optimum in Eccleſia perflat odorem, cenſoria virgula notari non poſſe, & ad examen revocanda non eſſe. Hoc privilegium pertinet ſolum ad Canonicorum librorum Auctores, ex D. Auguſtini ſententia, qui verba faciens de S. Cypriano, teſtatur in eruditiſſimis Doctorum, & Chriſtianorum Oratorum ſcriptis errores inveniri poſſe; licet fortaſſe in peccatorum ſcriptis non inveniantur, Deo permittente, ut Sanctarum Scripturarum auctoritati maximum pondus accedat. *Ex pluribus Auctoribus.*

Abuſus in opinione ac judicio Sanctitatis.

Non omnis eadem eſt Sanctitatis idea, neque omnes æque norunt ea, quæ ad Sanctos pertinent. Qui meliores habebantur, non ſemper conſentiebant, qua in re ſanctitas ſita ſit, neque inter illos conſtabat, ex quibus indiciis eſſet arguenda. Hinc orta eſt dubietas de fama tot Sanctorum, cum ut de illis judicium fieret, homines immorati ſunt in actionum ſingularum diſquiſitionibus, quin de univerſa vitæ ratione, & morte ferrent judicium. Hoc autem judicium Eccleſiæ eſt; populi, qui ſæpe illud ſibi vindicarunt, teſtes quidem fuerunt, ac delatores, nunquam vero judices Sanctitatis. Verum eſt ſæculis illis felicibus, quibus nullum erat æquivocum in Sanctitatis indiciis, populorum teſtimonia tutiſſimorum judiciorum loco habita fuiſſe, ac ſatis fuiſſe, ut piis hominibus titulus, & locus inter Sanctos tribueretur. Sed per vitium, quod multitudini familiare eſt, libertas hæc degeneravit in licentiam, quæ varios peperit abuſus, & quæ Eccleſiam impulit, ut medicinam afferret revocans ſuum jus, ſibique ſapientiæ plenas conſtitutiones præſcribens. Abuſus, quos illa reformandos ſuſcepit, aliter, aliterque obrepſerant: ſed omnes fere innuebant hominum ſuapte natura propenſionem in vitium. Senſim, & ſine ſenſu relabebantur in eas ſuperſtitiones, quas ethnicam impietatem ejurantes abjecerant. Quærebatur, quo pacto mortuorum memoriæ cultus religioſi haberentur, quos divinos vocare minime audebant, ex quo Chriſti Religionem profeſſi erant; ſed qui nihil fere diſtabant ratione objecti cultus, & honorum, quos apotheoſis, vel conſecratio apud Ethnicos procurabant iis, quos in inanium Deorum ſuorum ordinem efferebant. *Ex pluribus Auctoribus.*

Abuſus qui inoleverant cum Principes eſſent in Sanctorum albo deſcribendi.

Naturales grati animi, & obſequii ſenſus, quos erga magiſtros, & Benefactores colimus, præſertim fuerunt in cauſa, propter quam Principum, ſummorumque virorum memoria conſecraretur; ſæpe ſatis erat, ſi a vitiis fuiſſent immunes, ſi præ ſe tuliſſent zelum Religionis, & lenitatis erga populos, ſi monaſteria ædificaſſent, locupletaſſent Eccleſias, & Xenodochia; inſpiciebantur quidem noxæ licet non modicæ, quæ in ipſorum vitæ ratione deprehenſæ fuerant, ubi mirum in modum de Eccleſia fuiſſent meriti. Pietas ſubditorum inter marty-

res

res recenſebat eos, qui injuſte cæſi fuerant, ubi bene moratam duxiſſent vitam; licet intra necis eorum cauſas locum non habuiſſet religio. Abuſus cultus hujus, qui propter amorem, aſſentationem, ſervitutem, vel cupiditatem Principibus adhibebatur a Populis, nonnunquam viſus fuit in rumoribus, qui effundebantur propter miracula, quæ illis adhuc viventibus referebantur accepta. Et aſſerebant miracula hæc, quæ plurimum effectus erant calumniæ, titulos eſſe, quibus ſatis confirmaretur opinio ſanctitatis eorum, quam actionum ipſorum improbitas mendacii arguebat. *Ex iiſdem.*

Abuſus qui committebantur in Epiſcopis appellatis Sanctis nomine in Eccleſia.

Epiſcopi etiam, ut plurimum, majorem præ terrenis principibus partem obtinuerunt in cultu, qui illis adhibebatur, quam Spiritus Religionis. Sæpe in tumulum ſecum aſſerebant *Sanctorum* nomen, quod dum viverent, geſſerant, ibique ſervabant venerationem, quæ huic titulo adhæſerat. Hoc nomen vulgo Epiſcopali tribuebatur dignitati, & nonnunquam etiam Chriſtianæ Religionis profeſſioni deferebatur, in qua omnes ad ſanctitatem evocabantur. Hoc in ſenſu non Epiſcopi tantum, & Sacerdotes, ſed complures etiam ſexus utriuſque hoc nomine pluribus ſæculis appellati ſunt, quin ſchiſma, vel hæreſis, quibus erant quandoque implicati, dum viverent, hoc illis auferret. Plures adhuc poſt obitum illud retinuerunt, quod ſæpe feſellit ſimplicitatem, vel affectum populorum, qui decreverunt illis honores cultus religioſi, decepti æquivocatione tituli, quin rem intus, & in cute cognoſcerent. Æquivoci hujus gratia videntur in martyrologium obrepſiſſe nomina Euſebii Cæſarienſis in Palæſtina, qui Arianiſmo ſuffragatus eſt, aliorumque complurium, quorum doctrina, & mores etiam fortaſſe non erant ab omni reprehenſione vacui. *Ex pluribus Auctoribus.*

Media quibus uſi ſunt, ut multiplicarent Sanctos quorū aliqui non niſi in populorum opinione tales erant.

Alia quoque excogitata ſunt adminicula in augendo Sanctorum numero, quæ non minus in Eccleſiæ ſuſpicionem inciderunt. Facilitas illos recipiendi eo creſcebat magis, quo vera ſanctitas decreſcebat, ita ut fidem aſtrueret, ut Cæli jacturæ reparari viderentur, acceſſione novorum Sanctorum, quorum nonnulli fortaſſe penes unicam hominum æſtimationem pro talibus habebantur. Hoc præcipue viſum eſt ſub duplici prima Regum noſtrorum Sobole, qua rerum ſummam obtinente dicere poſſumus ſanctitatis pretium viluiſſe. Integræ, ſatiſque frequentes, videbantur familiæ ex Sanctis conflatæ, quorum ſinguli aliquando cultum religioſum ſeorſim erant habituri. Cœptum eſt admitti non ſolum ſimplices Neophitos quimvis adultos, ſed etiam pueros infra rationis uſum; videlicet Sanctos ſine cooperatione, qui nihil ſuorum meritorum Jeſu Chriſti meritis admiſcuerant; Sanctos, qui fortaſſe majorem conſtituunt numerum Beatorum in Cælo: qui tamen illi non ſunt, quos ſibi proponit Eccleſia tanquam objecta cultus filiorum ſuorum, niſi paſſi fuerint pro Jeſu Chriſti cauſa, quemadmodum Sancti Innocentes Bethlecmitæ, quemadmodum S. Cyrus S. Julitæ filius primus martyr, aliique nonnulli, & quemadmodum non pauci Infantes ſæculis poſterioribus a Judæis trucidati tempore Paſchatis eorum, propter odium, quo Jeſum Chriſtum perſequebantur. Ambitio quoque & naturalis affectio adnumerabantur cauſis hujus multitudinis Sanctorum; impendebatur nonnunquam aurum, vel exiſtimatio familiarum, ut in hoc albo recenſeretur conſanguineus, amicus, affinis, concivis, & arbitrabantur ſibimet hoc pacto coram hominibus gloriam comparare, & patrocinium apud Deum. Satis erat aliquando quadam obiiſſe die, puta in Paraſceve, vel alia id genus, ut in populorum opinione aliquis ſanctus eſſet, illi ponerentur aræ, cerei, & oblationes ad tumulum afferrentur. *Ex iiſdem.*

Eccleſia recentiores conſtituit canonizationis regulas, ut mederetur malis omnibus, quæ prioribus ſæculis committebantur.

Eccleſia ut medelam afferret malis, quæ prioribus ſæculis percrebuerant, novas conſtituit regulas pro canonizatione Sanctorum, in quibus formæ juridicæ præſcribuntur aptæ ad avertendos dolos, & pravas artes, & calumnias eorum, quorum erat ad examen vocare titulos ſanctitatis a populis oblatos. Ipſum canonizationis vocabulum nonniſi ſero invectum fuit; ad innuendam authenticam receptionem Beati in catalogum Sanctorum, quos cultu publico dignatur Eccleſia; nec liquet, illum ante duodecimum ſæculum in uſu poſitum fuiſſe. Sed ſub finem decimi cœptum eſt uti formulis canonizationis regularis, quod factum eſt eodem tempore, quo inceperunt Epiſcopi ad Sanctæ Sedis auctoritatem confugere, ut Summos Pontifices inducerent ad extendendum in Eccleſiam univerſam cultum Sancti, quem proponebant, & qui ut plurimum nonniſi in peculiari Diœceſi colebatur. Itaque diſtingui poſſunt tres ætates, ſecundum varios modos canonizandi Sanctos in Eccleſia. Prima, quæ obtinuit ab ipſa inſtitutione cultus religioſi martyrum uſque ad ſæculum decimum; altera uſque ad Alexandrum III. qui Petri ſolium aſcendit anno 1159. & poſtrema ab hoc Pontifice ad hæc uſque tempora. *Ex pluribus Auctoribus.*

Decretum Joannis XV. de canonizatione Sancti alicujus vetuſtiſſimum eſt, quod noverimus.

Vetuſtiſſimum, quod noverimus ſolemnis Canonizationis decretum a Summis Pontificibus factæ, ad alienigenarum preces, Bulla eſt, quam Joannes XV. edidit anno 995. adnitente Lutolfo Epiſcopo Auguſtano in Germania, ut in Sanctorum catalogo S. Ulricus adſcriberetur. Coegit Summus Pontifex in Lateranenſibus ædibus Concilium Epiſcoporum, Sacerdotum, Diaconorum, aliorumque Romani Cleri Eccleſiaſticorum ad Epiſcopi propoſitiones audiendas. Præſul hic juſſit legi librum de vita, & miraculis Sancti in cœtu univerſo, & ſecundum Epiſcoporum ſanctiones Pontifex conſecravit memoriam S. Ulrici Epiſcopi Auguſtani per cultum divinum, videlicet per generalem canonizationem, quæ locum erat habitura in Eccleſia univerſa, vel ſaltem in tota Gallia ſimul, & Germania; videtur enim Sanctus hic jam honorem hunc obtinuiſſe in Eccleſia Auguſtana per auctoritatem Epiſcoporum ejus loci. *Ex pluribus Auctoribus.*

Summi Pontifices intellexerunt neceſſitatē pertractādi in Generali Concilio de Canonizatione Sanctorum.

Romani Pontifices duodecimo tandem ſæculo intellexerunt, Canonizationem Sanctorum, quæ percrebreſcebat, negotium eſſe in generali Concilio pertractandum, & habendum eſſe inter graviſſima Eccleſiæ negotia. Non autem Concilium hoc Œcumenicum eſſe volebant; illud generale dumtaxat vocabant, ubi aderant Præſules ex variis ditionibus, vel Regnis, ibique per ſe præerant. Aliquandiu poſt viſum eſt in Gallia exemplum inſigne Epiſcopalis Canonizationis, quin ulla habita fuerit mentio Pontificis. Fuit autem illa *S. Gautier* Abbatis S. Martini Pontiſaræ, quæ ſolemni pompa celebrata eſt per Archiepiſcopum Rothomagenſem, cui miniſtrarunt Epiſcopi Pariſienſis, & Silvanectenſis. Nec ſatis illis fuit corpus elevare, ejuſque tranſlationem recolere poſt annos ab obitu fere ſexaginta; ſed inſtituerunt etiam diem feſtum, & conceſſerunt Indulgentias admodum ſingulares iis, qui lypſana Sancti ejus inviſerent, & ad illius interceſſionem confugerent. *Ex iiſdem.*

Ritus canonizationis fit celeberrimus.

Plurima gradatim juridicis formis facta eſt acceſſio, non ſecus ac ritibus canonizationis ut ſemper redderetur auguſtior; atque varii conſcripti fuerunt tractatus, qui conſuli poſſunt. Putant nonnulli ritus hos conſtitutos fuiſſe circiter annum 1347. ſub Clemente VI. Ante hoc tempus cœptum fuerat fidelibus elargiri Indulgentias die hujus celebritatis. Unum ex prioribus exemplis, quod occurrat, illud eſt Honorii III. in Canonizatione Sancti Laurentii Dublinienſis peractæ anno 1226. in qua multos Indulgentiæ dies conceſſit. Gregorius IX. ejus ſucceſſor illas ad annum extendit, & ultra. Ita omnes, qui in Eccleſia apparuerunt, & mortui ſunt in Sanctitatis odore poſt decimum tertium præter propter ſæculum, cultu publico non decorabantur, niſi, canonizarentur, vel beatificarentur juridice a Sancta Sede, vel declararentur Sancti per Concilium œcumenicum, quod S. Roccho accidiſſe plures teſtantur. Illi autem excipiendi ſunt, qui recens inſerti ſunt in Romanum Martyrologium, poſt illius reformationem ſub Gregorio XIII. & Sixto V. peractam. Sed non fiunt amplius hujuſmodi inſcriptiones ſine aliquo Summi Pontificis Brevi, aut Decreto Sacræ Rituum Congregationis pro diei feſti inſtitutione, & officio. Hoc noſtro præſertim ævo innotuit, cum ageretur de S. Joanne de Matha, & S. Felice Valeſio, Ordinem quorum placuit immunem præſtare a ſumptibus Canonizationis, qui non ſine detrimento crumenæ Captivorum erogandi fuiſſent. *Iidem.*

Quid fecerit Urbanus VIII. ut malis occurreret, quæ in Sanctorum Canonizatione emergere poterant?

Ut recentibus malis aditus intercluderetur, Urbanus Papa VIII. anno 1625. decretum edidit, illudque inſtauravit anno 1634. prohibiturus ne quid in vulgus proferretur de virtutibus, vel miraculis eorum, qui Sancti habentur, ſine Ordinarii approbatione. Alterum quoque propoſuit 1631. ut interdiceret abſolutum *Sancti*, vel *Beati* titulum iis, qui nondum authentice probati fuerant Romanæ Eccleſiæ auctoritate. Cæterum ſicuti, neque Sanctæ actiones ſine miraculis, neque miracula ſine ſanctis actionibus ſatis ſunt pro Beati alicujus Canonizatione, uti palam docet Gregorius Pontifex IX. non deſunt tamen occaſiones, ubi actiones Sanctæ, & miracula ſimul conjuncta efficere non potuerunt, ut in Sanctorum albo deſcriberentur illi, qui non ſatis reparaverunt ſcandalum ab iiſdem partum in Eccleſia, ſive criminibus ſuis, ſive ſcriptis. *Iidem.*

Quid præcedere debent Sancti Canonizationem?

Fortuito accidit, ſi quid magni momenti benevertit, niſi prius omnia, quæ erant præcavenda, ſumma cum diligentia fuerint proviſa; & hæc ſapienti conſilio præmeditatur Eccleſia, cum de Sancti alicujus canonizatione peragitur. Primum in quæſtionibus quas habet, antequam illum formiter talem eſſe declaret. Secundo in cæremoniis, & regulis præſcriptis in authentica declaratione quam facit, Sanctitatis illius, de quo inquiritur, atque de honore, qui illi deferri poteſt poſt ſolemnem hanc Canonizationem. Primum quod ſpectat ad quæſtiones, quæ præcedere debent authenticam declarationem de Sancti alicujus beatitudine, & Sanctitate, en quid ſcriptum optimus auctor reliquerit. 1. Supremus aliquis Princeps, vel integra Natio, vel magiſtratus cum Populo urbis alicujus proponunt Summo Pontifici illum, quem in Sanctorum numerum ſtudent inſerre; exponunt illi actiones pias, miracula, opera, per quæ de Deo, & Eccleſia benemeritus eſt. Hoc ſæpe faciendum eſt, & per plures menſes, & annos, ut per hanc moram, atque intervalla factorum veritas magis eluceſcat, & magis authentica fiat. 2. Poſtquam rumor, ac celebritas meritorum, ac miraculorum pii viri ſemper viguit, atque etiam percrebuit; preces obnixæ, ac humiles poſtulationes, quæ fiunt ad hanc obtinendam Ca-

noni-

nonizationem, reiterantur; atque tunc Papa in Conſiſtorio, quod ſecretum appellatur, proponere conſuevit nomen illius, de cujus Beatificatione agendum eſt; & eodem in Conſiſtorio præcipitur, ut quidquid allatum & adlegatum fuit de hominis ſanctitate, ſcriptis tradatur, illius Patria, Provincia, atque Conditio; mox miraculorum catalogus, ac devotio, qua populi ejus memoriam colunt, ac demum quidquid conferre aliquid poteſt ad perfectiſſimam cognitionem meritorum, & ſanctitatis ejuſdem; & deinceps Epiſcopis, aut exploratæ probitatis Præſulibus provincia mandatur exactiſſimæ, ac fideliſſimæ perquiſitionis habendæ. 3. Si Epiſcopi, vel alii quibus hæc demandata fuerit provincia teſtati fuerint conſtare de hominis actibus: tunc Summus Pontifex Cardinalium ſententiam requirit, utrum ad perquiſitionem habendam peculiari mandato deligendi ſint homines delecti ex eodem conſiſtorio ſecreto. 4. Si ſtatutum fuerit deputare quoſdam ex eodem cœtu; de hoc explicita Bulla ſignificatur Epiſcopis, quibus præcipitur, ut cum legatis, de quibus dictum eſt, diligentiſſimam habeant quæſtionem, præſertim vero de operibus miſericordiæ, quæ Sanctus exercuit, de aliis actionibus humilitatis, atque patientiæ, & demum de miraculis; eiſque etiam atque etiam commendatur, ut hæc omnia prudenter, diligenter, fideliterque cognoſcant, juxta ea, quæ illis præſcribuntur in Bulla ad eoſdem miſſa: Omnia, & ſingula ad examen revocata, & mandata ſcriptis, concluſa, & annulo eorum ſignata quamprimum ad Summum Pontificem mittenda ſunt. 5. Hic ea tradit nonnullis Sacræ Rotæ Auditoribus, aliiſque viris prudentia, & conſummata experientia præſtantibus peculiari cura, atque attentione ad examen revocanda; quibus ſinguli ſuas adnectunt animadverſiones, atque ſententias. 6. Hæc omnia ita diſpoſita, ac in tabulas redacta poſtremo a Summo Pontifice, ſacroque Cardinalium collegio ſummo cum rigore excutiuntur; & exquiritur, utrum omnia ſatis accommodata videantur, ut declaretur legitima, & ſecundum omnes formulas canonizatio; & ſi Pontifex cenſuerit procedendum eſſe ad Canonizationem, hæc definitur, & declaratur. 7. Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Abbates, qui tunc Romæ ſunt, ad Conſiſtorium vocantur, quod publicum ſit, in quo Summus Pontifex narrat, quid in tali negotio actum, tranſactumque fuerit, quin tamen prodat quid fuerit definitum, eorumque de hac re vota, ſenſuſque requirit. Die vero ad celebritatem hanc conſtituta, præparatur populus publico jejunio, ac ſolemni ſupplicatione, quæ cum congruis, aptiſque indumentis, ornatibuſque peragitur. Elata voce cantantur Litaniæ, aliæque preces, donec ventum fuerit illuc, ubi ſolemnitas eſt celebranda.

Deſcriptio eorum, quæ in hac fiunt cæremonia. Hic locus eſſet ſingillatim deſcribendi ea, quæ in auguſta hac accidunt cæremonia, niſi ſatis hæc eſſet comperta, & explorata, ex narrationibus, quæ fieri conſueverunt quotieſcunque Sancti alicujus apotheoſis celebratur: ſed ne quid hac in re deſideretur, en quid afferat auctor idem, ex Auguſtiniana familia. Ubi perventum eſt ad locum in quo cæremonia hæc celebranda eſt; Summus Pontifex proſtratus ad Altare preces ingeminat, & obteſtatur aſtantes, ut conjunctis ſecum precibus a Deo peculiare ſubſidium implorent pro re tanti momenti, omnibuſque in genua procumbentibus Hymnus *Veni Creator* concinitur: quo abſoluto Sanctus aſſurgit Pontifex, ac definitive pronunciat, illum, de quo agitur, Sanctorum catalogo eſſe inſcribendum, & declarat quotannis feſtum illius diem recolendum. Qua ſententia cum gravi majeſtate prolata, harmoniacis concentibus pſallitur *Te Deum*, & mox miſſa celebratur a ſummo Pontifice ea qua fieri poteſt celebritate in honorem Sancti, qua vix expleta, Principis Orator, vel Cardinalis, qui Oratoris vices obit, & alii, qui cæremoniam hanc procurarunt, humillimas gratiarum actiones ſummo Pontifici teſtantur, cum inter hæc undique ſonitus æris campani, bellicorum tormentorum ſtrepitus, tubarum, tympanorumque clangor exauditur, omniaque exultantis lætitiæ argumenta, quæ plebs gratulabunda excogitare poteſt, undique perſtrepunt. Nihil eſt reliquum niſi ut inſtituatur Bulla hujus Canonizationis, & Publici rogentur Notarii, ut quam citius in univerſum orbem illa mittatur ad totius Urbis, & Orbis Chriſtiani gaudium, & fidelium omnium venerationem. Bulla vero continet facultatem celebrandi miſſam de Sancto recens in album relato, illius officium recitandi, templa eidem dedicandi, Sacella, & altaria, eique adhibendi cultum omnem, qui Sanctis ejuſdem claſſis, & characteris adhiberi ſolet; utque fideles ad id magis excitentur; Papa magnas concedit Indulgentias iis, qui illum pie, ac devote invocaverint.

Declaratio Clem. XI. in Beatificatione Patris Joannis Francisci Regis non ita pridem inter Sanctos relati, quæ pro cæteris eſſe poteſt exemplo. *Viros glorioſos, qui divites in virtute adepti ſunt gloriam in converſatione gentis, hoc eſt ſanctos, & electos Domini, quos clarioribus multiformis ſuæ gratiæ charismatibus exornavit divina dignatio, laudandos eſſe monet Spiritus Sanctus; decet ſiquidem eis, quos æternus judex immarceſcibilis gloriæ corona donat in Cælis, & quorum ſanctitatem ſequentibus ſignis teſtatam facit in terris, debitæ venerationis cultum etiam a Fidelibus exhiberi, ut ſapientiam ipſorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Eccleſia.*

*Hos inter cum longe, lateque refulſerit Dei ſervus Joannes Franciſcus Regis Sacerdos Profeſſus Societatis Jeſu, qui nimirum virtute indutus ex alto, portanſque jugum ab adoleſcentia ſua pœnitentiæ auſteritatem cum innocentia candore uſquequaque conjunxit: ut jugiter dictante cor ejus Spiritu Sancto in omnibus exhibuit ſeipſum ſicut Dei miniſtrum in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in ſcientia, in ſuavitate: præcipue vero in charitate non ficta, qua in Deum, & in proximos mirabiliter æſtuavit; Apoſtolici muneris, quod nos viribus licet & meritis longe impares, gerere voluit Altiſſimus, ratio exigit, ut illius honorem, ac venerationem ad Omnipotentis Dei gloriam, Catholicæ Eccleſiæ decus, Chriſtianique populi ſpiritualem ædificationem, quantum nobis ex alto conceditur, promovere ſtudeamus.*

*Cum igitur mature, diligenterque diſcuſſis, atque perpenſis per congregationem Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſacris Ritibus præpoſitorum proceſſibus rite ac recte confectis ſuper vita ſanctitate, & virtutibus heroicis, quibus idem ſervus Dei Joannes Franciſcus multipliciter claruiſſe, necnon miraculis, quæ ad ejus interceſſionem, & ad manifeſtandam hominibus illius ſanctitatem a Deo patrata fuiſſe aſſerebantur, eadem Congregatio coram nobis conſtituta, auditis etiam Conſultorum ſuffragiis, uno ſpiritu, unaque voce cenſuerit poſſe, quandocunque nobis videretur, prædictum ſervum Dei Beatum declarari cum conſuetis indultis; hinc eſt, quod nos piis, & enixis quamplurium Venerabilium Fratrum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Regni Galliarum, & potiſſimum Provinciæ Occitaniæ, necnon dilectiſſimorum filiorum Magiſtratuum, Procerum, & populorum provinciæ hujuſmodi, ac totius inſuper Societatis Jeſu ſupradictæ ſupplicationibus (quas dudum etiam claræ memoriæ Ludovicus XIV. dum viveret, Francorum Rex Chriſtianiſſimus devotarum ſuarum precum acceſſione roboraverat) Nobis ſuper hoc humiliter porrectis paterna benignitate annuentes, de memoratorum Cardinalium conſilio pariter, & aſſenſu, authoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus, ut idem Dei Servus Joannes Franciſcus Regis in poſterum Beati nomine nuncupetur, ejuſque corpus, & reliquiæ venerationi Fidelium (non tam in proceſſionibus circumferendæ) exponantur: imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur, & de eo recitetur officium, & miſſa celebretur de Confeſſore non Pontifice ſingulis annis juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani die XXIV. Maji, cum dies XXXI. Decembris, qua ipſe Servus Dei ſpiritum Creatori reddidit, & alia plures illam ſubſequentes, ut notum eſt, impediti reperiantur &c.*

PRO

# PRO COMMUNI APOSTOLORUM.
## VIRORUMQUE APOSTOLICORUM,
## M O N I T U M.

*Quandoquidem S. Paulus in Ordine Sanctorum, quos elegit Deus, & ad miniſterium ſuum evocavit, primum locum Apoſtolis tribuit, qui in humana ſalutis opere illius Coadjutores fuerunt; æquum eſt, ut in ordine in hoc Supplemento a nobis ſervando ab iiſdem Apoſtolis ducamus initium, qui prima fuerunt Eccleſiæ fundamenta, & qui mox illam latius protulerunt lumina fidei ad barbaras uſque, ac remotiſſimas gentes longiſſime afferentes. Quapropter cum minime liceat, ut alibi dictum eſt, rerum copiam afferre pro ſingulis Apoſtolis, non ſecus ac pro viris Apoſtolicis, qui illorum veſtigia legerunt, exornandis, in communi verba faciemus cum de illis, qui primi fuerunt miniſtri Filii Dei, tum de aliis qui eodem alti zelo, eodemque ſpiritu animati labores ſuos contulerunt ad ſalutem proximi, ad Populorum converſionem, ad fidei tutamen, majoremque Domini gloriam perquirendam. Unde procul dubio fiet, ut enarrando labores, quos ſuſceperunt, qui eorum nomina memorentur, ſi cujuſpiam eorum elogium ſingillatim inſtituendum eſt, qui ad eadem munera, & officia vocati ſunt, quamvis ignoretur ſingularium Actionum elenchus, ſatis ſit oſtendere, illum non potuiſſe mereri nomen, ac titulum Apoſtoli, neque cum eodem felici eventu operari, in tali, vel tali regione, niſi exercuiſſet munia omnibus Apoſtolis communia, & niſi cum eodem zelo, atque conſtantia labores eoſdem fuiſſet ingreſſus.*

---

## PRO COMMUNI APOSTOLORUM,
### & Apoſtolicorum Virorum.

*Publica vita Sancti hujus Apoſtoli non fuit minus auſtera, quam S. Joannis Baptiſtæ vita, propter labores & feſta.*

Si vita publica Sancti Apoſtoli noſtri minus auſtera viſa eſt, quam S. Joannis Baptiſtæ, non minus moleſta fuit propter labores Apoſtolicæ vitæ inhærentes, propter juges curſus, quos obiit de civitatibus in civitates, de pagis, in pagos ſemper pedetentim, anni temporibus ſemper incommodis, per vias ſemper difficiles, horrentia deſerta, cum magis furit æſtus ad extremam uſque laſſitudinem, oſtiatim victum quæritans & corpori ſuo nihil tribuens, niſi quod mera neceſſitas eidem negare vetat; hordeaceo victitans pane, & craſſiori uſus eſca, & nonnunquam iis, quæ ſunt neceſſaria deficiens; tandem nullum habens, quo ſecedat, locum, ut poſt exantlatos labores quieſcat. Ita ſe geſſit Apoſtolus hic toto vitæ ſuæ tempore; fingi enim poteſt imago vitæ magis moleſtæ, mortificatæ, & auſteræ? cum ille nullam unquam voluptatem, vel ſolatium permiſerit corpori ſuo, vel requiem animo qualibet refectione licet ab omni culpæ ſuſpicione remota? *Pater Nepveu in Solitudine juxta exemplum Domini Noſtri Jeſu Chriſti.*

*Quantum Eccleſia Chriſtiana, & Chriſtiani omnes debeant Apoſtolis.*

Scio, auditores, Apoſtolos omnes eſſe communes Chriſtifidelium parentes, qui ſanguine ſuo irrigarunt Eccleſiam, & morte ſua illam ubertate donarunt. Equidem ſcio laboribus eorum debere nos gratiam converſionis noſtræ, & ſpem noſtræ ſalutis: & niſi eorum ſermonibus, & ſcriptis eruditi fuiſſemus, futurum fuiſſe, ut ad hanc quoque diem erroris, atque peccati tenebris eſſemus ſepulti: *In omnem terram exivit ſonus eorum.* Terrarum domitores ibi ignorantur, ubi coluntur Apoſtoli; & Petri, ac Joannis nomina nominibus Alexandri, Cæſariſque ſunt celebriora. Verum quoque ſcio inter glorioſos hoſce Evangelii præcones neminem eſſe, cui plura debeamus, quam S. Paulo. Nam præterquam quod hic eſt Gentium Apoſtolus, electuſque a Deo fuit, ut nos de dæmonis tyrannide, & peccati jugo ſubduceret: ille etiam eſt prototypus Concionatorum, ſecundum cujus exemplum ii omnes conformandi ſunt, quibus Evangelii prædicandi honor confertur. *P. Senault Oratorii, in Panegyricis Sanctorum Tomo 2.*

*Pſalm. 18.*

*De Apoſtolica nomine & miſſione.*

Apoſtoli nomen ſignificat miſſum, & unum hoc nomen probat neceſſitatem, quod miſſus fuerit ad legitime obeundum Evangelicum miniſterium. Apoſtoli miſſi fuerunt a J. C. Omnium ſæculorum decurſu hæc miſſio neceſſaria habita fuit. Illi tantum exiſtimati ſunt miniſtri Evangelici, qui miſſi fuerunt ab Apoſtolis, vel qui in eorum loco ſucceſſerunt. Apoſtoli omnes, quorum auditis oracula a J. C. maximas obtinuerunt facultates. Nullus eſt, qui non aſſecutus fuerit poteſtatem patrandi miracula, & qui per admirabilia opera ſua non oſtenderit ſummam illius potentiam, in cujus nomine nunciabat Evangelium. Omnibus in locis, quo Apoſtoli fidei lumen inferebant, qui credebant, in J. C. nomine dæmonia ejiciebant, linguis loquebantur novis; ſerpentes tollebant, & ſi quid mortiferum bibebant, nihil iis nocebat; ſuper ægros manus imponebant, & illi bene habebant; Hinc illa populi affluentia, innumeræ converſiones, Religio contra infeſtiſſimorum inimicorum conatus inſtituta, admirabilis Evangelii progreſſus, progreſſus, inquam, ex S. Auguſtini ſententia adeo mirificus, ut habendus eſſet tanquam miraculorum omnium maximum, niſi peractus fuiſſet per ea prodigia, quæ Apoſtoli omnibus in locis operabantur, ubi Jeſum Chriſtum prædicabant. *Lambert in anno Evangelico tom. 7.*

*Marc. 16. 17.*

*Apoſtoli magis inclaruerunt virtutibus ſolis, quam miraculis.*

Quantumlibet inſignia fuerint miracula, quæ patraverunt Apoſtoli, illi tamen magis virtutibus ſuis inclaruerunt. Cur non meditamur ſæpe ea, quæ nos docet Eccleſia de eorum zelo, integritate, laboribus, fidelitate, ardentique charitate, ut nos præclaris id genus exemplis cieant, atque inflamment! Quæ patientia! quæ fortitudo! quæ conſtantia! nunquam cupidius aliquem in locum feruntur, quam illuc, ubi ſciunt, ſe graviſſimas paſſuros eſſe perſecutiones. Mors in ſingula momenta præſens illos non abſterret, immo eorum acuit fortitudinem, majoremque ſpem illis inducit. Prædicant Jeſum Chriſtum tunc etiam temporis, quo carnifex brachium attollit ſententiam a crudeli tyranno prolatam exequuturus. Quodnam prolixius martyrium, quodnam acerbius, & ad ſubeundum difficilius, quam illud, quo Sanctus noſter, quem colimus, vitæ ſuæ finem impoſuit? Tyranni, atque tortores nequicquam ſæviora excogitarent ſupplicia. Adverſa, perſecutiones, ferrum, vis, nunquam ſeparabunt ab amore Jeſu Chriſti eos, qui arcte adeo eidem adhærent. Inter tot mala victoriam referent ſemper per illum, a quo animantur. Ecce quinam fuerint illi, quos Jeſus Chriſtus elegit, & quos Apoſtolos appellavit. *Idem.*

*Act. 20.*

*Rom. 8. 15.*

*Apoſtoli ſunt perfectæ & conſummatæ ſanctitatis.*

Apoſtoli ſunt homines prorſus ſpirituales, homines a mundo avulſi, homines, quæ ſua ſunt contemnentes, homines non ſancti ſolum, ſed etiam conſummatæ ſanctitatis, homines Deo pleni, ac ſemet vacui; verbo, homines perfecti, atque irreprehenſibiles. Non ſunt, S. Chryſoſtomus inquit, aurum terræ informe, & impurum, quale terra gignit; ſed *aurum igne examinatum, probatum terra, purgatum ſepruplum.* Ignis autem, quo probati ſunt, S. Paulus addit, eſt ipſe Deus noſter, non amplius ut olim iratus, & ignem iracundiæ ſuæ in peccatorum caput jaculatus; ſed Spiritus Sanctus effundens large dona, gratiaſque ſuas, & igne amoris ſui emundans quidquid impurum, ac terrenum eſt in Electis ſuis: *Deus enim noſter ignis conſumens eſt. P. Bourdaloue Sermone in Pentecoſtes.*

*Pſalm. 11.*

*Deuter. 4.*

*Zelus Apoſtolorum, & prodigia quæ fecerunt.*

Quocunque oculus circumfero, ibique video miracula zeli Apoſtolici, cæcos videre, ægros curari, mortuos reſurgere; hic populum ad Deum converti, & a Satanæ laqueis eximi, atque ut Biblicis verbis utar, in viis omnibus ſalutis veſtigia deprehendi: *In omnem terram exivit ſonus eorum.* Zelus Apoſtolorum æque late patet, ac orbis univerſus; zelus eorum omnes infringit obices, & omnia contemnit pericula; zelus contra quem fœderatæ inferorum portæ nunquam prævaluerunt. Hujus zeli magnitudinem aſſecuturi, Auditores, ſcrutamini, ſi fieri poteſt, contradictiones, quæ Apoſtolis exhauriendæ fuerunt, vitæ ipſorum amaritudinem, laborum ſeriem, atque aſſiduitatem. Luſtrate ſpiritu immanes regiones illas, & maria immenſa, quæ ſummis cum periculis, laboribuſque pertranſierunt, æſtuantes zelo domus Dei, & ſalutis animarum. Nihil illos deterruit, non miſeria, neque paupertas. Pergunt annunciaturi Evangelium, tradituri barbaris nationibus veri Dei cognitionem, everſuri dæmonis imperium, illud Jeſu Chriſti in illius ruina ædificaturi. Meſſis quidem multa eſt, Domine, ſed habes operarios zelotes, laborioſos, indeſeſſos. Vix Apoſtoli Spiritum Sanctum acceperunt, cum jam incipiunt loqui, & prædicare: *Repleti ſunt Spiritu Sancto, & cœperunt loqui.* Hic primus eſt zeli eorum effectus. Sed quid loquuntur? Cujus partes ſe amplecti declarant? nempe Jeſu Chriſti, cujus ſe jam veluti legatos, militeſque ſtre-

*Pſalm. 18.*

Digitized by Google

ſtrenuos conſiderant, veluti fideles teſtes quos pudet, ſe nondum auſos fuiſſe illi perhibere teſtimonium, quod jam debebant perhibuiſſe; quos pœnitet ſe nondum cauſam illius propugnandam ſuſcepiſſe, indignantes quod illum turpi deſertione dedecoraverint; & fugam infirmitate pleniſſimam arripuerint, inito conſilio ſcandalum hoc reparandi per confeſſionis ſuæ fervorem, ac vitæ ſumptus, quid agunt? Novo animati ſpiritu, qui mox in illos deſcendit, eoſque communivit: de Cœnaculo egreſſi, ubi delituerant, prodeunt palam in vicos, & plateas, ingrediuntur in Synagogas, ſeſe producunt coram Tribunalibus, Dei verbum prædicaturi. *P. Bourdalove ibidem.*

Apoſtolus inter perſecutiones probari debet.

Apoſtoli juxta illam imaginem, quam magnus nobis propoſuit Apoſtolus, homines erant, qui ſemet objiciebant omni generi contumeliarum, atque cruciatuum Evangelium annunciaturi. Nonnulli invidentes, ac dolo pleni Evangelium prædicabant, ut ſæviorem in Paulum conflarent perſecutionem, ejuſque captivitatem, & vincula efficerent duriora: ſed quid refert, ait ille, dummodo eorum improbitas, ac patientia mea in laboribus ſuſtinendis conſerant, ut ubique agnoſcatur Jeſus Chriſtus? En quid ſentiendum ſit nobis pro conſiliis Dei, quorum ille nos facit inſtrumenta. Quandoquidem ut omnia benevertant ſuſtinendum eſt, hilanter ſuſtineamus: beati quod Deus ſuam cum noſtra cauſa conjungit, & quod nos ita ad majorem ſui nominis gloriam exercens, propter eamdem nos conſolari, lacrymaſque noſtras detergere teneatur. *Fenelon Epiſcopus Cameracenſis in delectis ſermonibus.*

Apoſtolus praſto eſſe debet ad ſemet immolandum pro fratribus ſuis.

Prima diſpoſitio, quæ in Apoſtolis requiritur, hæc eſt, ut parati ſint ad vitam ſuam in ſingula momenta pro fratrum ſalute immolanda. Dixerat Jeſus Chriſtus, majorem charitatem habere neminem, niſi ut quis ponat animam ſuam pro amicis ſuis. Ex quo Apoſtoli ſeſe J. C. devoverunt, maximum eorum votum fuit hoc amoris ſui teſtimonium fratribus præbere. Omnes homines facti ſunt illorum amici: ſed amici dilecti, & opeatiſſimi, pro quibus ſi vitam ſuam prodigere valeant beatos ſe putant; præſertim cum agitur de iis, qui amantur, avellendis ab erroris ſemita, & adducendis in viam, quæ ducit ad Deum. Fingite vobis ergo æquam imaginem zeli Apoſtolici. Admiramini in illis ſtrenuos homines, qui nihil faciunt vias ſuas, & qui ſemper ſunt præſto, ut ſeſe immolent pro fratrum ſuorum ſalute. *Lambert.*

Apoſtolus vitam ducere debet irreprehenſibilem.

Noſtis, dicebat olim Senioribus Eccleſiæ Epheſinæ Apoſtolus, qui illos Miletum evocaverat; noſtis, quomodo ex prima die, qua in Aſiam ingreſſus ſum, vobiſcum vixerim Domino ſerviens. Ita loqui debent illi omnes, quibus animarum ſalus concredita fuit; omnium qui ad peccatorum converſionem operam locant, integritas, probitas, vita pura, mortificata, ædificans modeſtia, inſignis pietas debent in eorum gratiam conciliare mentes, & corda, necnon zeli ipſorum texere elogium. Verbi miniſtri prædicent actionibus ſuis; Concionatori ſemper cum fructu adhibebuntur aures. Dicere poſſumus audientium diſpoſitionem pendere ut plurimum a conceptu quem fovent prædicantis, Semper verbis eſt potens, qui potens eſt operibus. Exempla ſunt mutus ſermo, ſed omnibus eloquentiſſimis Oratoribus eloquentior. Væ iis, qui manu altera ædificant, & altera deſtruunt; væ illis, qui abnormem ducentes vitam, dedecorant doctrinæ, quam prædicant, veritatem. *P. Croiſet in anno Chriſtiano.*

Prædicatores bonum tenentur præbere exemplum.

Apoſtolicus Prædicator magis perſuadet exemplis, quam argumentis; his ſemper reſponſum datur, illis non item. Exempla ſemper ſunt ſermonibus eloquentiora. Doctrina ſancta, quæ non innititur ſanctitati vitæ exemplaris, lucem habet mancam, & exanimem; opus eſt, ut Prædicatoris vivendi ratio mentes animoſque occupet in gratiam ſuæ morum diſciplinæ. J. C. incepit facere priuſquam inciperet prædicare. Vita mollis, vita mundana, & immortificata in Concionatore mirum in modum frangit, ac debilitat ejus eloquentiam. Nemo ſibi perſuadere poteſt ab eo credi eas, quas prædicet veritates, cum nihil eorum facit, quæ aliis facienda eſſe tradit. *P. Croiſet ibid.*

Viros Apoſtolicos non decet eſſe cupidos.

Cum pugnas pro fide, vel pro J. C. Doctrina contra licentiam, & errorem; unus pro Dei Domini tui gloria finis agat te. Cum minitatur Deus ſe impiam Babylonem everſurum, declarat, ſe miſſurum in eam milites, qui aurum, & argentum non requirent; qui ſine lucri ſpe decertabunt, quin aliquem impunem abire permittant. *Suſcitabo ſuper eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint, ſed ſagittis parvulos interficient.* Talis eſſe debet character miniſtri Evangelici. Irreconciliabilis erroris, & impietatis inimicus, apertum illis indicit bellum, ubicunque latere cognoſcit. Nulla res efficere poteſt, ut cauſam prodat veritatis, vitium in ipſis propugnaculis ſuis perſequitur. Sed ad id quænam in ipſo integritas, quænam zeli puritas requirenda eſt? *P. Segneri in Medit.*

*Iſaiæ 13.*

Viri Apoſtolici aliorum ſaluti inviglare coacti ſibimet ipſis melius tenentur conſulere.

Donec Miniſtri Evangelici aliis communicant ea lumina, quæ Dominus ipſis comunicavit, dum ſuper tecta prædicant veritates, quas illis in auriculam inſuſurravit, præcipua eorum cura eſſe debet, ut ad unguem illas iidem exerceant. Quid re ipſa Evangelicis prodeſſet miniſtris J. C. omnes homines lucrari, ſi ipſi animæ ſuæ facerent detrimentum? S. Paulus ipſe licet donis cæleſtibus mirum in modum auctus eſſet, malum hoc formidabat, & omnes Apoſtolici viri ad exemplum illius nunquam ſatis poſſunt reformidare: eorum enim interitus imminet, niſi virtutem habuerint tanti miniſterii periculis parem. Ut autem firmam hanc virtutem, quæ nullis incurſionibus labefactari valeat, acquirant, opus eſt, ut indeſinenter vacent orationi, ut ſedulos ſe præbeant iis, quæ ipſis tunc dicit Deus, & ut alte imprimant in mentibus ſuis veritatem, quam meditantur. Tot ſacri Miniſtri ideo laxantur, & mox labuntur in vitium, quia orationis exercitationem negligunt, neque audiunt Deum, vel non ſatis accurate quod inde didicere, cuſtodiunt. Retinent ſibi ea tantum, quæ a ſe aliis dicenda ſunt, & quidquid ad ipſos pertinet, eos fugit. Unum illud quærunt, ut aliis prædicent, ſibi vero nil dicunt. *Idem.*

Quinam eſſe debebant ſenſus Apoſtolicorum virorum de vocatione ſua juxta Moyſis exemplum.

En quid nobis referat Biblia de Moyſis vocatione. Deus vocat illum, eique aperit, ſe illum mittere velle ad Pharaonem, ut liberet populum ſuum. Quis ego ſum? Moyſes reſpondit, ut eam ad Pharaonem? Nonne hoc opus ſuperat vires meas, ut hanc ſubire velim provinciam liberandi filios Iſrael? Primus fidelis famuli ſenſus; Semetipſum intuetur; ſuam agnoſcit indignitatem. Moyſi jus erat diffidendi de ſe. At nonne ſperandum erat illi, teſtante Deo ſe illi præſidium allaturum, ac ſe futurum cum illo? Non obſtupeſcitis? Poſt hanc promiſſionem Moyſes adhuc reſiſtit. Populus, inquit, mihi non habebit fidem. Non metuit Moyſes oſtendere Deo talenta ſua, quæ ſibi ſatis exilia videntur. Opus eſt, ut Deus illum dicto parere cogat, pluries imperet, minitetur, & irati ſpeciem præſeferat. Admirabile juſti hominis facinus, qui Deum timet, qui eidem inſerviendi ſummo flagrat deſiderio, ſed qui cognoſcit pondus ejus officii, quod ſibi a Deo demandatur. Moyſes ſumma officii fide omnia Dei exequitur imperia, omnes ſuperat obices; & quodcunque aggreditur, ei cedit e ſententia. Quorſum iſtud? Quia Dominus eſt cum illo, non ſecus ac ſemper erit cum omnibus, illius imperata facientibus, & nihil aggredientibus, niſi conſulto Deo, ejuſque voluntate exploratа. *In Sermone de vita Eccleſiaſtica D. Lambert, Tomo 1.*

Non dum derim Apoſtolis Jeſum, ſed Jeſus duodecim elegit Apoſtolos.

Jeſus Chriſtus vocat diſcipulos ſuos, & ex illis elegit duodecim, quos Apoſtolos nominavit. Heu! ſi Apoſtoli ſeſe ultro obtuliſſent, Niſi miſſi fuiſſent, irritus extitiſſet labor eorum, ac nullum inde fructum retuliſſent. Ita illis locutus eſt J. C. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Fructum referebant Apoſtoli, quia ipſi delecti fuerant. Si Evangelium parvum efficit fructum, hoc accidit plerumque, quia prædicatur a miniſtris, quos Dominus non vocavit. Cum Dominus locutus ſit, inutile eſt ſervos inducere loquentes. Attamen ne eſſemus audire Apoſtolos. Veritas adeo eſſentialis nunquam ſatis ſolide confirmari poteſt. Apoſtoli eum zelo confirmaverunt veritatem, quam a Magiſtro didicerant. Numquid poteſt apertius oſtendi, quam a S. Paulo, neceſſitas vocationis? *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Ex Sermone Lambert de Vita Eccleſiaſtica.*

*Joann. 15. 16*

*Hebr. 5. 4.*

S. hic Apoſtolus ea relinquit, quæ ſunt minus neceſſaria, ut ſibi vacet exercere prædicationis miniſterium.

Apoſtoli inſignem ſuarum prædicationum fructum intuiti, & peculiarem neceſſitatem aſſidue ſeſe in Sacro miniſterio exercendi, conſilium inierunt ſemet aliquibus minus neceſſariis officiis abdicandi, ut liberius vacarent iis, quæ magis neceſſaria videbantur. *Nos vero*, inquiunt Apoſtoli, *Orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus.* Num dubitari poteſt, an Apoſtoli his duabus tantum rebus intenti, omnem in illis curam impenderent? Num aliquid ultra requiritur, ut rubore ſuffundantur, qui id negligunt, quod illi præcipuum ſibi munus eſſe putarunt? Talis extitit S. Apoſtoli noſtri character, ut nemo unquam viſus fuerit magis intentus prædicationis miniſterio. Sciebat nihil eſſe ad hominum ſalutem utilius, & huic preces addendas eſſe, quod ille magna cum pietate præſtitit, quæ in fidelibus omnibus devotionem ciebat. *Sermo de vita Eccleſiaſtica Lambert, Tomo 2.*

Cum Apoſtolatus præcipua eſſet in J. C. regno dignitas digne exerceri non poterat ſine pluribus heroicis qualitatibus.

Satis non erat, S. Noſtri fidem conjunctam eſſe cum ſublimi cognitione myſteriorum noſtrorum qualis in iis requiritur, a quibus alii ſunt erudiendi. Oportebat etiam charitatis pretium eſſe munus ampliſſimum ejuſdem Charitatis, quale eſt Apoſtolatus. Hæc præcipua eſt Sacri Regni J. C. dignitas; ſed illa etiam eſt, quæ digne exerceri non poterat, ſine quamplurium heroicarum qualitatum ſubſidio. Nam ut Apoſtoli digni eſſent, qui Eccleſiæ Patres, ac Principes haberentur, necnon terræ univerſæ magiſtri, quibus repletos eſſe virtutibus oportebat? Quæ in illis virtutes non requirebantur? Flagrabant illi zelo incomparabili pro gloria Dei ſui, & hominum ſalute: indeſeſſus erat illis animus ad ſuperandas omnes difficultates tanti miniſterii: erat illis erga peccatores judicum ſeveritas, erga pœnitentes lenitas paterna, affectio, ac miſeratio erga miſeros non otioſa, invicta patientia, ut exhaurirent omnes labores, contumelias, & cruciatus pro nomine J. C. Sed hæ virtutes omnes, aliæque plures, quas in Apoſtolis deprehendere poſſumus, licet variis nominibus appellentur, & ſua ſeorſim habeant officia, non aliud tamen ſunt, quam una Charitas. Apoſtoli abſolutam obtinuerunt poteſtatem in dæmones, & morbos; in fatis legere potuerunt remotiſſimos eventus; cordium omnium receſſus penetrare, & abditiſſima, æque ac obſcuriſſima myſteria cognoſcere. Sed nonniſi per Charitatem fuerunt Apoſtoli. Propter hanc terras traduxerunt & maria, naufragia paſſi ſunt, perſecutiones atque ſupplicia ſuſti-

nue-

Digitized by Google

nuerunt, ut ſuper excidio altarium fictis numinibus ſacrorum Jeſu Chriſti ſolium attollerent. Hæc illis robur addidit, ut univerſam Inferorum potentiam profligarent; ut dæmonum rabiem, ac dolos eluderent; ut Tyrannorum ſævitiam, falſam Sapientium hujus ſæculi prudentiam, Gentium idololatriam, vitia, pravoſque mores omnium populorum ſuperarent. Ejuſdem viribus, ubique gentium, ac tot adeo terribiles hoſtes ſubegerunt, adeo miraculoſas retulere victorias, & J. C. Regnum ad extremos uſque terrarum fines protulerunt. *Verjus in Panegyrico S. Matthæi.*

*Præclara Apoſtolorū prærogativa,*

Mihi videor paucis ſatis amplum Apoſtoli hujus noſtri Panegyricum exornare, ſi dixero illum fuiſſe unum ex inſignibus his totius Terrarum Orbis Domitoribus. Mihi videor in ſatis præclaram lucem gloriam ejus afferre, qui illum vobis oſtendero plenum charitate Apoſtolica, ubi primum vobis ob oculos poſuero in illius vocatione opus hoc præexcellentiſſimum; quoniam eminenter complectitur virtutes omnes, & poſtquam Scriptura cum inter terræ Principes recenſuit, qui judicaturi ſunt omnes gentes, quas virtutes, & miracula eorum amabili Evangelii jugo ſubegerunt, nequeunt ita facile elogia alia ſubnecti, quæ infirma non ſint, & inutilia. Quid enim illuſtrius, & glorioſius eſt, quam eligi a Deo, ut ſis omnium ſecretorum ejus ſequeſter, ut ſis unum ex nitidiſſimis, primæque magnitudinis ſyderibus, quorum luce mundum univerſum cupit illuſtrare; ut ſis vas ſacrum Dei ſpiritu repletum, ut afferas in cor omnium mortalium divinum hunc ignem, poſtquam illum tanta cum effuſione recepit? Ille, de quo loquimur, ſingulares habuit pulchritudines luminum, quæ illius propriæ fuerunt, peculiares curſus, & motus, effectus, & influxus, qui quod non omnibus palam explorati, compertique fuerunt, non ideo tamen minus ſalubres, ac inſignes extiterunt. *Idem.*

*Spiritus lenitatis, & humilitatis ſemper fuit ſpiritus Apoſtolorum, virorumque Apoſtolicorum.*

Volebat S. Paulus, Apoſtolos haberi tanquam miniſtros Dei, ac diſpenſatores myſteriorum illius; ſed fideles diſpenſatores, qui unum prædicarent J. C. non autem ſe ipſos; qui nollent, homines adhærere ſibi, ſed J. C. cujus ſervi erant; & in quo eorum omnium erant ſervi, quibus Evangelium nuntiabant. Didicerant ſane mites eſſe ad exemplum illius a quo mittebantur tanquam agni in medium luporum, ut lupos in agnos converterent, illos oppugnando, ac per lenitatem, atque patientiam ſuam profligando. Apoſtoli nequaquam per ſe ad Apoſtolatum gradum ſibi fecerunt; Dei Filius elegit illos, & evocavit, dicit Evangelium. Omnia, ut illi, a Dei benedictione expectemus, & ſimus ex numero juſtorum illorum, ſuper quorum capita illam uberius profundere oblectatur. Opus non eſt, ut noſtri metum inimicis Dei vi miraculorum incutiamus; ſed oportet ut Deo quidem placere adnitamur per fidem, hominibus vero per lenitatem, & humilitatem cordis, quam etiam atque etiam Salvator nobis commendavit. Ne noſmet attollamus: ſed digne repleamus locum, in quo Deus nos collocavit. Servemus præcepta, quæ tradidit nobis per primos illos Evangelii ſui præcones, eaque peramanter adimplere adnitamur. *Tourneaux in Anno Chriſtiano. Tomo 1.*

*Nequicquam Apoſtolorum feſta celebramus, niſi vitā ducamus conformem eorum præceptis.*

Cum feſtos Apoſtolorum dies celebramus, colimus primos illos J. C. legatos, qui nomen ejus cognoſcendum tradiderunt. Colimus cum Eccleſia greſſus Sanctorum Legatorum, qui nobis feliciſſimum liberationis, pacis, novique fœderis, quod pepigit cum nobis Deus, nuntium pertulerunt. Sed quid nobis proderit honor, quo Principis hujus noſtri Oratores excipimus, ſi nihil fecerimus eorum, quæ illi verbis ejuſdem præcipiunt? Quid proderit nobis hæc pax, hoc fœdus, quod nobis annuntiant, ſi quotidie infringimus utrumque eo vivendi genere, quod prorſus pacis Evangelio adverſatur? Lumen, quod reſpuerunt Judæi ad nos uſque pervenit; hoc nos deſeret non ſecus ac illos deſeruit, ſi per illud videntes viam, quæ ſequenda eſt, non ſequemur illam, ſi conſentientes veritatibus, quas docet, eas in praxim revocare negligemus. *Idem ibidem.*

*Deus ad humanam ſuperbiam infringendā ſemper uſus eſt infirmiſſimis inſtrumentis ad majora ſua cōſilia exequenda.*

Ut oſtenderet Deus, ea omnia, quæ divina Providentia ſua efficere dignata eſt, ſecundum divina, & ſecreta conſilia nullo pacto hominibus accepta eſſe referenda; & ut horum ſuperbiam infringeret, ſemper in præcellentiſſimis operibus uſus eſt inſtrumentis magis humilibus, atque contemptibilibus. Ita primi Præcones Dominicæ nativitatis fuerunt paſtores; non ſecus ac primi Præcones Evangelii ſui piſcatores fuerunt. Magi Salvatorem erant viſuri, ſed ante illos hunc paſtores viderant. Piſcatores illum norunt, atque prædicant ante Philoſophos: volebat quippe Deus confundere humanæ ſapientiæ ſuperbiam, & oſtendere potentiam ſuam delectu eorum, quæ minima erant, ad maxima quæque operanda. *Idem ibidem.*

*Vitam ducere Apoſtolicam eſt vitam ducere crucifixam.*

Prædicare, uti decet Apoſtolum, eſt gemere coram Deo, jugem agere pœnitentiam pro illis, quos convertere ſtudes, & laboribus fatigari; violentiam, perſecutiones, & calumnias pati, eſt ſibimet ipſi emori, ut vivas propter ſalutem populorum. Loquamur cum S. Paulo, eſt omne genus tribulationis pati, quin vincaris; inſuperabilibus difficultatibus premi, quin opprimaris; eſt ſemper in corpore circumferre paſſionem Chriſti Jeſu; & in ſingulis horas pro Dei gloria mactari. *Abbas Anſelmus.*

*Apoſtolus vita ducere debet conformem Evangelio, quod prædicat.*

Ne putetis vos unquam proximo utiles futuros, atque effecturos, ut Evangelicas guſtet veritates, niſi vos ipſi repleti fueritis ſanctis hiſce voluptatibus, niſi eaſdem in praxim redegeritis. De ſinu credentis in Jeſum Chriſtum, fluere debent hi aquæ viventis fluvii, qui mox effluant, & quocunque afferant copiam, atque fertilitatem: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Si cor veſtrum non conſentit cum lingua veſtra; ſi mores veſtri a ſermonibus veſtris diſcrepant; licet celeberrimorum oratorum eloquentiam teneretis, hic inanium verborum torrens quamprimum diſſipabitur, & paulo poſt loci, per quos tranſient, areſcent aquæ ſteriles ut ante. Proponitis quidem puriſſima Evangelii placita, aquæ iſtæ pellucidæ ſunt, ac ſalubres in ſe met; ſed tranſeuntes per euripum vanitatis aut cupiditatis veneno imbutum, amiſerunt, ut ita dicam, partem virtutis ſuæ, & efficientiæ, & facit Deus, ut vita veſtra majorem non habeat vim ad impugnandam in animo fratrum veſtrorum veritatem horum placitorum, quam habent ſermones veſtri ad eorum praxim perſuadendam. Ita igitur voſmet ſaluberrimis hiſce aquis repleamini, ut eas ubertim communicare valeatis accedentibus ad vos; egrediantur ex corde veſtro ea vi & impetu, cui nihil reſiſtere valeat; alioquin fruſtra ſperatis fore ut Deus laboribus veſtris benedicat. Hortabimini, docebitis, rigabitis; ſed cum illi, cujus unius eſt dare incrementum, minime placuerit veſtrum miniſterium, eritis æri ſonanti, ac cymbalo tinnienti ſimiles. *P. Segneri in Meditationibus.*

*Apoſtolatus præſtantia.*

Vobis Apoſtolatus præſtantiam probaturus non confugiam ad magna nomina, quæ olim ſanctis Apoſtolis conceſſa fuerunt, puta, Principum, Deorum, Doctorum, ſalis terræ, tituli glorioſi, ac immortales. Non loquar de hac præeminentia, quam illis S. Paulus contulit in myſticum J. C. corpus: *Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio doctores &c.* Neque illic mea immorabitur oratio, ut cum S. Chryſoſtomo dicam, Apoſtolatum non ſolum eſſe primam Eccleſiæ dignitatem, verum etiam dignitatum omnium principium: *Neque vero tantum*, magnus hic Epiſcopus inquit, *principatus eſt cæterarum dignitatum Apoſtolatus, ſed etiam radix, & fundamentum.* Ex ſane, Pater idem inquit, Propheta nequit eſſe Apoſtolus; ſed omnis Apoſtolus habet donum Prophetiæ: Omnis Apoſtolus eſt Doctor, omnis Apoſtolus virtutem habet patrandi miracula, omnis Apoſtolus gratiam habet curationum; veſtes enim, & umbra ipſa Apoſtolorum infirmos curabant. Omnis Apoſtolus donum habet juvandi fratres ſuos ea ſapientia, quæ ad eos regendos eſt neceſſaria: omnis denique Apoſtolus donum habet loquendi variis linguis, cum dono etiam illas interpretandi. *Diſce* igitur, Pater idem inquit, *reliquarum gratiarum copiam omnem, tanquam in capite in Apoſtolatu reſidere.* *Recens Auctor.*

*1. Cor. 12.*

*Ejuſdem argumenti.*

Per miſericordiam ſuam invenit Deus viros idoneos ingentibus conſiliis, quæ per illos executurus eſt. Colligit hæc omnia talenta, ac diverſa dona in illis, ut eos ſe dignos efficiat; & omnia faciens cum pondere, & menſura illis communicat donum miraculorum, ut infideles credere cogat Religionem quam contemnunt; donum ſcientiæ, ut confundat invictis argumentis incredulos, atque æquo liberiores; donum fidei, ne unquam contradictionibus, atque ærumnis labefactentur; donum verbi ad impios ab impietate revocandos; ad erudiendos rudes, & ſervos nequam confundendos, donum virtutum ad populum eorum exemplo ædificandum; donum Prophetiæ ad juſtos intuitu præmiorum conſolatione afficiendos, & deterrendos improbos intuitu minarum, ut illos ad pœnitentiam impellat; atque ita aliorum donorum, atque talentorum, quæ omnia in Apoſtolorum perſona collegit Deus; quandoquidem illos ſimul potentes effecit virtutibus, miraculis, & operibus, Apoſtolos, Prophetas, Doctores, concionatores, æquiſſimum erat, ut illi totidem donis cæleſtibus ornarentur, quot varia veritati perhibituri erant teſtimonia. *Ut teſtimonium perhiberet de lumine. Idem.*

*Joann. 1.*

*Merces Apoſtolorum in cælo certiſſimū argumentum eſt inſignium eorundem virtutum in terra.*

Si Apoſtoli prima tenent in cælis ſubſellia, fateri cogimur, illos in terris præ cæteris enituiſſe morum ſanctitate, vitæ integritate, eminentia virtutum. Deus enim æquiſſimus præmiorum diſtributor, hæc meritis Sanctorum exæquavit. Omnes æque beati ſunt; non omnes tamen eundem gloriæ poſſident gradum. Quam autem pollicitus eſt Deus mercedem Petro, atque in hujus perſona Apoſtolis omnibus? *Amen dico vobis*, hæc ſunt Jeſu Chriſti verba, *quod vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael.* O mutationem admirabilis manus Altiſſimi! Mundi evanuit illuſio; homines, qui in oculis mundi videntur adeo abjecti, & contemptibiles, ſuper nitentes gloriæ thronos attolluntur, ut de nationum ſorte judicent, ut de Regibus, ſubditiſque ferant ſententiam. Magni fuerunt virtutibus ſuis; ecce quam ob cauſam magni ſunt in cælo. *Recens Auctor.*

Sed quos homines exiſtimatis fuiſſe Apoſtolos; antequam Spiritus Sanctus doceret illos omnem veritatem? Heu? Fideles! quod portentum? Homines erant vitiis manantes, ſecundum ipſius Jeſu Chriſti exprobrationem, *ſtulti, & tardi corde ad credendum.* Homines carnales, & de iis, quæ pertinent ad Deum judicare volentes;

niſi

*niſi videro, non credam.* Homines cupidos, qui vera ea tantum putabant, quæ deſideriis ſuis erant conformia; homines, quos Salvator ipſe ægre ſuſtinebat, & quibus aliquando ſubindignatus ait: *O generatio incredula, quandiu vos patiar?* Ita illos nobis exhibet Evangelium, & talis adhuc erat poſt Reſurrectionem Filii Dei cordis eorum affectus, namque Jeſus Chriſtus ab illis recedens, & aſcendens in cælum, illis incredulitatem, & duritiam cordis exprobravit. *P. Bourdalove in Sermone pro die Pentecoſtes.*

Mart. 9.

Exemplum S. Stephani a viris Apoſtolicis imitandum.

Quot peccatoribus dicere mihi liceret ea, quæ S. Stephanus cæcæ, rebellique genti exprobrabat? Tantum effluxit temporis, auditores, ex quo de hoc ſuggeſtu ſalutis veritates vobis prædicantur. Deus ad vos Evangelii ſui miniſtros legavit, qui etiam vobis perſuaſerunt; diſertos, atque patheticos concionatores, quos plurimi cum fructu audiverunt. Si ergo adeſſent hujuſmodi corda indomita, & inflexibilia, de quibus S. Stephanus loquebatur: *Dura cervice, & incircumciſis cordibus*, cur, illis dicerem, animum obfirmatis, ne de flagitiis veſtris emergatis: & cur ſanctiſſimis chriſtianæ pietatis inſtitutis reſiſtitis, eiſque opponitis fallacem mundi ſapientiam, quæ Deo eſt inimica? Hoc enim vos indurat, ac perdit ſæculo addictos. Sicuti Judæi ſapientes eſſe volebant juxta legem ſuam, non autem J. C. ita ſapientes eſſe vultis ſecundum mundi placita, intelligentes, prævidentes, eruditi in iis, quæ mundi hujus ſunt. J. C. cum mundo, hujus Evangelium cum mundi legibus, hujus ſpiritum cum ſpiritu mundi vultis conciliare. Licet vobis perſuaſum ſit de veſtris erga Deum officiis, conſilium capere non poteſtis contra mundi torrentem obnitendi; mundi cenſuram reformidatis, vobiſque legem, ac neceſſitatem irrogatis voſmet ad mundi conſuetudines formandi, ac vivendi quomodo vivitur in mundo. Tale eſt principium hujus duritiei cordis, quæ tanquam invictus hoſtis veſtram prohibet converſionem. Putatis ne, hos Judæos contra J. C. rebelles, & quorum infidelitatem domare S. Stephanus aggreſſus erat, vobis nocentiores fuiſſe in obduratione ſua, atque impœnitentia? Equidem reor obdurationem veſtram citra quamlibet comparationem eſſe crimine ſiorem & pœnitentiam eorum ſexcentis ex locis coram Deo magis excuſabilem, veniaque digniorem extitiſſe: ne nobis os ſubliniamus, auditores, Judæi, quos S. Stephanus confudit, quemcunque de illis conceptum foveamus, minus erant infideles, quam nos. Illi falſo religionis zelo peccabant, nos autem peccamus ex animi licentia, quæ non longe diſtat ab omni religionis carentia. Illi aures, & corda ſua obſtruebant verbo Dei, nos vero per longe gravius convicium verbum hoc non audimus, niſi ut ejuſdem vel cenſores ſimus, vel prævaricatores. *P. Bourdalove in Panegyricis Sanctorum. Tomo 1.*

Apoſtolicæ gloriæ fundamentum eſt, imitatores eſſe J. C.

Inter magnifica nomina, quæ paſſim Sanctis tribuuntur Apoſtolis, nullum invenio, quod in majorem cedat honorem eorum, vel quod nitorem virtutum ipſorum magis augeat, vel ſolidius conſtituat meritum actionum eorundem præter nomen imitatorum Chriſti. Sicuti nullum perfectius adeſt exemplar, ita nullum eſt, quod in eorum honorem, & gloriam magis cedere valeat. *Nihil eſt dignius*, S. Leo ajebat, *quam ut homo ſit ſui auctoris imitator.* Ita Gentium Apoſtolus ſe quatenus Dei ſui imitatorem propoſuit Corinthiis. *Eſtote ergo imitatores mei*, dixit illis, *ſicut ego Chriſti.*

1. Cor. 4.

Lib. de vera innocentia c. 19.

Profecto præterquamquod hæc imitatio, ex D. Auguſtini ſententia, format arctiſſimum vinculum inter Deum, & hominem, eſt etiam non æquivocum argumentum exiſtimationis, reverentiæ, venerationis, gratique animi ſui erga Deum. *Eſtote imitatores Dei*, S. Paulus ait, *ſicut filii dilecti ipſius.* Tamen ne putetis, Auditores, Apoſtolos unquam reſpexiſſe conformitatem miraculorum ſuorum cum miraculis Salvatoris, tanquam fundamentum immortalis gloriæ, quæ in illis refulſit, neque gloriatos fuiſſe quod ut ille, dæmones ejecerint; ægros curaverint, claudis greſſum, cæcis viſum, mortuis vitam reddiderint; ſed quod ut ille ſancti fuerint, illum in laborioſa vita ſecuti fuerint; ut ille, amaverint cruces, calumnias, opprobria; qua in re ipſe J. C. ſe in exemplum omnibus Fidelibus propoſuit: *Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Gentium Apoſtolus, cum illi perſuaſum eſſet, veram gloriam conſiſtere in hoc, ſi J. C. ſequamur, non quidem in Thabor, ſed in Calvarium, ajebat: *Mihi abſit gloriari niſi in cruce D. N. J. C.* & conſolaturus Theſſalonicenſes, ſcribit illis: Fratres mei facti eſtis imitatores Eccleſiarum Dei, quæ amplexatæ ſunt J. C. fidem in Judæa, & reddit rationem, quia, inquit, eaſdem perſecutiones a concivibus veſtris eſtis perpeſſi. Glorioſi imitatores J. C. Apoſtoli ſancti auferte a nobis hunc tribulationum horrorem ac tædium erga ea, quæ amorem proprium poſſunt mortificare; precum veſtrarum virtute teporem noſtrum corrigite ardenti zelo, quo vocari mereamur Dei noſtri imitatores. *Auctor recens.*

Epheſ. 5.

Matth. 11.

Galat. 6.

Fructus admirabiles miſſionis Apoſtolorum.

Ne diſſimulemus, Auditores, grati animi ſenſu fateamur, nullam nobis in mundo gratiam eſſe quæ non fluxerit in nos per Apoſtolos, quibus uſus eſt Deus, ut illis ad nos uſque manaret. Illi organa fuerunt magnificentiæ, & miſericordiæ Dei erga homines; namque undenam in nos profecta eſt hæc Jeſu Chriſti cognitio, & hæc pura, & ſancta fides? Unde ad nos uſque effluxerunt hæ immenſæ ſacramentalium gratiarum divitiæ? Cuinam acceptum referendum eſt Ethnicæ ſuperſtitionis, & impietatis excidium? Nonne manibus Apoſtolorum, qui dum extruebant fidei ædificium, ſanctitate doctrinæ ſuæ Gentium ſuperſtitiones proſternebant? Nonne inquam manibus divinorum hominum, qui ſimul & Jeſu Chriſti Crucem figebant, & profana inanium Deorum ſimulacra proſternebant, Sancti Apoſtoli emiſerunt vocem ſuam, Satanas in tutiſſimis etiam receſſibus infremuit; Oracula obmutuerunt; & Jeſu Chriſti crucifixi Evangelium in univerſo mundo cognitum fuit. Gentes licet barbaræ ſecutæ ſunt vexillum Filii Dei, omnes novæ legis jugum amplexati ſunt. *Idem.*

Amor J. C. erga Apoſtolos.

Cum Princeps ſubdito poteſtatem, atque auctoritatem impertit ſuam, illi ædes ſuas commodat, amicos vocat, gratias ſuas illi large, effuſeque concedit, honores, & contumelias, quibus afficitur, ſibi factas putat; proculdubio ſubito huic minus æquivoca præbet amoris erga ipſum ſui argumenta. En autem quid mundi Salvator ſuis contulerit Apoſtolis. Vobis id probaturus neque rationum vi, neque eloquentiæ artibus utar. Simpliciter, & ſine fuco vobis dicam, quod dicit Eccleſia: *Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Paulus plenus poteſtate, atque auctoritate, quam illi ſuum conferebat miniſterium, ad Corinthios ſcribebat; *Si amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram, non erubeſcam.* Et Sanctus Auguſtinus de hac loquens auctoritate, ait: Dedit Deus Apoſtolis ſuam auctoritatem ſuper naturam, ut curarent illam, ſuper dæmonem, ut hunc ſubjicerent, ſuper elementa, ut illa mutarent, ſuper mortem, ut illam contemnerent. Hanc poteſtatem contulit Jeſus Chriſtus Apoſtolis ſuis. Scriptura ita ſcatet exemplis Apoſtolicæ auctoritatis, ut veſtra abuterer patientia, ſi eadem perſequi vellem. *Idem.*

Matth. 16.

2. Cor. cap. 10. 8.

Sanctus Matthæus admirabilis eſt, ubi loquitur de ſumma confidentia, quam mundi Salvator ſuis teſtatur Apoſtolis, illos, ſe Chriſtum eſſe docens vetat, ne cui hoc dicant ante reſurrectionem ſuam, & S. Paulus ait Jeſum Chriſtum eos repleviſſe intelligentia, atque ſapientia, ut voluntatis ſuæ myſteria cognoſcerent. Sanctus Joannes perſpicue loquitur de hac confidentia, cum Jeſum Chriſtum loquentem inducit: *Jam non dicam vos ſervos quia ſervus neſcit quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Recens Auctor.*

Matth. 16.

Joan. 15. 15.

Deus Apoſtolis uſus eſt tanquam pulcherrimis Eccleſiæ ſuæ ornamentis, atque divitiis.

Noſtis, Auditores, æque ac ego, Deum per Apoſtolos Eccleſiam ſuam conſtituiſſe. Hos regeneraſſe nos aquis Baptiſmatis; hos nobis ſpiritum veritatis dediſſe; hos nobis ſecundam hanc poſt naufragium tabulam dediſſe, ut inde emergeremus: hos nobis Angelorum panem diſtribuiſſe: hos docuiſſe, a Jeſu Chriſto civilem matrimonii contractum ad Sacramenti dignitatem ſublatum fuiſſe: hos per ordines ſacros perennaſſe in Eccleſia, & inexhauſtas effeciſſe divitias gratiæ Redemptoris; hos denique tradidiſſe nobis contra peccati ejuſdem reliquias medicinam. Nolite ergo mirari poſt hæc, ſi cum miſericordiarum pater tot illis præbuerit amoris, & benevolentiæ monumenta, quam aliquando in cælis erat coronaturus, ab omnibus, quæ ad illos in terra ſpectant, tam facile afficiatur. *Idem.*

Apoſtoli prorſus erant a terrenis rebus alieni.

Mundus fortaſſe tunc primum in Apoſtolorum perſona vidit homines alienos ab iis omnibus, quibus mundi cultores alliciuntur, alienos inquam, non in ſpeciem dumtaxat, ſed reipſa, & non mente non ſolum, verum etiam corde. Sæculum quippe plures nobis exhibet fictitios thraſones, mundi ſpretores, quos vel ratio licet exilis, & infelix miſeriarum hujus mundi experientia fateri cogunt, illhæc omnia nihil eſſe, & qui hoc aliis dictitant, quin ideo tamen minus alacriter, acriterque ea conquirant, quæ ſua putant intereſſe. Apoſtoli vident ad pedes ſuos projici fidelium theſauros ab iiſdem collatos, ubique creditos: quodnam cupiditatis illicium! Sed divitiarum contemptores ne dignantur quidem ad illos manus extendere; errore depoſito, non quidem ex parte, ut illi qui avaritiam negligunt, ut gloriam aucupentur, & qui in vanitate reperiunt mundum, quem in divitiis relinquunt; ſed prorſus, & ſine ulla exceptione: & non minus gloria, quam cupiditate moventur; coluntur tanquam delapſa cælo numina; & thure hoc non moventur, ſenſuque carent, ubi illis honor defertur, qui maximam, atque nullis finibus circumſcriptam replere valent ambitionem. Errore depoſito non earum tantummodo rerum, quæ ambiunt illos, utpote, qui flocci faciunt univerſa, ut ſeſe in ſola ſuimet ipſorum exiſtimatione contineant: ſed etiam magis ſemet contemnentes, quam reliqua: homines iſti, quibus mundus dignus non erat, ſeſe reſpiciunt tanquam ſubditos maxime contemptibiles, & ſinguli ſe minimum, ac noviſſimum Apoſtolorum appellant. *Idem.*

In regno Filii Dei, nemo inutilis eſt, & Apoſtoli ibi tanquam

Nihil inutile eſt in regno Dei: ſubditi omnes, qui componunt illud; ibi operantur, & qui propius accedunt ad illum ii ſunt, qui præcipuam illis operam locant.

Apo-

Digitized by Google

Eccleſiæ fundamenta locantur.

Apoſtoli ſunt Eccleſiæ fundamenta quæ illam ſuis laboribus ſuſtinent, qui irrigant illam ſudoribus ſuis, & ſanguine, & qui verbo ſuo uberem faciunt: primi enim ſunt prædicatores, qui nunciarunt infidelibus Evangelium: qui illos de mortis ſinu eripuerunt, liberantes eos a ſervitute peccati. Evangeliſtæ addiderunt ſcripta ſua verbis Apoſtolorum, nobiſque narrantes hiſtoriam Jeſu Chriſti, hujus exemplis nos excitarunt. Cum Sanctus Matthæus, duplici hoc honore præditus eſſet, utpote qui ſimul & Apoſtolus, & Evangeliſta, homines docuit & verbis, & ſcriptis; difficile ſatis eſt dicere utri magis Apoſtolo ne, an Evangeliſtæ debeamus. Tanquam Apoſtolus magnam terræ partem peragravit, & illuſtravit fidei lumine cæcos populos, quibus infidelitas ſui majorem afflaverat caliginem, quam cælum ſuum; intolerabiles ſuſtinuit labores, ut erudiret illos, & regionis illius ardores ſuperans ardoribus charitatis, acquiſivit Filio Dei maximam Africæ partem; & tanquam Evangeliſta ſeſe ſuper Hiſtoricos, Prophetas, & Apoſtolos extulit. *Ex Panegyricis Sanctorum Patris Senault Oratorii*,

S. Matthæus J. C. facta deſcribit, ejuſque intentiones nobis aperit.

Sanctus Matthæus nobis deſcribit actiones Filii Dei, ejus intentiones aperit nobis, & docet, illum in terras deſcendiſſe, ut ſalvos faceret peccatores. Exhibet nobis victorias innocuas, quæ nullas faciunt viduas, non orphanos, quæ cum verbo fiant, humanum cruorem non effundunt, neque vim inferunt, neque cædem. Admirabilem nobis proponit Regem, in animos, & corda regnantem, qui pro ſubditorum ſuorum ſalute vitam impendit, qui illos ſuo nutrit cruore. & qui injuſtitiam ex ſua ditione extrudens, omnes ſibi dicto parentes jubet, ut ſemetipſos oderint, inimicos autem diligant. Cum ille pluribus antecellat prærogativis Hiſtoricos ſæculi, qui ſæpe nobis exhibent clades exercituum, urbium expugnationes, odia injuſta, impuros mores; antecellit etiam veteris Teſtamenti Prophetas; nam licet illi divino afflati eſſent ſpiritu, ſæpe tamen portendebant, quæ non intelligebant, & ratio nos docet Prophetiam ſemper tenebris fuiſſe involutam. Sed Sanctus Matthæus nihil ſcripſit, quod non intellexerit; cumque in Spiritus Sancti ſchola edoctus fuerit, luminibus ejus nihil tenebratum erit commixtum. *Ibidem*.

Evangeliſtarum major eſt utilitas quam Apoſtolorum.

Sanctus Matthæus, quatenus Evangeliſta Apoſtolos ſuperavit; & de Eccleſia melius meritus eſt ſcriptis, quam verbis. Nam licet divini Præcones illi terram univerſam peragraverint, dicere poſſumus, quin illis inferamus injuriam, non omnes ſingillatim omnes docuiſſe Provincias. Mundum inter ſeſe diviſerunt, & ſinguli erudierunt eos populos, qui ſibi ſortito obtigerunt. Sed Evangeliſtæ univerſum terrarum orbem illuſtrarunt eorumque libri maria traduxerunt, & apud Indos genuerunt fideles. Eorum ſcripta illuc pervenerunt, quo Gentium domitores animis ſuis non pervenerunt; & plures Filio Dei ſubditos, quam Romanæ Reipublicæ Scipiones, Cæſares, Pompeji pepererunt. Apoſtolorum prædicatio bonum fuit perfunctorium; aliquos tantum annos manſit; & idem ſæculum, quod illam oriri, eandem etiam deficere vidit. Sed Evangelium bonum eſt, quod ſemper perſeverat, & quod nonniſi cum Eccleſia finem habiturum eſt, omnes fideles ad finem uſque univerſorum edocebit. *Idem*.

Dei Filius Apoſtolos vocat mundi lumen. Matth. 5. 14.

Dei Filius Apoſtolos allocutus vocat illos lumen, *Vos eſtis*, ait illis, *lux Mundi*. Lux hæc ſeſe manifeſtare debet, & in omnibus terræ locis lucere. Salvator Mundi, ut oſtendat hanc neceſſitatem, quam ſuis imponit Apoſtolis annunciandi veritatem, cujus ſequeſtres erant, utitur parabola oppidi cujuſdam, quod cum in monte ſitum ſit, latere non poteſt. Addit etiam non accendi lucernam, ut ſub modio ponatur, ſed ſuper candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant. Quid autem Salvator infert ex hac parabola? Hoc ſequentibus verbis explicatur: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Lambert in anno Evangelico, Tomo 7.*

Matth. 5.

Ejuſdem argumenti. Joann. 1.

Apoſtoli ſunt lux mundi, ſed non ex ſe hac glorioſa qualitate ſunt præditi; ideo ſunt lux, quia illuſtrati ſunt ab eo, qui vera eſt *lux*, & qui *illuminat omnem hominem venientem in mundum*. Hoc enim ille de ſe dixit: *Ego ſum lux mundi; qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ*. Ergo Jeſus Chriſtus vera lux eſt & cum homines lux mundi vocantur, hoc bonum eſt, quod ex ſemetipſis non habent, ſed quod mutuati ſunt ab illo, qui omnis lucis fons eſt. Jeſus Chriſtus cum ſit lux per eſſentiam, mirum non eſt, ſi de ſe dixerit, quod dixerat de ſervis ſuis. Modo vidiſtis, ubi in ſermone de monte dixit, nemo lucernam accendit, & ponit ſub modio, tunc ad Apoſtolos ſuos locutum fuiſſe. Eadem uſus eſt parabola in Evangelio noſtro, ſed præcedentia verba, & circumſtantiæ palam oſtendunt, de ſeipſo tunc loqui. *Idem*.

Joann. 8.

Jeſus Chriſtus per mania virtutes ſuas oſtendit, ſe verum eſſe lumen.

*Neque abſcondunt lucernam, & ponunt ſub modio*. Jeſus Chriſtus de ſeipſo loquitur. Oſtendi vobis, quænam ſit lux vera. Lux hæc nequaquam poſita fuit ſub modio: Quænam præbuit nobis Jeſus Chriſtus miſſionis, & divinitatis ſuæ documenta? Cum fecit miracula & opera, quæ nemo alius facere potuit, cum verborum ſuorum vi, vita ſuæ modeſtia, patientia cum inimicis, & omnibus viis, quas charitas illum tentare coegit, ut eorum vinceret pertinaciam, toties oſtendit: ſe eſſe illum, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*; hoc aliud eſſe, quam lucernam ponere ſuper candelabrum, ut videatur ab omnibus qui domum ingrediuntur. Hoc pacto Dei Filius oſtendit inimicis, ipſos abuſos fuiſſe miſericordia ſuis, aperitque illis improbitatem qua contra illius conſilia operabantur. Venit ad diſſipandas tenebras, quæ terræ univerſæ incubuerant. *Populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & ſedentibus in medio umbra mortis, lux orta eſt eis. Lambert Anni Evangelici Tomo 8.*

Coloſſ. 2. 3.

Matth. 4. 16.

Apoſtolorum ſucceſſores ad eorum exemplum pro Eccleſia laborare debent.

Omnes Apoſtolorum ſucceſſores cum vocentur, non ſecus ac illi, *lux mundi*, tenentur pro ſingulorum ingenio, & officio pro Eccleſia laborare. Quidnam lux eſt, quæ non lucet? Inutilis eſt Miniſter, qui ſibi tantum cogitat. Qui nullo habet in diſcrimine, utrum fideles verbi pane nutriantur, qui nihil confert ad Dei gloriam, & proximi ſalutem neque laboribus, neque curis, neque exemplis, neque eleemoſynis. Væ mihi dicebat Apoſtolus, niſi Evangelium prædicavero. *Sollicite cura*; ajebat idem Apoſtolus ad Timotheum Diſcipulum ſuum, *te ipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, bene tractantem verbum veritatis*. Cum idem Sanctus Paulus deſcribit qualitates, quæ decent Epiſcopum, atque Presbyterum, vult ante cætera hunc paratem eſſe docendo. Difficillimum eſt intelligere, quomodo homines Jeſu Chriſti Sacerdotio inſigniti putent, citra conſcientiæ labem, otiari, ac tempus terere, cum tot populi Deum ignorent, vel illum norint dumtaxat ut lædant; Cum tot Fideles æque rudes in iis, quæ ad Religionem pertinent ac Indorum maxime barbari ignorent fidei rudimenta; & cum tot alii panem poſcant, nec adſit, qui hunc illis frangat, atque diſtribuat. *Idem*.

1. Cor. 6.

2. Tim. 2. 15.

Duo ſunt modi docendi, alter verbo, alter exemplo.

Duo ſunt edocendi modi; quorum alter eſt, annuntiare veritates Evangelicas; alter vero illas fideliter exercere. Nihil validius eſt verbo, quod bono confirmatur exemplo. Ille, S. Auguſtinus inquit, cujus vita conformis non eſt veritatibus quas annuntiat, convertere poteſt cor; quia inter ejus auditores fortaſſe inveniuntur aliqui, qui meminerint quo in honore J. C. haberi velit illos, qui *ſedent ſuper Cathedram Moyſi*. Quocumque modo ſciamus quod facere teneamur, ſemper æque tenemur. Dei verbum ſanctum eſt per ſe, & hominum nequitia illud vitiare non poteſt. Hinc fit, quod Deus non minus perficit opus ſuum eorum miniſterio, qui morum ſuorum labe characterem dedecorant ſuum; ſed longe aliter accidit, cum verba factis animantur. *Lambert in anno Evangelico, tomo 8.*

Lib. 4. de doctr. Chriſtian. c. 27. Matth. 23. 2.

Sanctus hic inſigne exemplum eſt vitæ Apoſtolicæ.

Sanctus hic inſigne eſt exemplum, quod omnibus Eccleſiæ miniſtris oſtendere debet, nihil terribilius eſſe, quam munus Apoſtolicum, illos ſe beatos exiſtimare debere, ſi dies ſuos tranſegerint, quin grave hoc onus ſuſtineant; neque in Sanctuarium pedem eſſe inferendum, niſi invitis, & cum Deus præbuerit manifeſta legitimæ vocationis indicia, quibus reſiſtere nefas eſſet. *Idem*.

Senſus Patrum, ac Theologorum de vocatione Apoſtolica.

Ex omnibus Divinitatis J. C. & veritatis Religionis, quam profitemur, argumentis Patres omnes, atque Theologi Apoſtolorum vocationem reſpexerunt tanquam unum ex validiſſimis, atque invictiſſimis. Sive immoremur in operis magnitudine, atque ſumma ejuſdem difficultate, ſive intueamur eventum, quem obtinuit, & felicitatem, cum qua hæc religio ſeſe perennavit; ſive ad examen vocemus media, quæ ad id adhibita fuerunt, vel perſonas, quæ electæ fuerunt, ut tantum hoc opus feliciter ad finem perduceretur, hæc omnia nobis ſupernaturalia, atque divina videbuntur. *Elogia Hiſtorica Sanctorum Tomo 1.*

Religio latere ſe effundit in mundum univerſum laboribus Apoſtolicis.

Hæc non eſt commentitia quædam, ut olim Platonis Reſpublica, jubentis omnes homines ſub iiſdem legibus vivere, & cupientis, ut ſicut unus tantum eſt mundus, unus etiam mos eſſet, idemque vitæ genus. Eximia meditamenta, quæ tamen nonniſi in imaginatione unius ingenii delirantis vigebant, de quo S. Auguſtinus dixit, ſi in Mundum redivivus reverteretur, futurum, ut obſtupeſceret videns Religionem, quæ illi ridicula viſa fuiſſet, ſi Apoſtolicis vixiſſet temporibus, ita in mundo univerſo inſtitutam, cum ille vix aliquot in exiguo terrarum angulo diſcipulos congregare potuerit & ſexcenti inſuperabiles obices illi adverſari videbantur. Cæcitas, ac ſuperſtitio Ethnicorum, qui jampridem falſa venerabantur numina, ſuperbia, & pertinacia Judæorum, qui cum a vero Deo veram accepiſſent Religionem, credebant eam ſibi nunquam eſſe relinquendam: ſuavitas legum jamdudum rogatarum, ac diutina conſuetudine confirmatarum; ſeveritas legis alterius prorſus novæ, quæ homines ad auſteram, humilemque diſciplinam redigebat; hæc omnia recto ſenſui repugnabant, & oſtendebant conſilii hujus impoſſibilitatem. Ethnicis dicendum erat: Religio veſtra eſt ſacrilega & abominabilis. Evertite delubra, aras confringite, excidite ſimulacra. Dii veſtri ſunt fabuloſi, unus tantum verus eſt, quem ipſi colimus. Judæis erat dicendum: Lex veſtra olim bona erat, ſed nunc abrogata eſt: habuiſtis figuras, quæ præterie-

terie-

terierunt, ſed veritas, quæ apparuit, viget. Vos repleti fuiſtis promiſſionibus: ſed qui vobis promiſſus fuit, jam venit; cæremoniæ, ſacrificia, oblationes, purificationes, Sacerdotes, victimæ, Templa, ſolemnitates, nihil horum vobis licet. Quis crediſſet Religionem hanc bene vertere poſſe, & non omnino omnem de eadem ſpem abjeciſſet? *Ibidem*.

Quid nobis faciendum ut imitemur Apoſtolum, & ad illius exemplum Evangelii gloriâ procuremus.

Quis vetat, ne aliquando exteriorem Apoſtolatum exerceatis? Parum firmitatis, & conſtantiæ quibuſdam in occaſionibus, lenitatis, & indulgentiæ parum in aliis: ſcita prudentia in humiliatione veſtra, & nonnunquam in exaltatione veſtra, in perſequendis juribus Dei, & in veſtris remittendis; in adhibendis reprehenſionibus, & in farcienda pace in diſſentientibus familiis, in procuranda familiarum afflictarum requie, quas diſcordiæ, & lites ad exitium vocant. Seria vobis adhibenda cura eſt, ut videatis quomodo in vobis cognoſcere poſſitis Dei beneficia, quibus vos ornavit: hæc enim tot ſunt media, quibus ad Evangelii gloriam cooperari valeatis. *Elogia Hiſtorica Sanctorum tomo 1.*

Sancti hujus Apoſtoli vita longe alia eſt a noſtra.

Sed iis, quibus magnus hic Apoſtolus afficiebatur, nos non afficimur; ea, quæ illum ad agendum impellebant, minimum eſt veſtrarum curarum, & occupationum objectum. Sanctus hic memor bonorum, quæ acceperat a Deo, nonniſi propter illum ſpiritum habere volebat; vos autem divinis beneficiis ingrati, ſin minus contra eundem ſpiritum veſtrum convertitis, nunquam tamen illum impenditis, ut cognoſcatis eum, eique ſerviatis. Quot voluntariæ diſtractiones! quæ cogitationes vel otioſæ, vel noxiæ! Quæ præcipue in muneribus veſtris obeundis ignavia! Quot damnationis cauſæ in hora mortis veſtræ, omne tempus veſtrum in iis rebus inſumpſiſſe, quæ eodem erant indignæ; & in fatali oblivione vixiſſe Dei, qui ſemper de vobis erat ſollicitus, qui ſemper memor erat veſtri, qui ſemper vobis recentia patientiæ, ac bonitatis inditia præbebat. *Idem*.

De miſſione Apoſtolorum.

Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Orate dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam. Hæc verba dixit Jeſus Chriſtus Apoſtolis, cum miſertus turbarum in agris effuſarum, reſpexit illas tanquam oves non habentes Paſtorem, qui ageret illas. Cum oculos conjiciens in tot populos ſedentes in tenebris, & in umbra mortis, videre ſibi viſus eſt arva flaveſcentibus ariſtis plena, ſed jam jam grandine depopulanda propter inopiam meſſorum, qui eas demetere, & in horrea Patrisfamilias condere properarent. Mundi Salvator tunc reſpiciebat ſalutem ovium Iſrael, pro quibus potiſſimum venerat; & orationis hujus vis ab Apoſtolis potiſſimum erat intelligenda, quos jam jam miſſurus erat in univerſam terram: ſed quemadmodum noverat Evangelicæ prædicationis gratiam a Judæis contemptam, ad Gentes eſſe transferendam; & vineam hanc infelici ſterilitate percuſſam propter ingrati populi negligentiam, tradendam eſſe aliis, qui excolendo eam uberem facerent, & quandiu permaneret Eccleſia, non ſemper defutura tempora, ubi Apoſtolicorum miniſtrorum inopia relinqueret in prædam ſingularia feri vineam hanc Jeſu Chriſti, & Apoſtolorum ſanguine irroratam, & cujus torcularia redundarunt cruore Martyrum, quem ad illam tuendam, augendamque effuderant: petit ab Æterno Patre homines ſpiritu ſuo repletos, ſuis donis, & ſcientia locupletatos, qui ferant opem Eccleſiæ in publicis, urgentibuſque neceſſitatibus, & in difficilibus temporum circumſtantiis, quibus illa premenda erat toto tempore ſuæ durationis. Efficaciæ hujus orationis, quæ omnia amplectebatur tempora, omneſque populos, Religio debet inæſtimabile donum Sancti hujus, cujus hodierna die laudes recolere aggredior. *Ex Specimine Panegyricorum tomo 5.*

Deus aliquando eligit miniſtros ſine ſcientia ut in eorum Apoſtolatu effectus admirabiles pariat.

Deus, cujus gratia multiformis eſt, inquit Apoſtolus, & pluribus modis operatur, non ſemper tribuit eaſdem qualitates miniſtris, quos extra ordinem mittit, ut ſint Religionis Reparatores, aut Inſtitutores: nonnunquam eligit homines humili genere natos, nulla educatione præditos, ſcientiis expertes, urbanitate vacuos, immo etiam iis vitiis diffluentes, quæ oppoſita videntur officiis, quibus perfuncturi ſunt, ut effectus admirabiles prodeuntes per adeo incongrua inſtrumenta, melius oſtendant cauſam divinam, ac ſuperiorem, a qua vires ſuas mutuantur. Sed legimus in Scripturis, Moyſen nihil intentatum reliquiſſe, ne Pharaonem adiret illum Dei verbis allocuturus; dicentem ſibi vitium eſſe in lingua; & ſe omni carere eloquentia: Jeremiam videntem Domini voluntatem eſſe, ut ipſe tamquam murus æneus objiceretur domui Juda, cauſatum eſſe oris ſui impedimentum, ac trepidanti voce dixiſſe: *A, a, a, Domine neſcio loqui*. Apoſtolos ex populi fæce eductos, rudes, naviculatum ſuarum limo imbutos delectos fuiſſe, qui univerſum terrarum orbem converterent; Verum non latet Iſaiam magnum illum Prophetam ex Regia ſobole procreatum fuiſſe, David Regni ſolium obtinuiſſe, ut ibi Domini laudes concelebraret, fieretque organum æternum omnibus vocibus, quæ ſanctæ huic exercitationi devoverentur: Sanctum Paulum cum perfecta legis cognitione conjunxiſſe ardentem zelum pro tuendis Traditionibus, cum ſegregatus fuit, ut eſſet Gentium Doctor; neque ſatis admirari poſſumus in Epiſtolis ejus profundas, divinaſque locutiones, ad quas humana eloquentia pervenire non poteſt: ac tandem Jeſum Chriſtum ob miſſionis ſuæ ſingularitatem Meſſiam nuncupatum, & ejus ordinis, qui prorſus ab alio quovis longe recedit, voluiſſe originem ducere ex progenie David; & mulieres illum audientes exclamare conſueviſſe, nullum unquam hominem ita fuiſſe locutum. Ita Deus Sanctum Noſtrum replevit iis donis, quibus par fieret maximis quibuſque rebus peragendis, quas Deus per illum peracturus erat. *Ex Specimine Panegyricorum tom. 2.*

J.C. uſus eſt Apoſtolis, ut homines ad fidem vocaret.

Cum vellet Jeſus Chriſtus homines ad fidem vocare per Apoſtolos, erudire per Prophetas, regere per Paſtores, his quidem Apoſtolatus donum, illis Prophetiæ, aliis alia dona conceſſit. Primum igitur dedit Apoſtolos. Nomen hoc miſſum ſignificat, & collatum fuit duodecim illis, quos J. C. ante Paſſionem elegit ex omnium Diſcipulorum ſuorum numero, qui erant futuri primi Evangelii præcones. His adjunxit alios ſeptuaginta duos; verum cum his non contulerit abſolutam poteſtatem, ut primis illis: neque vocavit eos nomine eodem. Apoſtolorum autem nomine illos intelligimus, quos ſibi delegit ipſe Jeſus Chriſtus ad obeunda Apoſtolatus munera una cum iis, quos ante Paſſionem delegerat. Tales fuerunt S. Mathias, S. Paulus, S. Barnabas. Denique nomen Apoſtolorum ſe extendit ad omnes illos, qui primi fuerunt Eccleſiarum Inſtitutores, cum hoc tamen diſcrimine, quod Apoſtoli vocantur earum tantummodo Eccleſiarum, quas inſtituerunt. Hoc pacto S. Dionyſius eſt Pariſiorum Apoſtolus, cum Apoſtoli a Jeſu Chriſto inſtituti cum ante, cum poſt Aſcenſionem ejus ſint totius orbis Apoſtoli. His quippe dictum fuit; Ite in univerſum mundum, & prædicate Evangelium omni creaturæ. Cum autem Jeſus Chriſtus pleroſque Apoſtolos ante ſuam Aſcenſionem delegerit, dicere tamen poſſumus hunc illos Eccleſiæ dediſſe, poſtquam in Cælum aſcendit: cum enim illos de Jeruſalem efferre pedem prohibuiſſet antequam Spiritum Sanctum recepiſſent, illos vere dedit Apoſtolos, cum illos implens Spiritu Sancto poſt Aſcenſionem, contulit illis omnes gratias Apoſtolatus, effecitque, ut omnia Apoſtolatus munera obirent.

Deus in miniſtris ſuis non damnat infelicem laborum eventum, ſed inertiâ.

Si boni, fideleſque ſervi omnibus nonnunquam viribus ſuis adlaborant, laborumque nullus fructus videtur, Jeſus Chriſtus conſolatur illos his verbis, quibus Paterfamilias ſervum inertem reprehendit: Oportebat *te committere pecuniam meam nummulariis; & veniens ego recepiſſem utique quod meum eſt cum uſura*. Deus in Miniſtris ſuis inertiam damnat, non autem laborum ipſorum eventum. Vult illos plantare, rigare, dare autem incrementum ſibi reſervat. Illos jubet attrectare vulnera, ſed ille vulneribus adhibet medicinam. Illi Domini ſui pecuniam in eum, quem jubentur uſum convertunt, & ille eum percipit fructum, quem cupit. Cum zelo adlaborarunt, quia adlaborare juſſi ſunt, ſi labor illis bene vertat, humiles ſunt, neque ſibi vindicant fructum, quem norunt a Deo proficiſci. Si labor eorum inutilis eſt iis, quibus prodeſſe vellent, non ideo mœrore conficientur ſcientes obedientiæ ac fidelitatis ſuæ mercedem ſibi non defuturam. His innixus principiis Sanctus hic omnem vitæ ſuæ rationem compoſuit; & licet illi beneverteret labor, & zelus, ut Jeſu Chriſto animas lucraretur, non ideo tamen id ſibi gloriæ vertit. *Tourneaux in anno Chriſtiano tomo 8.*

Miniſtri, & fideles omnes in lucro ponere debent talenta, quæ ſinguli acceperunt.

Si illi, quos Deus ad Eccleſiæ ſuæ miniſterium vocat, non debent humi recondere talenta, & ſingularia dona, quibus cumulati ſunt ad aliorum utilitatem, quandoquidem eorum rationem Deo ſunt reddituri: Quilibet Fidelis, S. Gregorius ait, diligenter attendere debet, quomodo omnibus utatur bonis, ſeu naturæ, ſeu fortunæ, ſeu gratiæ, quæ Deus in manibus eorum collocavit. Omnia a Deo ſunt, & ad Deum ſunt referenda. Auctoritas parentis in filios, & domini in ſervos, medium, quod tribuunt divitiæ erogandi eleemoſynam, exiſtimatio, qua apud Principes viros fruimur; omnes optimæ qualitates ſeu mentis, ſeu corporis, veluti robur, bona valetudo, ratio, vis intelligendi &c. Dives, qui pauperi non opitulatur; ſuperior, qui Deum a ſubditis ſuis adorari non jubet; amicus principis qui ſua non utitur amicitia prohibiturus, ne innocens opprimatur, totidem ſunt ſervi infideles, qui Domino ſuo non afferunt lucrum, quod ex credita ipſis pecunia præſtolatur. Omnia prodeſſe poſſunt; omnia animæ fideli ſunt talenti loco. Illi ipſi, qui nihil facere poteſt, ipſa impotentia ſua talentum fuit, quod refert Domino, ſi ideo ſe minus audacem, magiſque humilem, docilemque præſtat &c. Simus tantum boni ſervi, & amemus eum, cui ſervimus, nec deerit nobis, quomodo undique educamus incrementum gloriæ Dei, & ſalutem animarum ad hujus Eccleſiaſtici viri imitationem. *Idem*.

Apoſtoli teſte S. Paulo ſunt miniſtri Dei, & diſpenſatores myſteriorum illius.

Optaret S. Paulus, ut Apoſtoli haberentur tanquam Dei Miniſtri, & diſpenſatores myſteriorum illius, ſed fideles diſpenſatores, qui Jeſum Chriſtum tantummodo prædicabant, non autem ſe ipſos; qui nolebant populos ſibi, ſed Jeſu Chriſto, cujus ſervi erant, adhærere, & in quo ipſi ſervi erant omnium, quibus annuntiabant Evangelium. Denique mites eſſe didicerant ad exemplum ejus, a quo miſſi fuerant tanquam agni inter lupos, ut mutarent lupos in agnos, eoſdem lenitate dumtaxat ſua, atque patientia ſuperantes, atque vincentes.



Digitized by Google

Moyſes nequaquam ſeipſum poſuit Caput, & legiſlatorem populi, & Apoſtoli nequaquam ſe ipſos ad Apoſtolatum evexerunt. Elegit eos Jeſus e numero diſcipulorum ſuorum, & Evangelio teſte, illos vocavit, quos voluit. Itaque dicebat illis, Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, ut eatis, & fructum afferatis, qui æternum manet. Simili ratione Deus Aaronem Moyſi fratrem, magnum populi ſui ſacerdotem conſtituit. Percuſſit fœdus æternum cum illo; ſacerdotium enim, quod illi contulit, manſurum erat in progenie illius, & duraturum, quamdiu Judæorum lex, atque Religio erat duratura, videlicet uſque dum Jeſus Chriſtus veniret in terras, æternum inſtituturus Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech. Extulit autem Apoſtolos ad apicem novi hujus ſacerdotii, & loco magnificorum indumentorum, quibus Aaronem cooperuit, & Thiaræ, quam dedit illi; ornavit eos juſtitia, & virtutibus omnibus, quas Summi illius Sacerdotis ornatus ſignificabant. Dedit illis coronam gloriæ, & immortalitatis in mercedem laborum, quos in obeundis miniſteriis hujus vicibus perpeſſi ſunt. *Tourneux in anno Chriſtiano. Tomo 11.*

Miracula, quæ patrarunt Apoſtoli magnam obtinuerunt vim, ut homines in J. C. partes tranſirent.

Conſtat Apoſtolos inſignia ediddiſſe miracula, miracula vero illorum magnam obtinuiſſe vim, ut quod de Jeſu Chriſto perhibebant, teſtimonium reciperetur. Non genus, non exiſtimatio, auctoritas, vis, divitiæ, ſæculi dignitates impellebant populos ad audiendos Apoſtolos; ſed cum viderent, S. Auguſtinus ait, homines loquentes omnibus omnium gentium linguis, cum viderent S. Petrum curantem claudum dicendo, *In nomine Jeſu Chriſti ſurge, & ambula*, cum viderent lintea, quæ tetigerant Apoſtoli, morbis ſalutem afferre, eorumque umbram eumdem gignere effectum; cum intuerentur tot alia miracula, quæ in ſacris canonibus referuntur, & quorum auctoritas in dubium revocari non poteſt; hæc populum captivabant, hæc palam oſtendebant, eos, quibus erat facultas hæc operandi portenta, a Deo miſſos fuiſſe. Miracula, quæ patrarunt Apoſtoli, illis vim contulerunt, ut mundum converterent, & mundus converſus argumentum eſt Apoſtolos magna operatos fuiſſe miracula. Quare S. Auguſtinus dixit, ſi mundus ſine miraculis converſus fuiſſet, hoc fuiſſe futurum miraculorum omnium maximum, quæ aſſerimus facta fuiſſe, & profuiſſe, ut chriſtiana Religio inſtitueretur. *In Anno Evangelico Lambert. Tomo 3.*

Apoſtoli perhibentes teſtimoniũ J. C. Spiritu Sancto erant afflati.

Spiritus Sanctus teſtimonium perhibuit Jeſu Chriſto, cum Apoſtoli illud divino huic Salvatori perhibuerunt. Quorſum iſtud? quia cum Apoſtoli prædicaverunt, illuminati, afflatique erant Spiritu Sancto, qui eos confirmabat, & per os illorum loquebatur. Non eſtis vos qui loquimini, ſed Spiritus Patris mei qui loquitur in vobis. In Evangelio dixit Deus Apoſtolis ſuis: Teſtimonium perhibebitis de me: ſed antea dixerat, Spiritus Sanctus perhibebit teſtimonium de me; quod palam oſtendit tunc dum aſſerebat Apoſtolos de ſe teſtimonium perhibituros, innuere voluiſſe, Spiritum Sanctum illis vim, animoſque additurum, vel potius ſpiritum ipſum per os Apoſtolorum prolaturum eſſe Evangelium in mundo univerſo. *Ibidem.*

Apoſtoli ſuum obeuntes miniſterium non alios motus ſequebatur, quam Spiritus Sancti.

Apoſtoli in Sacri Miniſterii ſui exercitatione, non alios motus ſequebantur, quam quos Spiritus Sanctus illis inſpirabat. Neminem attollunt ad ſacrum hoc miniſterium, niſi quem certo ſciunt Spiritu Sancto repletum. Cum Domini Miniſtros mittunt, eligunt illos ſecundum divini Spiritus imperium, & afflatum. Cum congregati erant in Conciliis, illud ſtatuebant, quod ipſis, & Spiritui Sancto videbatur: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.* Cum quis illos audire detrectat, non verentur aſſerere, Spiritui Sancto reſiſtere. Inter teterrima ſui Apoſtolatus tormenta, eos Spiritus Sanctus conſolabatur, confirmabat, ac replebat lætitia. *Idem.*

Act. 15.

Apoſtoli non timuerunt minas, vel tormenta ut J. C. teſtimoniũ perhiberent.

Apoſtoli quot in locis Jeſu Chriſto teſtimonium perhibuerunt? Qua vi, qua conſtantia? Minas contempſerunt; ſemper præſto fuerunt, ut vitam effunderent; ſuppliciorum metus illos non terruit; multos adierunt locos, quin ſcirent, quid ſibi eſſet eventurum, niſi quod Spiritus Sanctus illos ſubinde admonebat, illos vincula, ærumnaſque manere. Quodnam illorum ſolatium fuit? Licet muneribus ſuis obeundis eſſent intenti, horis ſucciſivis manibus ſuis artem aliquam exercebant, ne cuiquam graves eſſent. Gloria, quam ardentiſſime appetebant, erat in extrema rerum omnium inopia vivere, & nihil recipere ab illis, quibus Evangelii divitias communicabant. Mori maluiſſent, quam pati gloriam hanc ſibi præripi. Quænam fuit eorum perſeverantia? Ad finem uſque fideles fuerunt; Prædicaverunt in ipſis carnificum manibus poſiti, coram tyrannis, iis in locis, ubi vitæ jacturam erant ſubituri. Suppliciorum aſpectus illis addebat animos; duplex illis erat gaudium, annuntiare Evangelium, ac illud annuntiantes pati. Nunquam zelus eorum erat ardentior, nec major lætitia, quam cum tempus imminebat reddendi rationem illi, a quo miſſi fuerant. Hæc omnia ob oculos Jeſu Chriſti verſabantur, cum dicebat fore, ut Apoſtoli de ſe teſtimonium perhiberent. *In Anno Evangelico. Tomo 3.*

1. Cor. 9. 23.

Verum teſtimonium, quod reddiderunt Apoſtoli de eo, quod ipſi viderant.

Vult Dei Filius, eos, quos eligit ad annuntiandum Evangelium ſuum, teſtes fuiſſe actionum vitæ ſuæ, ut eorum teſtimonium majorem vim obtineret, cum dicere poſſent: Nos ſcimus veritates, quas annuntiamus vobis, non ſolum quod ab aliis eas accepcrimus; ſed teſtes ſumus vitæ, miraculorum, mortis, & reſurrectionis Salvatoris, quem prædicamus. Hinc Apoſtoli in omnibus fere ſermonibus ſuis repetebant, ſe teſtes eſſe veritatum, quas annuntiabant. S. Petrus in Sermone, quem habuit ad Judæos, ſimul ac recepit Spiritum Sanctum, ait: *Hunc Jeſum reſuſcitavit Deus, cujus omnes nos teſtes ſumus*, Et alibi; *Et nos teſtes ſumus omnium, quæ fecit in regione Judæorum, & Jeruſalem, quem occiderunt ſuſpendentes in ligno. Hunc Deus ſuſcitavit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri, non omni populo, ſed teſtibus præordinatis a Deo, nobis qui manducavimus, & bibimus cum illo, poſtquam reſurrexit a mortuis. Non enim*, idem Apoſtolus inquit, *doctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem, & præſentiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis*; & S. Joannes: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ: & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis.* Admiramini confidentiam, qua loquuntur Apoſtoli: Nos vidimus, nos attrectavimus: quod ſane authenticum eſt ſinceritatis eorum argumentum. Veritas habet characteres, ex quibus facile cognoſcitur; ſed mortales homines nunquam præbuerunt certiora ſuæ ſinceritatis ſpecimina, quam Apoſtoli. Inter cruciatus Sermonem non mutabant; percutite, carnifices, torquete, rabiem veſtram expromite, pacificas laniate victimas, ſaturamini cruore juſti, ac innocentis; non alia extorquebitis verba: Nos teſtes ſumus, nos vidimus, nos attrectavimus, & tales morimur. *Idem.*

1. Petr. 1. 16.

1. Joann. 1.

Sumus Salvatoris diſcipuli utilli teſtimonium perhibeamus ad Apoſtolorũ exemplum.

Si Apoſtoli ideo ad hunc apicem evecti fuerunt, ut Jeſu Chriſto redderent teſtimonium, nos quoque divini hujus Salvatoris Diſcipuli ſumus; ut illi teſtimonium perhibeamus, & ille nobis univerſis dicit: Teſtimonium perhibebitis de me. At non prædicando Evangelium dumtaxat illi perhibetur teſtimonium; ut ab Apoſtolis; neque enim omnibus Chriſtianis mandatum eſt, ut prædicent Evangelium, & nihilominus Chriſtiani omnes ineluctabili tenentur neceſſitate perhibendi Jeſu Chriſto teſtimonium. Quid ſignificat perhiberi ab hominibus teſtimonium J. C. Satin' ad id eſt ſacro ablutos eſſe baptiſmate? credere in illum? Eccleſiæ ſacramenta recipere? exteriores quaſdam actiones peragere, quas nobis præſcribit Religio? Non ita profecto. Hæc ſatis non ſunt. Videte opera mea, dicebat Dei Filius, *ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me. In anno Evangelico. Tomo 3.*

Idem ſequitur argumentum.

Vultiſne ſerio ad examen vocare, utrum teſtimonium Jeſu Chriſto reddatis? videamus opera veſtra. Quantum temporis inſumitis in Oratione? Num vobis curæ eſt, ut voſmet proſternatis coram Deo, ut coram illo voſmet exinaniatis? Ullane mortificationis opera facitis? Poteſtiſne hoc vobiſmet teſtimonium perhibere, voſmet vobis vim inferre, vobiſmet interdicere quaſdam voluptates; voſmet ſtudiis veſtris adverſari? quam patienter ſubitis tribulationes, quibus vita veſtra agitatur? Quonam oculo illum excipitis inimicum, a quo vos læſos fuiſſe contumelia exiſtimatis? Effunditiſne in pauperum ſinum partem eorum bonorum, quibus vos Deus cumulavit? Intueamur opera veſtra. Fides ſine operibus mortua eſt, ut inquit S. Jacobus. Non omnes, qui dixerint: Domine, Domine, intrabunt in regnum cælorum; ſed ille tantum qui Patris mei voluntatem perficiet, & multis bonis operibus teſtatur, ſe fideliter, & peramanter ſervire Deo. *Idem.*

Jacob. 2. Matth. 7.

Jeſus Apoſtolis ſuis ſignificare voluit, ſi piſcantes plurimum piſcium ceperint uberes ſe laturos eſſe victorias prædicando Evangelium.

Magnam piſcium vim ceperunt Apoſtoli, cum in Domini verbo retia jecerunt; & per hoc illis innuere voluit, quanta futura eſſet multitudo converſionum, quas facturi erant, ubi in nomine ipſius prædicarent Evangelium. Neceſſe erat, ut Filius Dei ſæpe repeteret Apoſtolis hanc magni momenti veritatem. Opus, quod illis commiſit, erat adeo difficile, ut nunquam illud ſuſcipere fuiſſent auſi, niſi Magiſtri, Dominique ſui verbum illos ſuſtinuiſſet. Noſtis obices, quos ſuperarunt Apoſtoli. Quis illos ſuſtinuit inter tot pericula, quæ evitare nequaquam poſſe videbantur? Quis illos ſuſtinuit, cum omnes humanæ vires coaleſcerent contra infirmos homines, quibus nulla erant arma, quibus ſe tuerentur, præter invictam patientiam? Dei verbum illos reddebat fortiores ſupra omnes terræ, ac inferorum poteſtates ſimul in eorum excidium conjuratas. Neceſſe igitur erat, ut verbum hoc Domini ſui altius infixum cordi eorum inhæreret; quoniam omnis erat eorum fortitudo, atque præſidium. En cur Salvator mundi illos ad ſacrum evocans miniſterium incipit illis miraculo oſtendere quinam futurus eſſet laborum ipſorum eventus. Effectus Salvatoris oraculo reſpondit. Quid accidit ſtatim ac Apoſtoli laxaverunt retia ſua in verbo Domini? Quam jucundum eſt meditari Salvatoris vaticinia, eorumque complementum conſiderare? Animus attollitur; Dei digitus agnoſcitur, cum accuratius ad examen vocatur, quod nobis narratur de Evangelii progreſſibus in actibus Apoſtolorum, & in Scriptis Patrum Eccleſiæ. Hinc evincitur, ſolam Evangelii prædicationem demonſtrare poſſe, citra omnem controverſiam Chriſtianæ Religionis divinitatem. Hinc evincitur nonniſi Deum perſuadere potuiſſe Apoſtolos de

eventu

eventu adeo difficili, & qui toto cælo captum eorum, ac humeros excedebat. Hinc evincitur, fieri nequaquam potuiſſe, ut promiſſio Filii Dei adimpleretur per Apoſtolorum miniſterium, niſi Deus eorum dux fuiſſet, atque præſidium. S. Petrus ad quem Jeſus Chriſtus potiſſimum

*Luc. 5. 4.*

ſe converterat, & cui dixerat; *duc in altum, & laxate retia in capturam*; S. Petrus inquam laxavit rete in verbo Domini. In prima concione convertit tria hominum millia, in altera vero quinque millia. Hoc legimus in ſecundo, tertio, & quarto capite actorum Apoſtolicorum. Macti ergo hoc animo divini Piſcatores, retia veſtra laxate in capturam. Incipitis experiri effectus promiſſionis Jeſu Chriſti. *In anno Evangelico tom. 3.*

J. C. confortavit Apoſtolos, & ſuſtinet Eccleſiam.

Quis eſt ille, qui deduxit Apoſtolos, qui magnam hanc capturam fecerunt piſcando, cujus captura Evangelica non aliud eſt, quam umbra, & figura? Quiſnam conſortavit Apoſtolos cum mundum univerſum verbo ſubegere? Quis eſt Jeſus Chriſtus, in cujus nomine jecerunt retia? Quis eſt, qui ſuſtinet Eccleſiam circumundique laceſſitam, ſive ab illis, qui eam deſeruerunt, ſeu ab illis, qui in illius ſinu ſunt, ſed illam dedecorant vivendi genere, quod ab Evangelicis abhorret inſtitutis? Hic eſt Dei Filius, Sponſus Eccleſiæ, illius fortitudo, atque præſidium: quæ licet jugibus oppugnata fuerit hoſtibus, ſemper tamen victoriam reportavit. Ne quæratis igitur aliam cauſam præter illam, quam affert S. Paulus. Videlicet, quia Jeſus Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ, quæ illius corpus eſt, & cujus etiam Salvator eſt. Eccleſia ſubjecta eſt Filio Dei; Filius Dei amat Eccleſiam, & mortem ſubiit propter illam. *Ibidem.*

Æque infirmi ſumus ac Apoſtoli, ſed cum illis in Deo confidere debemus.

Sumus infirmi; nihil poſſumus ex nobiſmetipſis. Æque calamitoſi, ac Apoſtoli totam noctem laborantes nihil cepimus. Sed Jeſum Chriſtum adeamus, laxemus retia in verbo ejus, & confirmabimur. Si adhæſeritis Salvatori, ſi Sanguis illius effuſus ſuper vos, abluerit, & emundaverit vos; ſi ſecuti fueritis Evangelii ejuſdem præcepta, quantacunque fuerit infirmitas veſtra, eritis in numero fortium. Qui mundum univerſum devicit, omnes proſternet obices, quos in medio cordis veſtri experimini. Sed ut eatis ad Filium Dei, neceſſe eſt, ut cognoſcatis eas animi præparationes, quas divinus hic Salvator requirit in vobis. Hæ autem in Evangelio connotatæ ſunt. *In anno Evangelico tomo 3.*

Quomodo Judæi excipiebāt Apoſtolos, qui Synagogas eorum frequentabant ut illa docerent, ſicut juſſi erant a Domino.

Apoſtoli Inſtitutoris ſui mandatum ſecuti, ſtatim in Judæorum Synagogas ingrediuntur. ſed quomodonam illic excipiuntur? Plerique contra illos inſurgunt, hos de urbibus, oppidiſque ejiciunt, eoſque lapidibus petunt. Gentiles vero ſe magis dociles præbent, & Apoſtolorum miraculis victas dant manus. Judæi pervertere ſtudent eos, quos Apoſtoli converterant. Illi ipſi, qui non ita pridem Apoſtolis thura offerre cupiebant, in eos lapidibus irruunt. De Judæorum ſævitia vel hoc eſto judicium quod narratur in actis cap. 14. Hi ſunt eventus illi triſtes, quos Dei Filius ſpectabat, cum in parabola quadam dicebat, futurum ut Judæi accedere minime vellent; Judæos irruturos eſſe in ſervos Dei, & eos ſuppliciis, & contumeliis affectos eſſe occiſuros. In alia parabola graviſſimum illorum ſcelus Mundi Salvator indigitat, Patremfamilias poſtquam ad illos ingentem ſervorum numerum miſiſſet, noviſſimis temporibus miſiſ-

*Math. 21.*

ſe quoque Filium ſuum, ſecum hæc cogitantem: *Verebuntur filium meum.* Sed barbaros illos videntes filium dixiſſe: *Hic eſt hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem ejus.* Tot ſcelera ſceleribus congeſta Judæis conflarunt terribilem hanc damnationem, de qua loquitur in Evangelio. *Idem tomo 4.*

Exemplum S. Pauli pro Apoſtolicis viris quod præſtet Apoſtolum perfecte adimplere.

S. Paulus Apoſtolus in communibus fidelium cœtibus non eodem modo loquebatur, quo coram Judicibus Areopagi, & rege Agrippa. Sed quomodocunque loqueretur, ſemper in illo loquebatur Spiritus Sanctus. Vituperandi non ſunt omnes Apoſtolici viri, qui diſerte, atque eleganter ſenſus ſuos exprimunt, neque laudandi illi, qui omnem dicendi curam, ac ſtudium ſe negligere profitentur? Sunt qui inficete loqui non poſſunt, & homines cuperent, ut illi concionaturi, ſermonis elegantiam corrumperent. Sunt, qui nonniſi humili, ac pedeſtri oratione ſenſus ſuos valent exprimere, & æquum eſſet eorum vitium in virtutem traducere? Diſcrimen inter Evangelicum, & mundi Concionatorem eſt finis utriuſque; ſi enim eſt finis, qui habendus eſt, videlicet Dei gloria, & ſalus animarum, hic a ſermone ſuo amovebit quidquid ab hoc fine abhorret. Profecto curioſæ cogitationes, humanæ ſcientiæ acumina, fucus humanæ eloquentiæ, neque Deum glorificare poſſunt, neque erudire auditores. Hæc, ut loquitur Apoſtolus, infirmant, ac debilitant virtutem Crucis Jeſu Chriſti; non licent amplius modo, quæ olim licebant, cum Crux iſta prædicari incipiebat. Sacer Orator verborum elegantia nequaquam perſuadebit hominibus, ut illam amplectantur; natura abhorret, & ſi minus aures, cor ſaltem obſtruit. Sed Sanctus hic Apoſtolus inceſſanter quærens conditionem, ingenium, mentem auditorum ſuorum cognoſcere, ſe ſingulorum captui ſubmiſit. *Homilia De Godeau.*

Felicitas Apoſtolorum, qui a Deo miſſi ſunt.

Facile eſt cognoſcere quantæ felicitatis ſit a Deo mitti, & verbis illius omnibus hominibus pacem annuntiare. Si quid arcere poſſet homines a munere adeo ſublimi, id ſane fuiſſent omnes perſecutiones, quæ ad Apoſtolicum munus exhauriendum erant ſubeundæ. Sed Jeſus Chriſtus oſtendit, licet perſecutiones illæ deterrere debuiſſent, ne homines ſe penitus devoverent ſervitio fratrum ſuorum, eaſdem pati novum eſſe beatitudinis genus: *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Beatitudinis *Math. 5.* genus eſt pro Jeſu Chriſto pati. Magnæ illius curæ fuit hanc maximi momenti veritatem iterare Apoſtolis ſuis. Neceſſe erat, ut hoc illis alta mente repoſitum inhæreret, miniſterii ſui munia obeuntibus, ne periculis deterrerentur. Nunquam majori exultaverunt gaudio Apoſtoli, quam cum hominum furori patebant; illos enim Jeſu Chriſti verbum confortabat. Quomodonam conqueri potuiſſent, vel infelices ſe credere, cum Dei Filius illis declaraverat, ipſos beatos eſſe, quia pro juſtitia paſſi fuerant perſecutionem. *Idem.*

J. C. replevit Apoſtolos ſuo zelo.

Jeſus Chriſtus zelo plenus ſpiritum ſuum Apoſtolis ſuis communicavit, eoſque zelo replevit, ut ſtatus ſui muneribus rite perfungerentur. Zelus hic prorſus erat Apoſtolis neceſſarius; & ſane procul dubio maximus requirebatur zelus ad exequenda ea, quæ illi præceperat Jeſus Chriſtus. Apoſtolis prodeundum erat coram Regibus, ac Præſidibus provinciarum. Homines timidi, *Math. 10. 16.* ac zelo vacui conſilium ne inire potuiſſent enuntiandi Jeſu Chriſti fidem, cum omnibus in locis hæc fides impugnaretur, cum ad Evangelii miniſtros deterrendos teterrimæ adhibebantur minæ, & illi non aliam laborum ſuorum mercedem ſperare poterant, niſi graviſſima ſupplicia? Primum illud in Apoſtolis requirebatur, ut parati eſſent vitæ ſuæ exponendæ in ſingula momenta pro fratrum ſalute. Jeſus Chriſtus jam dixerat: *majorem charitatem nemo habet, quam ut ponat quis animam ſuam pro* *Joann. 15.* *amicis ſuis.* Ex quo Apoſtoli ſe ſe devoverunt Jeſu Chriſto, nihil illis antiquius erat, & jucundius, quam ut fratribus ſuis hoc argumentum amoris conferrent. Omnes homines facti ſunt eorum amici. Sed amici dilecti, amici, pro quibus ſi ſalutem impendere valeant, ſe beatos putant, præſertim vero cum agitur de iis, qui diliguntur, ab erroris via deducendis, eoſque in viam adducendis, quæ ducit ad Deum. *Lambert in vita Eccleſiaſtica tomo 2.*

Mirabilia quæ fecerūt Apoſtoli prædicantes Evangelii.

Dignatus eſt Jeſus Chriſtus ſibi in operis tanti ſocios homines eligere; quibus in ſocietatem admiſſis, ſignificavit, illos ad finem perducturos opus, quod ipſe inchoaverat, & in honorem ipſorum ceſſurum eſſe, annuntiare veritates, quas illis revelaverat. Dixit Apoſtolis ſuis: *Euntes prædicate.* Paruerunt Apoſtoli. Iverunt, & ubique Salvatoris Evangelium annuntiaverunt. In Apoſtolorum actis legimus, fideles ſimul congregari conſueviſſe, atque in cœtibus ſuis tempus terere ſolitos fuiſſe audiendo Apoſtolorum Doctrinam, ſumma cum pietate Domini corpore ſeſe reficiendo, & orando. Audiebant Apoſtolorum doctrinam, videlicet, doctrinam, quam a Jeſu Chriſto acceperant Apoſtoli; ac Apoſtolis curæ erat illis divinam hanc eſcam diſtribuere; & Apoſtoli eo majori cum labore prædicabant, quia doctrinæ ipſorum omnes adverſabantur. Verum eſt, eos a quibus habiti fuerant, tanquam inimici, ubi eis aures præbuiſſent, vi verbi eorum reſiſtere non potuiſſe, & factos fuiſſe eorum ferventiſſimos amatores. Sed ſæpe etiam repellebantur Apoſtoli; ac tenebantur parere verbo Do- *Math. 10. 14.* mini, & de oppidis exeuntes excutere pulverem pedum ſuorum, videntes, urbes illas in die Judicii ſeverius eſſe plectendas, quam Sodoma, & Gomorrha. Contradictiones nunquam retardarunt zelum Apoſtolorum. Quo magis impugnabantur, eo magis conabantur ut annuntiarent, & explicarent Evangelicas veritates. Munus hoc illis videbatur adeo gravis momenti, ut in hoc dies noctesque ſimul impenderent. In Apoſtolorum Actis legimus, cum Diſcipuli congregati erant, S. Paulum apud illos habuiſſe ſermonem quem uſque ad mediam noctem produxit; quod præbuit occaſionem inſigni miraculo, quod operatus eſt S. Paulus in gratiam adoleſcentis, cui vitam reſtituit in nomine, & auctoritate illius, cujus doctrinam prædicabat. *Idem.*

Apoſtolis inimicum erat omne genus humanum.

Putabant Ethnici ab Apoſtolis juges evomi blaſphemias, cum ab illis idololatrici cultus vanitas oſtendebatur. Judæi falſo rati Apoſtolos Legis ſuæ eſſe inimicos, merito ſibi vertebant, ſi eos inſectarentur. Imperatores, Principes, magiſtratus eos perſequebantur. Omnes illis obſtabant; circumundique nonniſi ſcopulos, præcipiteſque locos intuebantur; & ſatis aperte videbant in ſe terribile illud adimpleri vaticinium, quo illis prædixerat, futurum ut propter nomen ipſius ab omnibus in odio haberentur: *Odio eritis omnibus propter nomen meum. Lambert in anno Evangelico. Tomo 2.*

Quomodo S. Paulus Apoſtolus Evangelium prædicaverit & in Eccleſia Prædicatores efformaverit.

Sanctus hic unus fuit ex illis, qui Gentibus Evangelium prædicavit, qui in Eccleſia Evangelii præcones inſtituit, & qui illis divinam hanc tradidit artem, quæ dæmoniis animas eripit, eaſque Jeſu Chriſto lucratur. Hic Gentibus ineffabilia Chriſtianæ Religionis aperuit myſteria; hic timore, ac ſtupore perculſit Philoſophos, & Reges, eoſque coegit credere, vel admirari veritates Evangelii. Magnus hic Apoſtolus, qui licet divino illuſtratus eſſet lumine, tamen ignorabat, Gentes ad veritatis cognitionem evocatas fuiſſe, ad eos verba facere non

eſt curſus, niſi prius juſſu Filii Dei excitaretur. *In Panegyrico S. Pauli P. Senault. Tomo 2.*

*Quomodo Sanctus hic operarius navaverit infideles convertere.*

Si ingens, inſigniſque fuit prædicationis Apoſtoli noſtri ſucceſſus, hic illi multis quidem ſtetit curis, atque laboribus. Multorum annorum ſpatio minime ceſſavit, quo minus ex agro, quem colebat, ſpinas convelleret, illum plantaret, irrigaret, & uberem faceret. Quid autem in illo excolendo non pertulit? Integros abſumebat dies prædicando. Vix illi reliquum erat temporis momentum, quo corpus reficeret; refectio autem tanta erat, quanta vix naturæ ſatis eſſet. Quemadmodum fames illius erat ſalus animarum, cibus illius erat facere voluntatem Patris cæleſtis. Modo erudiebat infideles, modo gentes docebat, modo inviſebat ægrotantes, modo Sacerdotes efformabat, modo virgines hortabatur, modo baptizabat, modo manus imponebat, ut conferret Spiritum Sanctum, modo ſacris operabatur myſteriis, Noctem, quam feſſo reficiendo corpori impenderet, inſomnis tranſigebat in oratione, & contemplatione. A Deo petebat cum lacrymis robur, ac vires, quibus indigebat, ut miniſterii ſui laborem ſuſtineret. Coram ipſo omnem vitæ ſuæ rationem ad examen revocabat. Illi omnem gloriam referebat acceptam; eique gratias agebat maximas propter progreſſum, quem verbo ſuo referebat Evangelium. Cum vero de oratione ad contemplationem gradum faceret, quis fando explicere poteſt ſublimem cognitionem, quam Deus aperiebat illi magnalium ſuorum, ſuarumque veritatum? Hæc par erat amori Domini, e quo peramanter diligebatur, par magnitudini animæ ſuæ, quæ erat vas electionis, & par officio Doctoris Gentium, & Apoſtoli. *Elogium S. Pauli apud D. Godeau, in libro, qui inſcriptus eſt: Elogium Epiſcoporum.*

*Quo magis miniſtri Domini operam locant, ut ſerviant Deo, eo magis patent mundi perſecutionibus.*

Apoſtoli actu vacabant exequendis Domini ſui imperiis, cum furenti procella agitati fuerunt. Obedientia, & fides miniſtrorum Evangelicorum non ſemper illos a tempeſtatibus incolumes præſtat; immo nunquam magis mundi perſecutionibus patent, quam cum majori cum zelo, & conſtantia divinis operibus vacant. Felices tribulationes! contradictiones glorioſæ! quam longe præſtatis omnibus hominum plauſibus, atque favoribus? Nolite ergo nimis has reformidare procellas, breves ſunt, earum vim patienter ſuſtinete; nihil enim tandem evincere poſſunt, niſi ut vos in portum citius perducant. Jeſus Chriſtus oculos habet inhærentes vobis; novit ille quid vos patimini, & quam ob cauſam patiamini. Inimici veſtri fruſtra ſuam intentionem, & odiorum ſuorum cauſam diſſimulant. Deus novit utrumque, hoc vobis ſufficiat, eorum violentiæ erit aliquando eorum quidem opprobrium, veſtra autem gloria. Suſtinete vosmet ſaltem diebus his tenebrarum per humilitatem, patientiam, & [illegible]; cætera Deo permittite. *Ex morali Novi Teſtamenti P. la Neuville tomo 4.*

*Apoſtolicis viris receſſus amandus eſt.*

Jeſus Chriſtus abſolutiſſimum Paſtorum exemplar, cognoſcit diſcipulorum ſuorum neceſſitates, aptat viribus eorum labores; rationem habet infirmitatis eorum, illis quietem procurat, & conſolatur Apoſtolatus eorum labores, ſolitudinis jucunditate. Licet exteriores Apoſtolicorum virorum occupationes efferant ſanctitatem, tamen neque nimis producendæ ſunt, neque ad exceſſum uſque perferendæ. Nimis prolixum, & frequens commercium cum filiis ſæculi, ut plurimum periculoſum eſt filiis lucis; ut zelum ſuum foveant, & alant, ſæpe ad Salvatorem redeundum eſt, ut ſubinde illum excitent, atque rurſus inflamment. Oratio, meditatio, ſui ipſius collectio, ſilentium ſunt divini hujus ignis nutrimenta: quæ ſi deſint, periculum eſt, ut ignis ille repeſcat, & extinguatur. *Vita activa* utilis eſt proximo; *Vita contemplativa* nobis met eſt neceſſaria. Ad ſalutem fratrum noſtrorum cooperemur, ſed vacemus etiam propriæ perfectioni. Hic veræ charitatis eſt ordo; hunc negligere, ut aliam ſequamur regulam, non eſt amplius zelus, ingenium eſt, temperamentum, amor proprius, qui ſuapte natura magnæ lucis nitorem præfert caligini ſolitudinis. Si vultis eſſe perfecti, & Apoſtolos imitari, ſcitote Marthæ actionem cum Magdalenæ contemplatione conjungere. *Idem tomo 3.*

*Neceſſe non eſt ſemper Apoſtolicum ſemper cum Hominibus verſari, ſæpe lucratur ſuis melius prodeſt ſolitudine, quam concionibus.*

Neceſſe non eſt ad hoc ut hominibus proſis, te ſemper cum hominibus verſari. Vir Apoſtolicus magis prodeſt fratribus in allocutionibus ſuis cum Deo, quam documentis, vel patheticis concionibus ſuis. Moyſes populo Dei magis profuit orando, quam per ſe bella gerendo. Tempus, quod impendimus, ut ita dicam agentes cum Deo facie ad faciem, neſcio quem imprimit characterem gloriæ, atque ſanctitatis, qui allicit homines, eoſque reddit & obſequentiores, & dociliores. Nunquam melius, utiliuſque de Deo ſermo habetur, quam cum ipſe auditus fuit loquens in ſolitudine, ergo in deſerto Prophetas, atque Apoſtolos finxit. Da nobis Domine pennas columbæ, ut evolemus tecum, & requiem capiamus in Montibus ſanctis, ubi oblectaris communicare te miniſtris tuis, illis loquens ad cor. O requies ſuavis! O ſancta ſolitudo! quot, & quantis ſpoliis illecebris in anima, quæ te cognoſcit. Quam libenter relinquitur Ægyptus ab iis, qui ſemel deſertı manna guſtaverunt. *P. la Neuville in libro, qui inſcribitur: Moralis novi Teſtamenti tomo 3.*

*Quanta in Apoſtolicis viris neceſſitas requiratur.*

Nihil ſubtilius quam ſuperbia, quam vanagloria, quam amor proprius: hæc vitia, quæ fere percipi nequeunt, ſine ſenſu obrepunt in cor Diſcipulorum, & ſub oculis Jeſu Chriſti. Sacer Character, quo miniſtri Evangelici præditi ſunt; ſublimis gloriæ vertex ad quem in Eccleſia ſublati ſunt; auctoritas, & poteſtas, quam acceperunt e Deo, niſi rite invigilaverint iis, quæ corde ipſorum aguntur, & tranſiguntur, ſæpe nimis uſuvenit, ut pereant per ea, quæ ſecundum Dei conſilia nobis prodeſſe deberent, ut noſmetipſos ſalvaremus aliorum ſalutem quærentes. Igitur vobiſmet ipſis invigilate, ſemper diffidite, nunquam ſatis intelligetis quam ſubdolus, calliduſque ſit amor proprius. Quantumvis optime vertant conatus veſtri; quantumvis niteant ſucceſſus conſiliorum veſtrorum, quantumvis ſancte videantur opera veſtra, mementote non *brachium veſtrum*, ſed virtutem Nominis Chriſti Jeſu operari in vobis; ideoque uni illi acceptam referendam eſſe omnem gloriam, quin vel minimam illius partem in voſmet detorqueatis. *Idem.*

*Quantum profuerit Apoſtolis vidiſſe Salvatorem & admiſſos fuiſſe in illius ſocietatem.*

Felices Apoſtoli, felices Diſcipuli, qui adeo glorioſe, ſed ſatis prælati fuiſtis maximis Prophetis, ſanctiſſimiſque regibus ex domo Juda! Vos intuiti eſtis Redemptorem Iſrael, quem tandiu videre illi concupierant. Vos arctam cum illo iniiſtis neceſſitudinem, ejus veſtigia legiſtis, illum tanquam exemplar ſecuti eſtis, audiſtis ſacra increatæ Sapientiæ oracula; Verbum illius auribus excepiſtis, & placita illius in praxim redegiſtis, En quid vos extulit quodammodo ſupra Jeremias, Danieles, Davides, Joſaphet. Verum, quis vetat, Domine, ne & ipſi iiſdem glorıemur prærogativis, & eandem gloriam aſſequamur? Nos, quos naſci juſſiſti nunc temporis, quo tantum offers privilegium omnibus hominibus? Si hoc eſt eſſe beatum, vidiſſe te Jeſu, circumdatum infirmitatibus noſtris *per dies paſſibilis carnis tuæ*, quæ noſtra eſt beatitudo videre te hodierna die oculis fidei in ſplendoribus Sanctorum ſedentem a dextris Patris tui, applicantem nobis fructum Sanguinis tui, ac nutrientem nos immortali carne tua, & communicantem noſtræ eandem immortalitatem? Numquid unquam noſtram hanc felicitatem ſatis perpendimus? Numquid illius ſenſu afficimur? Num hinc gratias habemus? Num inde ſatis proficimus? *P. la Neuville in libro, qui inſcribitur: Moralis novi Teſtamenti tomo 3.*

*Effectus divinæ Providentiæ in eos, qui ſunt miniſtri Domini, ab omni cupiditate alieni.*

Dei Providentia, qui ſemper invigilat omnibus creaturarum ſuarum neceſſitatibus num deeſſe poteſt miniſtris fidelibus, qui ſibi gloriæ vertunt illi obedire, & nonniſi in promiſſionibus ejus confidere? Miniſter Evangelicus, qui alia ſibi aliunde quærit ſubſidia, nimia eum ſollicitudine, & anxietate metum ingerit, ne totum habeat ſtatus ſui ſpiritum. Quam rerum omnium abnegationem exigit Dei Filius a primis diſcipulis ſuis? Credimuſne ipſum aliquid minus expetere a nobis, qui in eorum miniſterium ſucceſſimus? Etſi character eſt idem, cur nos erimus diverſi? Juxta principium hoc, quod adeo ſolidum videtur, quoddam judicium ferendum eſt, a te Domine, de ea cupiditate, qua me vides quotidie quærere, non ea ſolum, quæ neceſſaria ſunt, verum etiam ſuperflua, & commoda, & ad victus elegantiam ſpectantia, & fortaſſe etiam magnifica, quæ filii ſæculi vix ſibimet audent permittere? Probas quidem Domine, ſi ex miniſterio meo victum meum ſumpſero, cætera vero ſevere interdicis; & minitatis te aliquando rationem expetiturum. Tuus igitur amor, vel timor juguiet in me cupiditatem iſtam, quæ ſeſe inter arctos cancellos, quos illi præſcribis, continere non patitur. *Idem.*

*Viro Apoſtolico non alia voluntas eſt, quã Domini ſui.*

Qui vere Miniſter eſt Apoſtolicus nullo habet in diſcrimine locum hunc, vel alium: quærit ſemper Domini voluntatem, neque propria illum agit voluntas. Cum Dei mandatum non ſatis illi manifeſtum eſt, humilitas ejus loquitur pro pauperibus, efficitque, ut vicos, & pagos obſcuriſſimos celeberrimis civitatibus præferat, quia meſſis ibi plerumque copioſior eſt, & fructus ſunt minus obnoxii verbis ſuperbiæ, & vanitatis. Domus maxime ſimplices, omnibuſque vitæ commoditatibus carentes, vulgo ſanctiſſimæ habentur, ideoque illæ, quæ Apoſtolis digniores ſunt, illæ ſunt, quas Jeſus Chriſtus deſtinat miniſtris ſuis, ubi illi conſtanter permanere debent, quin tædio afficiantur. Quantumvis ſolide ſit virtus Miſſionarii, non ideo ſatis probata fuit per omnia pericula, quæ ſæpe inveniuntur in domibus Principum, vel peccatorum. Tutius latet apud virum bonum, vel per pauperem. Humilitas, & mortificatio, quæ ibi exercetur, ſunt jam conciones eloquentiſſimæ, & efficaces. *Moralis novi Teſtamenti P. la Neuville. Tom. 3.*

*Eleemoſyna per amorem J. C. miniſtris ejus collata ſemper efficit locupletiores.*

Eleemoſyna quæcunque illa tandem ſit nunquam pauperes facit, quæ vero fit propter amorem J. C. ſemper efficit locupletes. Conſcientiæ pax, gaudium Spiritus Sancti comitantur quocunque Apoſtolos, ac in omnibus locis ſedem ſuam figunt, ubi nullum formalem obicem inveniunt. Domini Verbum explicitum eſt, qui recipit Diſcipulum, cooperatur operi illius, & accedit in partem mercedis ejuſdem. Miraculum peractum in gratiam viduæ Sareptanæ adhuc inſtauretur crebro in lege gratiæ. Quot benedictiones etiam temporales promerentur Miſſionarii precibus ſuis in domos, quæ ſunt eorum perfugium? Cæleſtium divitiarum ſequeſtres, non ne poterunt terræ bona procurare egenti familiæ, quæ in ipſa

pauper-

paupertate ſua eleemoſynam erogaret? Nunquam te liberalitate vinci ſinis, o Deus! reddis centuplum in hoc etiam mundo, eorum quæ in nomine tuo erogantur. *Idem*.

Quomodo fideles eſſe valeant participes meritorum & mercedis Apoſtolorum.

Non omnes Apoſtoli ſunt, neque Domini Prophetæ, S. Paulus ait; poſſunt tamen omnes participes fieri meritorum, atque mercedis Apoſtolorum, atque Prophetarum. Quo pacto? Illis opem ferendo eleemoſynis, illos auctoritate fulciendo, illos exiſtimatione ſua protegendo, laboribus eorum compatiendo, illos in tribulationibus conſolando, conſtanter cum illis, & pro illis preces offerendo. Per hæc opera miſericordiæ Laicus ſæpe eum Sacerdotio ſe conſociatum nanciſcitur per interiorem ſecretamque unctionem, quæ illum reddit æque acceptum in oculis Dei, atque laborioſiſſimum, frugiferumque miniſtrum. Heu! ſi intelligere velimus quouſque pergat meritum Chriſtiani aliqua ex parte aliquid conferentis ad inſtitutionem Regni Dei, ad converſionem animæ unius, quanta feſtinatione conaremur conferre aliquid ad opus ita glorioſum, & ſanctum. Heu! Opes, quæ in noſtrum cedunt exitium, ſæpe ſufficerent ad integras Provincias Domino lucrandas. Quod intra anni unius ſpatium in alea, & ſpectaculis inſumis, utilius inſumeretur, facerentque te Apoſtolum immenſi infidelium, vel peccatorum numeri. Converſio illorum tuam confirmaret; & fortaſſe conſummaret opus tuæ prædeſtinationis ad gloriam. *Moralis Novi Teſtamenti P. la Neuville, tomo 3.*

Si viri Apoſtolici non ſatagit ſe ſe identidem colligere, & ad preces ſe conferre, periculum adeunt, ut ſe ipſos perdant.

In Evangelio nihil eſt inutile, omnia ibi erudiunt, omnia ædificant animam attentam, ſcientem legere illud ſecundum ſpiritum, quo ſcriptum fuit. Quot utilia argumenta in ſola circumſtantia de Apoſtolis poſt miſſionem redeuntibus! Se ſe congregant apud Jeſum. Licet opera Charitatis, & Zeli per ſe ſancta ſint, ſemper metuendum eſt tamen, ne, ſi diligens habeatur cura, nimis diſſipent, & imminuant aliquando ſenſibilis pietatis unctionem. Ad hunc ſcopulum evitandum ſemper invigilemus ſpiritui, & cordi noſtro; ne ſinamus unquam trahi impetu naturæ noſtræ. Labores, ſtudium, occupationes vitæ activæ nos licet invitos diſtrahunt. Curæ igitur ſit nobis, ut identidem interpellemus per Orationem exteriores noſtri miniſterii exercitationes; ne avertamus unquam, ſi fieri poteſt, oculos ab intuitu divini Inſtitutoris noſtri, qui nos applicat operi; interior illius præſentia nos fulciet inter labores, & nos confirmabit. Redeamus ſæpe ad Jeſu Chriſti pedes noſtras reparaturi vires, eumque in rebus ambiguis conſulturi, opem impetraturi, noſtrum fervorem ſervaturi, vel excitaturi, ſi quando per negligentiam, vel infirmitatem noſtram tepeſceret. *Idem*.

Ratio ab Apoſtolis reddenda Deo de omnibus iis, quæ acciderint in ipſorum miſſione.

Apoſtoli accurate, ac prolixe narraverunt Salvatori omnia, quæ illis in Apoſtolica ſua excurſione contigerant. Hoc exemplar eſt Miniſtrorum Evangelii, eorumque omnium, qui extrinſecus operam locant, ut proximo opitulentur. Reddite rationem Jeſu Chriſto: videlicet 1. Coram illo ad examen vocate, utrum ratio, quæ vos ad agendum impulit, pura fuerit, & intentio recta: utrum lapſi fueritis ob nimiam feſtinationem, an ob nimiam cunctationem: utrum omnis ratio noſtra æque fuerit cum *ſerpentis prudentia*, & *columbæ ſimplicitate* conjuncta. 2. Deo uni acceptam referte gloriam ſucceſſus, quem ille tribuit laboribus veſtris, quin inde vobis aliquam particulam vindicetis. 3. Gemite coram illo propter cæcitatem, & infidelitatem populorum, qui repulerunt verbum ſalutis, vel qui inde perceperunt fructum, qui illis erat percipiendus. Talis character eſt ſervi prudentis, atque fidelis, cui commiſit Dominus curam familiæ ſuæ. Eſt fidelitas, zelus, ſapientia muneri huic adeo ſancto, atque ſanctificanti neceſſaria? Pete ergo has virtutes a Patre luminum: labora cum auxilio gratiæ ſuæ ut illas acquiras, & ne ingeras te ſacris miniſteriis, niſi poſtquam illas acquiſiveris; alioquin multa peccabis, & exiguum referes fructum. *Moralis Novi Teſtamenti Patris la Neuville. Tomo 3.*

Diſcipulus Jeſu Chriſti gloriari non debet de talentis, quæ a Domino accepit.

Quam male cognoſcit Jeſu Chriſti Diſcipulus Magiſtri ſui characterem! Quam parum aſſequitur ſpiritum vocationis ſuæ, ubi gaudium ſuum conſtituit in exteriori gloria, quæ nonnunquam illius laborem ſubſequitur. Si animum adjungeret ad Dei conſilia intelligenda, inveniret ſæpe in glorioſiſſimis muneribus ſuis, plura pudoris, quam gloriæ argumenta. Benedictio, quam ſuper labores veſtros effundere Domino placuit, minus ad vos, quam ad proximum veſtrum ſpectat. Igitur vani eſtis ineptique, ſi gloriamini de bono, cujus adeo modica pars ad vos pertinet; ſed licet ad vos maxime pertineret, num æquum eſt, ut occupet cor, quod de Deo tantum replendum eſt? Infirma eventuum præclariſſimorum inſtrumenta, quid in illis invenitis, quod vobis ſit proprium, & de quo jure gloriari valeatis? Quæ perſonis veſtris inhærent animi dotes, ingenium, eloquentia, quæ in vobis eſt, veſtra non ſunt; & nimis vobis periculoſum eſt oculos conjicere in hæc naturalia talenta; num potiori jure licebit vobis intueri gratias ſupernaturales, & mere gratuitas, quas Spiritus Sanctus vobis largitus eſt tanquam bonum alienum, quod unice ceſſurum eſt in fratrum veſtrorum utilitatem? Igitur te ipſum conſidera tanquam œconomum; fidelis eſto in harum divitiarum diſpenſatione; neque adeo inſipiens eſto, ut te inflet theſaurorum magnitudo, quorum nihil habes niſi adminiſtrationem. *Idem*.

Progreſſus quam brevi tetulit N. in domo Domini.

Sanctus N. exiguum ſane temporis ſpatium tranſegit in domo Domini, & repletus fuit ſpiritu Apoſtolico. Heu! quot annos vivis, ut ita dicam, familiariter cum Domino, domi ipſius, ubi tam crebro refectus fuiſti carnibus ejus, quin adhuc potueris ſpiritu ejuſdem animari? Quid ille produxit in te atque in fratribus tuis? Si ſtatus tuus non patitur, ut in exterioribus Apoſtolatus muneribus te exerceas, Sanctæ Thereſiæ exemplo debes ſaltem te in ſpiritu ſocium addicere Miniſtris Apoſtolicis, illis precibus tuis afferre ſuppetias, de illorum ſucceſſu lætari, in partem accedere laborum ſuorum, miſereri peccatorum, cupere ut Jeſus Chriſtus illos tangat, & illuminet, hoc ſæpe ab eodem in commune deprecari, & ad hoc facilius impetrandum exercere preces, ac mortificationes. Charitas ingenioſa eſt in adinveniendis viis, per quas procuremus gloriam ejus, quem diligimus. *Moralis Novi Teſtamenti Patris la Neuville, tomo 1.*

Jeſus Chriſtus excuſabat Apoſtolos ſuos qui una ſecum aliquando cōvivis intererant. Ad Philipp. 4. 12.

Jeſus Chriſtus excuſavit factum Apoſtolorum, qui cum ipſo, & ad ejus imperium mundanorum conviviis intererant; volebat enim ex eo tempore tradere illis ſapiens illud placitum, quod Sanctus Paulus exercere callebat, & quod explicite docuit primos fideles, quos ad Evangelii vitam informare ſtudebat. *Scio*, dicebat illis, *Scio & humiliari, ſcio & abundare, & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Talis erat vita, & diſpoſitio Apoſtoli, & ita nos quoque affecti eſſe debemus. Nobis erit ſecundum ordinem Providentiæ modo bene, modo male; hodie in honore, cras in contumelia; hodie nobis plaudent, cras in nos ingerent injurias. Aſſueſcamus benedicere Deo de omnibus, & omnia ab illius manu recipere, omnia indiſcriminatim, quin proſperis rebus inflemus, quin vinci ſinamus adverſis; ſi ſolidi fuerimus amici Sponſi, æque modeſti erimus in gloria, ac in ignominia generoſi. *Ibidem*.

# PRO COMMUNI MARTYRUM.

## MONITUM.

*CUM in Chriſtiana Religione maximus Charitatis actus ſit Martyrium, Salvatoris ipſius teſtimonio, Eccleſiæ cordi fuit colere memoriam illorum, qui vitam ſuam, ſanguinemque effuderunt, ut fidem propugnarent, ejuſque veritatem aſſererent. Hinc enim antiquitus primis Eccleſiæ ſæculis Martyrum nomen illis inditum fuit, quaſi teſtibus Religionis illius, quam profitentur, neque alias quæſivit probationes, ut eos in Sanctorum album inferret ſolemni Apotheoſi, quam authenticam fidem; illos pro Jeſu Chriſto mortem oppetiiſſe. Unus hic Martyris titulus effecit, ut in eorum nomine Templa ædificarentur, feſti celebrarentur dies, pro Eccleſiarum Patronis aſſumerentur, & haberentur eorum locorum præſides, ubi paſſi fuiſſent. Vix urbs invenitur, quæ ſibi gloria non vertat aliquem peperiſſe, cujus celebritatem non proſequatur, potiſſimum vero virtutum ejuſdem prædicatione, & elogio.*

*Verum cum ſæpe numero contingat propter inſignem Martyrum multitudinem, quæ numerari non poteſt, ut ille, cujus laudes inſtituendæ ſunt, non ſatis agnoſcatur, & honoretur, niſi eo in loco, ubi ejus memoria colitur; immo etiam omnes lateant mortis ejuſdem circumſtantiæ, ex communi Martyrum petetur, unde repleri valeat ſermo; ſi late verba fiant de firmitate fidei, quæ ſupponenda eſt in Martyre, de operis magnitudine; de tormentis, quibus excruciatus fuit, de promiſſionibus, vel minis ad deterrendam illius conſtantiam adhibitis, quod eſt veritati conſentaneum. In hac ipſa nos ipſi curam noſtram extendimus in hoc pro communi Martyrum ſupplemento.*

---

## PRO COMMUNI MARTYRUM.

Admirabiles effectus Chriſtianæ fortitudinis in martyrio.

MUndus duplici armorum genere, S. Auguſtinus ait, aggreditur Martyres J. C. modo illecebras adhibet ut fallat, modo minas intentat ut eorum labefactet conſtantiam, nos autem ſemper victoriam referemus, dummodo ita ignavi non ſimus, ut velimus eſſe noſtrarum voluptatum mancipia; neque ita timidi, ut alienæ cedamus crudelitati. Uterque fortitudinis effectus eſt: generoſa hæc virtus de malis omnibus, quæ homines maxime reformidant, refert triumphum. Amat periculum; contendit ad Martyrium; non reſpicit quod patitur, ſed quod lucratur; non curat qua iter ingrediatur, dummodo ad finem perveniat, ac tantum abeſt, quod tormenta ſint terroris objectum illis, ut partem etiam coronæ ipſorum conſtituant. Jeſu Chriſti hæredes non timent ſupplicia; his etiam recreantur. Mors illis eſt præcox reſurrectio; ſupplicia vero ſunt flores, qui gloriæ fructus pollicentur: *Non terrent crucifixi hæredes mortis ſupplicia, ſed paſcunt, & reficiunt maturatæ reſurrectionis latabundo ſolemnia.* Contemptus, in quo habent Sancti omnes vitæ voluptates, non eſt illis minus glorioſus, quam ille paſſionum, & mortis. Triumphant de doloribus mortis illos ſuperando, & de deliciis fugiendo. Primus eorum motus eſt ad Crucem confugere; occurrere morti; illam citra formidinem intueri, & ferre cum gaudio. *P. Nover de S. Vincentio.*

S. Cyprian.

Quæ res continuat timor, animum, ac mortem Martyrum.

Ut aliquis Martyr fiat, huic ſufferendum, huic moriendum eſt, & pro cauſa bona ſufferendum, atque moriendum. Audacia efficat ut ſufferat, metus ut moriatur. Amor Jeſu Chriſti facit, ut pro bona cauſa ferat, & moriatur. *Ab ipſo enim patientia mea.* Ecce nervus fortitudinis illius, ecce robur, quod ſpiritum ejus ſuſtinet, ecce ſpiritus, quo animatur ſpiritus illius, ſecundum Oraculum Auraicani Concilii: *Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Chriſtianorum Dei Charitas facit.* Jucundum eſt pro Deo pati, ſed hæc eſt miraculoſa jucunditas, quæ ad unum pertinet Deum, de quo inquit Scriptura, *Saturatum opprobriis* fuiſſe, & opprobria ſibi in exquiſitiſſimas dapes convertiſſe: & ad cæleſtes homines, qui Spiritus ejuſdem viribus animati, ad ſupplicia, & tormenta, tamquam ad quietis ſuæ centrum feruntur. *Idem.*

Pſalm. 61.

Canon. 17.

Rationes, quibus utebatur dæmon, ut ipſam ab incunabulis Eccleſiam jugularent, profuerunt ut mirum in modum proficeret.

Sancti Martyres moriendo, divinæ pro ſe ipſis juſtitiæ ſatisfecerunt, ſimulque per fluxa tormenta ſibi immortale gloriæ pondus adepti ſunt. Sed præter privatam utilitatem, quam ex paſſionibus ſuis perceperunt, effecit Deus, ut inde generale Eccleſiæ ſuæ bonum exiſteret; quippe latius Chriſtianæ Religionis fines prolati fuerunt, ejuſque progreſſus incrementum habuere: nihil enim magis profuit ad Chriſtianorum numerum augendum, quam Martyrum ſanguis. Qua in re Dei Providentiam admirari oportet, quæ uſa eſt iis obicibus, quos dæmon ſanctiſſimis ejuſdem conſiliis objecit, ut celerius illa adimpleret. Infernus Tyrannorum excitat rabiem, ut vagientem in incunabulis Eccleſiam jugulet; ſed illa eo magis confirmatur, & augetur, quo magis furit perſecutio, quia numerus Martyrum in Eccleſia auget præclara veritatis illius teſtimonia; quia quicumque moriuntur pro fide tuenda, hanc efficientius prædicant ſanguinis ſui voce, quam verbis. *Ex Specimine Panegyricorum.*

St Martyres ſunt fidei & Chriſtianæ Religionis inſtitutores.

Præſtantiſſima qualitas, quæ ſit in Eccleſia, qualitas eſt Martyris: hæc ſimul eſt actus fidei, fortitudinis, & charitatis, & cum Sancto Cypriano dicere poſſumus, titulum Martyris quodammodo Apoſtoli titulo eſſe præferendum. Ratio autem, quam Sanctus hic Pater affert, hæc eſt; in Chriſtiana fide nihil majus inveniri Charitate, atque actum virtutis hujus præſtantiſſimum eſſe Martyrium, juxta illud Salvatoris: *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Idem Sanctus Pater Martyres appellat Principes fidei, & Chriſtianæ Religionis Inſtitutores; quapropter Tertullianus dixit Eccleſiam, *quæ perſecutionibus crevit*, filiorum ſuorum *Martyriis fuiſſe coronatam.* Glorioſa hæc corona, quam a Sponſo ſuo recepit Eccleſia, illis defutura non erat, a quibus erat fundata, videlicet Sanctis Apoſtolis, ac potiſſimum capiti eorum, ſuper quo Mundi Salvator illam ædificaverat: & ſicuti munus præcipuum Apoſtolatus erat perhibere teſtimonium divinitati Jeſu Chriſti, & veritati Evangelii; illi ſatis digne miniſterium ſuum obire non potuiſſent, niſi per ſanguinis ſui effuſionem perhibuiſſent maxime authenticum fidei ſuæ teſtimonium, & niſi præbuiſſent præclariſſimum ſuæ charitatis, & perfectæ ſimilitudinis ſuæ cum Dei Filio documentum? Quod ſi dilectus Diſcipulus vitæ ſuæ finem martyrio non fecit, in cauſa eſt, quod cum affuerit morti Salvatoris, ſatis ſuperque paſſus fuerat ad pedes Crucis in Calvario. *Ex Specimine Panegyricorum.*

1. Joan. 15. 13.

Cum Martyr patitur, non pro ſe tantum patitur, ſed etiam pro fratribus ſuis: martyrium quidem martyrii coronam promeretur, nobiſque inſigne relinquit exemplum videntibus illum pro fide propugnanda ferentem. Diſcimus credere in Jeſum Chriſtum, & noſmet dignos reddere vita æterna per fluxa hæc tormenta, & nihil vereri mortem, quæ certam facit noſtram felicitatem. Fateamur igitur auctores, quid debeamus Sancto huic Martyri. Sanctus hic morti ſe tradidit, ut a morte peccatores liberaret. Hic fuit carnificum victima, ne nos præda heremus dæmonum; & vita æque ac mors illius nobis ſalutares fuerunt. Martyres poſt mortem ſuam eandem ſervant poteſtatem, qua viventes pollebant. Ejiciunt dæmones, omnes tyrannidis eorum conatus Jeſu Chriſti virtute propellunt. Etenim Spiritus Sancti gratia, quæ illos viventes animabat adhærens ſacris eorum Lypſanis eadem ſemper miracula operabatur; & quia Jeſum Chriſtum confeſſi ſunt coram hominibus invicta conſtantia, Deus illos dignatur gloria immortali coram Angelis. Quemadmodum milites confidenter alloquuntur Principem oſtentantes illi vulnera, quibus confoſſi fuerunt in præliis, Martyres manibus ſuis tenentes laniata membra, & amputata capita, eaque offerentes oculis Dei, jus habent ad ea obtinenda, quæ petunt. Itaque cum zelo accedamus ad inſignis hujus Sancti ſepulchrum, ut cum ſacras ejus exuvias venerati fuerimus, & ſacra martyrii ipſius monumenta, poſſimus in partem accedere gloriæ ipſius, & referre theſauros gratiæ, quos ipſorum miniſterio diſpenſat. *Specimen Panegyricorum tom. 2.*

Martyres non pro ſe tantum, ſed etiam pro nobis patiuntur.

Non deeſt voluptas quædam in iis, qui patiuntur propter Deum; ſed voluptas hæc eſt miraculoſa, quæ ad unum pertinet Jeſum Chriſtum, de quo Sancta Scriptura teſtatur, illius ſuaviſſimas epulas opprobria extitiſſe; *ſaturabitur opprobriis*, & ad cæleſtes hos homines, qui animati vi ſpiritus ejus currunt ad cruciatus, atque ſupplicia tamquam ad centrum ſuæ felicitatis. Deus qui propter eſſentiæ ſuæ eminentiam pati non poteſt, permanens in ſingularitate naturæ ſuæ, agere poteſt cum tota ſua omnipotentia; ſed nequit pati. Ejus beatitudo ita longe abeſt a dolore, ut quidquid efficere poteſt, ut dolori aditum præbeat, totum in eo poſitum ſit, ut permittat ejus aſpe-

Neſcio quid divinum eſt & miraculoſum libenter pati propter Deum.

aſpectum oculis ſuis, & cordi ſuo oblectationem. Homo e contra nihilum eſt indutum impotentia, & infirmitate, pati quidem poteſt, ſed patiendi voluptatem guſtare non poteſt. Cor illius nonniſi amaritudinem invenit, cumque de rebus judicium ferre teneatur ſecundum ſenſum, quem habet, naturali ratione ſibi perſuadere non poteſt, corpus ſuum bene ſe habere in equuleo, quaſi in floribus cubaret; ferreas ungulas, quibus lancinatur, illum palpare; dentes leonum, a quibus voratur, ſibi blandiri, vel ipſum in cruce confixum adeo ſuaviter ac in molli culcitra, penna ſuffultum quieſcere. S. Petrus erat caput Apoſtolorum, primus teſtis divinitatis Chriſti Jeſu, ferventiſſimus diſcipulorum illius, & non ideo tamen poterat ſemper guſtare Crucis ignominiam. Zelus illius adhuc nimis cæcus, ut illius cognoſceret pulchritudinem perterritus fuit, ubi primum de eadem incidit ſermo; ſed cupiens abſterrere Dominum ſuum a conſilio ita glorioſo, illum offendit, & ab eo retulit

*Matth. 16.* reſponſum ſeveritate plenum. *Vade retro, Satana, non ſapis ea quæ Dei ſunt.* Quamobrem dico, ut quis patiatur, ſatis eſt hominem eſſe, ſed ut patiendi voluptatem guſtet, requiri, ut aliquid ſit ſuper hominem, & habeat cor divinum. Patientiæ exercitium humanum eſt, patientiæ vero guſtus divinus eſt.

*Qui multum amat, gaudet pati multum pro objecto quod amat.*

Pati, infirmitas eſt naturæ communis; ſed cum voluptate pati miraculum eſt fortitudinis, cujus omnis gloris accepta referenda eſt amori Jeſu Chriſti. Amor, S. Chryſoſtomus ait, principium eſt omnis fortitudinis noſtræ. Nihil durum amanti; nihil illi videtur moleſtum, nihil difficile, nihil mortale. Provocat pericula, mortem contemnit, ſuperat omnia. Hujuſmodi erat Sancti noſtri character, quem non ſine peculiari conſilio videtur elegiſſe Deus, ut oſtenderet, quouſque pervenire poſſet vis Chriſtianæ fortitudinis, nihil niſi J. C. gloriam appetentis. Hic vir erat admirabilis natus ut pateretur & moreretur, cum alii naſcantur, ut vitæ bonis perfruantur. Ex hominibus alii voluptatibus paſcuntur, alii gloria, alii ſpe, ac deſideriis. Sanctus N. doloribus, ac Martyriis paſcebatur. Paſſio unicum erat objectum votorum ejus, ſcopus ambitionis, fons gaudiorum, & quod in Sancto hoc ſingulare eſt, cauſa fortitudinis ipſius, quæ illum fovebat per ea, quæ alios deſtruere conſueverunt. *Vita Jeſu P. Nouet.*

*Sanctus hic a teneris unguiculis flagrabat deſiderio martyrium ſubeundi.*

Invictæ hujus fortitudinis, quæ Sancti hujus noſtri conſtantiam roborabat, argumentum extremum eſt patiendi deſiderium, quod Jeſu Chriſti amor afflaverat illi ab extrema pueritia, & qui jugibus crevit progreſſibus toto vitæ ejuſdem curriculo. Sapientiæ eſt eminus proſpicere mala, quæ nobis poſſunt ingruere, & hac prævisione illis novitatem adimere, quæ ut plurimum fallit eos, qui ad illa parati non ſunt. Conſilium hoc generatim omnibus utile eſt, ut ſeſe præparent contra dolorem, & ſpiritui ſuo id roboris tribuant, quo nullis labefactari poſſit infortuniis. Sed hæc optare, & petere a Deo, cruciatibus, ac morti occurrere, eam nondum accedentem arceſſere, ei manus tendere, eam tarditatis inſimulare, verbis prævertere, ejuſque imaginem in mente inſculptam geſtare, tanquam ſuaviſſimum objectum; hæc non communis eſt virtus; immo extremus eſt heroicæ virtutis conatus, quem nihil gignere poteſt. Pluribus deficeret cor, ſi temere ſeſe hujuſmodi conſiliis immiſcerent, & in diſcrimen adducerentur pereundi propter ſimplicem ejus mali timorem, cujus pondere re ipſa nunquam fortaſſe obruentur. Infirmis animabus ſatis eſt citra murmur ſuſtinere tribulationes, quas illis immittit Deus, eaſque de illius manu recipere, atque intueri tanquam remedia, quæ epotamus, non quidem, quia nobis ſapiunt, ſed quia nobis ſunt neceſſaria. *Ex vita Jeſu Patris Nouet.*

*Propter hoc Sanctus N. laudem meretur peculiarem.*

Laus hæc omnibus debetur Martyribus, qui ſanguinis ſui magis, quam verborum fuerunt prodigi; ſed pauci invenientur, qui æquiori jure eam mereantur, quam Sanctus N. quo nemo unquam generoſius ſubiit Martyrium. Nemo unquam liberius locutus eſt. Pertinax, ut ita dicam, certamen erat inter Tyrannorum furorem, & patientiam Sancti N. alterum quidem, ut nanciſceretur, alter vero ut ſæviſſima quæque tormenta pateretur: ſed cum nihil invictam Martyris conſtantiam proſternere poſſet, nihil ejus poterat captivare libertatem. Licet in illum expediretur fames, ignis, ferrum, equulei; Tyranno inſultabat, eique exprobrabat ignaviam, non minus glorioſum exiſtimans illius ſuperbiam infringere, quam delaſſare ſævitiam.

*Prudentius.*

*Ridebat hæc miles Dei.*
*Manus cruentas increpans*
*Quod fixa non profundius*
*Intraret artus ungula.*

Chriſtianus inquit Poeta. Job conqueſtus de ſuarum paſſionum exceſſu, dicebat: *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt.* Sed e contra de Sancto N. (*Job 6.*) dicere poſſumus hunc utriuſque ſimul & marmoris, & æris duritiem, ac robur habuiſſe. Tanta firmitate perferebat, ac ſi marmoreus fuiſſet; & inter tormenta ſua divinis perſonabat laudibus tanto clamore, quanto ſi æneus fuiſſet. Qui hinc quidem vidiſſet ſævitiam cruciatuum in laniena illius, & hinc conſtantiam, quam verbis ſuis teſtabatur, credidiſſet, Sanctus Auguſtinus ait, duos eſſe homines in uno homine, alterum quidem loquentem, alterum patientem. Et ſane ita erat; patiebatur enim ſecundum carnem, & loquebatur ſecundum ſpiritum. Fallor. Non Sanctus N. ſed Jeſus Chriſtus, & loquebatur, & patiebatur. Cum loquendum eſt in cauſa Dei, nemo de ingenii ſui viribus præſumere poteſt, & cum patiendum eſt, nemo in robore ſuo præfidere debet; quia ad annuntianda Dei mirabilia ſatis eſt habere hominis prudentiam, ſed ad perferendas hominis infirmitates neceſſe eſt habere patientiam Dei. Ergo Dei Filius regit mentem illius, & carnis ſuſtinet infirmitatem, ille verba inſpirat, & vires ſuppeditat, & ut Sanctus hic Pater ait, cognoſcendus eſt Deus patiens in creatura ſua; nunquam enim humanum cor, quod non eſt aliud, quam pulvis, ſuſtinere poſſet impetus adeo violentos, quibus extrinſecus oppugnatur, niſi Jeſus Chriſtus ad opem eidem ferendam in eo intrinſecus habitaret. *Quando enim corruptibilis pulvis contra tam immania tormenta duraret; niſi in eo Dominus habitaret? Ex vita Jeſu P. Nouet.*

*Miracula quæ operatus eſt Deus, ut leniret Martyrum tormenta.*

Sæpe liberat Deus Martyres ſuos a cruciatibus iis adminiculis, quæ omnes naturæ vires excedunt; veluti cum placat furorem leonum, qui ad eos demulcendos accedunt, quin illis noceant; vel cum ignis vim prohibet, qui eos circumlambere videtur, ut eos lucis veſtimento circumdet, & capiti eorum gloriæ coronam imponat. Si minus eos omnibus eximit tormentis, quibus afficiuntur, ſæpe omnem illis aufert eorum ſenſum, & adeo ſuavibus deliciis cor cumulat, ut omnes corporis dolores feliciter in mentis voluptatibus ſubmergantur. Denique ſi minus omnem adimit ſenſum, ſemper illis mirifice recentes vires adauget, ut vincant: & ſi corpora eorum vinci ſinit ſub ſuppliciorum magnitudine, ſimul efficit, ut ſpiritus ſe attollat per conſtantiæ ſuæ magnitudinem. Alterum quidem vincitur, alter vero victor eſt: alterum cedit vi tormentorum, alter de carnificum crudelitate triumphat. Fingite vobis Martyrem in prælio donec illius corpus lancinatur, & viſcera ipſa ferro torquentur: oculo conſtanti, ac interrito videt ſanguinis ſui rivos ex vulneribus ſuis effluentes. Ubinam tunc temporis eſt anima victoris hujus athletæ? In tuto eſt; eſt in viſceribus J. C. cujus vulnera ad illam excipiendam ſemper patent. Inde provocat Tyrannos, inde carnificum rabiem ſibi vertit in ludibrium, inde ſpectatoribus ſtuporem injicit. Si enim hæreret adhuc corpori ſuo; ſi aliquo affectu ſibimetipſi inhæreret, næ illa quidem careret ſenſu dolorum ſuorum, ignis vim ſentiret, nec inconcuſſa, & conſtans permaneret in fide. *Idem.*

*Duplex Martyrum genus, eorum, qui patiuntur & moriuntur pro fide, & eorum qui patiuntur ſolum pro fide.*

Martyrium practicum, & actualis cruciatuum, & mortis pro tuenda fide perpeſſio, talis eſt pretioſiſſimus, qui peculiarem meretur lauream, & eximium dat Martyribus honoris gradum apud Jeſum Chriſtum. Primo quidem intuitu videtur Sanctus N. hujus gloriæ particeps non fuiſſe; neque etiam efflavit animam inter cruciatus ſibi paratos; ſed e contra ex illis egreſſus eſt vegetior, ac fortior quam fuerat ingreſſus: ſed animadvertendum eſt nos duplici ratione conſequi poſſe palmam martyrii; primum quidem patiendo & moriendo propter fidem; deinde vero propter fidem patiendo dumtaxat ea, quæ citra miraculum mortem poſſent afferre. Hoc autem pacto Sanctus N. hauſit calicem Domini, ac Martyrum lauream promeritus eſt, non moriendo quidem, ſed perferendo flagella, exilium, & carceres, quæ omnia pluries ei mortem valuiſſent inferre. *Idem.*

*Patientia, & ordium noſtri efficit, ut obtineamus ſalutem animæ noſtræ.*

In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras, videlicet, per patientiam ſalvabimini, quemadmodum peribitis, ſi nolueritis pati, & niſi conſtantes manſeritis in fide inter ſupplicia. Hoc alibi repetit Jeſus Chriſtus aliis uſus verbis. Qui ſeipſum odit in hoc mundo, ſeipſum ſervat in vitam æternam; nam invenire, lucrari, poſſidere, ſalvare animam ſuam eſt unum, & idem; & nemo invenit, ſalvatque ſe, niſi per patientiam perſeverantem, & firmam uſque ad vitæ finem manentem. Ad finem uſque extremum eundum eſt: labor omnis exhauriendus eſt, ſuperandi ſunt omnes inimici, ut mercedem, præmiumque feramus. Hæc patientia, & perſeverantia Martyres coronavit, in quorum ſolemnitatibus has legimus veritates, quæ non minus nobis, quam primis fidelibus diriguntur. Si enim deſunt nobis Judæi, atque Ethnici, qui nos ideo perſequantur, non ideo tamen deerunt nobis perſecutiones. Nonne ſunt hæc tempora nequitiæ, quibus fideles ſeſe mutuo oderunt, ac viciſſim homines alternis odiis produnt? Veritas invenit inimicos inter ipſos Chriſtifideles, qui eandem ſequi profitentur. Propter hanc quotidie ineunda erant certamina, ſeu ut illa propugnaretur, contra oppugnantes illam, ſeu ne illa desereretur, cum aſſeri minime poſſet, quin aliqua conflaretur calamitas. Quis non videt iniquitatem percrebuiſſe, & charitatem intepuiſſe? Si incidunt bella, peſtes, & fames, turbamur, petimus quidem finem horum malorum; ſed vitæ rationem nequaquam mutamus. In ipſo etiam Eccleſiæ ſinu ſuboriuntur pſeudoprophetæ, qui decipiunt plurimos cupientes mundi placita cum Evangelicis inſtitutis conſociare; & torrens conſuetudinis, atque exempli trahit ingentem numerum frigidorum Fidelium, qui nomine tenus chriſtiani ſunt,

ſed virtutem chriſtianorum non habent. Nos igitur eoſdem invenientes obices, quos Jeſus Chriſtus prædicabat Apoſtolis, nobiſmet applicemus monita, quæ tradidit illis, & conemur cum illis radices jacere in charitate, ut illos in ipſorum perſeverantia imitemur. *Tourneux in Anno Chriſtiano tomo 2.*

*Fides Martyribus conſtantiā inſpirat.*

Licet omnes Chriſtianæ virtutes ad Martyrem efficiendum conſpirent; fortitudo, & patientia illum excitent; prudentia, & ſapientia regant; ſpes alliciat, eumque coronet perſeverantia; mihi videtur fides illi animum immittere, & tantam ſibi vindicare partem in illius præliis, ac certaminibus, quantam ſimul reliquæ. Si enim Tertulliano credimus, fides contemnit omnis ſuppliciorum genera, quæ Tyrannorum ſævitia excogitavit ad fallendam Martyrum conſtantiam: *Fides famem non timet, contemnit enim propter Deum omne mortis genus.* Fides, S. Ambroſius ait, omnem gloriam ſuam collocat in intelligenda, & imitanda cruce Jeſu Chriſti. Eam cognoſcit meditando, & imitatur eam ſuſtinendo. Fides Chriſtianum crucifigit, ut perfectum efficiat: *Fidei gloria, ſi vere crucem Chriſti intelligas.* Sed cum Sanctus Cyprianus Martyrii honorem conſecutus ſit, præ aliis melius cognovit, quid ſuæ fidei deberet; & melius explicuit glorioſa bona, quæ ex hac præexcellenti virtute percepit. Fides, ait, pugnat atque triumphat in Martyribus. Si cui deeſt animus, inde fit, quia fides illi deeſt, & ſi de cruciatibus refert victoriam, gloriam fidei acceptam referre debet. *P. Senault Oratorii in Panegyrico S. Nicolai tom. 1.*

*Tertull. lib. de Idolol.*

*Ambr. l. 7 in Luc. 6. 9.*

*Martyrum mors loquitur æque ac ſanguis eorum.*

Addamus cum Eccleſiis mortem æque ac ſanguinem loqui, & eam, quæ nobis vitam aufert, viam aperire ſibi, quæ ferit aures mundi totius. Eloquentior eſt omnibus Concionatoribus: & S. Chryſoſtomus animadvertit, cum S. Paulus ſermonem interpellavit ſuum, ut ſuſcitaret adoleſcentem, quem uno fere ictu mors, & ſomnus oppreſſerant, illum in locum ſuum ſubrogaſſe, & voluiſſe, ut defunctus hic abſolveret orationem, quam ipſe inchoaverat: ſubſtituit mortuum, ut concionem abſolveret; & ſcite Pater alius adnotavit, Dei Filium ubicunque ægros curavit, ſemper ſalutaria illis adhibuiſſe monita, eiſque malorum ſuorum cauſam aperuiſſe, ut ea deinceps evitare docerentur; ſed ubi mortuos in vitam revocavit nihil præterea adjeciſſe, quia mors eſt omnium eloquentiſſima magiſtra, & qui illam audiverunt, non egent ultra monitis viventium. Quoniam mors loquitur, nihil supereſt quod S. N. agat: Martyr eſt æque ac Confeſſor, neque illi in dubium revocari hæc poſterior qualitas poteſt, quia confeſſus eſt Jeſum Chriſtum loquendo, eumque confeſſus eſt moriendo, & quia ſecundum Patrum loquendi rationem mori pro Jeſu Chriſto, eſt Jeſum Chriſtum confiteri. Ne igitur ultra Martyris dignitatem illi negemus; quia per lacrymas locutus eſt, ac ſenſus ſuos exprompſit per ſanguinem, & ſemet per mortem explicuit. *Idem.*

*Admirabiles effectus quos gratia in Martyribus parit.*

Fatendum eſt gratiam Martyribus conferre in carceribus licentiam, in doloribus voluptatem, & vitam in ſinu mortis ipſius. Hinc S. Petrus Chryſologus aſſerit, martyrium non eſſe tantum humanæ fortitudinis effectum, quam gratiæ divinæ, & qui illud paſſi ſunt, illud non ſibi acceptum referendum eſſe, ſed Spiritui Dei, qui illos in tormentis ſuſtinuit: *Non conſtat Martyrium per meritum, ſed per gratiam.* Et in his verbis, quæ validiora ſunt, *ad Martyrium qui ſua virtute currit, per Chriſtum non pervenit ad coronam;* & qui in viribus confidit ſuis, nonniſi pudore, & confuſione repletur. *Idem.*

*Chryſolog. ſerm. 152. Idem ibid.*

*Carcer inventus ad ſontes puniendos æque ac ſervandos.*

Carcer non ſolum ad ſontes detinendos, ſed & puniendos inventus eſt. Hæc ſedes eſt tenebrarum, ubi lumen non niſi per ferreas ingreditur crates, vel ſpiracula, quæ vix, & ne vix quidem lucem admittunt. Exilium eſt, quod miſeri in patria ſua naneiſcuntur; ſervitus eſt ſub qua libertas opprimitur; ſepulchrum eſt, ubi viventes adhuc contumulantur; & e Tertulliani ſententia, *carcer domus eſt diaboli, in qua familiam ſuam continet.* Ille autem in quem conjectus fuit ſtrenuus Martyr noſter, longe crudelior erat, quam ceteri vulgo. Nam præterquamquod ille huic eripiebat Solis lucem, amicorum ſolatium, & membrorum uſum, acutis ſtratus erat cilicibus, ut requiem auferret homini vulneribus confoſſo, & omnes illius dolores inſtauraret. Molle ſtratum ſemper incommodum fuiſſet Martyri noſtro eo in ſtatu, in quem redactus fuerat a tortoribus; hinc conjicite, quem dolorem afferre ei poterat humus tot conſita aculeis, qui iterum, iterumque aperiebant ejus vulnera, omniaque tormenta exaſperabant; Attamen, lectulus hic ſuppliciorum, & horroris fit locus deliciarum, & voluptatum Sancto N. gratia animam ejus roborat, eique ſatis virium ſuppeditat, ut Dei laudes concinat in ipſa carceris caligine. Cæleſte lumen diſſipat carceris tenebras, & illuc voluptatem infert cum claritate; ita ut contra ſpem Tyranni Martyr funeſto illo in habitaculo invenit omnibus malis ſuis medicinam, omnibuſque ſuppliciis ſuis conſolationem. *Idem in S. Vincentii Panegyrico.*

*Tormenta, & mors martyrum ſunt aperta conſtantiæ, & charitatis eorum argumenta.*

Si homines non morerentur, nulli eſſent Martyres in Eccleſia, & generoſi hujuſmodi athletæ non potuiſſent dare Deo tot ſpecimina ſuæ conſtantiæ, & charitatis; nam licet juſtitia cauſæ Martyres faciat, fatendum tamen eſt mortem etiam nihil minus conferre, & ſi qui aliquot perpeſſi fuerant tormenta, illuſtri Confeſſorum nomine nuncupabantur, illos tantum qui vitam effudiſſent in prælio, auguſtum Martyris nomen gerebant: *Confeſſio exordium eſt gloriæ, non meritum coronæ, non perficit laudem, ſed initiat dignitatem.* Non patiendum erat dumtaxat, ſed moriendum ad coronam adeo glorioſam redimendam, & Eccleſia Martyres eos habebat dumtaxat, qui morte fidei ſuæ confeſſionem ſignaverant. Hoc pacto Sanctus Stephanus ſibi Protomartyris nomen comparavit, & ſuper homines ſublatus fuit, non ſecus ac per Virginis qualitatem ſuper Angelos fuerat exaltatus. *In Panegyrico Sancti Stephani P. Senault. Tomo 1.*

*Cyprian. de ſimpl. Prælat.*

*Varia mortis genera in Martyribus.*

Quamvis quælibet mors moleſta ſit, quia mors omnis ſupplicium eſt, non tamen omne genus mortis par eſt. Alia prolixa eſt, alia brevis; alia turpis, alia honeſta; illa crudelis, hæc ſuavis; ſingulæ ſuum habent characterem, & pro hujus varietate requirunt a morientibus majorem, vel minorem patientiam, atque fortitudinem. Non magna opus eſt præparatione, ut aliquis pugionis ictu intercidat; mediocris tantum virtus requiritur, ut eam ſubeat; cum id mortis genus neque cum dedecore, neque cum ſævitia conjunctum ſit, ſontes quidam ad patibulum properant, quin faciei colorem immutent, cumque ſciant funem, quæ aeris reciprocationem impediet, omnem ſibi doloris ſenſum ablaturam, merito putant, ſupplicium hoc ſibi plus dedecoris, quam doloris eſſe allaturum. Sed non deſunt alia mortis genera, quæ ſeveritate ſua ſtuporem injiciunt, quæ novitate ſua opprimunt, ac pompa ſua perterrefaciunt. *Idem.*

*Quo in honore Martyres ſuos habeat Eccleſia.*

Eccleſia nihil novit præſtantius Martyribus: reſpicit illos tanquam Heroas ſuos, qui laboribus ſuis illam honeſtarunt; tanquam Parentes, qui illam Sanguine ſuo uberem effecerunt, tanquam Athletas, qui eam ſuis certaminibus propugnarunt. Et ſane videtur Martyrium eſſe extremum virtutis conatum, altiſſimum gradum charitatis: *Martyrium Baptiſmus eſt*, Sanctus Cyprianus ait, *poſt quem non peccatur.* Species eſt contractus, quem Martyres ipſi proprio ſuo ſanguine ſignant; Prælium eſt, ubi qui patiuntur, fortiores ſunt iis, qui inferunt pœnam: *Martyres tortis, tortoribus fortiores;* & ubi pœna videtur acuere fortitudinem, & dolor arma miniſtrare: *Martyr ſua pœna armatur.* Denique ſi fides habenda eſt alteri cuidam Eccleſiæ Patri: *Plus eſt eſſe Martyrem, quam eſſe Apoſtolum.* Sed nobis perſuaſum eſt, inter Martyres eos eſſe illuſtriores, qui plura paſſi ſunt: magnitudinem meritorum ex cruciatuum eorumdem eſſe dimetiendam, & eos beatiores exiſtimari, qui pluribus vulneribus confecti ſunt, & qui gravioribus affecti fuere doloribus: *Martyres, dum beatos vocamus*, Sanctus Joannes Chryſoſtomus inquit, *ex vulneribus beatificamus.* Juxta illud principium, quod Paradoxi loco haberi poteſt; quia communi ſenſui repugnat, & loco ænigmatis, quorum nonniſi ab amantibus poteſt intelligi: inferendum eſt, nullum eſſe Martyrem, qui plura fuerit perpeſſus, & qui Sancto N. majorem gloriam meritus fuerit. *Ex Panegyrico S. Joann. Evangeliſta P. Senault. Tomo 1.*

*Cypr. Epiſt lib. 9.*

*Idem de laude Martyr.*

*Pœna non tantum confert Martyrio, quantum cauſa.*

Cauſa longe magis Martyrio confert, quam pœna. Sanctus enim Auguſtinus ait: *Martyres veros non facit pœna, ſed cauſa.* Profecto ſi cruciatuum dumtaxat ratio haberetur, ſontes omnes inter Sanctos eſſent recenſendi, qui propter ſcelera ſua perpeſſi ſunt, & Martyrum qualitas illis eſſet deferenda, qui inter ſupplicia, aliquam conſtantiæ ſpeciem præſetuliſſent. Dæmonibus non defuerunt homines, qui partes eorum ſuſtinerent, & qui mortem ſubierunt, ut mendacium mordicus aſſererent morientes, quod viventes enuntiaverant. Ambitio ſua habet mancipia, quæ pro vanitate tantum ſuſtinent, quantum Martyres pro veritate ſuſtinuerunt. Avaritia quoque ſordida ſit licet, habet victimas ſuas, quæ ſe ſe immolant propter lucella ſua, & ut opes ſuas tueantur, vitam ipſam in diſcrimen adducunt. Opus eſt ergo, ut qui Martyris qualitatem indipiſci velit, pro Filii Dei gloria patiatur, ut effundat ſanguinem ſuum, ac vitam perdat ad Eccleſiam propugnandam. Hinc negari nequaquam poteſt Sancto N. Martyris nomen, quia moritur pro Jeſu Chriſto, quia hoc inſignitur honore prædicandi illius divinitatem voce morienti, & docendi mortales omnes illum, qui natus eſt in præſepio, eſſe Filium Dei, quandoquidem & ille ſuos habet Martyres, ut Pater ejus ſuos. *Idem in Panegyrico Sanctorum Innocentium.*

*Animadverſio S. Ambroſii de ſanguine, & lacrymis Martyrum.*

Animadvertit S. Ambroſius, ubi Princeps Apoſtolorum negavit Salvatorem ſuum, maluiſſe, lacrymis eluere peccatum ſuum, quam illud excuſare, vel tueri: *Maluit cauſam ſuam flere quam dicere, & quod voce negaverat lacrymis confiteri;* & lacrymæ ſuæ effecerunt, ea in occaſione, ut melius exaudiretur, quam verbis obtinuiſſet. Cum ſanguis dignior ſit, quam lacrymæ, vehementius loquitur, & vox, quam edit, longe graviores edit effectus. Ipſum Dei thronum aſcendit, jus ſibi fieri poſtulat a ſicario, qui effudit illum, & clamare non ceſſat, niſi reus pœnas luat. Sanguis Abel Deum de

*Ambroſ. ſerm. 46.*

folio

Digitized by Google

ſolio deſcendere juſſit, & mutus hic Orator tanta eloquentia defuncti cauſam peroravit, ut a judice obtinuerit Cain parricidæ damnationem: *Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* David pœnitens fatetur conſcientiam ſuam nulla unquam re magis perturbatam fuiſſe, quam voce Sanguinis Uriæ, quem injuſtiſſime juſſerat effundi. Hæc Principem ſingulis fere noctibus excitabat; hæc illi crimen exprobrabat ſuum in cubili, & in ſolio; cumque nullum in ditione ſua inveniret perfugium, in quo tutus eſſet, tenebatur confugere ad Deum ab importuno liberandus hoſte, cui ſilentium imponere minime poterat: *Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis mea.* Si igitur verum eſt lacrymas, & ſanguinem alte adeo ſuam vocem attollere, ſi verum eſt Deum illis aliqua cum reverentia aures præbere, cur non credemus Sanctum N. confeſſum fuiſſe Jeſum Chriſtum, quandoquidem in Martyrio ſuo tantum effudit lacrymarum, & ſanguinis? Non ne ſatis locutus eſt oculis ſuis; nonne ſatis ſenſus ſuos expreſſit vulneribus ſuis, & cruentum os ujus non ne melius ſuam mentem explicuit, quam fecerint ejuſdem Apoſtoli? *In Panegyrico SS. Innocentium P. Senault Oratorii. Tomo I.*

Geneſ. 4.

Pſalm. 50.

Sancti qui paſſi ſunt, & patiuntur martyrium pro fide tuenda ſunt præſtantiores aliis, qui illud paſſi non ſunt.

Martyres præſtantiſſimi ſunt inter Sanctos, quia honorant generoſiſſimam Jeſu Chriſti actionem, eamque imitari contendunt in morte, in qua ille nobis maximum amoris ſui præbuit teſtimonium. Hinc credidi, maximam laudem, quam illuſtribus Patronis veſtris conferre poſſem, eſſe martyrum dignitatem, & hoc pacto me abſolutiſſimum eorum exornare Panegyricum, & eorum magnitudini parem, ſi vobis oſtenderem illos eſſe ex numero glorioſorum Militum, qui pro Jeſu Chriſti gloria dimicaverunt. Verum ne quis mihi ſuccenſeat, quod illis applicuerim ulogium ipſis cum aliis pluribus commune, & non quæſiverim peculiarem eorum characterem, quo ab aliis ſecernantur: per vos hoc in ſermone mihi liceat oſtendere, illos per ſibi propriam prærogativam, quæ præter illos convenit nemini, Martyres eſſe in Nativitate ſua, Martyres in morte, & Martyres in ſepultura. *Ex Panegyr. SS. Gervaſii, & Prothaſii P. Senault Oratoris.*

Licet Eccleſia omnes Sanctos veneretur, majori tamen veneratione complectitur Martyres. Ambroſ. ſerm. 77.

Eccleſia nihil videt præſtantius Martyribus, & licet ſummo in honore habeat Prophetas, Apoſtolos, & Evangeliſtas, tamen Jeſu Chriſti Martyribus obſequia præcipua reſervat: *Etenim morte Martyrum Religio defenſa, cumulata fides, Eccleſia roborata eſt;* Sanctus inquit Ambroſius. Noſtri vero Martyres non parum gloriæ, atque inſtitutioni illius contulerunt; nam præter quam quod plurima paſſi ſunt tormenta, & conſtantia ſua effecerunt ut omnes Jeſu Chriſti poteſtatem admirarentur; & pugnarunt in urbe ſatis celebri, ubi populus univerſus teſtis fuit fortitudinis eorum, plurimos converterunt Infideles, plurima operati ſunt miracula, & ulti ſunt Filium Dei de inimicis, qui blaſphemias in Sanctum illius nomen evomebant: Hæc fuit Martyrum noſtrorum pugna, hæc ſimul & victoria. *Idem.*

Martyres ſuſtinuerunt perſecutiones non tam pro ſe, quam pro noſtra converſione. Ambroſ. ſerm. 77.

Summi iſti Viri non pro ſe tantum, verum etiam pro nobis ſuſtinuerunt, & ſi mercedem ſuam requirebant, in martyrio ſuo quærebant noſtram eruditionem: *Martyr non ſibi tantum patitur, ſed civibus; ſibi patitur ad præmium, civibus ad exemplum.* Verum quid arbitramini, vos ab illis actionibus ſuis edoceri? Hoc ex S. Ambroſio percipite, ut qui Patronorum veſtrorum virtutes vobis aperuit, eaſdem doceat imitari. Docent enim vos, inquit eloquentiſſimus hic Archiepiſcopus, credere promiſſis Jeſu Chriſti remunerantis ſervientibus ſibi, docent non reformidare mortem, quæ celeriter prætcrit, docent dolores contemnere; quando quidem pariunt beatitudinem; *Exemplo eorum didicimus Chriſto credere: didicimus contemnere vitam æternam quærere; mortem didicimus non timere.* Sed dicamus illuſtres Patronos veſtros docere vos nativitatem veſtram, quæ baptiſmus eſt, vos etiam non ſecus ac illos ad Martyrium impellere; vitam veſtram, ſi illam regit Evangelium, non ſecus ac vitam eorum, eſſe debere juge martyrium, mortem veſtram conſtantius & amantius ſublatam eſſe poſſe, non ſecus ac mortem illorum, verum martyrium, & demum ſepulturam veſtram, ſi expers fuerit vanitatis, futuram eſſe, ut illorum, triumphum Martyris, quia ſepulti, vel in cœmeteriis, vel in templis, proximi ultitis Aris; & Jeſus Chriſtus, poſtquam peccata veſtra expiaverit ſuper terram, vobis gratiam largietur cum illo in Cælis regnandi. *Ex Panegyrico Sanctorum Gervaſii & Prothaſii P. Senault Oratorii Tomo primo.*

Idem ibid.

Perſecutiones, quas paſſa eſt Eccleſia temporibus Sancti Martyris noſtri.

Erupit contra Eccleſiam perſecutio ſumma cum violentia, ita ut dæmon qui excitaverat illam, putabat fore, ut tandem victa faciſceret. Sacerdotes, Idola, Magiſtratus, docti viri, divites, pauperes eodem furore correpti in Chriſtifideles exarſerunt. Omnia ſanguinis, & neceſſitudinis vincula ſub inani deorum prætextu confracta ſunt. Patres patrium erga filios ſuos amorem jugularunt, illos tanquam ſontes pertraxerunt ad tribunal, quia nolebant eſſe ſocii impietatis eorum. Matres adduxerunt filias ſuas ad carceres; atque ut religioſæ haberentur, ſibi gloriæ verterunt ſuam crudelitatem. Amici proditionem fecerunt, & crediderunt Religionis cauſam deberu corda ſimul & mentes ſeparari. Servi non dubitarunt heros ſuos accuſare; & beneficia tam accepta, quam ſperata, ceſſerunt ſimulatæ pietatis perſuaſionibus. *Gedeon in Elogio Sancti Irenei in libro, cui titulus Epiſcoporum Elogia.*

Artes quibus uſus eſt Tyrannus ut fideles Religionem abrenunciarent.

Arceſſivit captivos Tyrannus, & ſtatim illos eloquenti ſermone perſuadere conatus eſt, ut Idolis ſacrificarent. Sed fideles aures ſuas obſtruxerunt, ne audirent ejus blaſphemias in Jeſum Chriſtum. Poſtmodum adjecit promiſſiones, & minas, blanditias, munera, & honorum, atque voluptatum oblationes. Sed ubi omnia in irritum labi cognovit, ut Servos Filii Dei ab officio avocaret; teterrima adhibuit ſupplicia, quæ dæmonum furor tortoribus ea in occaſione ſuggerere poterat. Sed nihil valuit in invictis eorum cordibus præ ſuavitate crudelitas. Nulla fuit inter illos concertatio, niſi quis prior, & quis plura pateretur. Pueri viſi ſunt virili robore excellere, & cum gaudio vitam amittere, quam vix guſtare incipiebant. Membra eorum nondum manicis pedicisque arctari poterant, ſed pares erant, qui novaculas, & ferreas ungulas ſuſtinerent. Virgines molliores, ne ſuſpirium quidem emiſerunt, cum in earum corpora liquatum plumbum effunderetur, id unum dolebant, quod hominum oculis nudæ objicerentur. Non ſentiebant illæ quidem tormenta ſua, ſed acerbiſſimum earum martyrium illud erat pudoris. Senes corporeis effæti viribus, eas conſtantia reparabant, & beatos ſe putabant ſi vitæ ſuæ ſtadium abſolverent adeo glorioſe. *Elogium S. Irenæi Domini Godeau in libro, qui inſcribitur; Elogia Epiſcoporum.*

Crudele bellum fidelibus indictum ævo Sancti N.

Sæviſſimum exarſit bellum adverſus Eccleſiam; perſecutiones præteritæ in hujus comparatione levia videbantur certamina; nullæ fidelibus relinquebantur induciæ, Magiſtratus, & populi æque in illos erant incenſi. Omnia conſanguinitatis, & amicitiæ jura cedebant odio Chriſtiani nominis, Patres a filiis, filii a Patribus in judicium arceſſebantur. Viri deducebant uxores ad Judices, ut occiderentur; & uxores ſibi gloriæ vertebant prodere viros ſuos eadem de cauſa; in oppidis, ac urbibus nihil videbatur, niſi eculei, cruces, ignea, rotæ. Paſtores hac fugiebant, illac oves diſpergebantur: Magna hac in procella Sanctus N. non extimeſcebat. Extremum vulnus expectare cupiebat, cum oſtendit illi Deus, ſe velle, ipſum egredi e domo, ubi perſequentes ſe præſtolabatur. Hunc ceperunt in via, cumque illum raperent in quamdam urbem, ibi occidendum, fideles eumdem delictorum manu ſubducere conati ſunt. Horum conſilium illum ſummo affecit mœrore, neque habuit eos tamquam amicos, ſed invidentes ſibi, cui coronam conabantur eripere. Hos ille hortatus, obteſtatuſque eſt, ut ſe in carnificum poteſtate relinquerent, a quibus maximum, qui ſibi fieri poſſet, expectabat honorem. Eos ille vis ſibi illatæ inſimulavit; & rogavit etiam, ut manibus ſuis ſibi mortem infligerent, ſi ipſum alienis manibus mori nollent. Martyrii deſiderium eloquentiæ ejuſdem vires ingeminaverat, verum ſatis non fuit, ut cogeret liberatores ſuos ad ipſum in diſcrimine præſenti relinquendum. *Idem in Elogio S. Dionyſii Alexandrini.*

Sanctus hic vir lætatur videns adventare diē martyrii ſui, & alios ad mortem ſubeundam hortatus, illis prævit exemplo.

Advenit tandem dies martyrii Sancti hujus Viri; qui gaudii ipſius, atque triumphi dies fuit. Hunc expectans languebat; Durum erat illi alios ad mortem hortari, eiſque minime præbere exemplum patiendi. Malebat ille cruore ſuo potius, quam calamo fidei ſuæ Confeſſionem ſignare. Tyrannus irrito eventu conatus eſt illum maximis delinire promiſſionibus. Decreverat Sanctus Vir N. ſe per proditionem nequaquam emere velle ſæculi honores, quos adeo ſtrenue contempſerat. Vitta, qua obnubendi erant oculi ejus properantis ad mortem, videbatur illi Cæſarum diademati præferenda. Irriſit minas, ac ubi proferri audiit in ſe mortis ſententiam, in ſecreto cordis ſui cecinit Epinicion. Sequebantur illum fideles, quorum ululatibus aer undique perſonabat, ut minime poſſent ſolatium admittere in tanti Paſtoris jactura. Oravit eos, ut lacrymis abſtinerent, tanquam gloriæ triumphi ſui contumelioſis. Volebant cum illo mori; ſed ille noverat boni Paſtoris eſſe animam ponere pro ovibus ſuis. *Podeau in Elogio S. Cypriani in libro cui titulus: Epiſcoporum Elogia.*

Charitas Sancti hujus Viri erga fideles adverſata eſt deſiderio patiendi martyrium.

Ardentiſſimo flagrabat deſiderio Sanctus N. ſubeundi martyrium, ſed ovium ſuarum charitas adverſata eſt cupiditati, qua inflammatus erat extremum præbendi argumentum ſuæ erga Deum charitatis. Spiritus, quem diu precibus ſuis conſuluit, mentem illi injecit capeſſendi fugam cum fidelibus omnibus, & locum cedendi torrenti huic perſecutionum, quin ſeſe illi objiceret. Oderant quidem gregem Ethnici, ſed potiſſimum in Paſtorem ſæviebant. Sciebant illum facili negotio in ſuam venturum poteſtatem, ſi huic imperitarent, & ubi in hujus interitu ſuam explevilſent iracundiam, ſatis amplam ſe victoriam retuliſſe arbitrabantur. Illum ergo magna cura conquæſiverunt, quin tamen nanciſci poſſent. Sed cum non poſſent Ethnici Paſtorem in ſua poteſtate habere, in oves omnem furorem ſuum converterunt. Has ubicunque perſecuti ſunt; repleverunt carceres, ac teterrimis ſuppliciis affecerunt. Sed donec Iſraelitæ in plateis adverſus Amalec decertabant, Moyſes attollebat in Cælum manus in monte, eiſque victoriam precibus obtinebat. Tanta ex

copia

copia ne unus quidem ceſſit. Pueri præ ſe virilem tulere firmitatem: puellæ, & mulieres molles fortitudinis ſuæ vi ſexus imbecillitatem ſuperaverunt. Locupletes opum ſuarum jacturam pro Evangelii tuitione benedixerunt, & omnibus Ægyptiorum theſauris opprobrium Crucis Jeſu Chriſti prætulerunt. Ita cum alibi dæmon omnium ætatum, & qualitatum mortales dejiceret: urbs vidit omnes fideles ſuos ſtare, ac nullam præferre infirmitatem. Omnes qui in ſtadium ingreſſi ſunt, coronam adepti ſunt. Varia fuere certamina, eventus autem ubique fuit æque glorioſus. *Idem.*

*Qualitas cruciatuum quibus Martyres afficiebantur.*

Magnitudo reſiſtentiæ, atque victoriæ martyrum deſumitur ex triplici qualitate, quæ in eorum tormentis animadvertendæ ſunt, videlicet ex eorum vi, diuturnitate ac multitudine. Mori acerbum eſt: ſed cum præcincta videtur mors omni ſuppliciorum violentia, & multitudine tormentorum ſtipata, duplex requiritur animi fortitudo. Sunt qui æquo, & conſtanti animo ferrent ſupplicium, modo unum eſſet; ſed tormentorum varietas, & violentia humanæ menti tumultum, metumque incutiunt. Denique inveniuntur ſatis fortes animi, ut perferant cruciatuum & multitudinem, & violentiam, ſi omnes uno ictu, ac brevi eſſent perferendi, ſed cum tarditas accedit, & lento gradu, ac pedetentim ſubeundi ſunt, & ad mortem ſuſtinendam, pluries moriendum eſt: hæc diuturnitas eos fatigat, & requiritur quodammodo triplex conſtantia, ut tres hæ tormentorum qualitates ſuperentur, ubi ſimul omnes inveniuntur, *Birroat, Tomo 2. in Panegyrico S. Victoris.*

*De ſuppliciorum tarditate.*

Illud autem inter Martyrum ſupplicia mihi videtur maxime extimeſcendum, videlicet lenta applicatio multorum inſtrumentorum, ut qui torquetur, ſentiat mortem ſuam, eamque pluries, ac per intervalla recipiat; hæc quippe diuturnitas poteſt tandem animum ſuum labefactare. Mirum! hac in re Deus cum dæmone conſentire videtur, quoniam illum non ſine miraculo conſervat, eumque facit ſuis tormentis ſuperſtitem. Deus quidem id agit, ut Martyris innoteſcat conſtantia, Dæmones vero, ut illius fortitudinem labefactent; ſed fides, quæ cor ejus animat, hanc etiam attribuit fortitudinis diverſitatem, ut cruciatuum prolixitate non fatigetur, & inconcuſſus in eorum diuturnitate, ac varietate perſiſtat. Hic addere poſſumus laudem pulcherrimam, quam Clemens Alexandrinus tribuit fidei, quam appellat; *antiſipationem æternitatis*; quoniam ſimul colligit imagines æternitatis Paradiſi, & voluptatum illius, eaſque applicat menti Martyris, ſimulac dæmon applicat eidem imaginem ſuppliciorum ſuorum. *Idem in eodem Panegyrico.*

*Dei potentia eniteſcit in martyres.*

Dei potentia refulget in morte Martyrum, quæ tantum roboris, & conſtantiæ tribuit imbecillis creaturis, cujuſmodi ſunt homines, mulieres, & pueri, ut omnes Tyrannorum conatus ſuperent: Tormentorum crudelitatem, inferni furorem, ita ut nihil non cedat fidei eorum, atque virtuti. Nonne aliud divinæ potentiæ argumentum eſt, cum ignes vires amittunt ſuas apud Sanctos torquendos; cum belluarum feritas mutatur in illecebras, & carcerum tenebræ convertuntur in lucem? Sed hic major eſt divinæ effectus potentiæ, quod homo, qui ſuapte natura mortem reformidat, & mortem illi Martyrum ſimillimam, immo hanc cupiat, requirat, occupet, & ob eandem lætetur, & gratias habeat. Hoc ſane oſtendit illum eſſe Omnipotentem; & Dominum, cum liquet, ſervos illius illi adeo fideles eſſe, ut nihil eos ab officio valeat avocare; permittit, immo omnes provocat, ut id qua illecebris, qua ſuppliciis experiantur. *P. Hayneuve Meditatione pro Martyrum feſtivitate.*

*Ferventes Chriſtiani beatos ſe putant, ſi pro Jeſu Chriſto moriantur.*

Ubi Dominus, ubi magiſter eſt, quem ſervi, ac diſcipuli ſui adeo obſervant, & colunt, ut cum illi omnia impenderint obſequia, beatos ſe putent, ſi pro mercede ipſis gratiam permittat patiendi, moriendique propter ſui nominis gloriam. Verum ſi omnes moriantur, quemadmodum mundus ſe eos de medio tollere contendit, nonne Religio, & Dei cultus ad nihilum redigetur? Num invenientur adhuc ſervi, qui velint, & poſſint, ubi voluerint, illi ſervire ſervitutem, ſi illos vivere non patitur! Ita eſt. Mundus quidem auferat illi optimos ſervos, illos ad extremum uſque obitum perſequatur, illos occidat, trucidet, terreat omnes, qui eum ſequi profitentur, tantum abeſt, ut inde domus ejus decreſcat, vel Servorum numerus imminuatur; ut immo potius augeatur, & multiplicetur. *Sanguis Martyrum ſemen eſt Chriſtianorum*, & in ſingulos, qui moriuntur, decies centena millia ſubonuntur. Quis hoc facere valeat, niſi Omnipotens Deus? Nonne igitur in hoc potentiam ſuam maxime manifeſtat? Nonne illum ideo admirari oportet, eique dicere: Quam admirabilia ſunt, Domine, opera tua; quam inſignis eſt potentia tua! *Idem.*

*Tres relationes Sanguinis martyrum cum ſanguine J. C.*

Quamvis dixerat Tertullianus, pretioſum Salvatoris Sanguinem eſſe veluti purpuram Chriſtianorum, quæ illos nobilitat, ac decorat; poſſumus addere hoc potiſſimum in Martyribus accidere, cum ſuum effundunt ſanguinem ad ſuam gloriam, atque utilitatem. Martyrum ſanguis triplicem habet rationem cum Sanguine Salvatoris: 1. perhibet teſtimonium veritatis, & gloriæ; nam naturaliter loquendo nemo diceret, Hominem Deum tot pertuliſſe pœnas, & in cruce mortuum fuiſſe. Sui amoris exceſſus aliquam offunderet caliginem gloriæ ipſius, & in humanis mentibus aliquam gignere poſſet dubitationem: ſed ad confirmandam Sanguinis Jeſu Chriſti gloriam Infideles veritatem hanc confeſſi ſunt, hoc elicientes argumentum, de quo S. Hieronymus loquitur. *Niſi eſſet verum Evangelium, nunquam ſanguine defenderetur.* Viderunt Martyres in equuleos aſcendere ad aſſerendam J. C. divinitatem, hoc inde argumentati ſunt, ſi Evangelium, quod illi credebant, verum non eſſet, neminem unquam in eam mentem ingreſſurum fuiſſe, ut illud ſanguine ſuo propugnaret: Sanguinis hujus teſtimonium omnium eſt validiſſimum, ac potentiſſimum. 2. ratio altera ſanguinis martyrum, hæc eſt, quod par pari referunt Domino ſuo: reddunt vitam pro vita, ſanguinem pro ſanguine ſecundum S. Auguſtini ſententiam. 3. hinc tertia exiſtit ratio, quod quædam fit commixtio Sanguinis Jeſu Chriſti cum ſanguine Martyrum; ex parte quidem Martyrum; quia offerunt Salvatori ſuo & ſanguinem, & merita ſua; ex parte vero Salvatoris: quia hic applicat meritum, ac pretium Sanguinis ſui cum ſanguine Martyrum; quando quidem ex duobus hiſce liquoribus ſimul conjunctis fit quidam veluti fluvius irrigans Eccleſiam, huic ubertatem afferens, & robur. Prima Martyrum gloria eſt teſtimonium perhibere Sanguini Jeſu Chriſti; altera illi par pari rependere, dare ſanguinem pro ſanguine, vitam pro vita; tertia miſcere ſanguinem ſuum cum ſanguine Redemptoris. *Birroat Tomo 2. in Panegyr. S. Jacobi Majoris.*

*Paſſiones Martyrum tunc totidem voces quæ nobis prædicant fidei veritatem.*

Dicebat Tertullianus naſcentem Eccleſiam muta uſam fuiſſe philoſophia, ſed eloquenti, & ad perſuadendum aptiſſima ad illuſtranda fidei principia, & jucundam efficiendam doctrinam in theorica parte, quæ in practica adeo auſtera erat, & rudis: *Elingui philoſophia vita noſtra contenta eſt.* Chriſtiani omnes in hoc dicendi genere validiſſimi erant Concionatores: Oculi eorum, frons, manus, veſtigia, veſtes, quidquid in illis erat, prædicabat divinitatem, ſanctitatem, omneſque Jeſu Chriſti perfectiones. Præ ceteris autem, Tertullianus ait, conſtantia Martyrum inter cruciatus: generoſitas hæc, & alacritas, qua mortem ſubibant, ſunt primus Evangelii Commentarius, & perſpicua noſtrorum myſteriorum interpretatio: *Illa ipſa obſtinatio, quam exprobratis, magiſtra eſt.* Profecto via præceptorum longa eſt, illa autem exemplorum brevis, & efficax. Sermones, qui nobis fiunt de virtute, ſegnius irritant animos per aures immiſſi, quam exempla oculis ſubjecta fidelibus. Hæc adeo validas in nobis impreſſiones efficiunt ad mentes noſtras evincendas, ut ex Sancti Chryſoſtomi Sententia in Elogio Sancti Martyris Babylæ, ſolidæ virtutis actiones nos magis perſuadeant, quam miracula: *Convincunt magis opera virtutis, quam miracula.* Quam eloquens eſt os vulnerum! Quam urgens eſt vis Sanguinis Martyrum! Quis eſt idolorum cultor, cui ad aſpectum horum miraculorum, fortitudinis, zeli, charitatis, patientiæ, perſuaſum non ſit de veritatibus, quæ ſibi inter cruciatus prædicantur? Via ſanguinis diffluentis, quam vehementes cier affectus, validoſque motus in animabus eorum, qui adſtant Sanctorum Martyrio? Quam pathetica ſunt verba de ore Martyris emanantis? Non amplius lingua loquitur, ſed ignita pruna ſcintillas emittit, & flammas. *Ignis vibrans eſt, non lingua loquentis; & ſi lingua eſt, ignea plane eſt. Carbones ſunt lingua ejus, & ignis, quem de excelſo miſit Chriſtus in oſſibus ejus. P. Texier T. 2. in Panegyr. S. Andreæ.*

*S. hic martyr tormentis victus non fuit.*

Religionis propugnatores, qui conſtanter propter illius gloriam deprælientur, oppoſitores nanciſci, calumniis affici, hominum manu profligari poſſunt, vinci autem non poſſunt. S. Auguſtinus de Sanctis Martyribus verba faciens, quærit, utrum fidei perſecutores, qui illis vitam eripiebant per tormenta, eorum victores eſſent, necne? *Vicerunt perſequentes, & victi ſunt Martyres? abſit.* Victoria Tyrannorum in ſpeciem erat dumtaxat; *Viſi ſunt ſibi viciſſe.* Patiebantur martyres, non vincebantur: *Paſſi, non victi.* Triumphabant inter ſupplicia, quia patienter ſuſtinebant in corde foventes charitatem, quia eorum præliis plaudebat Eccleſia; quia Cælum palam eos protegebat, & coronabat. Dicere quoque poſſumus Sanctum hunc Martyrem triumphaſſe: primo quidem per patientiam ſuam, ſecundo propter Eccleſiæ plauſus, tertio per viſibilem cæli protectionem; & Religio illum in hoc certamen impulerat, ut eum hoc triumpho decoraret: *Certamen forte dedit illi, ut vinceret. Oratio funebris Cardinalis de Mailly, habita a P. Candido Chalippes, Recollecto.* *Cap 10.*

*Fidei confeſſio in martyrio requiſita.*

Confeſſio eſſentialis eſt pars martyrii; ſatis non eſt amare Deum ex corde, niſi illum ore confiteamur: *Corde creditur ad juſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, ait Gentium Apoſtolus. *Rom. 10.* *Confeſſio exordium eſt martyrii*; & Sanctus Cyprianus præferre videtur gloriam Confeſſoris, qui diu in carceribus patitur, gloriæ martyris, qui brevi animam efflat in cruciatibus? *Semel vincit, qui ſtatim patitur, & qui manens ſemper in pœnis congreditur cum dolore, nec vincitur, quotidie coronatur.* *S. Cyprian. L. 3 E. 4.* Et quo diuturnius, atque acerbius eſt, eo ſanctius, & glo-

glorioſius eſt ejuſdem martyrium. Cum ergo Confeſſio, ut ita dicam, ſit anima martyrii, opus eſt, ut Martyr annuntiet & gloriam Jeſu Chriſti, & religionis ſuæ veritatem. *Idem in eodem Panegyrico.*

Quidquid maxime perhorreſcit natura, majorem SS. Martyribus voluptatem afferebatur.

Viſi ſunt Martyres inſultare Tyrannis, & exprobrare tortoribus eorum imbecillitatem, quia fatigabantur illi potius torquendo, quam ipſi patiendo propter Deum. Si quis damnatum ſe videbat ut uno ictu mortem ſubiret, ille ſane hoc ſibi invito accidere teſtabatur, ratus mortem hanc nimis parum glorioſam eſſe fortitudini ſuæ. Cupiebat omnes venas torqueri, & ſecari, ut multiplici velut oſtio funderet ſanguinem; optabat, ut caro tota lancinaretur, ut oſſa confringerentur omnia, ut in ſingulis artubus corporis ſui martyr eſſet; atque tunc quo plura patiebatur, eo majorem triumphum referebat. Sibi invicem deoſculabantur viſcera ſua; mutuo ſua ſibi invidebant & vulnera, & patiendi occaſiones. Quis autem illis tantum virium, & fortitudinis conferre poterat? Non igitur natura, & vanitas erant totum illud quod formidabant. *Auctor recens.*

Tertulliani ſenſus omnibus martyribus proprius. *Tertull. Apologet.*

Hac in re N. Martyr explevit illud Tertulliani placitum aſſerentis Sanguinem Martyrum germen eſſe fœcundum, & ſacrum, quod frequentat Eccleſiam, cum deſerit mundum, & gignit ſubditos Filio Dei, ſimulac eripit dæmoni mancipia: *Sanguis martyrum ſemen eſt Chriſtianorum.* Nam licet Sanctus hic glorioſum filiorum numerum pepererit Deo, fatendum eſt, multo plures illi peperiſſe in morte. Hæc non ſecus ac Domini ſui mors fœcunda fuit, & prout Sanguis illius effundebatur in terram, & vox ſanguinis hujus aſcendebat in cælum, convertebantur populi, & invenientes baptiſmum in martyris hujus morte, renaſcebantur ex vulneribus ejus, & fiebant Eccleſiæ filii, eo vitam fidelibus dante, cum amitteret ſuam. *Panegyr. Sanctorum P. Senault Oratorii.*

Nemo ex Martyribus eſt, qui plus habeat conformitatis cũ Jeſu moriente quàm Sanctus Matthæus.

Quamquam non tantum requiratur ſimilitudo in genere mortis, quam in ſacrificii forma, confitendum eſt, neminem inter Martyres eſſe, cui plus adſit conformitatis cum Jeſu moriente, quoniam ut ille ad aram expirat; addit ſuum Domini ſui ſacrificio; ſanguis eorum ſimul commiſcetur, & ex victimis duabus una fit tantum, & dicere poſſumus Jeſum Chriſtum ſe immolare cum S. Matthæo, vel S. Matthæum cum Jeſu Chriſto immolari. *P. Senault in S. Matthæi Panegyrico.*

Si minus imitari poſſumus Sanctum Matthæum in Martyrio, ſaltem ſequi debemus ſapientia conſilia, quæ ſuggeſſit nobis.

Etiamſi ſapientia S. Matthæi conſilia ſecuti fueritis, adhuc ab illius virtute diſtabitis: illius enim ſacrificium ad mortem uſque proceſſit, ſanguinem ex omnibus venis effudit, vitam pro Domini ſui gloria perdidit; & a vobis non quæritur, niſi ut injuſtos ſenſus aliquot juguletis, ut inordinatas affectiones aliquot caſtigetis, atque ut infideles aliquot ſenſus dæmoni, & peccato faventes mortificetis. Superſtites eſſe poteſtis ſacrificio, quod vobis præſcribitur, & quoniam Deus non poſtulat mortem, ſed converſionem tantummodo peccatoris: illi ſufficiet mortificatio, quæ martyrii vel imago eſt, vel umbra. *Corpus tuum ſecurus admove ad victimam*, eloquenter S. Chryſoſtomus inquit: *fidem quærit non mortem, votum non ſanguinem.* Tutiſſime fac victimam ex corpore tuo. Deus, cum quo tecum res eſt, indulgens eſt, ac mitis, quærit tuum deſiderium, non cruorem. Offer illi fidem tuam, ut in te punias infidelitatem tuam; Offer illi jejunia tua, ut punias oris tui intemperantiam, offer illi continentiam tuam, ut expies vitæ tuæ nequitiam: *Offer fidem, ut ſit punita perfidia, jejunium, ut gula ceſſet: ſacrifica caſtitatem, ut moriatur libido.* Invenies his ſacrificiis nihil ſeveritatis ineſſe præterquam nomen, & hæc tibimet relinquendo, te a peccati tyrannide liberare. Sed ut hoc fungaris officio, quod hominea in perfectione conſtituit, alia duo munera obeunda ſunt, quæ illos ad eamdem adducunt. *Idem.*

*Serm. 108.*

Plures Martyres converterunt carnifices ſuos.

Martyres ſecuti ſunt Salvatoris veſtigia in cruciatibus, quos pro fide ſubierunt. Summi iſti viri pepercerunt tortoribus ſuis: Medici iſti charitate pleni curarunt phræneticos, a quibus ſibi mors fuit illata; & ex ſanguine ſuo pharmacum illis propinantes reddiderunt rationis uſum ac valetudinem furentibus, qui cruorem hunc ex eorum venis eduxerant. Sed quin in omnium Martyrum laudes excurram, mihi per vos immorari liceat in illis Sanctorum, quos hodierna die nobis repræſentat Eccleſia, vobiſque oſtendam illos ad exemplum Filii Dei converſionem carnificum ſuorum obtinuiſſe.

Jugularunt omnes ultionis ſenſus in eos, a quibus ſexcentis afficiebantur ſuppliciis.

Illud autem mirum eſt, quod Sanctis hi juſtos ſuffocantes tot contumeliarum ſenſus oraverint pro ingratis, dolores ſuos pro ſalute ipſorum obtulerint, & per tormenta converterint illos, quos beneficiis ſuis delinire non potuerant. Querimur Chriſtianam Religionem nimis eſſe ſeveram cum ultionem vetat, & jubet injuriarum oblivionem. Dicimus, Jeſum Chriſtum nequaquam conſuluiſſe noſtram imbecillitatem, cum dixit in Evangelio: *Diligite inimicos veſtros.* Et alios metientem ex ſemet, crediditſe, affectiones noſtras æque ſubjectas eſſe atque ſuas. Sed ne conqueramini ultra, quandoquidem videtis martyrea, qui plura iis faciunt, quæ Jeſus Chriſtus jubet, & qui ſatis non eſſe rati, ſi tortoribus ſuis pepercerint, ſeſe offerunt ſacrificium pro illorum ſalute, ſuumque cruorem effundunt ad expiandas noxas hominum totius humanitatis expertium. *Ex Panegyrico P. Senault Oratorii.*

Omni niſu contendendum eſt, ut imitemur illuſtrem hunc Sanctum.

Quam reformido N. ut exemplum tuum, quod infideles convertit, damnet chriſtianos. Quam timeo ne ſanguis hic, qui carnificum tuorum cauſam peroravit, pronuntiet contra filios tuos ſententiam, & extremo judicii die inſurgas in nos, & oſtendas Jeſu Chriſti præcepta non eſſe impoſſibilia. Evitemus æquiſſimas has objurgationes; vivamus ita ut Orator hic judex noſter non fiat. Sanctum hunc imitemur, niſi velimus ab ipſo damnari; & ſi nobis non licet, ut illi, admirabiles curationes perficere, adnitamur eas facere, quæ teſtes ſint noſtræ charitatis. Ægrotantes juvemus opibus noſtris, eorum miſeriam noſtra miſeratione ſolemur; noſtra cum eorum lacrymis admiſceamus ſuſpiria; ſi de nobis conqueſti fuerint poſtquam illis operam noſtram impendimus, patiamur ingratos eo modo quo Sancti paſſi ſunt furentes; & ſperemus bona opera noſtra, quæ nullam ab hominibus mercedem obtinuerunt, a Jeſu Chriſto præclariſſimum æternitatis pretium eſſe obtentura. *Idem.*

Animadverſiones in Sancti N. martyrii.

Ubi mecum tacitus Sanctorum alterum martyrium reputo, ſentio cor meum bifariam in odium, & amorem, in admirationem, & horrorem dividi. Patientem laudo; Tortorem execror, qui illum afficit ſupplicio. Propria conſtantiam admiror; alterius crudelitatem abominor; reperiens martyrium cum cæde conjunctum, & ſacrificium cum ſacrilegio commixtum, alterum quidem revereor, ſimulque alterum condemno. Sed in actione hac nihil eſt niſi magnum, & ſacrum. Ex parte Dei gratia eſt, quæ ſatis æſtimari non poteſt; ex parte Angeli bonum eſt officium, quod ſatis non poteſt commendari; ex parte Sancti noſtri eſt actio heroica, quam ſatis admirari non licet. *Idem.*

Omnia ſunt admirabilia in Sancti hujus ſupplicio.

Verum ſi in hoc ſupplicio ſancta ſunt omnia, omnia etiam ſunt admirabilia, & minores circumſtantiæ, quæ in illo occurrunt, prodigia ſunt, & miracula. Cor illius vulneratum eſt, & ſpiritum reciprocat; vulnera aperta ſunt, & cruor ejus non effluit. Biennio crucifixus eſt, & in adeo prolixo, tetroque ſupplicio non emittit ſpiritum. Mors conſentit cum vita in hoc homine; unicus eſt inter Martyres, qui lethali confoſſus vulnere, tandiu vitam producat. Ecce votorum ſummam jam adeptus es, ecce jam crucifixus es: ſine, ut quin te retraham a mortificationibus tuis, te glorioſum oſtendam, ac doceam audientes me, gloriam in Sanctis non eſſe niſi dolorum ſuorum mercedem. *Idem.*

Nulla major dignitas, vel perfectio quam martyrium.

Nemo eſt, qui non arbitretur, præſtantiſſimam Sancti N. qualitatem procul dubio eſſe martyrium, & illius elogium cumulatiſſime exornaſſe, qui dixit illum ſanguinem vitamque ſuam effudiſſe pro Jeſu Chriſti gloria. Quippe Martyrium maximus eſt charitatis conatus, & altiſſimus gradus perfectionis. Et ſicut nihil ultra expeti poteſt ab homine, qui animam poſuit pro amico; nihil ultra expeti poteſt a Chriſtiano, qui pro Redemptore ſuo mortem ſubiit. Tamen Sancti N. martyrium videtur mihi dimidium dumtaxat gloriæ ipſius conſtituere, & viderer non omnia vobis merita illius expoſuiſſe, ſi vobis extremum dumtaxat illius certamen ob oculos poſuiſſem. Aliud adfuit martyrium, quod præceſſit martyrium ejus, & audeo dicere, illum nunquam ſubiturum fuiſſe mortem pro gloria Filii Dei, niſi reliquum vitæ ſpatium in ejuſdem ſervitium collocaſſet. Prævenit carnificum ſævitiam pœnitentiæ auſteritate; cruciatibus ſeſe præparavit per merita, totaque vita ejus fuit felix martyrii Tyrocinium, *Tota vita Chriſtiani*, Tertullianus ait, *eſt diſciplina martyrii. Ex Panegyrico S. Placidi Patris Senault ex Oratorio tom. 3.*

Nullum velut eſt martyrium niſi in eo qui patitur pro veritatibus Religionis. *De duplici martyrio.*

Et ſane Chriſtianus, qui vivit ſecundum leges Evangelii, verus eſt Martyr, quin niſi diligentiſſime obſervaverit, in dubium martyrii dignitas poteſt revocari. *Tota vita*, S. Cyprianus inquit, *martyrium reddit Deo, & niſi illa præceſſerit, martyrium, quod ſanguine perhibetur, non eſt martyrium.* Tota Chriſtiani vita prolixum eſt martyrium, quod patitur propter Deum; & niſi illa directa fuerit ſecundum Religionis placita, martyrium, quod ille ſanguine ſuo ſignat, verum non eſt martyrium. Hoc poſito, dicimus Sanctum N. tota vita ſua martyrem fuiſſe, quandoquidem eaſdem ſubiit pœnas, quas carnifices illi intuliſſent, & quia eorum furorem prævertens omnia pertulit ſupplicia, quæ ab illis ſibi fuiſſent illata. Si enim tortores ſeparabant patres a filiis, & uxores a viris per exilium: ille ultro ſeceſſit a Patre, matre, ac fratribus; ſi illi fidelibus auferebant opes, & honores, ille utriſque per humilem paupertatem abrenuntiavit; ſi ſexcentes illos ſuppliciis torquebant, ille ſexcentas excogitavit auſteritates ad patientiam exercendam; ſi denique illi damnant morte, ille ſemet addixit mortificationi, quæ æque diuturna eſſet, ac vita, & æque crudelis ac mors. *Idem.*

Ad Martyrum gloriã contendere licet cum noſtræ concupiſcentiæ reſiſtimus. *Cypr. de duplici martyrio.*

Juxta ea, quæ S. Cyprianus docet, ſatis eſt concupiſcentiæ reſiſtere, ut martyres ſimus, & ſine aliis tortoribus, quam hoc, contendere nobis licet ad generoſorum Athletarum gloriam, qui de Tyrannis triumphaverunt: *Non deeſt concupiſcentia, quæ martyrii materiam quotidianam nobis exhibet.* Immo ex hujus Doctoris ſententia difficilius aliquanto eſt vincere voluptatem, quam dolorem; dolor enim extrinſecus procedit, voluptas autem e contra; & qui dolorem ſuperat, vincit tortores, ſed qui ſuperat voluptatem, vincit ſe ipſum: *Malum omne*

*facilius*

Cypr. de bono pudicitiæ.

*faciliùs vincitur quam voluptas: qui hoſtem vicit, fortior fuit, ſed alter, qui libidinem expreſſit, ſe ipſo fortior fuit.* Denique martyrium hoc non ſolum quædam eſt ad alterum promerendum diſpoſitio; ſed conditio eſt, ſine qua obtineri non poteſt; namque ex ejuſdem S. Cypriani ſententia, qui martyr fuit, tortores noſtros vincere non poſſumus, niſi vicerimus noſtras cupiditates; & inutile eſſet illos vincere, niſi antea has ſubigere contenderimus: *Fruſtra cervicem præbueris carnifici, niſi prius occideris affectus. In Panegyr. Sancti Placidi P. Senault Oratorii.*

Cypr. de duplici Martyrio.

Idem ſequitur argumentum.

Hinc infero non ſine graviſſima Injuſtitiæ labe negari poſſe magno huic Viro Martyris dignitatem, quia nunquam ſuæ paruit voluntati, ac ſemper ſtudiis ſuis eſt adverſatus. Si enim per vos mihi licet leviter ad examen vocare præcipuas vitæ ejuſdem actiones, liquebit, ne unam quidem eſſe, in qua præliatus non fuerit, & aliquam de ſemet victoriam retulerit. Amat propinquos ſuos, relinquit illos citra ſpem eos ultra videndi; ac ſeſe in Clauſtro ſepeliens, moritur illis, & illi quoque viciſſim eidem moriuntur: cupit bona, quia præter ſtudium illud, quo rapimur omnes omnia poſſidendi, nobis quædam ingruunt neceſſitates, quæ noſtrum cient deſiderium: Sed generoſe deſerit illa, utque ſuum augeat dolorem ſimul, ac meritum, ſuum jugulat deſiderium, quamvis ſuam noverit neceſſitatem. Cupit honores, quoniam filius eſt Adam, & ſecundum ambitioſi hujus parentis ſtudia, nihil habere vellet ſupra ſe, & ſubtus ſe omnia. Sed primi hominis ſenſus impugnans ſenſibus alterius, non ſolum fugit honores, ſed quærit contumelias, neque unquam magis voti ſui compos eſt, quam cum magis humiliatur. Cupit denique voluptates; quoniam omnes homines ſuapte natura diligunt illas, & videtur naturam ſuam prodere, qui dolorem amat, & quærit. Nihilo minus huic reſiſtit cupiditati, & non ſine afflatu gratiæ Chriſti Jeſu reſpicit voluptatem tanquam infeſtiſſimum hoſtem, eamque oppugnat rebus in omnibus, in quibus latet, ut nos fallat. *Idem.*

Chriſtianus, qui vivit in pœnitentiæ ſpiritu, verus eſt martyr.

Denique ſemper patitur, quia ſemper pugnat: ſemper eſt martyr, quia ſemper eſt pœnitens, & verum oſtendit illud Sancti Auguſtini placitum aſſerentis: *Vita Chriſtiani, ſi ſecundum Evangelium vivat, crux eſt, & martyrium.* Et profecto quid excogitare poſſent Carnifices ad torquendum hominem, quod pœnitentes ad ſemet torquendos non inveniant? Quas pœnas illorum crudelitas nanciſceretur, quas horum ſeveritas nacta non fuerit? Et cum vobiſmet exhibens ea omnia, quæ Sanctus N. paſſus fuit inter Clauſtra, nonne confiteri cogimini, illum fuiſſe Martyrem, antequam tortores violentas illi manus inferrent, ac illum magis induſtrium atque crudelem fuiſſe in ſemet excruciando, quam ut ipſum fuerint Tyranni? *Idem.*

Tyranni putabant, ſi Deo rem acceptā facere putarent quādo Martyres, & exercenda in eos quod vis ſupplicium genus.

Cum Martyres apud Tyrannos haberentur tamquam Dei, hominumque oſores, & inimici, hi nullum prætermittebant tormenti genus, ut eoſdem affligerent; cogitabant crudelitatem eam in occaſione opus eſſe pietatis; hoc idem eſſe, ac Cælum terraſque ulciſci; animadvertere in rebelles, & impios; necnon poteſtatem hanc in manibus ſuis poſitam fuiſſe, ut homines exterminarent, qui evertere conabantur delubra deorum, & aras. Hæc rati modo utebantur equuleis ad luxandos Martyrum artus; modo ferreis pugnis ad eos decorticandos, modo ignibus ad eos torrendos, modo aquis ad præfocandos, modo leonibus ad eos devorandos: *Innexies juſtes*, objurgabat quemdam ex his tyrannis S. Cyprianus, *Deo charos, domo privas, patrimonio ſpolias, catenis premis, carcere includis, gladio, beſtiis, ignibus, punis. In Panegyrico S. Placidi P. Senault Oratorii.*

Tyranni omnia excogitabant tormentorū genera, ut eos cogerēt ejurare fidem & proferre blaſphemias quas ipſi perhorreſcebant.

Tyranni vim naturæ inferebant, & ſimul contraria conciliabant, ut hominem multiplici cruciatuum genere torquerent, pœnæ magnitudinem cum ejuſdem diuturnitate conſociabant, efficiebantque ut diutius languerent ad patientiam eorum labefactandam. Illis etiam fallaci lenitate, & vera crudelitate parcebant, ut cum paululum reſpiraſſent, poſſent perpeti mala recentia. Hinc fit, ut apud S. Cyprianum neſcio quis, qui Jeſu Chriſti fidem ejuraverat, crimen ſuum in Judicum ſævitiam, ac tormentorum auſteritatem culpam rejiceret. Cum Judicis ira iterum exarſit, & infirmatus fuiſſem malis, quæ jam paſſus fueram, flagris cæſus, & virgis, ferreis ungulis lancinatus, equuleis fractus, flammis afflatus fui, ita ut defecerit ſpiritus meus in certamine, & infirmitas mea impotentiæ reſiſtere non potuerit, & os meum prodens cor protulit blaſphemias, quas intrinſecus execrabatur. *Idem.*

Tyranni ſatiati martyrum ſuppliciis illos morte plectebant.

Si Martyres ſeſe tutabantur adverſus Tyrannorum dolores, hi victi, vel fatigati illos capite damnabant, & cum eos vincere non poſſent, conabantur illos ad nihilum redigere, vel deſtruere. Nam verum eſt mortem eſſe hominis excidium, & animam ſuam a corpore ſeparare, atque exſcindere compoſitum hoc admirabile, quod mundi gloriam conſtituit, ejuſque ſuperbiam redigere in tumulum, & nihil præclari hujus operis relinquere, niſi modicum cinerem in tumulo. Ita Tyranni, atque Carnifices putabant ſe de Chriſtiano pœnas ſumpſiſſe, poſtquam illos ſexcentis mulctatos ſuppliciis, animam ex corpore divellebant, & illis reſpondendi facultatem eripiebant. *Idem.*

Sanctus hic tot genere tormentorū perpeſſus eſt mille mortes pro Domini ſui gloria.

Sanctus hic Martyr fortitudine, & charitate plenus tot mortes paſſus eſt, quot ſubiit tormenta; & in imbecillitate ætatis in ſenium provectæ ſuperavit ignes in cratibus, leones in arenis, crucem in plateis, & carnificum gladios in hoc monte Sancto. Denique nonne vobis oſtendi mortuum ambulantem, & prædicantem; mortuum perſequentem fungi ſancto munere præconis Evangelici, & utentem reliquiis vitæ, atque eloquentiæ ſuæ, ad acquirendos ſubditos Domino ſuo? Incomparabilis iſte Martyr ſexcentas ſubiit mortes pro Domini ſui gloria; & præcipua inter ſanctos laus ejus eſt, vidiſſe corpus ſuum flammis ſuccenſum, a leonibus dilaniatum, cruci ſuffixum. Ut hic, omnem gloriam veſtram collocate, ut omnia pro Sponſo patiamini; novam in ſingulos dies excogitate pœnam, qua juſtitiæ illius, & amori veſtro ſatisfaciatis. Ideo vivite, ut patiamini; & ideo patiamini, ut fiat acceſſio gloriæ illius, qui tantum paſſus eſt pro ſalute veſtra. *Panegyricus S. Dionyſii P. Senault Oratorii tomo 3.*

Mortes tardiores ſunt acerbiores.

Certiſſimum illud effatum eſt, mortes prolixiores eſſe moleſtiores, & ſæpe mortem inferri alicui eum ſit, ut diutius moriatur. Equidem ſcio, id, quod mortem dicimus, momento dumtaxat contingere, & omnem Tyrannorum crudelitatem, cum omnibus dolis, artibuſque efficere non poſſe, ut diutius mors proferatur. Verum ſi de morte loquamur, eo modo quo loqui debebant Philoſophi, certum eſt eam æque diu durare, ac metus illam nobis oſtendit, & dolor efficit, ut illam ſentiamus. Mori incipimus, ſtatim ac mortem metuimus; & mori pergimus quamdiu patimur. Mors martyrum æque prolixa eſt, ac eorum timores, atque tormenta, & mihi perſuadeo illos toties mori, quoties illis oſtenduntur, vel in illos exercentur ſuorum ſuppliciorum inſtrumenta. Neque putetis me has rationes comminiſci, ut eorum merita amplificem. Mecum conſentiunt Judices, & ſciunt mortis metum partem eſſe mortis; quandoquidem parcentes ſontibus, illis mortis ſententiam pronuntiant ea ipſa die, qua capite plectendi ſunt. Non defuere quidam, quibus ſolus mortis timor mortem attulit, & qui præ timore paſſi ſunt, quod alii per cruciatus ſubiere. *Ex Panegyrico P. Senault Oratorii tomo 3.*

Virgines ad Martyrium properabant ut aliæ ad ſolatia.

Virgunculæ, S. Ambroſius inquit, quæ ſuapte natura ſunt timidæ, mortem apud nos concupiſcunt; & Theclæ, Agnetes, & Pelagiæ cucurrerunt ad martyrium, eo pacto quo aliæ ad choream, ac theatra feſtinant. Inventa eſt, addit ille, Virgo quæ inter leones lætitiam præſetulit, & quæ videns e carceribus prodeuntes feras, occurrit illis, eaſque provocavit. Sancta Pelagia non vulgari motu Spiritus Sancti percita, carnifices ipſos prævertere ſtatuit, ſibique mortem conſciſcere, ut ſuam tueretur caſtitatem. Si S. Ambroſius cogitationes ejus aſſecutus eſt, illa hæc ſecum reputabat, cum impudicas perſequentium ſe manus fugiebat: Morior, ajebat illa, libere, ac libenter morior; ſed mors mea neque triſtis eſt, neque coacta; & gaudeo, quia profanæ manus, & oculi impudici non conquinabunt puritatem meam: deferam mecum integritatem, & pudorem meum, & occurram Sponſo meo, ſine timore, & ſine macula. *Panegyricus S. Martini P. Senault Oratorii.*

Gratia in fidelibus ingerit mortis deſiderium.

Quamvis adeo generoſum exemplum ſtuporem injicere poſſit omnibus hominibus; tamen videntur mihi, ſi qui noſtræ Religionis norunt principia, nequaquam obſtupeſcere debere; nam primus effectus, quem in fidelium animabus gratia producit, eſt mortis deſiderium. Diceres eos ubi credunt, metum ponere, & eadem virtute, qua Fideles fiunt, fieri etiam ſtrenuos. Placitum hoc adeo verum eſt, ut S. Auguſtinus aſſerat, cum qui mortem timet nondum credere, & nondum illi ſatis eſſe perſuaſum de altera vita; timet enim ne ad illam perveniat: *Nondum credit, qui mortem timet.* Si de fide noſtra cum hac ſeveritate judicium ferretur, nonne merito Infideles haberemur; quoniam expalleſcimus, cum nos aggreditur morbus, noſtramque perturbans valetudinem vitæ noſtræ exitum minitatur? Veri Chriſtiani longe aliter ſentiunt, & ſi tales ſunt, quales nobis exhibet Auguſtinus, patienter vivunt, cum voluptate moriuntur, vitam ſuſtinent, & mortem deſiderant: *Chriſtianus patienter vivit, & delectabiliter moritur. Idem.*

Fideles cupiunt mortem, ex quo J. C. pro illis mortuus eſt.

Nemo mirari debet, ſi gratia fidelibus omnibus hoc deſiderium immittat; mors enim conditionem mutavit; ex quo tranſiit per Jeſum Chriſtum. Illa enim, quæ olim erat ſupplicium, modo beneficium eſt: *Juſti meritum fit ſupplicium peccatoris.* Quæ pœna erat, facta eſt ſacrificium; quæ cauſa erat timoris noſtri, fit ſpei noſtræ argumentum, & quæ ex ore noſtro querimonias eliciebat, elicit laudes, & benedictiones. Denique mors finem facit exilii noſtri, & initium noſtræ felicitatis; nos a carcere eximit, & aſſerit in libertatem; nos eripit ex procella, & in portum adducit: atque ut S. Bernardi verbis loquar, hæc eſt, quæ eum ſit inimica gloriæ, eam nobis procurat; cum mater ſit triſtitiæ, noſtrum parit gaudium; & cum ſit inferorum janua, nos introducit in cælum. Igitur miramini cum mortis immutata ſit natura, homines ſenſum mutaſſe: hoc cupere, quod olim metue-

metuebant inquirere quod fugiebant, ſibi opem depoſcant ab ea, quam tanquam ſibi infenſiſſimam arbitrabantur? Hac mente Martyres illam exoptabant. *Ex Panegyrico S. Martini P. Senault.*

Quo majora Tyrannus inferebat tormẽta, eo majorem conſtantiam Sancta hæc præſeferebat.

Dixiſſes cruciatus recentes addidiſſe vires Sanctæ N. tormenta illam fortiorem effeciſſe, & conſtantiæ ipſius cum dolore creſcenti novos ſemper paratos fuiſſe triumphos. De illa dici poterat, quod S. Cyprianus de martyribus ſæculi ſui dicebat: illos inter tormenta nullum præ ſe tuliſſe animi motum, & viſos fuiſſe roborari pœnis ſuis, & armari ſuppliciis contra carnificum rabiem; *Martyr torquetur, nec movetur; & ſua pœna armatur.* Hoc agebat incomparabilis N. quo enim magis furebat Tyrannus, illa fortior erat; quo majoribus ab illo afficiebatur doloribus, eo plures hæc palmas referebat; quo plus ſanguinis ex venis ejuſdem hauriebat, eo plus fortitudinis, ac virtutis illi Jeſus Chriſtus largiebatur. *Idem in Panegyrico Sanctæ Catherinæ.*

Martyres fuit amatores J. C.

Martyres, quorum Eccleſia feſtum recolit diem, veri ſunt amatores Dei; fortitudo eorum, quæ de tormentorum ſeveritate egit triumphum, effectus eſt amoris eorum; niſi dilexiſſent, non pugnaſſent, & illuſtres victoriæ, quas de Tyrannis, & Carnificibus retulere, glorioſa ſunt invictæ charitatis eorum trophæa. Hinc nequeo, Auditores, exhibere vobis S. N. veluti Martyrem, quin ſimul tanquam amatorem exhibeam, & oſtendam fortitudinem, quam ille teſtatus eſt in variis ſuppliciis, quæ pertulit, certiſſimum eſſe argumentum eximii amoris ejuſdem. Amor enim, ut in Canticorum canticis eſt, fortis eſt æque ac mors; & contemptus, in quo Martyr noſter mortem habuit, me docet, hanc licet omnipotens ſit, amori reſiſtere non poſſe. *Idem de S. Victore.*

Senſus ac motus S. Cypriani erga martyres.

Cur mihi non licet, ajebat olim S. Cyprianus, amplecti corpora horum generoſorum Martyrum, qui adeo crudeles cruciatus paſſi ſunt pro Jeſu Chriſto! Quam libenter deoſcularer ora illorum, qui Sanctum illius nomen confeſſi ſunt, fide adeo viva, & ardenti; manus, quæ cum renuerint offerre thus idolis, oneratæ fuerunt tot catenis, & tot ictibus fauciatæ; pedes, qui extenti fuerunt tanta vi, ac dolore; venerabilia capita, quæ carnificis gladius a corpore amputavit; membra hæc, quæ laniata, laxata, confracta, & vulneribus confoſſa fuerunt propter Jeſu Chriſti fidem! Eheu! quantum illa videre cuperem, eaque deoſculari! Verum quandoquidem hoc mihi negatum eſt; fac Salvator amabilis, ut eorum ſpiritum colligam & ebibam poſt illos calicem tuum. Fac, ut per amorem mortificationum, atque Chriſtianarum auſteritatum: per tranquillam in vitæ hujus adverſis patientiam, per integram voluptatum carnis ſenſuumque abrenuntiationem, & per generoſam crucifixionem meorum affectuum, ac inordinatorum appetituum, obtineam hunc ſpiritum Martyrii, qui ſuppleat defectui carnificum & variorum ſuppliciorum, quæ mihi inimicorum tuorum ſævitia poſſet infligere. *Elogia Hiſtorica Sanctorum, Tomo 2.*

Jeſus Chriſtus non tuetur martyrum vitam, ſed illos miraculis protegit.

Martyres expoſiti fuerunt impiorum furori, eique ſuccubuerunt. Tamen Dei Filius protegebat illos in fortitudine brachii ſui, & magnam eorum gerebat curam. Sæpe illos divinitus tuebatur prohibens, ne teterrima quæque tormenta officerent illis; alias momento omnia eorum ſanabat vulnera, ſed tandem illos gladio interire patiebatur. Oſtendebat ubique per prodigia, quæ in ipſorum gratiam operabatur, ſe poſſe illos a morte liberare, veluti cum J. C. unico verbo ſtravit milites, qui ad illum capiendum acceſſerant, tunc prodidit, ſe non invitum, ac ultro inter manus eorum tradere. Sinens ergo Martyres mori, quomodonam illos tuebatur? Tuebatur ille non vitam quidem, ſed fidem eorum; quia vita eorum ſuppliciis laceſſebatur, quin fidei eorum conſtantia labefactaretur. Si illi Jeſum Chriſtum ejurare voluiſſent, nequaquam torti fuiſſent. Quis reddebat eos ita fortes, ut omnia ſubirent, potius quam a Dei fide deſciſcerent, niſi Deus ipſe, a quo majori cum miraculo ſuſtinebantur, licet fortaſſe minus ſpecioſo in oculis hominum, illos reddendo invictos inter ſupplicia, quam ſi per viſibilem potentiæ ſuæ effectum eos imperioſe avulſiſſet de manibus furentium, a quibus torquebantur. *Anno Chriſtiano Tomo 3.*

Ubertas miraculorũ, & benedictionum, quam parit martyrum ſanguis.

Sanguis, quem pro J. C. Martyres effuderunt, fertilis fuit miraculis, & benedictionibus: aſcendit in cælum uſque tanquam vapor ſuaviſſimi holocauſti, diſſolvendus in imbrem gratiarum, quæ in terram decidere debent. Magna hæc luminaria, quo nomine illos S. Auguſtinus appellat, nunquam puriores, fœcundioreſque radios emittunt, quam cum extingui videntur. Nunquam hæ Eccleſiæ columnæ firmius ſolidantur, quam cum videntur everti. Nunquam myſticæ hæ nubes, quemadmodum ab eodem Doctore vocantur, Dei ſpiritu actæ in omnes terrarum plagas, ut fœcundæ fiant tot admirabilium productionum, nunquam eruperunt in fulgura, & fulmina validiora, & ſalubriora, quam cum ab hominum oculis evanuerunt: *Vocem dederunt nubes.* Tunc illæ confregerunt idola, violentius everterunt delubra, inferis terrorem incuſſerunt, & concuſſerunt fundamenta Babylonis, quæ in Cælum ipſum inſurrexerat. Sanctorum horum Martyrum mors coram Deo ſatis æſtimari non poteſt. Hic illos habet in honore in magnificam

Pſalm. 76.

remunerationem pœnarum, & laborum; quos pro ejuſdem cultu pertulerunt. Eam adjungit morti Filii ſui propter Regni ſui incrementum, propter victoriarum ejus perfectionem, atque ornatum triumphorum ſuorum, eaque utitur ad gloriam eorum immortalem, & coronas immarceſcibiles efficiendas. *Verjus in Panegyrico S. Matthæi.*

S. Martyr N. oſtendebat tortoribus ſuis ſe non timere illorum tormenta.

Generoſus Athleta noſter, non ſecus ac alii Martyres poſt illum, & exemplo illius dixerunt ſuis judicibus, atque tortoribus: me equuleis, rotis, crucibus torquete; injuſte damnate me, in exilium ejicite, carceri mancipate, vinculis obruite; incendite, diſcerpite, omnes artus meos lancinate. Nullam doloris ſpeciem prætermittite, nullum relinquite ſupplicium, quo me non torqueatis. Si in exilium miſeritis, vel minimus terræ angulus mihi mundi totius loco erit; quia ibi Deum meum inveniam. Si mihi mortem inflixeritis, beatam ſimul mihi libertatem permittetis, quam cupio, & liberabitis me de carcere hoc terreno, ut regnem in cælo. Si me ignibus, vel ardentibus prunis damnaveritis; ego jam alias ſuperavi flammas, alioſque æſtus concupiſcentiæ reſiſtens, Quodcunque ſupplicium mihi irrogaveritis, moleſtum, & grave mihi eſſe non poteſt; nam cor habeo charitate ſuccenſum, ad illud non perferendum duntaxat, verum etiam concupiſcendum. *Idem in Panegyrico S. Pauli.*

Tyranni obſtupeſcebant propter martyrum conſtantiam.

Martyres prodibant coram Tyrannis, eiſque conſtanter reſpondebant, ita ut illis terrorem, ac ſtuporem injicerent. Tradebantur lictoribus excruciandi, comburendi, crucifigendi: & illi in teterrimis doloribus ſuis gratulabantur, & ſuaviſſimis deliciis reficiebantur: At enim, hæc erant miracula: Eſto; Sed Deus idem, qui hæc in illis operabatur, nonne data paritate, & ſecundum varios paſſionum ſtatus, quibus affligimur, eadem in nobis valet operari? Non vult? Nonne idem eſt Jeſus Chriſtus, qui nobis ſuam offert gratiam hac nobis duntaxat conditione propoſita, ut nos crucem illius arripiamus, & cum illo ſimul eamdem bajulemus? Numquid nimis petit a nobis cum ait: *Venite ad me, & ego reficiam vos.* Proficiamus, dilectiſſimi auditores, ſubſidio adeo præſenti, atque efficaci. Millies benedicamus Deo huic Salvatori, quod voluerit hoc pacto ipſe ille, & exemplo ſuo, & gratiæ ſuæ impreſſione omnes vitæ hujus ærumnas mulcere. Satis ſuperque erat efficere, ut inde merita, ac ſalutem perciperemus, ſed hoc illi ſatis non eſſe ratus eſt. Vult præterea, ut ex hoc temporis articulo, uti dicebat olim diſcipulis ſuis, triſtitia noſtra vertatur in gaudium: *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Vult, nos veritatem verbi illius experiri, ubi nobis propoſuit tanquam beatitudinem ploratus, terræ hujus calamitates, adverſam fortunam, perſecutiones; *Beati qui lugent.* Confidamus in illius Providentia tunc etiam cum nobis minus videtur propitia. *P. Bourdalove in Chriſtianis Exhortationibus Tomo 2.*

Matt. c. 11.

Joann. c. 16.

Matth. c. 5.

Quid ſignificet martyris nomen, & quid de illo Ethnici cenſuerint.

Solum Martyris nomen ſufficit, ut intelligatis, hunc proprie teſtem eſſe: ſed cujus rei? Fideine fabuloſæ, & erroneæ? Scio equidem Ethnicos hoc nomine fidem noſtram inſimulaſſe. Scio illos noſtros Martyres accepiſſe pro fatuis, furentibus, atque ab omni ſpe dejectis. Ita illos nuncupavit Antoninus, qui territus aſpectu ingentis cujuſdam civitatis in Aſia, quæ ſeſe obtulit illi ſine delatoribus, ut ſe Chriſtianam eſſe profiteretur, & ab eodem mortem gratiæ loco obtineret, illos omnes cum hoc convicio dimiſit. Ite, miſeri, ait ille: ſi mortem tanto cum furore quæritis, numquid deſunt prærupti loci, unde vos dejiciatis in præceps? Deſunt funes, quibus voſmet juguletis? Sed quis non videt, hunc neque furorem eſſe, neque deſperationem? Quot extiterunt ex Martyribus noſtris, quibus Ethnici Sapientium nomen negare valuerunt? Quot qui exiſtimati ſunt auream habere mediocritatem, omnibuſque numeris abſolutam virtutem? Quot magnis abundarunt opibus, magnis honoribus, & majoribus etiam ſententiis? Ita ſi illi maluerunt ſubire jacturam vitæ, opum, honorum, quam Jeſu Chriſti, nonne hoc argumentum eſt veritatis, & puritatis fidei, quam profitebantur? Ecce, S. Ambroſius ait, ecce cautiones, & fidejuſſores, quos habeo Religionis meæ. Si dextrorſum intueor, video miraculorum frequentiam carentem numero: ſi lævorſum, infinitam Martyrum copiam invenio: & hi ſunt totidem vades, ac patroni veritatis fidei meæ. *Ex Moralibus Sermonibus Tomo 1.*

Quanta SS. Martyribus debeamus.

Teſtes juridici fidei Jeſu Chriſti, quanta vobis debemus? Sine vobis, hactenus fortaſſe eſſemus permixti cum corrupta Ethnicorum caterva; ſine vobis hactenus fortaſſe gemeremus in Satanæ laqueis, triſtia libidinum ejus mancipia. Sine vobis fortaſſe eſſemus adhuc involuti tenebris idololatriæ: ſi enim tanquam ignavæ pecudes, fautores placitorum mundi paſſi fuiſſemus nos trahi vel futilibus ſæculi promiſſionibus, vel æſtu noſtrarum cupiditatum, ubi eſſemus modo? Immortales habeantur gratiæ, & gloria divino Reparatori noſtro, qui vos elegit futuros imitatores paſſionum ſuarum, ſequeſtres veritatum, incorruptibiles fidei ſuæ teſtes, & columnas Sanctæ Religionis ſuæ, quam ad nos ſermonibus veſtris tranſmiſiſtis; quam verbo vitæ veſtræ, & morum veſtrorum ſanctitate confirmaſtis, & quam tandem ſanguine veſtro ſignaſtis: *ipſi Martyres, fidei Chriſti*

Marty-

Digitized by Google

*Martyres, id eſt hujus fidei teſtes fuerunt*, S. Auguſtinus ait. *Auctor Anonymus.*

Martyris hujus gaudia, & conſolationes in tormentis quæ ſentiebant.

Videte, S. Auguſtinus ait, Martyres omnes exultantes gaudio ad aſpectum cruciatuum ſuorum, amplectentes carnifices ſuos, deoſculantes manus eorum, a quibus interficiuntur, capitibus ſuis ardentes prunas in coronæ ſpeciem diſtribuentes, & harmonice in rogis ſuis concinentes; Nonne diceretis hos omnem amiſiſſe ſenſum, & vix ſui compotes eſſe! Veſtra vos non fallit opinio, dicit hic Pater; gutta una præclari calicis, quo Deus in Cœlis utitur ad replendas lætitia omnes facultates animæ Beatorum: *Calix meus inebrians, quam præclarus eſt.* (Pſalm. 22.) Modica gutta ex hac aqua gaudiorum cæleſtium in horum Martyrum animam dilapſa, eos tali modo inebriavit, ut ſui compotes minime ſint: inveniunt, ut inquiunt, Paradiſum ſuum inter rotas, & equuleos, atque fornaces, licet hæ ſint exiguæ inferorum imagines. Ecce ſublimis hæc lectio, quam caro, & ſanguis non capit, quam Sanctus N. nos docet tormentis ſuis, hic nobis aperit ſolidum hoc, verumque gaudium, quod in tormentis latet, cum ibi quieſcit tanta cum ſuavitate inter ſupplicia, cum metuit unum illud, videlicet ne diutius pati prohibeatur. *Ex Panegyrico P. Texier T. 1.*

Quam potens, & ardens eſt in Martyrum cordibus amor, efficiens, ut pro J. C. moriantur! Non deeſt illis ſatis valida cauſa, videlicet cogitatio J. C. qui propter illos mortuus eſt. Hinc S. Laurentius Juſtiniani animadvertit, inter veteris teſtamenti Patriarchas inventos eſſe, qui variis enituerint virtutibus; fide, ut Abraham; obedientia, ut Iſaac; patientia, ut Job; miſericordia, ut Tobias; at neminem, qui in Sacris Bibliis laudetur præſertim propter amoris, atque Charitatis excellentiam. Laus hæc reſervabatur legi gratiæ, in qua Jeſus Chriſtus accenſurus erat ignem in cordibus plurimorum Martyrum, qui illum teſtati ſunt ſanguinis ſui effuſione & vitæ ſuæ detrimento. Hæc etiam eſt utilitas mortis Martyrum, quod peculiarem habeat rationem cum morte Filii Dei, pro quo illam paſſi ſunt. Hæc igitur mors eſt per ſemet adeo pretioſa, & quæ velut ſignum ſuperadditur illi, quæ pro ejuſdem cauſa perſertur. S. Paulus ait, nos quodammodo inſitos eſſe in morte Filii Dei: *Complantati ſimilitudini mortis ejus.* (Rom. 6.) Ramus trunco inſitus, inde ſuccum haurit, & vitam, quæ mox etiam in fructus ſe effundit. Martyrum enim tumuli inſiti ſunt in Cruce Filii Dei, unde exiſtit quædam commixtio gloriæ, quæ illos pretioſos, & venerabiles reddit: *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* (Pſalm. 115.) *Panegyrici Sanctorum Biroat Tomo 1.*

Abraham fide, &c. qui non perſpicuus, J. C. ... de Martyribus qui pro ſua dal. Charit. inſtituunt.

# PRO COMMUNI DOCTORUM ECCLESIÆ,

## ET ALIORUM, QUI FIDELES ſanctificaverunt Scriptis, & Sermonibus ſuis.

## MONITUM.

*Poſt Apoſtolos, qui in univerſo terrarum orbe fidem fundaverunt, recenſendi erant Doctores, qui tanquam præcipua Eccleſiæ luminaria propugnaverunt illam contra Hæreticos, Schiſmaticos, alioſque inimicos, qui eamdem penitus convellere conati ſunt. Propter hanc qualitatem S. Paulus illis ſecundum locum aſſignat tanquam præcipuis hujus Eccleſiæ membris, quæ doctrinæ eorum, eruditiſque ſcriptis, ac laboribus acceptum referre debet decus, atque integritatem ſuam. Sed operæ pretium facturum me cenſui ſi Eccleſiæ ordinem ſequerer, quæ in Communi Sanctorum poſt Officium Apoſtolorum ſubdit illud Martyrum, de quibus in ſuperiori Titulo ſumus locuti. Quod pertinet ad Doctores, quos loco movimus, ut eos melius ab aliis Sanctis diſtingueremus, cum quibus rationem aliquam habere poterant, animadvertendum eſt, in illuſtri hac claſſe non collocari ſolum Sanctos Patres, qui ſcriptis ſuis impugnarunt hæreſes, quæ ipſorum temporibus inſurrexerunt, puta Auguſtini, Hieronymi, Athanaſii, Gregorii, Chryſoſtomi, ac tot alii qui nobis ſuppeditarunt arma, quibus decertaremus cum miniſtris iniquitatis, qui flagitioſis novitatibus ſuis corrumpere voluerunt ſanam doctrinam, & Apoſtolicas Traditiones: Sed hunc Doctorum titulum extendimus ad eos etiam, qui ſcriptis, atque prædicationibus ſuis tuentur, vel docent Catholicas veritates, noviſque erroribus adverſantur, & illis, qui ſæculis omnibus tritico ſuperſeminaverunt zizania.*

*Præterea notandum eſt, ubi elaborandus ſit Panegyricus Doctoris hujuſmodi, vel cum ad illum elaborandum copia ſuppeditanda ſit, licet noſmet ad hanc unam coarctaverimus qualitatem, non ideo animum eſſe nobis excludendi actiones, aut virtutes, quæ illius exornare poſſent elogium: fieri enim poteſt, & ſæpe etiam ſolet evenit, ut unus idemque homo pluribus ex locis ſpectari queat: ſed loquimur de eo Sancto, qui nobis ex hoc loco præſertim ſit notus, qui primum ſermonis argumentum conſtituit, & illis, qui alios huic voluerint titulos adnectere integrum relinquimus, ut ex Bibliotheca noſtra alteram rerum copiam depromant.*

# PRO COMMUNI DOCTORUM ECCLESIÆ,

## & Aliorum, qui ſanctificaverunt Fideles ſcriptis, atque Sermonibus ſuis.

*Paravit cor ſuum, ut inveſtigaret legem Domini, & faceret, & doceret in Iſrael præceptum, atque judicium.* Elogium Eſdr. Eccl. l. 1. cap. 7.

Doctor cum Eſdra poteſt comparari.

Hæc verba in Scripturis dicuntur de homine, quem elegerat Providentia ad reſtituendum in Populo Iſrael cognitionem legum, & magnalium Domini. Quænam fuit hujus populi ignorantia, cum permixtus cum Barbaris in acerbiſſima captivitate, vidit ſe pene exutum pretioſo divini verbi theſauro, qui tanquam ſacrum depoſitum illi præ aliis terrarum nationibus creditus fuerat, quemadmodum S. Paulus teſtatur? Tunc non erant neque Propheta, qui proferret Oracula, neque Scriba, qui illa colligeret, neque Doctor, qui eadem explanaret. Tunc Sancta Biblia, in quibus Deus juſſerat deſcribi mandata, quæ irrogaverat, & mirabilia, quæ in populi ejuſdem gratiam fuerat operatus, eudentibus infelicis Jeroſolymæ ſepulta, non videbantur amplius, ac deinde neceſſe fuit, ut fideles ſecuti dumtaxat infirmum lucis radium, quo olim illuſtrati fuerant, & qui vix eorum oculos afficiebat per denſam obſcuritatem quæ illis offuſa erat, profitebantur, ſe colere Deum, quem ignorabant, atque cum religioſo cultu quem præſcripſerat Deus, permiſcebant populorum ſuperſtitiones, quibus ſors armorum illos ſubjecerat. Sanctus hic vir *præparavit cor ſuum, ut inveſtigaret legem Domini.* Hujus curis, atque laboribus Sacri Codices, quibus funeſtæ perturbationes Judææ non pepercerunt, reſtituti ſunt, Templum iterum ædificatum, altaria poſita, Iſrael edoctus & Altiſſimi cognitio fuit ad poſteritatem tranſmiſſa. *Ex Manuſcripto Sermone.*

In Sancto N. ſinceram admiror pietatem, profundam humilitatem, ardentem charitatem. Sincera hæc pietas deduxit illum ad ſcientiam ſine errore; profunda hæc humilitas ad ſublimem ſcientiam perduxit; & inſignis denique charitas viam illi ſtravit ad ſcientiam renidentem. Neque ſatis eſt: cum per ſinceram pietatem perveniſſet ad ſcientiam ab omni errore vacuam, hæc ſcientia pietatem ejus ſolidiorem effecit: per profundam hanc humilitatem ſublimem aſſecutus ſcientiam, hæc ſcientia humilitatem ejus perfecit; & demum cum per ardentem charitatem adeptus fuiſſet nitentem ſcientiam, hæc illius charitatem ad agendum paratiſſimam reddidit. *Ex Manuſcripto Sermone.*

S. hic Doctor pietate erat præditus, humilitate.

*Quid ex S. Hieronymi exemplo valeat depromi.*

Ad texendum Elogium Sancti hujus Doctoris Eccleſiæ ſufficere videretur titulus glorioſus, quem illi tribuit Eccleſia, Doctoris magni, vel Doctoris antonomaſtice. Si enim S. Paulus confert cum Apoſtolatu qualitatem Doctoris generice, quodnam eſſe debet meritum illius qui ita enituit in hoc illuſtri miniſterio, ut magni nomine decoraretur ſingulari prærogativa inter eos, qui digne hoc eodem munere perfuncti ſunt? Nonne dicere poſſumus cum Sancto Laurentio Juſtiniano, Patrem hujus characteris eſſe: *Lumen mundi, Præconem Regni Jeſu Chriſti, Interpretem cæleſtium Oraculorum, Catholicarum veritatum Patronum, verbo, magnum & incomparabilem Eccleſiæ Doctorem? Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

*Sanctus hic Eccleſiæ inimicos impugnavit.*

Magnus iſte Sanctus haberi poteſt tanquam inſignis Eccleſiæ Doctor, qui fidei ſuæ puritatem ſuſtinuit contra omnes Sectarios, qui oppugnarunt illam, & puritatem Doctrinæ ſuæ contra ſæculi ſui laxitatem. Denique Sanctus hic in ſcriptis ſuis, tanquam Armamentario reliquit arma ad decertandum contra Eccleſiæ inimicos, qui hæretici ſunt, uſque ad finem ſæculorum, nihilque intentatum reliquit, ut in corde creaturarum omnium inſculperet amorem erga Deum, & erga proximum. *Idem.*

*Deus Sanctum hunc omnibus donis cumulavit.*

Replevit Deus magnum Sanctum hunc dono ſcientiæ cum auctor illi fuerit, ut legeret, evolveret, & conſuleret auctores omnes cum ſacros, tum profanos, ut ſecernere poſſet bonum e malo, vera bona a falſis, & ut præclaras cognitiones, quas ſibi tot ſudoribus, vigiliis, laboribuſque pepererat, traduceret ad ſemet in fide confirmandum, alendum, atque muniendum. Dedit illi quoque Deus donum intellectus non in menſura, & affluenter implevit illum, ex quo non ſolum cognovit, & ſecrevit ſenſus myſticos latentes ſub cortice litteræ, & ſub figuris, allegoriis, ac ſimilitudinibus, quibus ſcatent ſacra biblia; ſed etiam plenitudinem hanc communicavit fidelibus omnibus utriuſque ſexus, qui in variis terrarum plagis diſperſi ſunt; & ſublimi hac eruditione uſus eſt ad expugnandos, & confundendos Eccleſiæ inimicos, qui detorquere conabantur in privatum ſenſum verba divinorum bibliorum, explicans ipſe per ſe fidelibus ſenſus veros, juxta quos ſunt intelligenda. *Auctor Recens.*

*Quomodo Deus ipſe hunc Doctorem erudivit Sanctorum Scripturarum cognitione.*

Littera occidit, & ſpiritus vivificat. Nullus hæreſiarca, nullus eſt hæreticus, quem littera, ut ita dicam, non occiderit per abuſum Sanctarum Scripturarum. Per ſecretam ſuperbiam proprio intellectui mancipiti, ſecuti ſunt errores, ac in ludibrium mortalium omnes adduxerunt infirmitates ſuas. Cum Deus in Scripturis Sanctis cum hominibus loqueretur; ipſe quoque, ut ita dicam, humano more locutus eſt: hæc vocabula, hæ locutiones, hic hominum ſermo complectitur ſenſum Dei. Littera cortex eſt, ſub quo latet ſenſus myſticus, & divinus. Unus fuit Dei Spiritus, qui ſub humana littera detexerit ſenſum ſpiritualem Doctori noſtro: ſpiritus enim hominis neſciret corticem pervadere, quin erraret; & non videns niſi quod littera naturaliter offert menti, id unum intelligit quod eſt infra captum ſuum; ſi longius procedit, errat. Spiritus ſolus effecit, ut S. Doctor noſter aſſequeretur verum divini ſermonis ſenſum & modo qui Eccleſiæ Sanctæ conformis eſt. En cur ante Salvatoris adventum populus Judæorum nonniſi humilem, craſſam, rudemque habuit cognitionem Scripturarum; in his nihil niſi terrenum, ac naturale cognovit. Sancti dumtaxat Patriarchæ, Prophetæ, aliique nonnulli veteris Teſtamenti, ac inter alios Sanctus noſter Doctor penetrarunt ſenſum ſpiritualem ſanctorum librorum, ſed hoc accidit per peculiarem Dei revelationem. *P. Croiſet in Aſceticis Tomo 5.*

*S. Doctor N. habuit ſcientiam ſanctorum.*

Doctor iſte Sanctorum ſcientia fuit præditus, quæ ſita eſt in divinarum Scripturarum intelligentia. 1. quia nemo cum majori aſſiduitate illas meditatus eſt. 2. quia illis uſus eſt ad conterendos Hæreticos, & quia ſuppeditavit arma contra omnes, qui labentibus ſæculis contra Eccleſiam inſurgent. *Idem.*

*Labores, quos hauſerunt Apoſtoli, ut veram Religionem conſtruerent, & eos, qui mitei, & ſuaves videbantur evertrent.*

Plura requiruntur in eo, qui alios docet. Ut hoc utiliter peragat, opus eſt auctoritate, & a Diſcipulis amandus eſt. Oportet, ut quæ tradit placeant Auditoribus. Libenter etiam audiuntur Potentes ſæculi, qui cum poſſideant terræ bona, large, effuſeque illa iis concedunt, qui ſeſe illis præbent erudiendos. Apoſtoli in penitus oppoſitis circumſtantiis verſabantur. Non ſolum nulla per ſe pollebant auctoritate: ſed qui hac pollebant, nihil relinquebant intentatum, ut ſeducerent homines, eoſque ad Apoſtolos perſequendos impellerent. Si aliquorum benevolentiam, ac fidem ſibi conciliabant, vix fieri poterat, ut inde aliquam perciperent utilitatem. Inhumani enim Tyranni ita torquebant Apoſtolos, ut nullibi illis permanere liceret: volebant hos ex omnibus oppidis extrudi, ab omnibus populis repelli, & omnibus Legum privilegiis orbari. Præterea vitæ recens genus, quod Apoſtoli conabantur invehere, durum erat, atque moleſtum; ea vero e contra, quam evertere admittebantur, ſuavis erat, & jocunda. Eſto etiam ſi qui ſeveras Evangelii leges ſequi ſe adſtringebant, aliquem fructum percepiſſent; ſed quæ utilitas erat Chriſtianum fieri perſecutionis tempore, cum Chriſtianam Religionem amplecti nemo poterat, niſi jam decreviſſet ſibi martyrium eſſe ſubeundum? *Ex anno evangelico Lambert. Tomo primo.*

*Quomodo Deus repleverit ſpiritum S. Bernardi luminibus ſuis.*

Deus replens Sancti hujus Doctoris mentem, eumque ſuis luminibus circumdans, revelabat illi non veritates ſolum, & myſteria ſua, verum etiam ſecreta, quæ *profunda Dei* a Sancto Paulo vocantur. Videbatur cælum totum in ſpiritum ejus deſcendere, vel ſpiritus ejus totus in cælo verſari. Legere ſatis eſt admirabilia ejus ſcripta, quæ edidit in ſacros Libros, ut innoteſcat ſenſuum ejus ſublimitas, & profunda eruditio in ſecretis myſticæ Theologiæ. Loquebatur de perfectionibus adeo alte, & ſtylo adeo ſublimi, ut facile ſit cognoſcere illum a Deo afflatum fuiſſe, & a Spiritu Sancto fuiſſe eruditum. *S. Joannes* ſcientiam hauſit *in pectore Jeſu, Thomas in latere, Petrus in ſinu Patris, Paulus in tertio cælo.* Sed Sanctus hic hauſit eamdem ex raptibus contemplationis, vel tanquam Moyſes alter in montem ſublatus loquebatur cum Deo, & Deum loquentem audiebat. Heu! *quam cito diſcitur ubi Deus eſt magiſter!* Hinc neſcio quis ex eruditiſſimis Eccleſiæ Romanæ Cardinalibus Sanctum N. vocat hominem vere Apoſtolicum, & miſſum a Deo. Et profecto cum Apoſtoli omnes eruditi fuerint a Deo ſecreta, intimaque Spiritus Sancti infuſione, per quam oſtendit illis brevi temporis ſpatio veritatem, & certitudinem doctrinæ, quam Jeſus Chriſtus illis tam frequenter nuntiaverat, dum verſaretur cum illis: ita ut intellectus eorum, voluntas, & lingua nihil conciperet, amaret, & prædicaret, niſi cæleſtes veritates, ſtatim ac ſpiritu eodem repleti fuerunt: *Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui*: Ita Sanctus N. intrinſecus in eadem ſchola eruditus fuit, & hauſit ex fonte eodem plenam, claram, integramque Scripturarum intelligentiam. Vitæ illius ſcriptores docent, illum in ictu oculi aſſecutum fuiſſe verum ſenſum myſteriorum, quæ continent, in obſcuritate ſua, ipſumque inter amicos dicere conſueviſſe, ſibi in hoc ſtudii genere non alios fuiſſe magiſtros, quam quercus, & fagos, quia in agris præſertim, atque nemoribus acceperat per meditationes, & preces vivida lumina, quæ in operibus ejus eniteſcunt. Stylus Sacræ Scripturæ, qui ubique videtur effuſus, ſatis oſtendit, illum hauſiſſe ex hoc inexhauſto fonte, ex quo Apoſtoli quoque, ſublimes cognitiones ſuas hauſerant; neque ille uti potuiſſet divinis hiſce locutionibus tanta vi, ac facilitate, niſi plenus fuiſſet Spiritu Sancto, qui eaſdem divinitus inſpiraverat. *Act. 2.* Undenam fit, quod ipſi adeo parum proficimus in Dei, & veritatis cognitione? Niſi quia majorem æquo ſenſibus noſtris licentiam permittimus; niſi quia ſpiritus noſter ſeſe effundit extrinſecus, & ut ita dicam extra ſe evagatur; niſi quia per ſenſus tot ultra citraque tranſeunt imagines, atque phantaſmata, quæ nos corrumpunt, vel ſaltem diſſipant, & vetant, ne mentem ad objecta cæleſtia transferamus. Hinc S. Paulus Apoſtolus dixit: *Animalis homo non percipit ea, quæ Dei ſunt.* *1. Cor. 2.* Mirum igitur eſſe non debet, ſi Sanctus N. tantos, ac tam celeres in ſcientia Sanctorum progreſſus ediderit: quoniam perfecte ſeſe colligebat, & vix permittebat, ut ſenſus ſui iis perfungerentur officiis, quæ erant neceſſaria, atque illis interdicens, quoad fieri poterat, uſum rerum omnium, quæ vitæ civili inſerviunt, eorum opera utebatur in iis, quæ ad pietatem, aliaque Religionis munia ſpectabant. *Ex Specimine Panegyricorum. Tomo ſecundo.*

Sanctus N. tanquam vere doctus, hoc diſcernere novit & in certaminibus, quæ illi ineunda fuerunt cum pluribus Hæreticis, cum præſto eſſet, ut in reliquis componeret, nunquam voluit ſibi verba fieri de pace, donec illi ſine diſſimulatione, vel dolo, aut explicatione ſubſcripſiſſent dogmati, quod in Eccleſia erat conſtitutum. Semper huc illos revocabat, norat enim ea, quæ Sanctus Hieronymus deinceps ſcripſit, Catholicam veritatem minus pati in bello aperto, quam in ſimulata cum hæreticis pace. *Sermo Manuſcriptus.*

*Sanctus N. ut Moyſes, & S. J. Baptiſta fuit electus a Deo, ut doctrina ſua illuſtraret Eccleſiam.*

Deus Moyſen conſtituit, ut eſſet interpres voluntatum ſuarum, eique neceſſaria communicavit lumina, ut explicaret legem, & doceret populum ſuum. Seorſim egit familiariter cum Deo ubi didicit ſecreta ejus, & facie ad faciem locutus eſt ad illum. Nonne ex horrore deſerti Deus Sanctum Joannem Baptiſtam evocavit, ut doceret populum Iſrael præcipuum Religionis myſterium, videlicet Meſſiæ nativitatem? In lege nova in ſecreto cœnaculi receperunt Spiritum Sanctum Apoſtoli, & gratiæ illius facti ſunt omnium Populorum Magiſtri, omniumque terrarum doctores. Sanctus Paulus ab initio converſionis ſuæ, ut ſe ad Apoſtolatum præpararet, nonne triduo latuit, atque in hoc ſeceſſu permanſit non bibens, neque veſcens, & per auſterum hoc jejunium mox dignus habitus fuit extaſibus admirabilibus, in quibus maxime abſcondita didicit ſecreta, & eminentiſſimam Theologiam? & ſimili ratione nonne S. Petrus poſt ſeceſſum atque jejunium poſt peccatum ſuum e Deo fuit electus, ut illuſtraret Eccleſiam ſcientia cæleſti, non ſecus ac Seniores illi, ut eſſet Magiſter fidelium, eoſque in rectam cæli viam perduceret? *Auctor Recens.*

Quoad ſpiritum ſapientiæ, atque intellectus repletus fuit

fuit ea cum ubertate, quæ mundi totius oculis apparet; neque ſolum recepit ſapientiæ naturalis donum: ſed ea quoque plenus fuit, quam ſtudio adeptus eſt, & lectura profanorum Auctorum, quam perfecte poſſedit, & qua opportune uſus eſt in operibus ſuis contra inimicos Eccleſiæ. Sed ſæculari eruditione, & profana Sapientia ſepoſita, dico illum in ſeipſo conjunxiſſe quidquid magis commendabile eſt, & eximium, omnes virtutes ſapientis Eccleſiaſtici, quæ ſunt præcipue zelus ſalutis animarum, & amor religionis, quem ſequitur odium hæreſum. Paupertas, continentia, religioſa mortificatio fuerunt virtutes illi acceptæ, atque jucundæ, quod luce clarius oſtendit ipſum perfectum fuiſſe doctorem. *Idem.*

Dedit illi Deus ſcientiam Sanctorum.

Sanctorum ſcientia poſita eſt in cognitione Sanctarum Scripturarum: continent enim quidquid ad ſalutem eſt neceſſarium. Sanctus hic in hac re fuit incomparabilis. Refulſit Solis inſtar ab ortu uſque ad occaſum; & ſublimis hæc Sacrorum Bibliorum cognitio peperit illi odium hæreticorum omnium temporis ſui, amorem omnium Fidelium, doctorum omnium admirationem; ſed hæc illi ne unum quidem injecit motum vanitatis. *Idem.*

Contra illos, qui in ſua ſcientia, capiuntque præſumunt, & nil tenere capiunt.

Hæc ſunt prodigia, quæ placuit Deo oſtendere in hoc Sancto Viro, conſocianti in perſona ſua eminentem ſcientiam cum profunda humilitate, quæ raro ſimul in uno, eodemque ſubjecto inveniuntur. Nos quidem nonne æque abſumus a magni Sancti hujus humilitate, ac a ſcientia, & ingenio, quandoquidem ne minimam quidem laudem conſequi poſſumus, quin mens noſtra ſtatim intumeſcat, & ſe veram magnitudinem, & ſupereminens meritum ſe putet aſſecutam; quod vere nihil eſt niſi tumor, & vanitas? Hoc eſt temporis ingenium; ubi in duabus, vel ad ſummum tribus in circumſtantiis acris ingenii vim præ nobis tulimus, ſtatim præclari ingenii auram aucupamur, ideoque nanciſcimur nitendi occaſiones; cupimus hæc a nemine ignorari, & per ineptiſſimam vanitatem omnium, recinimus echo laudibus, plauſibuſque nobis delatis, & putamus noſmet immodicis attollere laudibus poſſe, cum noſmet ab aliis laudari cognovimus. Ad hanc quoque diem eruditi extant viri, inficias ire non poſſumus; ſed plerumque hoc accidit, quia ipſi nimis ſe oſtentant: ſi enim occurrunt aliqui inter cæteros nitentes, ſtatim quamdam exercent dominationis ſpeciem in litterarum imperio eo uſque, ut ſibi palam inimicos infeſtiſſimos putent eos, qui pedibus in ipſorum ſententiam non abeunt. Hinc prodigii loco habitum eſt hoc ſcientiæ fœdus cum humilitate chriſtiana, quod in Sanctis dumtaxat reperitur, vel ſaltem, quod ſanctitas una parere poteſt. Cum enim inter homines adſit ars nitendi inter cæteros, eumque ars hæc unum ſit ex primis mundi elementis: *Secundum elementa hujus mundi*; ut Apoſtolus loquitur: *ad Col. 2.* adeſt etiam ars latendi, quam Sanctorum ſcientiam vocamus, & quam admirabilis Doctor noſter peculiari modo poſſedit. Si enim alii invenere viam abſcondendi talenta ſua in hominum oculis; Sanctus hic, qui ſua celare non poterat, quia ipſo invito renidebant, nactus eſt artem illa in oculis ſuis abſcondendi per humilitatem adeo æque profundam, ac ſublimis erat ejuſdem ſcientia. *Auctor Sermonum in omnium argumenta.*

Scientia ſine charitate obeſt potius quam proſit.

Ut ex hoc ſermone proficiamus, diſcamus ſatis non eſſe habere lumina ſcientiæ, niſi adſit ardor Charitatis, & ſicut utrumque maximam affert utilitatem, ita ſcientiam ſolam futuram cauſam damnationis noſtræ, eo quod melius quam alii cognoverimus officia noſtra, eaque neglexerimus. Sed etiam, ſi qui erudiunt multos ad juſtitiam, hoc eſt ad perfectionem, & praxim reliquarum virtutum per ſcientiam in cælo niteſcere debent tanquam ſydera, juxta Salvatoris promiſſionem, quænam erit gloria eorum, qui ad Sancti N. exemplum ad glorioſum hoc munus labores ſuos, ſcientiamque conſecraverint?

Cuinam rei vacet Doctor in ſeceſſu ſuo.

Mirum eſt, quod homo ſepultus in ſolitudine ſua, infirmitatibus obrutus, jejuniis confectus, vigiliis, & jugibus exercitationibus auſteriſſimæ pœnitentiæ, ad maciem redactus ſufficere poſſet gravibus occupationibus, quas zelus erga Eccleſiam, charitas in proximum, & ſui nominis exiſtimatio procurabant illi? Exiſtimatione illius in dies creſcente ab omnibus terrarum provinciis conſulebatur; confluebant ad illum, tanquam Chriſtianitatis Oraculum, confugiebant ad illum, tanquam unicum Eccleſiæ Doctorem; præcipuum illius ſtudium illud erat Sacrarum Scripturarum. Silentio prætereo reliqua incomparabilis Doctoris noſtri opera, declamationes, orationes, ac infinitas id genus elucubrationes, quarum ſi meminiſſe vellem, faſtidium vobis crearem. *P. Croiſet in Aſceticis.*

J. C. reliquit Eccleſiæ ſuæ, & Sancto huic Doctori intelligentiã Scripturarum.

Unus potuit J. C. nobis conferre intelligentiam Scripturarum, & relinquens Eccleſiæ ſpiritum ſuum, reliquit illi cum depoſito fidei ſuæ intelligentiam earumdem. Hæc una jus habet inalienabile cognoſcendi verum ſenſum earum, & conferendi Doctoribus quos illa ſua probaverit auctoritate, facultatem illum fidelibus aperiendi. Hæc errare non poteſt, quippe Spiritus Sanctus illam animat, regit, illuminat; extra ſcholam ejus nihil niſi ignorantia, illuſio, fallacia, mendacium invenitur; extra Eccleſiam nonniſi tenebræ occurrunt, & ſi quod lumen apparet, hoc non aliud eſt, quam obſcuræ faces, quas improbæ exhalationes producunt; falſus nitor, ignes fatui, qui omnia in præceps adducunt, & qui nonniſi in errorem poſſunt inducere. Omnes revoca hæreticos ab ipſis Eccleſiæ incunabulis, ne unus quidem eſt, qui proprium ſpiritum ſecutus non fuerit, propriiſque adhæſerit luminibus, cum veritatis detrimento. In hoc pertinaces, quod Eccleſiam audire nolunt, in quas inſanias, miſeroſque errores prolapſi non ſunt, ſequentes infirma lumina propriæ mentis? Nullum abit ſæculum, quod triſtia hujus rei non præbeat exempla. Sanctus Doctor noſter longe aliter ſe geſſit, neque enim ſubibat unquam populorum edocendorum provinciam, niſi conſuluiſſet Eccleſiam, timens ne caderet, ſimulque alios in errorem induceret. *P. Croiſet in Aſceticis, Tomo 1.*

Sanctitas N. medium illi fuit ad ſcientiam comparandam.

Pietas N. fuit ſecretum admirabile, & præcipuum medium, quo uſus eſt ad profundam hanc ſibi ſcientiam comparandam; ſecretum, quod pauci norunt, ſed quod Sanctus noſter didicerat a Propheta David, qui primus eodem fuerat uſus: *Accedite ad eum, & illuminamini.* *Pſalm. 33.* Vos, qui illuminari vultis ſublimioribus cognitionibus, quibus mens humana capax eſt, ad Deum confugite; nam ſicuti quo magis ad Solem accedimus, eo magis illius radiis illuſtramur, ita quo propius accedimus ad Deum, qui fons eſt luminum omnium, eo magis luminibus ipſius penetramur. Ex hoc igitur fonte Sanctus N. hauſit ſcientiam adeo profundam, & raram; Sanctus factus eſt, ut doctus evaderet, non quod ſcientia ſit finis ſanctitatis: ſed quia ſanctitas verum eſt medium ad ſcientiam acquirendam. A teneris unguiculis plures impendebat horas quotidie in oratione, & hunc contraxerat habitum, qui mox fuit prima, & maxima vitæ ſuæ occupatio, quam ob rem de hoc dici poteſt quod olim Salomon de ſeipſo dicebat: *Optavi, & datus eſt mihi ſenſus; invocavi, & venit in me ſpiritus.* *Sap. 7.* Optavit, & petiit ſcientiam hanc, & hæc fuit effectus orationis ſuæ, & mox prætulit eam, non ſecus ac magnus Rex ille omnibus magnalibus familiæ ſuæ, & omni ſpei fortunarum ſuarum, omnibuſque bonis, ac juribus, quæ genus ſuum illi poterat comparare: *Et præpoſui illam regnis, & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius.* *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Ut qui Sapiens fuit, impleret cæleſtem operam ad imitatione Sancti N.

Neque melius inire poterat conſilium Sanctus N. ut ſapientiam indipiſceretur, quam eamdem petere a Deo. Præclarum illi aderat ingenium, & ſublimibus cognitionibus par; ejuſque magnitudo, atque extenſio ſtuporem injiciebat illis ipſis, qui antea illum propter modeſtiam, ac verecundum ſilentium contempſerant. Memoria ejus immenſus erat theſaurus, ex quo nihil excedebat, ejuſque penetrandi vis, & facultas non aberat a prodigio: verum ſicuti humana mens ſuis eſt finibus circumſcripta, & cum agitur de divinis, nihil videt niſi fidei luminibus juvetur; ille in Oratione ſublimes has hauſit cognitiones; quapropter altiſſima quæque myſteria perſcrutatus eſt, ubi alii multi ante ipſum nonniſi tenebras invias nacti erant. Ita ex hiſtoria vitæ ipſius conſtat, ipſum nunquam ſtudiis operam addidiſſe, niſi poſt effuſas preces; nunquam conſultum fuiſſe de difficili quapiam quæſtione, niſi ille ipſum conſuleret Deum, antequam reſponderet: quapropter aſſero ſcientiam illius ſimilem fuiſſe lumini ignis Charitatis, quo ardebat, & pietatem ejus eſſe fructum ſcientiæ; vel unam viciſſim fuiſſe cauſam, & effectum alterius. Charitas illum ſtudio addicebat, ut ſemper ſe parem efficeret, qui Deo ſerviret; & ſanctæ cognitiones, quas ſequebat, illum ita Deo adnectebant, ut ſæpe ſenſuum uſum amitteret. *Idem.*

Quomodo S. N. hæc ferit ſcientiam ex luminibus ſuperioribus.

Quemadmodum admirabili huic Doctori accepta referenda eſt methodus illa regularis, quæ regnat in ſchola, cum qua expediuntur opiniones, errori perſona aufertur, veritas in ſuum lumen adducitur, & perſpicue fidei dogmata explanantur; ita ſecundum verum Eccleſiæ & PP. ſenſum, Hæreſis nullum habuit inimicum Sancto N. magis infenſum, nunquam enim reſiſtere potuit contra illius ſoliditatem, & audeo dicere, contra Doctrinæ ejuſdem infallibilitatem. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Nulla ſcientia eſt in qua non excelluerit, nec difficultas quam non complanaverit.

Ne miremini, ſi dixero, nulla eſſe naturæ ſecreta, quæ admirabilis doctor noſter non aperuerit; nullas eſſe in Philoſophia difficultates, quas ille non complanaverit; nulla in Theologia myſteria, quæ non explicuerit; nullam in morum diſciplina virtutem, aut vitium, quorum leviſſima diſcrimina non connotaverit; nullum in politicis acumen, de quo non diſſeruerit; nullam Hæreticorum objectionem, quam non refutaverit; nullum in ſchiſmate ſeceſſionis colorem, quem non impugnaverit, nullam gratiam, quam perſcrutatus non fuerit. Ille proculdubio poſſedit omnia dona, quæ in aliis diviſa ſunt. Quem non profligavit errorem? Quem conſcientiæ caſum non reſolvit? Quem Scripturæ locum interpretatus non eſt? Eruditus in cognitione Ethnicarum ſuperſtitionum, tanquam Tertullianus, Sanctus Cyprianus, & Arnobius; Theologus tanquam Sanctus Auguſtinus, & Sanctus Gregorius Nazianzenus; in Scripturarum inter-

Interpretatione peritus tanquam S. Hieronymus, moralis tanquam S. Gregorius, & S. Chryſoſtomus; lenis, & fluens tanquam SS. Ambroſius, atque Bernardus. Videtur illos ideo ſubſecutus eſſe in ordine temporum, ut omnium quodammodo ſpiritum colligeret. *Ex Elogiis hiſtoricis.*

Sanctus N. invicte convincit Atheos, & Ethnicos.

Ex omnibus doctis, eruditiſque Viris nemo eſt, qui majori vi, ac lumine perſuaſerit Atheis quidem unum eſſe Deum; Ethnicis vero unum duntaxat oportere eſſe Deum, quam Sanctus N. Doctor iſte in ipſo uſque Naturæ ſinu rei cauſas petit. Ut primos evincat, eorum verba ſenſibus eorum opponit: menti eorum crucem figit, & ex invitis veritatem extorquet. Oſtendit illis neceſſario petendum eſſe principium, quod prima ſit cauſa effectuum omnium, quos videmus; motus eorum nos adducere in eum ſtatum, ut ſimus immobiles; numerum eorum nos adducere ad unitatem; creaturas nos ad Creatorem attollere; tot opera, quorum pulchritudine trahimur, aperire nobis divinum opificem, a quo facta ſunt; varias eorum qualitates totidem eſſe voces, a quibus erudimur; eorum ſermonem ab omnibus percipi, & ſatis eſſe rationis compotes eſſe, ut nobis ſit de Dei exiſtentia perſuaſum. Ille docet Deum ex communi mortalium omnium conſenſu eſſe ens ſupremum, perfectum, atque beatum; ipſum omnia hæc amittere privilegia, ubi unitatem amittit: & ſi ſocium habeat, videre ſtatim diviſum imperium ſuum, imminutam perfectionem, ac turbatam felicitatem. *P. Senault ex Oratorio.*

Sanctus hic Doctor repletus erat ſcientia & charitate.

Cum Sanctus hic Doctor incredibilem haberet charitatem, qua ferebatur ad omnia aggredienda pro ſalute animarum, ſcientia illum ita feliciter moderata eſt, ut nunquam eruperit in illum zelum imprudentem, qui ab Apoſtolo *zelus non ſecundum ſcientiam* vocatur. Hinc facile eſt videre quibus & ſe, & ſimul alios periculis objiciant illi, qui ſine ſufficienti, probataque ſcientia ſeſe in Aſceticæ vitæ magiſtros erigunt, & fieri quærunt aliis duces vitæ illius, quam minime norunt. Eterum, quæſo, quid ex hac præſumptione contingit, niſi quod aliquando Filius Dei de Phariſæis verba faciens dixit: ſi cæcus cæco ducem ſe præbere voluerit, futurum ut uterque decidat in foveam, quæ illi ſeſe objecerit? Heu! quam frequens hoc ſæculo malum eſt! quo plurimi ſequuntur impetum zeli imprudentis; qui cum vix aliquam delibaverint ſuavitatem in oratione, & ſervitute Dei, ſtatim ſe aliorum directores conſtituunt, tanquam arbitri de rebus diſceptant omnibus, rejiciunt quidquid non intelligunt, & ſæpe dum in minimas noxas deſæviunt, ſibi non cavent, ne majores invehant per errores, & ineptias, in quas conjiciunt eos, qui eorum regimini ſubjiciuntur. Ita eſt, audeo dicere, in Chriſtiana morum diſciplina nihil eſt periculo propius, quam rudis homo zelo ſuccenſus: nam illa virtutis ſpecies, quæ in illo apparet, cum probet rationem vitæ illius, cujus labes & vitia mundus ignorat, ſi error viam ſibi facit in caput ejus ſub majoris reformationis ſpecie, licet ignarus, poterit tamen plures fallere, quam eruditi Theologi poſſent ab errore revocare; ubi zelus ſuus, qui ſæpe non aliud eſt quam ſecreta vanitas, & ſubdola oſtentatio, comparaverit eidem magni directoris, probique Viri celebritatem. Hinc ſequitur, non zelum, nec virtutem ſimpliciter efficere hominem idoneum ad alios regendos, ſed ſcientiam cum pietate conjunctam: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam*, inquit Propheta; & Deus ipſe repellit eos, qui ſacris ſe ingerunt miniſteriis ſine ſcientia neceſſaria: *Quia ſcientiam repuliſti, abjeci te, ne ſacerdotio fungaris mihi*. Hoc magnum eſt Divi Tomæ erga Sanctitatem promeritum, quam per eminentem ſcientiam ſuam tutam reddit, & ab omni erroris ſuſpicione & periculo vacuam, illam erudiendo, & ſeſe illi ducem præbendo in via adeo parum frequenti, tot laqueis referta, & circum undique horrentibus, præcipitibuſque locis præpedita. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Malach. 2.

Oſee 4.

Quomodo S. hic Auctor mutuum in modum explanaverit veritates Fidei ratione, ut tribuerit quamdam evidentiæ ſpeciem? Nullus magiſter eſt, hoc tutior, & ſolidior in omnibus deciſionibus ſuis.

Cum non omnes Religionis veritates æque explicite revelatæ fuerint; & alias principia ex quibus inferuntur, non ſemper ſint æque perſpicua, ut nulli ſint diſceptationi obnoxia, dicere poſſum Sanctum N. ex duplici re adeo admirabilem mixtionem feciſſe; ratione, videlicet, & fide, ut fidei quamdam evidentiæ ſpeciem tribuerit, & rationi integram ferme certitudinem. Quolibet in argumento noſtra aperit myſteria, cauſam adjiciens earum rerum, quæ ſunt magis abſconditæ, & adeo ſolidis rationibus omnia confirmat, ut fidei articuli videantur; cumque vim eamdem, atque facilitatem ſervarit in rebus omnibus, de quibus agit, ſive morales ſint, ſive theoreticæ, audacter dicere poſſumus, nullum tutiorem eſſe ducem, nullum magiſtrum, qui melius in propoſita ſibi methodo inſiſtat: ita ut ſi vita ejus perfectionibus eſſe poſſit exemplo, doctrina illius doctoribus eſſe poſſit pro norma, ne unquam a fide, & ab Eccleſiæ ſenſu recedat. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Pietas Sancti hujus par fuit ſcientiæ illius.

Metuendum eſt, ne qui juge ſtudium profitentur, qui magnam habent percipiendi vim, & facultatem non ſatis in pietatis praxi proficiant, niſi in ſcientia, & eruditione. Si enim ſcientia pietati par eſt, & neutra præponderet, timendum eſt, ne hic ſtatus diu maneat, plerumque enim accidit, ut ſcientia, quam non cuſtodit humilitas, jugulet pietatem. Comparari poteſt cum ſalutari arbuſto, quod ad pietatis umbram creſcere debet; ex quo hæc non dominatur amplius, tunc ſcientia pernicioſa eſt: *Si magnitudine ſua præcedit ſcientia, magnitudinem charitatis non ædificat, ſed inflat*. Incredibile eſt quanta celeritate vanitas illam impellat. Sanctus N. omnia hæc norat pericula; ſciebat, intrinſecus omnia vanitati favere; extrinſecus autem omnia illi plaudere; pietatem e contra ſecretos & publicos habere inimicos, & minus præſtare, quam ſcientiam, quia minus nitet, parum cognoſcitur, modici uſus eſſe in mundo, minuſque in honore haberi, quam ſcientiam, quæ undequaque laudibus tollitur. Sanctus igitur hic Doctor ſeſe contra communem impreſſionem communiit, certus conſilii, ut omnia pietati tribueret, efficeretque, ut illi deſerviret ſcientia, tanquam mancipium, quod dominæ ſuæ famulatur. Delegit amicos ſuos ex eorum numero, qui humillimi habebantur. Raro loquebatur de ſcientia, & de illis, quæ in ipſius laudem cedere poterant. Nullo afficiebatur laudum ſenſu; neque illud quærebat quomodo apud mortales audiret, dummodo acceptus eſſet Deo. *Auctor recens.*

Aug. Comment. 17. in Pſalm. 118.

Humilitas in omnibus actibus vitæ ejus eminuit.

Gentium Apoſtolus nobis palam oſtendit periculum, quod in humanis, profaniſque ſcientiis eſt, cum ait, ſcientiam inflare; ſed cum profunda accedit humilitas cum ſublimi eruditione, quam in hac vita mortalis valeat acquirere; hæc tunc vera appellari poteſt Sanctorum ſcientia. Sed hæc quam rara concordia eſt! quam difficilis! Sed glorioſum eſt humili, atque doctiſſimo Thomæ hoc in ſeipſo feciſſe prodigium, tanquam in exemplari numeris omnibus abſolutiſſimo! Eo uſque ut in tanta nominis celebritate, ac plauſu, quem ſcriptis, & ſermonibus ſuis ſibi comparaverat, ſub finem dierum ſuorum Deo gratias agat, quod nunquam vel minimus inanis gloriæ ſenſus illum affecerit, propter quem ullius noxæ ſibi conſcius exstiterit. Hæc vocari poteſt non ſolum ſcientia Sancti, verum etiam effectus, & miraculum ſanctitatis in homine erudito, qui ſibi cavere potuerit contra juges incurſus adeo callidi inimici; qui ſcientiam adeo illuſtratam, adeo late patentem, ac ſublimem conjungere novit cum altiſſima humilitate; qui cum per eminentem eruditionem ſuam ſuper homines ſe extuliſſet, ita ſeſe infra omnes abjecerit, perinde ac ſubtilitas cognitionum ipſius fuiſſet menſura humilitatis ejuſdem. Ita de ſe humiliter ſentiebat, ut conſtanter maximas quaslibet Eccleſiæ dignitates repudiarit. Hæc enim ab ipſo propoſita norma fuit perfectionis gradum in virtutem exercentibus metiendum eſſe ab humilitatis profunditate. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Si homo in innocentiæ ſtatu permanſiſſet, veram ſcientiam habuiſſet.

Sine ſtudio doctum fieri, hoc eſſe debebat privilegium ſtatus innocentiæ. Nam veritas tunc ultro ſe ſe obtuliſſet menti, quin eamdem inquirere cogeretur, Doctor Angelicus ait. Sed heu! quam longe diſtat ſtatus ille, ab eo ad quem nos peccatum redegit! Nihil ſine labore magno percipimus; ita ut veriſſimum ſit illud veteris cujuſdam effatum; quod videlicet ſcientia hodierna die nonniſi opus eſſe queat ſtudii pertinacis, atque moleſti, cum peccator non minus damnatus fuerit ſeipſum excolendo, ut doctus fiat, quam olim excolendo terram, ut fructu illius veſceretur. Itaque reſpicere debemus tanquam prodigium hominem, qui perfecte doctus evaſerit ſine ope profundæ meditationis, lecturæ conſtantis, ac diligentis doctrinæ; hoc enim ſtudere ſignificat. *Sermo Manuſcriptus.*

Sanctus Doctor N. non aliter profecit uſu librorum, quam precum.

Sed quibus adminiculis Sanctus Noſter ita profecit? Ne exſpectetis, Auditores, me prolixam hic vobis texere nomenclaturam eorum Librorum, quos legit, enumerare annos, quos in ſtudiis traduxit, vel aperire quibus inſtitutoribus operam dedit. Licet verum eſſet omnia hæc illi adfuiſſe ſubſidia, mirari etiam deberemus intuiti tantam ingenii facultatem; quo uſque vero noſtra creſcet admiratio, quandoquidem ſine omnibus hiſce auxiliis ad hunc apicem evaſit? Tandem enim nullos habuit magiſtros præter orationem, atque meditationem: non defuerunt plurimi, quorum conſcientiam moderabatur, & plurima illi negotia in Eccleſia procuranda fuerunt, &c. *Ex Sermone Manuſcripto.*

Divinæ Providentiæ de Sancto N. conſilium.

Noſtis, optatiſſimi Auditores, quodnam eſſet divinæ Providentiæ conſilium de Sancto N. Decreverat illa ex hoc facere unum ex præcipuis poſt Sanctum Paulum magiſtris Fidelium, & unum poſt Apoſtolos ex præſtantiſſimis Eccleſiæ Doctoribus. Oportebat igitur, ut huic Apoſtolicæ ſcientiæ conferret plenitudinem. Etenim ad tantum hoc miniſterium rite, & recte obeundum, ut putetis profanam ſcientiam aliquid opis conferre. Apoſtolicæ ſcientiæ perfectio in duobus ſita eſt, quæ a SS. Patribus nobis adeo frequenter memorantur: Primum quidem ut ſcias mentibus perſuadere Fidei veritates, tot licet obſtent præjudicia, quibus occupati eſſe poſſunt: Alterum vero, ut ſcias chriſtianam pietatem infundere in animos, quibus antea amor mundi dominabatur. Nemo ſibi fingere poteſt quem uſque ad gradum Sanctus noſter utramque ſcientiam poſſederit. Omnes confudit hæreſes, quæ illius ævo inſurrexerunt, ubique

præſidebat per incomparabilem ſcientiæ ſuæ eminentiam. *Idem.*

Veritas quærenda eſt in ſcientia. 2. ad Tim. 3

Sanctus Paulus hoc exprobrabat quibuſdam ævi ſui fidelibus, qui licet ſtudiis jugem operam darent, nunquam tamen veritatis cognitionem aſſequebantur: *Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes.* Sæculo hoc, in quo ſumus, legimus, conſulimus, diſceptamus, ad examen vocamus, perſcrutamur, & fortaſſe non ideo quidquam proficimus, quamvis magis, quam antea illuminatos nos eſſe gloriemur. Et undenam proficiſci poteſt malum hoc non ſatis deplorandum? Hiccine effectus eſt inanis curioſitatis, quæ ſub ſpecie illuſtrandi omnia ad noſtram eruditionem, putamus nobis dubitandum eſſe de rebus maxime manifeſtis, temere ingrediendi in Sanctuarium, perſcrutandas abyſſos mentibus humanis imperſcrutabiles, loquendum de iis argumentis, quæ rationem ſuperantia eſſe debent objectum fidei ſimplicis, atque docilis. Curioſitatem hanc Sanctus noſter impugnavit huic innixus magni momenti principio; contra rationem eſſe, velle per rationem dumtaxat illa intelligere, quæ ſuum captum excedunt: quam ob rem curioſitas hæc damnanda eſt; & Sanctus Bernardus alibi eam turpem eſſe putat, cum ſit, quomodo re ipſa eſt, palam a recto ſenſu abhorrens: *Sunt qui ſcire volunt eo ſine tantum, ut ſciant, & turpis curioſitas eſt.* Et nonne æquum eſt, ut Deo in illam animadverſuro, at tradente noſmet mobilitati opinionum noſtrarum, cæci oculis gradiamur, ſemper periculo obnoxii ſequendi mendacium? *Idem.*

Plerique ſcientiam ſequuntur, ut inter cæteros niteant.

Nonne hic cæcæ vanitatis effectus eſt, quæ nos ad ſtudendum impellit, ut inter cæteros ſecernamur, & quæ ſcientiæ lumen non quærit, niſi ut hominum plauſus aucupemur, quomodo ſexcenti faciunt; de quibus S. Bernardus ait, eos ſtudere dumtaxat, ut ſemet aliis tradant cognoſcendos? *Sunt, qui ſcire volunt, ut ſciantur & ipſi. Et hoc turpis eſt vanitas.* In hoc plurimi peccant, qui magnifice de ſeipſis ſentientes, in omnibus occaſionibus ſeſe proferunt, & de rebus omnibus loquuntur ea audacia, quam ſibi arrogant, quaſi ſint magiſtri in Iſrael: donec Deus ad puniendam vanitatem, quæ illis dominatur, permittit, ut confundantur ab aliis, quos ipſi deſpiciunt. Tale fatum eſt horum pſeudo-Sapientium in æquiſſimam ſuperbiæ pœnam. Errant, & in erroribus ſe ſe præbent omnibus irridendos. *Idem.*

Remedia contra ignorantiam vel potius contra mundi ſcientiam.

Hæ ſunt cauſæ ignorantiæ noſtræ, quidquid contendere videamur ad acquirendam ſalutarem ſcientiam Chriſtifidelium. Cur mihi non liceat, vobis ſalutaria præbere remedia? Opponerem aliorum curioſitati ſanctam ſimplicitatem, & fallaci aliorum credulitati ſapiens ſecerniculum. Maliciæ reverentiæ, quam iſti adhibent erga cæleſtes veritates, objicerem ſenſus cultus, ac venerationis, quos illæ merentur, & vanitati, qua illi ob ſcientiam tument, humilitatem, ſine qua, Sanctus Bernardus egregie docet, neminem unquam perventurum ad veritatem. O nos beatos, ſi haſce vias ſequeremur! Æterna quippe Sapientia ſe ſe communicat animabus ſimplicibus, prudentibus, obſequentibus, humilibuſque. Fruſtra, ſi hæ deſint animi affectiones, ſecreta illius aſſequi conabimur, quaſcunque ſuppetias invenire poſſimus in naturæ perſpicientia, vel in aſſiduis laboribus vigiliiſque, nunquam auferre licebit velum quo contegimur; ſed ſi affectiones illæ adfuerint, & reliqua defuerint omnia, Deus impertiet nobis ſpiritum ſuum, cujus ope intelligamus, quod ipſi per nos intelligere non valemus: *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & trementem Sermones meos?* Nolo diutius in hoc argumento ammorari. *Sermo Manuſcriptus.*

Quomodo à hic Doctor impietatem profligaverit, & fidem reparaverit.

Sanctus N. divina conſtitutus fuit Providentia ad cohibendos impietatis progreſſus, quæ late jam in univerſum terrarum orbem ſe effuderat. Fides Chriſtiani in ipſo Chriſtianiſmi ſinu ſemianimis erat. Verum quidem eſt tunc temporis inanibus Deis delubra nequaquam ædificata fuiſſe, ſed Jeſu Chriſto ea in dubium revocabantur, quæ ſanctiſſima vetuſtas illi dicaverat, & per ſacrilegæ ſeditionis conatum, Dei Filius in omnibus Patri æqualis divinitate exuebatur, & in creaturum rerum claſſem cogebatur. Hac in re, quæ Religioni eſſentialis eſt, oboriebantur ſingulis diebus recentes opiniones, quæ ſe mutuo evertebant, efficiebantque, ut hominum mentes in incertitudine æterna fluctuarent.

Sanctus N. in ſcientia invenit omnia neceſſaria ſubſidia, ut recentes opiniones omnes everteret.

Ubinam Sanctus N. neceſſaria nactus eſt ſubſidia in re adeo periculoſa? Nactus eſt illa in ſcientia admirabili, qua cælitus donatus fuit. Ad hæc verba quinam eſt mentium veſtrarum conceptus? Nunquid putatis me loqui de ſcientiis illis, quarum nitor palpare conſuevit hominum vanitatem? Eas poſſidebat quidem, ſed poſſidebat illas, utar illius verbis, ut victor poſſidet captivos, de illis quodcunque ſibi libitum fuerit facturus, non autem illis quidquam in ſe auctoritatis permiſſurus. Illis uſus eſt, ut per eas ad ſcientiam longe ſublimiorem aſcenderet: ſcientiam, quam ille ex ipſis veritatis fontibus hauſit. *Idem.*

Scriptura ſine ulla præjudicio legenda; & ad Eccleſiæ traditionem confugiendum.

Cum Sancto N. perſuaſum fuerit, Deum unum perfecte ſemet cognoſcentem, efficere unum poſſe, ut ab aliis cognoſcatur: *Idoneus ſibi teſtis eſt, qui niſi per ſeipſum cognitus non eſt*; non adhæſit ultra penetrationi mentis ſuæ, neque cognitionibus, quas in ſemetipſo deprehendit, ſed divinis adhæſit Oraculis in Scriptura expreſſis, eaque non ſine duabus maximi momenti regulis perlegit: quarum prior eſt, legendum eſſe ſine præjudicio, & afferendum eſſe ſpiritum docilem ac paratum ad eos imbibendos ſenſus, qui non habentur, & ad eos, qui habentur facile abjiciendos: *Optimus lector eſt, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis, potius quam imponat, retulerit magis, quam attulerit*: altera vero, quod cum hæretici Scripturis impugnati ſe per Scripturas tuentur: confugiendum eſt ad Traditionem Eccleſiæ, quæ ſicuti de manu in manum, de ſæculo in ſæculum traducit pretioſum veræ doctrinæ depoſitum, quod in ſacris Libris continetur: *Memento neminem hæreticorum eſſe, qui ſe nunc non ſecundum Scripturas prædicare ea, quibus blaſphemat, non mentiatur, Ego, quod accepi, teneo. Idem.*

In S. Doctore non ſuffecit pietas, niſi fuerit conjuncta cum ſcientia.

Ex magni hujus Doctoris exemplo diſcamus ſatis non eſſe, ad ſacrum Miniſterium afferre vitam innocuam, & frugi. *Ardere parum.* Sed cum labores impenderet in ſuimet ſanctificatione, laborandum eſſe quoque, ut veram ſcientiam acquiras: *Ardere, & lucere perfectum eſt.* Verba hæc ſunt S. Bernardi, & Magnus Pontifex S. Gregorius rationem affert in Paſtorali. Ait enim, *ignominioſum eſt, ſi tunc quærat diſcere, cum quæſtionem debet enodare.* Sed quænam in nobis ſcientia requiratur? Sæculares ſcientias ne contemnamus; ut Sancti Doctores loquuntur. Has ſtudio ſuo indignas nequiquam arbitratus eſt Sanctus N. Sed plurimi faciamus ſcientiam verorum Fidelium. Adhæreamus, uti præſtitit noſter Doctor inſignis, ſacris Codicibus, ac Traditioni, quæ nobis verum illorum aperit ſenſum. Ne propriarum cogitationum ultores aliquid vel addamus, vel demamus Legi Domini. Utrum ſit periculoſius non liquet. Sed liquet, utrumque eodem anathemate in Scripturis percelli. Itaque opinionum noſtrarum nimis fautores eſſe non decet, eo uſque ut illas haberi velimus pro veritatibus, vel ut ipſis veritatibus labem aſpergere audeamus ad eas confirmandas. Ea tantum Oraculorum loco a nobis habenda ſunt, quæ colit Eccleſia; in iis autem, quæ illa integra nobis relinquit, alios cogere velle, ut hanc potius, quam aliam ſequantur ſententiam, hæc quædam eſt violatio publicæ libertatis. *Idem.*

Complura ſunt in Mundo fallacia lumina, quæ homines fallunt.

Mundus plenus eſt fallacibus luminibus, quæ nos fallunt, atque in præceps inducunt. Opes fucata quædam ſunt lumina, quæ oculos noſtros perſtringunt. Honores ſunt lumina mendacia, quæ nos illiciunt; vitæ hujus deliciæ lumina ſunt impura, quæ nos avertunt a Deo: diabolus ipſe, qui Princeps eſt tenebrarum, ſæpe ſe ſe in lucis Angelum transmutat: ſed Jeſus Chriſtus vera lux eſt, quæ neminem fallit, & quæ nobis aperit fluxorum horum bonorum, quæ nos tot trahunt illecebris, mendacium. Heu! Domine, quis non contemneret opes, & honores, videns te ad præſepis uſque fœnum humiliatum? Quis non fugeret ſæculi voluptates, & gaudia, videns te medium inter duo animalia plorantem? O Sol mentium, veni, illumina animam meam, & reple tuis luminibus cor meum, ſicut illud Sancti hujus Doctoris replevisti, ne aberrem unquam a recta via, quam ipſe in terris ſecutus es, & ut viam ſalutis cognoſcam: *Ut cognoſcam in terra viam tuam in omnibus gentibus ſalutare tuum, Ex Meditationibus P. Nouet, Tomo 7.*

Pietas ſecit ut Deus in S. Doctore noſtro menſem infunderet ſublimes cognitiones.

Sed ut redeamus ad Sanctum Doctorem noſtrum, quinam fuit character, quem pietas adeo vera contulit ſcientiæ Sancti N.? Inveniens in illo Deus animam ſine macula, effudit in mentem ejus lumina, quæ inde ſtatim errorem ejecerunt. Nemo unquam divinitus rectiorem ſenſum, ſolidius judicium, & vim ſecernendi exquiſitiorem ſortitus eſt. Non ille temerariis innixus præjudiciis, neque præcipiti feſtinatione pronuntiat. Adhæret meræ veritati, & tutiores eligit vias, per quas felicius, tutiuſque ad illam perveniat, *Sermo Manuſcriptus.*

In maximis difficultatibus omnes ad S. hunc confugiebant.

Ullane inter doctos Viros diſceptatio oriebatur? Omnes ad S. N. confugiebant; ejuſque ſententiæ tanquam totidem Oracula habebantur. Ullæne erant impeditiores propoſitiones in argumentis æque delicatis, & magni momenti, quæ in Eccleſia ſcandalum parere poterant? conſulebatur Sanctus noſter, ejuſque cenſuræ ſine provocatione omnes acquieſcebant. Indigebantne fideles certis canonibus, ut vitam ſuam componerent ad eam regulam, quam nobis Chriſtiana Religio præſcribit? Ille admirabiles propoſuit, qui late in omnes terras effuſi ſunt. *Idem.*

Sanctus N. quo magis lumine pollet, eo magis propria ſequitur lumen.

Quæ ſubſidia Sancti noſtri pietas invenit in ſcientia pura, & ab omni errore vacua, cujus hanc principium fuiſſe nobis eſt locus credendi? Fatendum eſt, ſæpe nimis accidit per funeſtum humanæ corruptionis effectum, mentem quo magis mens illuſtratur, cor eo magis areſcere in rebus aſceticis; quo magis cognoſcitur Deus, eo magis cultum illius nullo in diſcrimine haberi. Etenim quot docti Viri ſimiles illis Philoſophis, qui ut Sanctus Paulus ait, Deum quidem cognoſcebant, ſed non colebant tanquam Deum, dicere poſſent cum S. Auguſtino, ſe reperire in ſexcentis craſſis imperfectionibus, licet teneant eluitiſſimas Religionis veritates, donec interim rudes homines ac illitterati aſſurgunt ad ea, quæ in Chriſtiana

rela-

religione ſunt perfectiſſima: *Indocti rapiunt regnum Cælorum, & nos cum doctrinis noſtris perimus, ubi volutamur in carne & ſanguine. Idem.*

Quid diſcriminis inter ſcientiã Eccleſiaſticorum & ſæcularium.

Ignoraſne, magnum illud diſcrimen, quod Sanctus Noſter conſtituit inter Eccleſiaſticorum ſcientiam, & ſæcularium? ſi ignoras illud, tibi aperiendum eſt. Ingens intereſt diſcrimen, inquit ille, inter Doctorem, & virum ſecundum mundum eruditum; hic in eo collocat felicitatem ſuam, ſi in ſe mundi totius admirationem convertat, ſi ſermonis ſui elegantia, atque veneribus faſcinet illum, & ſæpe ſuis abutitur luminibus, ut alios in errorem inducat, efficiens ut alii præcipui officii ſui obliviſcantur. Sed Doctor, vel Paſtor Eccleſiaſticus lucerna eſt ardens, ut mundum illuminet, homo eſt a Deo conſtitutus, ut populos erudiat, & dirigat conſcientias. Debitor eſt illis omnibus, qui ad ipſum confugiunt, & ſecum diſpenſare non poteſt, quominus reſpondeat omnibus dubitationibus, atque difficultatibus, quæ ſibi proponuntur in quovis argumento, & undequaque mittantur. Cognitio ejus ſatis eſſe poteſt. Perfecte ſciat oportet dogmata, & Myſteria fidei, Scripturas, Sanctam Traditionem, Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Eccleſiæ Canones, atque Inſtituta; profundam habeat lectionem Operum Sanctorum Patrum, ita ut merito illi tribui valeant hæc Eccleſiaſtici verba: *In verſutias parabolarum introibit, occulta proverbiorum exquires. Auctor recens.*

Eccli. 19.

De vario Eccleſiaſticorum munere.

Nemo eſt, qui non cenſeat duas profeſſiones inter ſe adeo diverſas per characteres adeo peculiares, ſimulque, ut ita dicam, oppoſitos, non indigere propriis, ac peculiaribus cognitionibus; & eos qui alteri horum ſtatui congruunt, alteri nequaquam congruere. Doctores inſtituti ſunt, ut loquantur, alii, ut ſibi indulgeant. Doctores, ut doceant; hi ut diſcant; illi ut ſeorſim; hi, ut in mundi luce vivant. Illi ut invigilent populorum converſioni per documenta, ac monita: hi vero precibus ſuis atque gemitibus. Doctores in publicis cœtibus Dei Verbum annuntiant, alii hoc in ſolitudinis ſuæ receſſu meditantur. Doctores aliquid de vitæ ſuæ auctoritate remittunt per occaſionem eorum, cum quibus inveniuntur Providentiæ juſſu; alii, de aliis vulgo Religioſis loquor, qui ſemper æqualem ſervant Pœnitentiam, ubi legitima non adſit ratio illam interpellandi, ita ut ſe fideles præbeant in ſolitudine ſua ſervanda. *Idem.*

Admirabiles effectus ſtudii.

Studium, & litterarum amor aperit os illorum, qui illud ſilentio devoverant. Educit illos de requie, & obſcuritate receſſus illorum, eos in ſpectaculum profert, illos transformat, eiſque mutuatam formam induit. Communicat illi varias diſpoſitiones, eiſque imprimit characterem, nihilo minorem illo, quo Jeſus Chriſtus ſecernit eos, qui vere ſuum habent ſpiritum, ab iis qui illum non habent. *Idem.*

Studium, & ſcientia pietatẽ Sancti N. corroboravit.

Sancti Doctoris noſtri ſcientia non profuit, niſi ut pietatem ejus ſolidiorem efficeret. Pietas deliciæ erant illius; & ſtudia ſua haud ægre relinquens, feſtinanter ingrediebatur in hoc ſanctum animæ commercium cum Deo. Sed quomodonam precabatur? Cum reverentia & fervore, quæ maxime decebat conceptum Majeſtatis ſupremæ Dei, ante quem accedebat. Quoties viſus eſt, in terram proſtratus, repletus ea formidine, qua occupantur ſublimes intelligentiæ circum Altiſſimi thronum? Quoties viſus eſt igni ſacro ſuccenſus, qui ſe ſe prodebat extrinſecus per nitorem inſolitum, quo facies illius coruſcabat? Tamen parum ſuimet ipſius contentus cum Deo nonnunquam conquerebatur, dicens: Nunquid opus eſt, ut adeo parum te diligam, ego, qui novi quam ſis amabilis? *Sermo Manuſcriptus.*

Doctor noſter non ſpernebat modica, ſed ſingula diligentiſſime obſervabat.

Tantum aberat, ut crederet, communem pietatis praxim exilium eſſe mentium, vel habendam eſſe veluti quamdam ſpeciem ſervitutis, cui ſe ſe ſubjicere magna non debent ingenia; hanc ſumma diligentia ſervabat, multo magis in hoc cæteris præſtans, quam eminentia ſpiritus ac ſcientiæ. Ratus enim nihil modicum eſſe in Dei ſervitute, quod ab aliis audacibus nugæ vocantur, de his ſumma cum reverentia loquebatur, ac ſumma officii fide perfungebatur. Nulla erat actio in diei ſpatio, pro qua peculiarem methodum ſibi non propoſuiſſet; atque cum illi perſuaſum eſſet, ſimplices in recto tramite ambulare, per alias vias nolebat incedere; ſed conabatur in illo ambulare eo conſilio, ea mente, ſenſu, fervore, qui iis reſponderet luminibus, quæ ille habebat, & ſimplices non habent. *Idem.*

Scientia uti debemus ad pietatem & devotionem augendam.

Felices eruditi viri, quibus, ſecundum Sancti Doctoris Noſtri exemplum, ſatis non eſt veritatem cognoſcere per ſcientiam puram, & ab omni errore vacuam; ſed utuntur ſcientia ad pietatem ſuam excolendam: *Recte exiſtimare de Deo*, S. Auguſtinus ait, *initium pietatis eſt.* Huic fundamento ſuperædificanda pietas eſt eo major, quo ſolidior. Alioquin quid proderunt Doctis omnia ſua lumina, niſi ut ad Jeſu Chriſti Tribunal magis, magiſque damnentur? Vobis meditandum relinquo tanti momenti argumentum, ut vobis oſtendam, cum Sanctus Noſter ad ſublimem ſcientiam pervenerit per profundam humilitatem, illum ſcientia ſua uſum fuiſſe, ut humilitatem ſuam vividiorem efficeret. *Idem.*

Multũ proficimus cũ doctis & per orationem.

Effatum eſt Sancti Auguſtini æque præclarum, ac ſolidum: *Non parva pars ſcientiæ eſt ſcienti conjungi.* Sanctus Noſter ſibi gloriæ vertebat diſcipulum fuiſſe alterius hominis; cumque ſciret, hominem per orationem potiſſimum conjungi Deo, ut accedat in partem bonorum, quorum eſt origo, intellexit, ad hoc ut vere doctus fieret, ſe multo magis profecturum eſſe ſi cum humilitate preces funderet, quam ſi attentius ſtudiis operam daret. Illud etiam animadverterat, ubi Jeſus Chriſtus aliquam propoſuiſſet parabolam, cujus ſenſus lateret, Apoſtolos illum orare conſueviſſe, ut illius ſibi traderet explanationem: *Ediſſere nobis parabolam.* Præterea non ignorabat, talem fuiſſe praxim Sanctorum Doctorum, de quibus, Sanctus Auguſtinus ſcribens contra Fauſtum Manichæum, cui noſtrorum myſteriorum profunditas, & obſcuritas negotium faceſſebat; dixit, non minorem habuiſſe perſpiciendi vim, quam ille, ut has cognoſceret difficultates; ſed majorem præ illo habuiſſe humilitatem, ut earum poſceret, & aſſequeretur explicationem: *Quæſierunt, & invenerunt, pulſaverunt, & intraverunt.* Meminerat tandem S. Auguſtinum ſublimem illum, doctiſſimumque Virum, cui nihil impenetrabile videri debebat, ita & ipſum agere conſueviſſe, cum dicebat Deo: Tu, Domine, immiſiſti in me deſiderium cognoſcendi te, ſed quomodonam cognoſcam te, niſi nubem, quæ te oculis abſcondit meis, diſſipaveris? *Da, quoniam ſuſcepi cognoſcere te, & labor eſt ante me, donec aperias.* Sanctus Doctor noſter fidelis imitator ſummorum horum Virorum, orationem ſtudio præcedere volebat, neque temporis jacturam facere verebatur, cum aliqua deterritus difficultate libros relinquebat, ut ad Orationem confugeret. Superſunt nobis adhuc ea verba, quibus Deum precabatur, & divinitus factum eſt, ut pretioſum hoc ſuæ humilitatis monumentum inter alia præclara ſcientiæ ſuæ conſervaretur. *Auctor recens.*

In Pſ. 116

Quem characterẽ tribuat Deus ſcientiæ Sancti Doctoris hujus.

Videamus quem characterem tribuat Deus ſcientiæ Sancti Doctoris hujus propter adeo profundam humilitatem. Eam adeo ſublimem reddidit, ut pauci ſint in Jeſu Chriſti Eccleſia Doctores, qui hunc exæquent, & nemo qui eum ſuperet; adeo ſublimem, ut omnes crediderint eam minus fuiſſe fructum laboris, & applicationis ad ſtudium, quam effectum mirificæ illuſtrationis Æternæ Sapientiæ: adeo ſublimem, ut licet methodica ſit, exerceat tamen majora virorum ingenia, ſimilis hac in re ipſis ſacrorum Librorum Oraculis, quorum ſenſus profundus quotidie argumentum eſt noſtrarum dubitationum, atque diſceptationum. *Auctor recens.*

Scientia inflat cor hominum.

Niſi nobiſmet caverimus, ſcientia periculoſum in nobis parit tumorem in corde. S. Paulus hoc dixit, & quotidiana nos docet experientia. Fatendum eſt non ſine erubeſcentia coram Domino: Adeptine ſumus mediocrem ſcientiam? Oculos noſtros perſtringente lumine, quod inde emanat, præclaros de nobiſmetipſis conceptus animo imbibimus: feſtinanter niteſcere cupimus, ut illos aliis communicemus, noſmet aliis ipſi præferimus propter ſecretam vanitatem, & invidiam, quæ quamprimum erumpit. Volumus etiam ab aliis præferri, idque avide concupiſcimus poſt omnia honoris inſignia, quæ putamus eſſe mercedem debitam meritis, quæ ipſi nobis ineſſe arbitramur. Horum oppoſitum deſumendum eſt, ut veram Sancti Doctoris noſtri imaginem nobiſmet proponamus. *Idem.*

S. Doctor profitebatur omnem ſcientiam ſuam, non a ſe, ſed a Deo fuiſſe profectam qui ipſi omnia lumina fuerat mutuatus.

Scientia utebatur, ut apertius cognoſceret in ſe nihil eſſe præter ignorantiam, atque infirmitatem, & quin gauderet de nominis ſui celebritate, tribuens vel ingenio, vel labori ſuo lumina, quæ fuerat adeptus, in ſingula momenta cogitabat; ſi hæc erant in illo, ſua tamen non eſſe; & divina ope in ſe profecta; quorum poteſt quidem homo ſubjectum eſſe, non autem principium. Ita parvulus in oculis ſuis, donec univerſus terrarum orbis illum tanquam unum ex doctiſſimis Viris habebat, via ſe aliquid ſcire putabat, cum undique tanquam Oraculum conſuleretur. *Idem.*

En adhuc nonnihil veſtra dignum admiratione. Frequenter uſuvenit, ut cum meritum nobis adeſſe cognoſcimus, cupiamus eo in loco eſſe, ubi merita noſtra in lucem proferre valeamus. Teſtes illi ſunt, qui omnibus fere temporibus viſi ſunt in Eccleſiæ ſinu per artes, quibus ſibi uti licere putant, aditum ſibi aperire ad inſignes dignitates, ut ſibi jus illud fiat, quod ſe mereri contendunt. Tantum abeſt, ut ſitcantur hoſce motus effectus eſſe ambitionis ſecretæ, ſibimet perſuadent, oriri ex vero zelo pro publica utilitate, & rati ſibi injuriam fieri, ſi intra vitæ privatæ cancellos continerentur, conantur inde egredi, ut ea talenta, ita enim inquiunt, quibus cælitus aucti fuerunt, fiant utiliora. Sanctus noſter ab hujuſmodi ſenſibus ſemper abhorruit, cujus rei plura dedit argumenta. *Idem.*

Ambitio, qua quis doctus haberi vult plurimorũ malorum cauſa.

Mira hæc rerum eſt perturbatio, S. Bernardus ait, velle primum in ſcientiis niteſcere, nam in Dei ordine charitatis ardor ſcientiam gignere debet: *Quid lucere feſtinas? quare primum fervorem & nec dubium, quia ſplendor adjiciatur tibi.* Vis, ut aliquando ſcientia tua in hominum oculis eluceſcat? primum hoc age, ut cor tuum ſanctis chriſtianæ charitatis ardoribus ferveat. Sanctus Noſter perfecte ordinem hunc ſecutus eſt. Poſtquam ſeipſum ſanctificavit diligenti praxi officiorum Religionis, alios ſanctificandis operam dedit omnibus illis adminiculis, quibus zelus ardens uti conſuevit. Concionari,

docere, confiteri, ſcribere hæc omnia illum viciſſim occuparunt, & gradum fecit ab uno ad aliud quin inter utrumque requiem interponeret, quæ facile creditur neceſſaria ab iis, qui non eundem habent fervorem, ac ille: *Quare primum fervorem, & nec dubium, quin ſplendor adjiciatur tibi.* Videtur Deus oblectatus fuiſſe adimplens in illo hæc Scripturæ verba: *Ponam in lucem ſcientiam illius*; vel hæc alia: *Ecce intelliget ſervus meus, & exaltabitur valde.* Et ſane vix Sanctus N. ſcientiarum curriculum ingreſſus eſt, cum Mundus univerſus admiratus eſt vaſtam ingenii, & ſcientiæ ipſius extenſionem. Quin vellet, nimis enim hac in re modeſtus erat, factus eſt ſummus Scholarum arbiter; in controverſiis, quæ aliquando inter eruditos haberi ſolent, quamcunque in partem ſentiret, in eam libram inclinabat, ac de illo cœptum eſt dici, quod Antiquitas de S. Auguſtino dicebat, cujus ille ſe Diſcipulum profitebatur, potiori jure, quam neoterici quidam, qui ut erroribus ſuis auctoritatem acquirant, conantur illos inferre ſub nomine incomparabilis hujus Doctoris gratiæ. *Legi deeſt, quod Auguſtinus ignoravit. Auctor recens.*

Sapient. 6. Iſaia 52.

Loquitur nobis Deus non ſolum per Scripturas, ſed etiam per Doctores.

Non per Scripturas tantum nobis loquitur Deus; ſed etiam, & fortaſſe apertius per inſpirationes, per interiores gratiæ ſuæ motus, per quædam lumina, quæ nos perſtringunt, & ſæpe patiunt in nobis, & cum nobis tot optimas cogitationes, tot ſancta deſideria, tot pia conſilia. Ecce ſecundum Jeſum Chriſtum quinam ſit ſolidus fundus in quo vobis laborandum eſt ad ædificationem interioris hujus domus, ubi Deus cum vobis habitare vult. Verum cum vobis ſufficiat ſalutares has impreſſiones recipere, quin illis reipſa utamini, arguendum eſt, inſipientem eſſe eum qui id fecerit, & in irritum laborare; opus enim hujus omni carebit ſoliditate ac diuturnitate. Virtus fortaſſe aliquando ſubſiſtere poterit, ac hominum admirationem conciliare; at nunquam ita erit valida, ut reſiſtat fluctibus tentationis, & furentibus cupiditatum incurſibus, & vitiis, quæ ſerius, ocyus in illam erumpent. Vere igitur dicere poſſumus Sancti hujus Doctoris virtutem nunquam labefactatam fuiſſe ulla tentationum vi, quæ nunquam profuit, niſi ut hunc in ſæviſſimis Eccleſiæ perſecutionibus inconcuſſum præberet. *Moralis Novi Teſtamenti P. la Neuville.*

Quantum Eccleſiæ damnũ afferat ignorantia.

Si quæ ſæcula turpia, & indecora fuerunt in Eccleſia propter fidelium ignorantiam, & corruptionem, illa ſane fuerunt, quibus Eccleſia profunda tranquillitate fruebatur. Ignorantia fictæ hujus pacis mater erat; vitium autem fructus. Nemo erat, qui vel zelum haberet, vel ſcientiam, ut privatorum flagitiis, aut corruptis laxiſque doctrinis, quæ in Eccleſiam obrepebant, adverſaretur? Contra ſæcula magis florentia, veluti prima, illa fuerunt, quibus homines eruditi firmiter ſuſtinuerunt, non ſolum fidei veritates, verum etiam morum puritatem, & diſciplinæ ſeveritatem. *Auctor recens.*

Prophetæ ſcripſerunt ea, quæ non acciderant, & Doctores ea nobis tradiderunt majori cum voluptate, ac progreſſu.

Prophetæ, atque Doctores ſunt hiſtorici Filii Dei; ſi primi non æque illuminati fuerunt, fuerunt nihilominus admirabiliores poſterioribus. Quippe illi ſcripſerunt, & connotarunt ea, quæ nondum acciderant, & futurorum caliginem penetrantes Prophetarum qualitatem cum qualitate Hiſtoricorum conjunxerunt. Si Doctores hac de cauſa illis cedunt, tamen illis quam maxime antecellunt. Cum enim de præteritis ſcribant, longe diligentius factorum circumſtantias connotant, & cum in ſcriptis eorum lumina minime permixta ſunt tenebris, uti ſunt in ſcriptis Prophetarum, nos erudiunt & jucundius, & utilius. Verum quin ea vobis oſtendam diſcrimina, quæ inter utroſque intercedunt, vobis ob oculos ſtatuam unam ea præcipuis rationibus, propter quam convenit inter ipſos, eaque eſt, quemadmodum Prophetæ variis modis Jeſum Chriſtum conſiderarunt, ita & Doctores aliter illum ſpectaſſe; & utroſque ſimul univerſam illius hiſtoriam tradidiſſe nobis deſcribentes omnes ejus actiones, & qualitates. *Panegyricus S. Lucæ, P. Senault.*

Deus diverſa tribuit dona Sanctis Eccleſiæ Doctoribus.

Largitur Deus Sanctis ſuis diverſa dona pro temporum varietate, variiſque Eccleſiæ ſuæ neceſſitatibus. Ubi vult Religionem ſtatuere, in medium profert Sanctos, quos replet donis inſignibus linguarum, Prophetiæ, miraculorum ad idololatras convertendos. Cum Eccleſiam jam conſtitutam confirmatamque Tyranni perſecuti ſunt, replevit Martyres dono fortitudinis & patientiæ, ut eorum incurſibus reſiſterent: ſed poſtquam Eccleſia eadem conſtituta, confirmataque fuit in perſecutionibus, nulloſque inimicos habuit quam hæreticos maloſque Chriſtianos, ſuſcitavit Deus ſervos fideles, quos replevit donis ſcientiæ, atque intellectus, ut morum, ac diſciplinæ labentis repararent excidium. Talis fuit Sanctus N. Dedit illi ſanctitatem eruditam, ac illuſtratam, qua tunc indigebat Eccleſia ad impugnandos errores, qui tunc in ſinu illius oriebantur, & ad inhibendos impietatis, ac vitii progreſſus. Sed ſcientia Sancti N. primum egit in ipſum, mox in Ordinem ipſius, in Eccleſiam, & proximum. *Ex Specimine Panegyricorum, Tom. 1.*

Scientia producit effectus modo bonos, modo malos, juxta rectam vel pravam propenſionem poſſidentis illã.

Scientia æſtimabilis non eſt niſi quatenus ſanctitati conjuncta eſt; ſi adeſt in homine profano, profana eſt; ſi adeſt in Sancto, ſancta. Sanctus ſciens Angelus eſt propter corporis puritatem, & lumina mentis ſuæ; ideoque dupliciter particeps eſt perfectionis harum ſublimium mentium. Sanctus N. utramque hanc poſſedit prærogativam in gradu eminenti. Hunc nobis fingere poſſumus tanquam Seraphin divino amore ſuccenſum, ab omnibus concupiſcentiæ ardoribus emundatum per ignem charitatis, ſimulque tanquam Angelum Apocalypſios *volantem per medium cœlum, habentem Evangelium in manu ſua.* Sed divinus hic liber tranſit in ejus ſubſtantiam: alitur veritatibus illius, repletur ejus ſcientiis, utitur ejus ſcientia ad emundandas virtutis ſuæ cauſas; intellectus illius ideo illuſtratur, ut magis magiſque ſuam inflammet voluntatem. Per accidens ſcientia nonnunquam officit pietati; remedium eſt potius ad curandam animam, quam virus ad eam corrumpendam: ita Sanctus Auguſtinus ſcientias comparat chirurgicis medentium ſcalpris, quibus aliquis uti poteſt ad membra ſecanda, licet effecta fuerint ad eadem ſervanda; ſed hoc contigit contra mentem artis medicæ. Scientia fax eſt, quæ in manu furentis ignem in Templa poteſt inferre; ſed in manu Sancti Viri lumen aptum eſt, ut ſuper Aras refulgeat. In hunc uſum Sanctus N. ſuam ſcientiam adhibuit. Quos radios hoc ſydus non effundit in Eccleſiam? Sed magnus iſte Sanctus ſuis utitur cognitionibus, ut eorum nitorem abſcondat. Ejus humilitas eſt velut obſcura nubes, qua ſuam tegit ab oculis ſuis claritatem donec interim Eccleſia admiratur in eo divinam hanc ſcientiam, qua repletus fuit. Ille eo ſe magis humiliat, quo magis attollitur; vellet ſi fieri poſſet, exercere talenta admirabilis, quæ divinitus recepit, quin inde ullam reciperet gloriam. Modeſtia ſua clam zelo ipſius adverſitur. *Idem.*

Apoc. 14.

Tria quæ J. C. a Doctoribus exigit.

Jeſus Chriſtus tria exigit a Doctoribus, quibus jure applicat Eccleſia, quod Apoſtolis dictum eſt. 1. Ut doceant, quoniam ideo ſunt lux, ut luceant; & ne humi talentum infodiant, cujus rationem reddituri ſunt illi, a quo ipſis creditum fuit. 2. Ut faciant ea, quæ docent, neque corrupto vitæ genere deleant, quod doctrinæ ſuæ puritate confirmandum eſt. 3. Ut Dei gloriam tantum reſpiciant, neque ad utilitatem, aut vanitatem referant officia illius miniſterii, quod ideo conſtitutum eſt, ut per illud Deus agnoſcatur & honoretur. Qui retinet fratrem ſuum, & vetat ne cadat in ſcelus, habita hujus ratione ſal eſt, quo a putredine præſervatur. Qui exemplo ſuo ad bene agendum excitat alios, lumen eſt eorum: & defert in ſe verbum J. C. quoniam bona illius vita prædicatio eſt verbis omnibus potentior. *Annus Chriſtianus, Tom. 6.*

Sanctus hic Doctor oſtendit hominibus Dei magnalia.

Munus, quod contulit Deus Sancto N. in Eccleſia ſua ampliſſimum eſt, atque præſtantiſſimum. Si lumen Solis non alios habet limites, quam orbis totius, Sancti hujus doctrina in ſtudiis ſuo illi non cedit. Hæc univerſalis eſt & ratione locorum, quandoquidem ab omnibus nationibus recepta eſt, & ratione temporum, ſiquidem ſæculorum omnium diuturnitatem exæquabit, & ratione veritatum, quas explicat; quoniam nihil lumen illius fallere potuit. Non deeſt illi, unde hæreſes conterere valeat, unde Ethnicorum errores refellat, unde vitia in exilium expellat, unde Eccleſiæ faciem inſtauret, unde virtutibus exiſtimationem conciliet, & unde ampliſſimos colligat fructus. Theologi quinque mundos diverſos diſtinguunt; Archetypum, Intelligibile, cæleſte, elementare, & microcoſmum; quod eſt reliquorum compendium. In Archetypo Sanctus hic nobis oſtendit in luce admirabili perfectiones Dei; in intelligibili Hierarchias Angelorum: in mundo cæleſti ordinem, motum, influxum, & Aſtrorum concentum: in elementari omnia naturæ ſecreta; in microcoſmo denique quidquid ſpectat ad mores & hominum politiam. *Vita Jeſu P. Nouet.*

Superbia Doctorum Legis antiquæ cauſa erat propter quam illi Doctrinam J. C. contemnebant.

Doctores Legis, & Phariſæi doctrinam Jeſu Chriſti non recipiebant, quia ſe doctiores putabant quam ut ab illo poſſent edoceri; & ille his exprobrat aliquando incredulitatem, quia ſe videre gloriabantur; nam e contra ſi cæci fuiſſent, videlicet, ſi cæcitatem ſuam fuiſſent confeſſi, credidiſſent in lucem, quæ venerat, ut illis luceret. Parvuli e contra, videlicet ſimplices, quales erant Apoſtoli ac diſcipuli, & ex ima plebe alii credentes in Jeſum Chriſtum, illuminati erant a Deo, qui illis ea revelabat, quæ ſuperbos ſapientes celabat. Neque ideo putandum eſt, neminem doctum Virum extitiſſe inter diſcipulos Filii Dei, quales fuerunt Nathanael, Nicodemus, Gamaliel: ſed facti ſunt parvuli, hoc eſt humiles, ut fidei lumen reciperent. Ut enim ex horum parvulorum ſis numero ſatis eſt fateare temet ex te nihil niſi tenebras eſſe ac Dei lumine indigere. *Annus Chriſtianus le Tourneaux, Tom 1.*

Superbia efficit, ut Mundi ſapientes cæci ſint, dum parvuli illuminantur per humilitatem ac meram Dei miſericordiam. Matth. 11. 27.

Probat Jeſus Chriſtus Patris ſui conſilium, ſimulque nos docet, ſi mundi hujus docti Viri æquiſſimo judicio relinquuntur in tenebris propter eorum ſuperbiam, parvulos illuminari ex mera Dei miſericordia, non autem propter merita ſua: iiſque cum Jeſu Chriſto dicendum eſſe: *Ita Pater: quoniam ſic fuit placitum ante te.* Jeſus Chriſtus tanquam Deus per æternam nativitatem ſuam accepit naturam, atque poteſtatem æqualem Patri; & quatenus homo, per miſſionem ſuam recepit abſolutam poteſtatem inſtituendi Eccleſiam, eam regendi, homines ſanctificandi, efficiendique, ut cognoſcerent Deum, &c. *In Anno Chriſtiano Tomo 1.*

*Prævi Doctores quaſi officiant Eccleſiæ.*

Dei Filius pſeudo-Prophetarum nomine generatim intelligit eos omnes, qui ſerunt errores, qui fallacibua doctrinis populos fallunt. Hi ſunt pſeudo-Prophetæ illi, qui fidem corrumpunt, qui arma contra Eccleſiam diſtringunt, qui ejuſdem deciſionibus ſeſe victos dare nolunt, qui illius unitatem infringunt. Mundi Salvator nos edmonet: *Attendite a falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces: a fructibus eorum cognoſcetis eos.* (*Matth. 7.*) Hoc mirum in modum iis quadrat, qui novas doctrinas annuntiant, qui ab Eccleſiæ communione ſecedunt, qui falſo aſſerentes, veritatem non amplius doceri, ipſi contra veritatem loquuntur. Dei Filius dicit, *qui veniunt ad vos*. Adnotate verbum: pſeudo-Prophetæ veniunt; videlicet veniunt ex ſe, & propria auctoritate. Prophetæ veri mittuntur; fallaces ultro veniunt; Hæc tutiſſima nota eſt ad diſtinguendos veros Prophetas ab iis, qui fallunt. Omnes qui ultro, ac per ſe veniunt, e nemine miſſi, omnes ſunt pſeudo-Prophetæ. Hoc pacto hæc Jeſu Chriſti verba ab omni antiquitate explicata fuerunt; & ſecundum hæc principia, qui ex ſe, & ultro venerunt, ſemper habiti ſunt tanquam ſchiſmatici, & pſeudo-Doctorea. *Annus Evangelicus Tomo 3.*

*Tertulliani ſententia de Doctoribus qui novi docent, ut Hæretici.*

Tertullianus ut ævi ſui Hæreticos confundat, unam dumtaxat proponit quæſtiunculam: Quinam voa eſtis? Quando incepiſtis? Unde veniſtis? Hoc autem unum ab illis quærebat, quia ævo illius omnibus perſuaſum erat, eos, qui ex ſemet veniebant, ſecum geſtare characterem ſchiſmatis, qui unus ſatia erat, ut eos pſeudo-Prophetas eſſe liqueret. Quinam eſtis? Recens veniſtis; ergo doctrina veſtra nove eſt; quod ſatia eſt ad illius falſitatem probandam. Quando incepiſtis? Noſtris hiſce diebus incepiſtis, veritas antiquior eſt, ideoque vos illam minime docetis. Unde veniſtis? A vobiſmetipſis. Igitur ab Apoſtolis nequaquam miſſi fuiſtis, qui ſoli ſunt Doctores veritatis. *Annus Evangelicus Tomo 3.*

*Hæretici ſemper confugerunt ad Scripturas, ut doctrinâ aliquâ ſtatuerent.*

Obliti non eſtis, hanc omnibus temporibus Hæreticorum artem fuiſſe, ad Scripturas confugere; ſed cum ſibi vindicant licentism explicandi Scripturam eo modo, qui Eccleſiæ deciſionibua adverſetur, nonne Eccleſia jure ſuo illis cum Tertulliano reſpondere poteſt: Scriptura eſt hæreditas mea, & poſſeſſio mea; bonum meum eſt; quod mihi aufertis: Ego illam accepi ab Apoſtolis, meum eſt aperire abditos Scripturæ ſenſus. Unda nam inceperunt perditiſſimi earum partium principes, quæ ſibi fucum fieri paſſæ ſunt a ſpeciebus fallacibus? Inceperunt illi quidem frangentes unitatem, atque evocantes populum ad ſeceſſionem. Prima Eccleſiæ temporibus conſtabat, eum ſtatim interire, qui frangit unitatem; & nullam unquam afferri poſſe cauſam ſecedendi. Qui oppoſita aſſerebant placita, habebantur tamquam Hæretici, & pſeudo-Prophetæ. Nunquid dici poteſt, id quod primis temporibus verum erat, hodie non amplius eſſe verum? Si veritas manet immobilis, qui unitatem noviſſimis temporibus fregerunt, exiſtimandi ſunt seductores, & pſeudo-Prophetæ, non ſecus ac qui primis Eccleſiæ temporibus frangebant allam. *Idem.*

*Mala, quæ pſeudo-Prophetæ pepererunt in Eccleſia.*

Qui a nobis receſſerunt, nonne totam Eccleſiæ doctrinam ſubverterunt? Si populis, quos deceperunt, ineſſet primorum fidelium ſimplicitas, de quibus loquitur S. Irenæus, ne audiviſſent quidem eos, qui venditabant doctrinam Eccleſiaſticæ doctrinæ pugnantem. Deo habeantur gratiæ, nos ſumus in unitate, nihil timendum eſt nobis a pſeudo-Prophetis. Adhærentes Eccleſiæ, quæ eſt *columna, & firmamentum veritatis*, (*1. Tim. 3.*) nunquam verba nobia venundari ſinemus; quoniam ſemper ſubjecti erimus illi, contra quam *portæ inferi non prævalebunt*. (*Matth. 16. 18.*) Operæ tamen pretium eſt in his veritatibus animadvertere, ut noſmet in fide noſtra confirmemus, gratias agere omnipotenti, qui nos a pſeudo-Prophetarum illuſionibus liberavit. Nonne ſumus in Eccleſiæ ſinu? Spiritus seductionis quocunque obrepſit. Nunquid deſunt funeſta experimenta, quæ nos docent pſeudo-Prophetas in ipſum etiam Eccleſiæ agrum late depopulationem inferre? Verum eſt pſeudo-Prophetas, qui fidem corrumpunt, non audiri: ſed non deſunt alii, qui mores corrumpunt, qui maxime periculoſi ſunt, & qui poſt ſe magnum diſcipulorum numerum trahunt. *Idem.*

*Pſeudo-Prophetæ inquiruntur, quia prava doctrina ſua decipiunt peccatores.*

In ipſa etiam Eccleſia inveniri poſſunt pſeudo-Prophetæ, a quibus ſibi cavere maxime intereſt. Secundo loco aſſero quamplurimos eſſe, qui tantum abeſt, ut ſibi caveant a pſeudo-Prophetis, ut immo illos inquirant, & decipi velint. Addo præterea pſeudo-Prophetarum auctoritatem minime excuſare eos, qui iiſdem fidem habent; & non minus ſontem eſſe qui fallitur, quia falli vult. Dico tandem unicam rationem ſibi præcavendi ab illuſionibus pſeudo-Prophetarum eſſe audire Jeſum Chriſtum, ejuſque præceptis, quæ nobis tradidit, inhærere. Hi ſunt illi, quos pſeudo-Prophetarum nomine vocat Eccleſia. Utrum vero hi magno ſint in numero, penes vos eſto judicium. Eos cognoſcite, ut ab illis vobiſmet ſecundum Salvatoris verba caveatis: *Attendite a falſis Prophetis*. Illi ſunt pſeudo-Prophetæ, & seductores, quemadmodum Oſeas Propheta teſtatur; qui palpant peccatores, & adulantur illis, eoſque in ſuis detinent iniquitatibus. Quot peccatores tuto in via iniquitatis perſeverant, quia ſepti ſunt aſſentatoribus ſibi plaudentibus, qui malum pro bono laudant, qui vitiis adolent thura æque ac virtutibus? Quis ambigit, cum cerei ſimus in vitium ſicut ſumus, ne ſit periculoſæ plenum opus aleæ, ae etiam lethale circumdari iis mortalibus, qui criminoſa fovent, ac muniunt animi noſtri ſtudia per laudes, ac plauſus, inaneſque aſſentationes? Quoties peccator in funeſtis ipſius conſiliis confirmatur ſermonibus eorum, qui ambitionem ejus palpant, amorem divitiarum, ultionem, luſum, magnificentiam, & qui virtutis nomen profanant eo uſque, ut illud applicent vitiis omnibus, qui virtuti maxime adverſantur? Nonne hoc illud eſt, quod Propheta vocat blandiri peccatori, eumque in iniquitatibus detinere? Si ergo juxta Filii Dei monitum, præcavere debetis vobiſmet a pſeudo-Prophetis, cavete etiam ab adulatoribus. Venenatæ laudes eorum quamplurimum conferre poſſunt, ut in vitio voluemini, tunc vero potiſſimum cum adulatio eo procedit, ut ſcelus laudet, eique nomen virtutis affingat. *Annus Evangelicus Tomo 2.*

*Pſeudo-Prophetæ non aperiunt peccatori iniquitatem ejus, ut illum ad pœnitentiam adducant. Lament. 19.*

Ex Jeremiæ teſtimonio, illi ſunt pſeudo-Prophetæ, qui peccarori *non aperiunt iniquitatem ejus, ut illum ad pœnitentiam provocent*. Conſtat quamplurimos eſſe peccatores graviſſimorum criminum conſcios, & qui expiari non poſſunt niſi maximis pœnis. Liquet multos ex his infecta pœnitentia, vel non ea peracti, quæ ſit peccatis eorum congrua, ducere tamen vitam tranquillam, & multos etiam Eccleſiæ Sacramenta recipere: *Attendite a falſis Prophetis*, videlicet ab illis, qui ob zeli, ac firmitatis defectum, non exprobrant peccatori vitæ ejus flagitia, neque animant illum, ut ſalutarem pœnitentiæ medicinam recipiat. *Idem.*

*Multi ſunt in Mundo pſeudo-Prophetæ docentes doctrinam prorſus oppoſitam doctrinæ J. C.*

In mundo paſſim pſeudo-Prophetæ inveniuntur, docentes ab illis, quæ a Jeſu Chriſto tradita fuerunt, prorſus abhorrentia. Nihil in mundo vulgatius auditur, quam: Beati divites; Beati qui omnibus commendis perfruuntur; Beati qui magnas obtinent dignitates. Quicunque hæc placita effutiunt, nonne ſunt pſeudo-Prophetæ habendi? Qui impugnat dogma aliquod in Eccleſia univerſa receptum, proculdubio, inter pſeudo-Prophetas, atque hæreticos recenſetur. Cur igitur liceat aggredi moralia præcepta a Chriſto Jeſu inſtituta? Qui dixit: *Hoc eſt corpus meum*, dixit etiam: *Beati pauperes, divites maledicti*. Quemadmodum ergo hæreſis eſt aſſerere, Euchariſtiam non eſſe corpus Jeſu Chriſti; hæreſis quoque eſt affirmare beatos quidem eſſe divites, pauperes autem miſerrimos. Non ſolum attendite vobis a pſeudo Prophetis, qui Jeſu Chriſti verbo adverſantur, ſed attendite vobis, ne vos etiam evadatis pſeudo-Prophetæ docentes placita illis oppoſita, quæ nos Dei Filius edocuit. *Annus Evangelicus Tomo 3.*

*Salvator agit circumſpectius cum Doctore legis, cum tentatum acceſſerat.*

Mundi Salvatori non ſufficit agere circumſpectius cum legis Doctore, cujus cor plenum erat iniquitate; neque ſatis eſt illi erudire Judæos ea de re, quæ maxime ad Religionem ſpectabat; verum cum ſemper intentus eſſet illuminandis fidelibus omnibus, qui ſæculis labentibus erant venturi, docet, quænam ſint majora legis præcepta, eaque ſua auctoritate confirmat. Hæ ſunt veritates, quæ a nobis ad examen revocandæ ſunt. Videte bonitatem qua Jeſus Chriſtus lucratur Legis Doctorem, qui ipſum tentaturus accedit. Admiramini ſapientiam, qua erudit Judæos in eo Religionis argumento, de quo vix verba facere licebat, quin irritarentur, & ſe laceſſitos putarent. *Annus Evangelicus Tomo 4.*

*Sancti hujus pietas tanta ac tam ſincera fuit ut id exerceret opere quod ſidelis docebat.*

Pietas Sancti N. illum magis commendabat, quam doctrina. Melius docebat chriſtianas veritates exemplis, quam verbis. Hæ magis patebant in moribus, quam in ſermonibus illius. Ad hos intelligendos opus erat acri ingenio, & eruditione, ſed ad illos intuendos, ſatis erat oculos habere, ut liqueret, Doctorem, qui ita ad unguem opere complebat, quod docebat ore, mendacem eſſe non poſſe; zelum ejus pro gloria Dei ſui eſſe ardentem, amorem erga Eccleſiam integerrimum, pœnitentiam auſteram, orationem aſſiduam. *Godeau in Elogio Sancti Dionyſii Alexandrini, in libro cui titulus: Epiſcoporum Elogia.*

*Quanam fuerit Doctoris hujus inſtitutio?*

Educatio Sancti N. fuerat admirabilis, & propter ingenii felicitatem non communem progreſſum fecerat in ſcientiis. In ſectis Philoſophorum nihil erat, quod eum falleret, ſed illi ſatis fuit naturæ ſecreta cognoſcere, quin illa vellet profiteri. Eloquentiam potiſſimum aggreſſus eſt, & fuit Rhetor eximius. Ingenii vis, imaginandi facultas, judicii ſoliditas, memoriæ fidelitas, artium, & ſcientiarum politiorum cognitio, vocis ſuavitas, ae robur fuere dotea, quas ad hanc attulit profeſſionem, & propter quas in hac enituit dicendi ratione; & jam in ſenium proceſſerat, cum a mundi amore receſſit, & ſæculari profeſſioni ſuæ vale dixit. Sed tanta diligentia reliquum ſibi ſtadium abſolvit, ut omnibus illis præceſſerit, qui celerius in ſtadium ipſum fuerant ingreſſi. Illius homo vetus adeo perfecte in baptiſmo conſepultus fuit, ut repente hominem novum induerit. Mortuus eſt prorſus & mundo, & ſibimet ipſi. *Elogium Sancti Cypriani ibidem.*

*Cum S. Doctor hic ad extremos uſque limites ſuas*

Satis admirari non poſſumus Doctorem, qui cum ſuas cognitiones uſque ad ſcientiæ permiſſæ limitea extremos produxerit, ſi ita loqui fas eſt, didicit revereri ſacram illam lineam, qua Deus ſecrevit veritates, quarum

*Cognitiones procul [illegible] eas veneratur eſt veritates, quarum Deus uni ſibi cognitionem [illegible].*

quarum cognitionem permittit nobis, ab iis, quarum perquiſitionem nobis voluit interdictam: ſemper ſapiens, & venerabundus in altiſſimis elationibus ſuis, nunquam aberravit in curioſas id genus cogitationes, ubi Pſeudo-Sapientes antiquitatis evanuerunt; ſemper cæcus fuit in noxiis iſtis ſcientiis, quas hominum ſuperbia & nequitia excogitavit; ſatis ſibi visus eſt eminus notare ſcopulos, ſyrteſque hujus ignoti pelagi, & officioſa protendere brachia illis, qui aberraverunt; & eorum proficiens exemplo, ſcivit nonnunquam voluntariam præferre ignorantiam ſcientiæ vanæ ac periculoſæ. En, Auditores lectiſſimi, quem vobis hodierna die velim aſtruere conceptum Doctoris S. N. Admiremur Doctorem, qui nihil ignoravit eorum, quæ ſcienda erant; Sanctum imitemur, qui nihil ſcivit eorum, quæ erant ignoranda. *Ex Specimine Panegyricorum pro die feſto Sancti Thomæ Aquinatis, Tomo 1.*

*Quam late patuit [illegible] hujus Doctoris ſcientia?*

Ullane fuit unquam ſcientia major, latius extenta, magiſque naturalis, quam hujus Doctoris ſcientia? Sibi ille concinnaverat ſtylum in actum redactum, atque conciſum; cum enim multum cogitaret, opus erat, ut de quolibet argumento parum loqueretur, ut omnia tractaret. Hinc ille conciliare novit duas qualitates, quæ raro ſimul inveniuntur, ſuccoſam brevitatem, cum incredibili fœcunditate, qua in re mirifice excelluit, per ordinem admirabilem, quo infinitam ferme diſpoſuit multitudinem veritatum, principiorum, argumentorum, quæſtionum, concluſionum, objectionum, & reſponſionum ſibi invicem veluti catena quadam connexarum, vinculo, & nexu adeo naturali; ut a noviſſima divinorum operum ejus quæſtione aſcenſus fieri poſſit uſque ad primam. Illud vero Sancti N. doctrinam magis venerabilem efficit, quod hac magis orthodoxa nulla eſt. Nam in Sanctarum Scripturarum explicatione nunquam in propriis luminibus confidit, licet ille per ſe ſatis perſpicax eſſet, ſemperque præcedentem Eccleſiaſticæ facis lucem ſecutus, videtur in eo totus intentus fuiſſe, ut Patrum mentem aſſequeretur, ut liquet ex pretioſa catena, quam ille compoſuit ex locupletiſſimis eorum ſententiis, qua voluit, ut ita dicam, mentem ſuam captivare ſub jugo ſententiarum eorumdem. Hinc nullam proferebat propoſitionem, quam non confirmaret auctoritate ſummorum Virorum; ita ut vix inveniri valeat articulus, qui non ſit hac defenſione munitus. *Ex Specimine Orationum Panegyricarum pro die feſto Sancti Thomæ Aquinatis, Tomo 1.*

*S. hic Doctor expurgavit ſcripta ſua ab omni errorum labe, & integre [illegible] S. Auguſtini oper[a] ſecundum ſenſ[um] & ordinem naturalem [illegible].*

Secundum hæc placita expurgavit ſcripta ſua ab omni vel minima erroris labe, & legens veſtigia inſignis Sancti Auguſtini in naturalem congeſſit ordinem acervum illum divitiarum, quæ confuſius effuſæ erant in libris magni illius Religionis magiſtri, ac diſſipatis nebulis, quæ caliginem offundere poterant puritati doctrinæ illius, inſeruit in operibus ſuis manubias omnium Doctorum Catholicorum, cum luminibus, quæ ex propria ſcientia mutuatus eſt. Quam admirabilis eſt, cum Philoſophorum Ethnicorum veſtigiis inſiſtens, feliciter evitat ſcopulos, in quos inſcitia rerum ſacrarum illos conjecit, cum ſimul ac illos tanquam duces eligit, ſibi illos in omnibus erroribus colligit, & per Religionis principia emendat quidquid abnorme eſt in principiis ſcientiarum ſuarum, & ponit Philoſophiam tanquam tyrocinium fidei, & chriſtianæ Religionis rudimentum. Poſt hoc principium credimuſne craſſam, rudemque illam excuſare ignorantiam, in qua ſumus immerſi circa infinita noſtri ſtatus officia? Sed inter generales cognitiones, quas Chriſtiani titulus exigit a nobis, nonne quædam ſunt in vita civili profeſſiones, quæ poſcunt lumina, ſine quibus fieri minime poteſt, ut ſalutem noſtram operemur? Tu es Eccleſiaſticorum theſaurorum diſpenſator, ubi tibi placuerit, aperis & claudis ſacros rivulos, in quibus continetur pretium Redemptionis humanæ: tibi deeſt neceſſaria cognitio, ut adeo periculoſam diſpenſationem procures, indiſcriminatim effundis Jeſu Chriſti ſanguinem in eos, qui veri, & in eos, qui ſimulati ſunt pœnitentes: vel te parem fac ſtatui huic tuo, vel te abdica eo miniſterio, quod ipſi etiam Angeli reformidant. Tu ſequeſter es auctoritatis Principis, & fati populorum arbiter; minima verba; quæ tibi elabuntur pro Tribunali ſedenti, unde jus dicis de bonis, honore, ac vita civium, irreparabiles habent effectus, ubi ſemel locutus es. *Idem.*

*Sanctus N. fuit ſemper oppoſitus vanis ſpiritibus, fidei rationem ſubjiciens.*

Vos, qui noſtis ſoliditatem, ſapientiam, & doctrinam Sancti N. optime noſtis, quantum ille ſemper adverſatus fuerit ſpiritibus vanis, & curioſis. Nullus unquam Doctor Evangelicus melius captivavit rationem ſuam ſub jugo, nullus verius de propriis diffidit luminibus, nullus ſincerius humanæ mentis infirmitatem expertus eſt, nullus plenius omnes curioſitatis illecebras abjecit, vel fidelius Evangelicis inſtitit veſtigiis, vel inviolabilius Eccleſiæ deciſionibus adhæſit, quam Sanctus N. Nunquam in iis quæſtionibus, quæ liberum aperiunt aditum, tanta cum modeſtia, præcautione, ac verecundia, loquitur, & quia iis in argumentis, in quibus nihil vel Eccleſiaſticis edictis, vel Patrum auctoritate ſancitum erat, mens ejus hærebat anceps inter probationes, & objectiones, quas ille ſibi opponebat, plerumque ſilentium ſervabat, cum non poterat loqui poſt alios; & quin ad inania commenta confugeret, immorabatur in erudita hac ignorantia, quæ fructus eſt ſcientiæ omnibus numeris abſolutæ. *Idem.*

*Periculum quod adeſt in cognitione veritatis curioſius inquirendæ.*

Quamvis veritatis cognitio maxime excellat, tamen inconditum hujus cognitionis deſiderium non ceſſat, quominus maxime nocens evadat in iis, qui ſeſe illi mancipant. Quot ſunt vani ſpiritus, qui ad exemplum eorum, de quibus loquitur Jeremias Propheta, linguam ſuam erudiunt, ut venditent jucunda mendacia, qui temere ſeſe impediunt iis perquiſitionibus, quæ illorum captum excedunt, ex quo plurimæ ſuboriuntur chimeræ & errores: quia multi ſunt, quos ſupplantavit ſuſpicio eorum, ſapiens ait, & quos amor proprius in vanitate ſenſuum ſuorum? Ita ratiocinabatur Doctor ipſe incomparabilis, & Sanctus hic Vir vitam ſuam regebat, ſecundum præcepta, quæ aliis tradebat. Non laudo Sanctum ejus ordinis, cujus fuit S. N. eo quod ignoraverit ſcientias ſuperſtitioſas, atque diabolicas, quæ ſunt tot impiorum occupatio. Si ex hac ignorantia aliquam percipere gloriam poſſet, hæc eſſet, illam non prohibuiſſe quominus ſatis eas cognoſceret ad illas oppugnandas, & hæc phantaſmata ſcientiarum a dæmonibus animata, ad aſpectum hujus Angeli Lucis evanuiſſe. Illud vero Sancto N. glorioſius eſt, ſuam ipſam ſcientiam quodammodo ignoraſſe. Cum ille ſemper vacaret perquiſitioni veritatum, ſibi enucleandarum, ſæpe non attendebat ad eas, quas ipſe detexerat; ardenter concupiſcebat communicare aliis eas cognitiones, quas adeptus fuerat, quin inde ulla ſibi cederet gloria; ac ſemper adverſatus eſt pertinaciæ, faſtui, indocilitati, & arrogantiæ ſapientium, ea modeſtia, ſimplicitate, atque indulgentia, quarum nunquam ipſum pœnituit. *Idem.*

*S. hic Doctor præclara præbuit exempla viris doctis.*

Sanctus N. præclara exhibet Viris doctis exempla: nam cum laboramus ſcientias adepturi, non utique laboramus, ut illas oſtentemus coram hominibus, ut in mundo niteamus, ut viam nobis aperiamus ad ſæculi honores, atque divitias, ut expleamus inexplebilem humani ſpiritus curioſitatem, ut evadamus auctores vel ſectores præcipui novitatum, quæ ſcandalum cient, quæ puritatem, & veterem Eccleſiæ doctrinam corrumpunt, ut noſmet implicemus inanibus diſputationibus, propter quas pietas in ipſo fonte exareſcit, ut etiam immoremur in ſimplici cognitione ſterili veritatis; ſed ut Deum cognoſcamus, eumque facilius cognoſcendum aliis præbeamus: ut amemus illum, & illum impenſius amari procuremus: Vir enim eruditus, qui menſes, annoſque traducit in ſacrorum librorum ſtudio cum profanis intentionibus, nihilo innocentior eſt illis qui vitam tranſigunt in vacuis ſæculi nugis. Scientiæ omnes, quæ ad Dei cognitionem minime perducunt, cognitiones omnes, quæ non adducunt ad ejus amorem, inanes, ac inutiles ſunt. *Idem.*

*Tenerie S. Doctoris [illegible] non verecundia debent ſuffundere.*

Quænam recentes laudes a me tribuendæ non eſſent Sancto huic Doctori, ſi vellem illum exhibere vobis repletum luminibus, ac talentis neceſſariis ad miniſterium ad ampliora, ac ſublimiora Religionis munera ſublatum; ſi admitterer celebrare infatigabilem zelum, qui totum illum ſtatus ſui officiis impendebat; eloquentiam hanc unctione, ac robore plenam, qua Evangelicas annuntiabat veritates; inconcuſſam firmitatem, quam præſtitit ordinis ſui gloriam propugnans ab ipſis incunabulis ab invidentibus laceſſitam: invictam illam vim, qua omnes impugnavit hæreſes, eaſque funditus evulſit per ea principia, quæ vel illas diruunt, vel prævertunt? Ita ſcientia Dei fuit admiratione digna in Sancto N. Sed hoc exemplum adhuc minus aptum eſt, ut vobis ſtuporem, quam confuſionem injiciat. Tandem enim nobiſmet perſuademus noſtram de præcipuis noſtræ Religionis officiis ignorantiam poſſe mereri aliquam excuſationem, cum abutentes eximio hoc ſpiritu, quo cælitus donati eſtis, illum impenditis, ut adipiſcamini tot periculoſas vel inutiles cognitiones, cum ex eo quod aliena non rapitis, adeo prodigi, vel avari eſtis rerum veſtrarum; cum diligentiam, curamque veſtram collocantes in criminibus quibuſdam evitandis, quæ perhorreſcitis, ea vobis licere vultis omnia, quæ quamvis minus ſunt turpia coram hominibus, non ideo minus ſunt criminoſa coram Deo; cum viventes ſine mentis collectione, ſine oratione, ſine aſceticorum librorum lectione, ſine actibus fidei, ſpei, & charitatis, creditis Miſſam, vel conciones aliquot, quibus intereſtis ex conſuetudine apud vos locum habere poſſe Religionis & Chriſtianiſmi. *Ex Specimine Panegyricorum pro die feſto S. Thomæ Aquinatis, Tomo 1.*

*Quam [illegible] Doctor hic gratia [illegible] repletus fuerit.*

Mirum eſſe non debet ſi magnus hic Dei ſervus, repletus tanta gratiæ affluentia effudit in ſcripta ſua dulcedinem, & ſi virtutem adeo amabilem reddiderit, ut in omnibus legentibus illa cieat deſiderium illius aſſequendæ. Uberrima effuſio unctionis Spiritus Sancti tantam afferebat ſuavitatem, ac vim verbis illius, tantam benedictionem, ac ſucceſſum zelo ejus, ut prope infinitum hæreticorum numerum converterit. Hinc ferte judicium de plenitudine gratiæ, qua illum repleverat Deus. Profecto fructus, quem cæleſtis ejus doctrina protulit, ipſo vivente, & quem profert adhuc quotidie, adeo mirabilis eſt, ut quidquid dici poteſt exſuperet: & ſi modo invenirentur Evangelici Doctores ſatis fideles, ut per illius

ſpiritum agerent, & ut divina illius præcepta ſequerentur, vix credibile eſt, quantum de Deo benemeaerentur, quas coronas lucrarentur, & quot animabus prodeſſent in iis, quæ ad ſpiritum, & ad corpus pertinent. Nullum eſt bonorum operum, aut negotiorum genus, quod illis non beneverteret cum facilitate, ſuavitate, profunda pace, & incomparabili tranquillitate. Sed magni hujus Sancti vita perfecte conformis fuit doctrinæ illius; & omnia ad apicem opere complevit, quæ docuit. Dicere enim poſſemus illum fuiſſe magnum, atque admirabilem in rebus minimis; & mirum in modum parvulum & humilem fuiſſe in rebus magnis; ſed ſemper ſibi parem in utriſque. *Vita Jeſu in P. Novet.*

Merces eorum qui verum docent J. C doctrinam. *Daniel. 14.*

*Qui ad juſtitiam erudiunt multos*, Sapiens ait, *fulgebunt ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates*. Hinc facile conjici poteſt, quibus gloriæ radiis Sanctus N. in cælo redimitus eſt, quandoquidem actiones ejus tanta in luce coruſcant in terra, & ſunt veluti fons inexhauſtus, unde tot Doctores hauriunt adhuc lumina puriora. Non moror hic recenſens vobis nomenclaturam divinorum librorum, quos eſt elucubratus, elogiorum inſignium quibus a Summis Pontificibus, Academiis, Univerſitatibus condecoratus fuit; honorum ſummorum, qui ipſi delati fuerunt in Conciliis, in quibus aliquando Patres illius verbis uſi ſunt ad decrete, canoneſque conſcribendos. Immoror ſolum admirabili huic ordini, ſecundum quem omnia digeſſit argumenta, quæ pertractavit. Qui in ſcientiis verſati ſunt, norunt, quantum debeat ſchola Doctori huic incomparabili, quod eduxerit infinitam ferme multitudinem quæſtionum, veritatum, principiorum, concluſionum ex ea caligine, in qua quodammodo erant ſepulta. Hic viam ſtravit eruditis Viris, atque Theologis, qui eum ſubſecuti ſunt, & illius veſtigiis Schola inſtitit, atque inſiſtit. Profunda eruditio plerumque cum obſcuritate, atque ariditate conjuncta eſt; ſed Sancti N. character eſt altiſſime Religionis argumenta tanta perſpicuitate, quanta unctione tractaſſe. Ordo, quem in ſcriptis ſervavit, omnem proſcripſit obſcuritatem: Lumen, quo inſignis hujus hominis mens erat illuſtrata, videtur uſque ad locutiones ejuſdem tranſiiſſe: Scripta ejus adamantibus videntur ſimilia, quæ quo ſolidiora ſunt, magis nitent; & ſatis eſt illum pedetentim ſequi, ut bene intelligatur. Cæterum movemur, & ædificamur æque ac docemur, & illuminamur opera ejus legentes, & ubique nanciſcimur abſconditum manna, & neſcio quod efficax ſecretum, quod Dei ſpiritus communicat ſcribentibus ſecundum afflatus ſuos, & iis, quos ſuis luminibus replet. *Ex Specimine Panegyricorum pro die feſto S. Thomæ Aquinatis*, *Tom.* 2.

Miniſtri, & Doctores rationem reddere debent doctrinæ ſuæ.

Miniſtri ſubalterni rationem reddere debent primo Paſtori a quo miſſi ſunt, non ſolum actionum, verum etiam doctrinæ ſuæ. Hanc illi cum ſinceritate exponere debent ſine æquivocatione, & ſine dolo. Pſeudo-Propheta poteſt quidem veros ſenſus ſuos diſſimulare; in ore quidem geſtare ſacrum *veritatis* nomen, licet cor ejus *mendacio* tumeat. Huic facile eſt homines fallere, ſed Filio Dei fucumne facere poteſt? Doctor qui non ſemper aſpicit finem legis, qui eſt Jeſus Chriſtus, & finem præceptorum, qui charitas eſt, certiſſime errabit alios in errorem impellens. Satis non eſt Paſtori, directori, ſuperiori habere virtutem; ſcientiam habeat opus eſt: quæ ſi deerit illi, repulſam feret e Principe Paſtorum, atque inter hypocritas amandabitur. Bona fides non excuſat miniſtrum Evangelicum, ubi agitur de doctrina. Præoccupatio, pertinacia, educationis præjudicia non efficiunt, niſi ut nocentior habeatur; hæc ſibi cavere debuerat; veritas habet characterem, ex quo facile cognoſcitur, cum ſincere amatur, & ſincere inquiritur. Ne concedas, Domine, Eccleſiæ tuæ niſi Miniſtros illuminatos ac dociles voci tuæ; communis charitatis ejuſdemque doctrinæ vinculo conjunge: fac, ut mutuo ſe amore complectantur omnes, ut omnes conflato conſenſu ſeſe diligentes laborent, unum ſenſum, unum eundemque habeant ſermonem. *P. la Neuville in libro, cui titulus, Moralis novi Teſtamenti*, *Tomo* 3.

Reverentia & ſubmiſſio, quam Sanctus hic Doctor erga Eccleſiã prætulit.

Nemo eſt, qui pro ſe non jactet Scripturas, ſed pro ſingulorum ſenſu, atque interpretatione explanatas. Rudis fœmina, mentis exiguæ, ac imbecillis, ſe divinitus inſpiratam putat, ac præſumit, ſe Sacra Biblia intelligere æque ac Concilium. Interpretatur, docet, prophetat, eique aures præbentur. Nonne hoc noſtris quoque diebus viſum eſt inter hæreticos? Profecto fanatiſmus individuus eſt comes Sectarum Hæreticarum; nemo ignarus eſt qui ſe Doctorem non putet. Adeo verum eſt, Litteram ſine ſpiritu occidere, & ſpiritum dumtaxat vivificare. Sed hic eſt Spiritus Jeſu Chriſti, atque Eccleſiæ, non autem ſpiritus peculiaris. Adeo perſuaſum erat Sancto huic Doctori de hac veritate: ut licet Jeſus Chriſtus ipſe illum docuerit, voluit etiam ab Eccleſia confirmari in hac bona doctrina ſua, priuſquam hanc traderet aliis, innuere hoc pacto volens, quanta reverentia, & obſequio coleret Eccleſiam. *P. Croiſet Tomo* 5.

Phariſæus qui ex occaſione audiendi lectiones Salvatoris, uſſ fieri audiit verba de illius divina doctrina.

Phariſæus quidam ubi audiit verba fieri de divina Jeſu Chriſti doctrina, hunc in pretio habere cœpit, & ſincere ab illo funditus edoceri cupiit, & occaſionem cum eo colloquendi procuravit. Licet Sectæ illius Doctores ſuperbiæ tumeſcere conſueverint, audiit tamen humiliter prima Salvatoris rudimenta. Ecce prototypus Chriſtiani Religioſi viri, qui ſincere cupit eſſe in ſuo ſtatu perfectus. Debet primum amplum animo imbibere conceptum hujus perfectionis. 2. Illam ardenter concupiſcere. 3. audacter illam aggredi, neglectis difficultatibus, quæ in conſilio hoc exequendo poſſunt occurrere. 4. cum humili docilitate audire Jeſum Chriſtum, qui loquitur vel immediate per ſe in oratione, in meditatione, in ſpirituali lectione, vel ſolum per os Directorum, aut Superiorum ſuorum, qui Dei ipſius apud ſe locum tenent. O felix anima fidelis, quæ hoc pacto fertur ad perfectionem! Favente gratia tua, Deus, certe ad beatum perveniet terminum, ad quem tanto ardore feſtinat. *Moralis novi Teſtamenti Patris le Neuville*, *Tomo* 1.

Superior erga ſubditos eamdẽ ſervare debet rationẽ quam Salvator erga diſcipulos.

Superior, magiſter, qui aggreditur docere ſalutis ſcientiam ſperare poteſt, ſe Divino ſpiritu aſſiſtendum eſſe, ſi eam rationem ſecutus fuerit, qua uſus eſt Jeſus Chriſtus erga diſcipulos ſuos, videlicet: 1. Si illos quovis tempore, quovis in loco, quavis hora cum humanitate, ac ſuavitate excipit. 2. Si patienter eorum ſuſtinet imperfectiones, eaque vitia, quin fatigetur, quin illos repellat, quin amare & acriter illos exprobret. 3 Si illis erudiendis, atque efformandis in omni chriſtianæ vitæ praxi curam impendat; ſi illos ſuaviter, & opportune monet, ſi prudenter corrigit. Hoc pacto ſe geſſit Jeſus Chriſtus cum Evangelico Phariſæo, ita quotidie ſe nobiſcum gerit. Quæ lenitas! quæ patientia! qui zelus! Imitemur heſce virtutes erga eos, qui nobis ſubjecti ſunt, Dominum noſtrum precemur, ut eas nobis largiatur; ipſi pro viribus eas nobis comparare conemur per curam, ac ſedulitatem, necnon per fidelem divinæ gratiæ correſponſionem. *Idem*.

Quiſquis qui docet extra unitatẽ Eccleſiæ Pſeudo-Propheta eſt.

Quicunque eſt extra Eccleſiam, quicunque extra unitatem Eccleſiæ docet, Pſeudo-Propheta eſt, & lupus rapax. Hoc Sanctus Cyprianus aſſeruit. Sanctus hic Doctor ait, ubi quis docet extra unitatem Eccleſiæ, quærendum non eſſe, quænam ſit ejus doctrina; quoniam audiendus non eſt, ex quo novam erigit cathedram, & ab Eccleſiæ caſtris recedit. Ita Sanctus hic reſpondit interroganti, quiſnam eſſet Novatianus, & quæ hæreſis ejus? Sanctus Cyprianus reſpondit: Quod ſpectat ad perſonam Novatiani, de quo ſcire cupis, quam recens hæreſim in Eccleſiam invexerit; primum ſcias, nobis inquirendum eſſe quid doceat; docet enim extra unitatem Eccleſiæ. Ecce, Auditores, verba, quæ nunquam ſatis meditari poſſumus. Quicunque docent extra unitatem Eccleſiæ, audiendi non ſunt; neceſſe non eſt doctrinam eorum ad examen revocare; ſatis eſt eos perfugas eſſe, & ab Eccleſiæ ſinu aufugiſſe. Cur autem audiendi non ſunt? quia ex quo diviſionem, ac ſeceſſionem invehere ſtudent, & gregem diſpergunt, *jam ſunt lupi rapaces*. *Annus Evangelicus Domini Lambert*, *Tomo* 3.

Sanctus hic Doctor magna cũ eloquentia explicabat verba Scripturæ.

Sanctus hic Doctor tanta cum perſpicuitate Scripturæ verba explicabat, verum eorum ſenſum aperiebat tanta facilitate tanta gratia, unctione, & fructu præ cæteris omnibus qui eadem interpretari profitentur, ut dixiſſes, hunc unum habere clavim eorum, & loquens de deplorabili Eccleſiæ ſtatu hoc pertractabat argumentum tanto lumine, tantaque earum rerum, quæ mox contigiſſe vidimus, præviſione, ut tibi viſus eſſes audire Moyſem deſcendentem de monte, ubi cum Deo fuerat converſatus. Tamen quantamcunque ſcientiam ille ſibi comparaſſet, nunquam ad agendum palam prodire voluit; pro viribus in tenebris celare voluit divinas cognitiones, propter quas renidet tanquam ſydus in æternitate; & omnia contempſit honoris argumenta, quæ ab hominibus recipere potuiſſet, expectaturus coronam, quam in cælo Deus reſervat Doctoribus ſuis. *Ex vita Cardinalis de Berulle lib.* 1.

Sanctus hic Doctor celare nõ potuit gloriã ſuam, nam ipſo etiam invito lumina ejus renidebant.

Sanctus hic Doctor non ſecus ac Moyſes alter, nequicquam celare contendit gloriam ſuam, apponens integumentum luminibus ſuis; hæc enim ipſo invito fulgebant, & exiſtimatione, quam illa huic conciliabant, illum quocunque præcedente ac ſubſequente illi erant, quod oculis umbræ. Tunc temporis nulla ſerꝛæ momenti alicujus gerebantur negotia ad majorem Dei cultum, & gloriam; nulli habebantur cœtus Patrum, vel Doctorum pro neceſſitatibus, vel perfectione animarum: nullæ habebantur collationes pro hæreticorum converſione, ad quas ille non vocaretur. Omnibus intererat conſiliis ad Deum ſpectantibus, & credita fuiſſet deeſſe aliqua divini ſpiritus, qui cœtibus hujuſmodi præeſſe debet, portio, niſi illis Doctor noſter interfuiſſet. *Idem*.

Docti viri ad S. hujus exemplum debent humilitati ſuæ ſcientiam conjũgere.

Quemcunque ſæculi noſtri Patribus cultum atque obſervantiam debeam, audeo dicere, licet Sanctus N. doctrina emineret, doctrinam tamen, & converſionem hæreticorum non ſolum effectum eſſe profundæ ejuſdem ſcientiæ, ſed etiam profundiſſimæ ejuſdem humilitatis. Et vere non eſt cur moremur, in operibus id genus, doctiſſimos non ſemper eoſdem eſſe, ac feliciſſimos; & Deum non ſemper gratia ſua proſequi eam ſcientiam, quæ ſæpius cum ambitione eſt conjuncta. Mirum eſſet, ſi quod olim potuit Angelos in Apoſtatas convertere, poſſet modo Apoſtatas in fideles, & Angelos immutare.

Tantum abeſt, ut credamus Doctos ſuperbos ab hæreſi aliquem convertere poſſe, & antiquos errores exterminare, ut rem magnam facere videantur, niſi veteribus recentes addiderint; & humilitatis eſt, quæ virtutum omnium fundamentum eſt, laborare pro fide, quæ eſt Religionis fundamentum. Non quod ſcientia neceſſaria non ſit ad animas ab errore, in quo ſunt, educendas; & illas, quam S. N. poſſidebat eminenter, non ſummam illi opem attulerit ad eos perſuadendos, qui veritati reſiſtebant, ſeu ad revocandos eos, qui a virtutis ſemita aberrabant; at ſi volumus hanc validam eſſe ac victricem, exuenda eſt arrogantia illa, quæ illi adeo naturalis eſt, & induenda abjectione, & humilitate Jeſu Chriſti. Subjicienda eſt cum toto fulgore, luminibuſque ſuis ſcientiæ Jeſu crucifixi. Et ut me expediam verbo, in hujuſmodi occaſionibus, ubi agitur de reparandis detrimentis, quæ lapſus fratrum noſtrorum Eccleſiæ intulerunt, adlaborandum eſt non ſecus ac olim labori vacabant Iſraelitæ in Templo Jeruſalem. Arma præ manibus habenda ſunt; ita tamen, ut memoria teneamus verba, quæ illis tunc temporis dicta fuerunt. Domum Dei reſtitutum iri non humanis viribus, ſed ſpiritu, ac poteſtate Domini. *Ex vita Cardinalis de Beralle l. 1.*

*Officio Doctorum.*

Sancti Patres crediderunt, veram charitatem erga homines exigere, ut vehementibus, acribuſque ſcriptis in eorum crimina inveherentur; neque veriti ſunt hanc lædere charitatem, & habere pro maledicis, atque detractoribus, ea palam corripientes, ubi erant publica. Exiſtimaverunt, eos, qui publica perpetrabant ſcelera, vere illos eſſe qui vera gignebant ſcandala, & eos quibus Jeſus Chriſtus dixit: *Væ mundo a ſcandalis: væ illi per quem ſcandalum venit;* & e contra hi erant illi, qui iis occurſebant, eaque ſuffocabant, & quos Jeſus Chriſtus ad hoc pietatis officium hortatus fuerat, cum dixit: *Neceſſe eſt, ut veniant ſcandala. Apologia Abbatis Trappenſis.* *Matth. 18.*

*Ejuſdem argumenti.*

Locus, quem Scribæ, Phariſæi, & Legis Doctores apud Judæos tenebant, longe amplior erat eo, quem Doctores tenent in Eccleſia: quippe Dominus noſter dicit illos ſediſſe ſuper cathedram Moyſis, & præcipit, ut obſervent homines, quod ab illis docetur. Nihilominus eminens gradus, ubi poſiti erant, & neceſſitas, quam habebant, ut ſibi populorum exiſtimationem conciliarent, ad hoc ut illi doctrinam ſuam ſequerentur, prohibuerunt, ne palam Jeſus illos corriperet, & modo terribili, fulmineoque eorum vivendi rationem abjectam, & cupidam increparet? Nonne illos vocat *hypocritas, inſipientes, cæcos duces, ſerpentes, genimina viperarum?* Nonne illos comparat *ſepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia?* Nonne dicit, illos in oculis hominum juſtos videri: intus vero diffluere hypocriſi, & iniquitate: illos extrinſecus tergere calicem, ac lancem, cum interim eorum corda ſint plena rapinis, & impudicitiis? Et licet quidam ex illis Doctoribus illi reſpondens dicat, ipſum ita loquentem eos dedecore afficere: num ideo ceſſat eorum nequitiam in lucem proferre? Væ Doctoribus Legis: *alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea movere.* Denique cum ſui etiam Diſcipuli monuerant eum, Phariſæos ſcandalizari ob eam licentiam, qua errores eorum corripiebat, nonne reſpondit illis: ſinite eos, cæci ſunt, & duces cæcorum? *Apologia Abbatis Trappenſis.*

*Veri Doctores non timent homines, ſed conſtanter docent veritates, quæ in Religione maxime latent.*

Sanctus hic Doctor oſtendit etiam, eum Pſeudo-Prophetæ ignavi ſint, & metuant homines quia ab illis expectant, quod amant: veros Dei miniſtros e contra plenos eſſe viribus, & conſtantia; & cum agitur de gloria Dei, nequaquam metuere mortales, quia nihil ab illis ſe conſecuturos ſperant. Primi illi cum ſint ſuarum cupiditatum mancipia, ſemper præſto ſunt ad aſſerendam iniquitatem, atque mendacium; poſteriores vero nihil quærentes, niſi placere Deo, nonniſi propter veritatem agunt, atque juſtitiam, & cum illi humano tantum ſpiritu agantur, hi aguntur ſpiritu Dei, cujus organa ſunt, atque miniſtri. Poſtquam Sanctus hic Doctor conatus fuerat populo ſuo errorem auferre quoad Pſeudo-Prophetas, qui eidem maximo erant incommodo, illis alterum aufert non minus terribile laqueum, videlicet fictæ pietatis, quia nihil terribilius eſt, quam decipi eo in cultu, qui adhibetur Deo. Ex ſe igitur quærit in nomine populi, Quid offeram Deo, quod ſit dignum ipſo? Num genua flectam coram illo? Num offeram illi holocauſta? & ſtatim hoc addit reſponſum, quod appellari poteſt totius pietatis compendium, quod ipſe Dei Spiritus per Prophetam deſcripſit: O homo, dicam, quid tibi proſit, & quid a te expetat Deus; ut videlicet agas ſecundum juſtitiam, & diligas miſericordiam, & ambules coram Domino cum vigilantia plena metu, ac reverentia. *Ex Vitis Prophetarum, Tomo 2.*

*Vera diſcendi ratio eſt jugis oratio.*

Errat, qui putat unicam diſcendi rationem eſſe libros evolvere. Plerumque magis proficis ad pedes crucis Dominicæ, quam legendo codices. Jeſus Chriſtus orationis tempore animas noſtras alloquutus, illas erudit, illis ſua ſecreta communicat. Quid non proficimus audientes magiſtrum adeo plenum ſcientia, atque ſapientia? Prudentes ſæculi, qui humanis omnia ſubſidiis accepta referunt, intelligere nequeunt aliquem per orationem doctum evadere poſſe. Sed falluntur. Hæc via eſt, quam Sancti ſecuti ſunt, ut ſe doctos præberent. Fatentur omnes, ſe ſcientiam ſuam debere orationi, ſe omnia, quæ ſciunt, didiciſſe ſeſe præbendo Jeſu Chriſti diſcipulos in oratione, & receſſu. Denique ſcientia, quæ præſertim in Doctore requiritur, eſt ſcientia Sanctorum; hæc ſcientia illum Jeſu Chriſti diſcipulum conſtituit. Hæc ſcientia docet illum uti omnibus iis cognitionibus ad ſalutem ſuam, & fratrum ſuorum utilitatem. Quis ibit infiçias in oratione Dei Filium divinam hanc ſcientiam animabus communicare? Sanctus Auguſtinus de magna hac veritate in Epiſtola quadam nos erudit. Tradit duas artes eximias feliciter difficillimas quaslibet quæſtiones enodandi, orationem, & animadverſionem. Mox verba facit de utilitate, quam percipere poſſumus ex ſtudio, doctos Viros audiendo. Sed præfert præferendas eſſe duas illas rationes, quas re adhuc integra propoſuit: neque ambigit, utrum orationi major vis inſit, quam ſtudio. Scientia cæleſte donum eſt; ad Deum igitur confugiendum eſt, ut illud aſſequamur. Ne ſperetis citra Domini auxilium vos quidquam profecturos. Hinc fit, ut prædiius virtute Doctor, qui prudenter agere vult, antequam ſtudiis vacet, primum ad Deum confugere, opemque illius per orationem expoſcere debeat. *Sermones de vita Eccleſiaſtica Domini Lambert, Tom. 2.*

*Sanctus hic Doctor ſumma fide exercuit Jeſu Chriſti doctrinam quam tradebat aliis.*

Sanctus hic Doctor nequaquam Dei Legem didicerat, ut eam alios dumtaxat doceret, ſed ut ipſe illam exerceret; quapropter ad normam illius ſua conſilia direxit; & ſuas cognitiones compoſuit, ut illis uteretur ſecundum regulas ſapientiæ, a qua illas acceperat. Et eo aptior factus eſt, ut alios doceret, quia illas primum exercuit, quam aliis traderet, & tanto dignior erat, qui meditaretur, & penetraret ſecreta Dei, quo melius noverat ſumere ſibi pro regula vitæ ſuæ veritatem, quæ eidem erat aperta. Deus fœdus pepigit cum hominibus: hi promiſerunt ſe illi obtemperaturos; ille vero horum obedientiam remuneraturum. Sapiens hic Doctor gloriam ſuam in eo conſtituit, ut Dei Legem cognoſceret, ut illam adimpleret, ut alios doceret, & ut hominibus diceret ea ſolum quæ a Domino acceperat: quia hominibus illius fœdus, ac verbum nunciabat, ac unum illum inſpiciebat; quia unicam Domini ſui gloriam, non autem propriam inquirebat. *Annus Chriſtianus, Tomo 7.*

# PRO COMMUNI CONFESSORUM
## QUIBUS ECCLESIA HOC TRIBUIT NOMEN,
### & qui paſſi ſunt perſecutionem pro fide, juſtitia, &c.

## M O N I T U M.

*Licet hodierna die tribuat Eccleſia indiſcriminatim Confeſſoris nomen Sanctis omnibus, qui neque Apoſtoli, neque Martyres ſunt, ſed qui, in quocunque ſtatu divina Providentia illos collocaverit, ſanctificati ſunt, ſcimus tamen Chriſtianæ Religionis initio, & dum primæ ſævierunt perſecutiones, neminem ex Sanctorum numero titulo hoc glorioſo decoratum fuiſſe, qui propter Religionem paſſus non fuerit, & hac in re præ cæteris animi fortitudine non enituerit. Scire etiam debemus illuſtrem hunc titulum tali in pretio, & honore in primitiva Eccleſia fuiſſe, ut qui inſigniti fuiſſent reſiſtendo promiſſis, ac minis Perſecutorum, vel qui non ceſſiſſent contumeliis, quibus afficiebantur, haberentur toto vitæ ſuæ ſpatio tanquam Fidei propugnatores, & Eccleſiæ decus, atque præſidium; ſed etiam poſt mortem illis redderetur cultus peculiaris, atque in Martyrum albo recenſerentur illi, qui enecti fuerunt miſeriis, quas paſſi ſunt in exilio, in carceribus, atque cruciatibus, licet multo poſt tempore ad plures abiiſſent; atque membrorum ſuorum mutilatio habita eſt tanquam nota heroica fidelitatis, & ſatis dignum Panegyrici argumentum.*

*Putandum tamen non eſt, primos dumtaxat fideles meritos fuiſſe in peculiari ſenſu, in quo iſtic accipimus, illuſtrem hunc Confeſſoris titulum. Hoc elogium eſt, quod Eccleſia non abnuit iis etiam qui hodierna die patiuntur ob defenſionem, vel profeſſionem fidei ſuæ in regionibus ſatis cognitis. Non enim deſunt, qui exules ſunt, atque extorres propter hanc cauſam, & qui in exilio ſuo vix aliquod inveniunt perfugium; & qui omnibus modis exagitantur.*

---

# PRO COMMUNI CONFESSORUM,
## Qui hoc nomine proprie ab Eccleſia vocantur, & qui paſſi ſunt perſecutionem pro fide, juſtitia, &c.

Impii bonos ſemper perſecuti ſunt.

NUllum fuit tempus, Auditores, quo in mundo innocentia exagitata non fuerit, & dicere fas eſt primam, ac funeſtiſſimam omnium perſecutionum eam fuiſſe, quam Satanas invidens hominis felicitati excitavit in illum cum adhuc in innocentiæ ſtatu verſaretur. Deinde invidia, quam crudelis Cain fovit adverſus Abel inſontem, impulit eum, ut huic vitam eriperet, ad quem odii, atque invidiæ gradum non evaſit, niſi quia frater ſuus juſtior erat ipſo, ut quidam Apoſtolus inquit. Neceſſe non eſt plura in lege veteri exempla quærere, neque diuturnam repetere perſecutionem, quam Jacob paſſus eſt ab Eſau fratre ſuo; neque illam, quam fratres Joſeph huic conflavere, qui propter innocentiam, & egregias animi dotes erat patri ſuo dilectiſſimus; neque illam denique, qua Saul affixit David hominem ſecundum cor Dei. Solum teſtimonium protomartyris Sancti Stephani ſatis probat hoc in acri illa reprehenſione, qua Judæos exprobravit, videlicet Prophetas, licet ſanctiſſimos, juſtiſſimoſque evadere non potuiſſe furorem, & crudeles perſecutiones, quas in illos excitaverant. *Quem Prophetarum non ſunt perſecuti Patres veſtri?* *Auctor Sermonum in omnia argumenta.* Act. 7.

In lege veteri novaque improbi ſemper perſecuti ſunt bonos.

Si in lege naturæ, & lege ſcripta virtus, ſanctitas, & innocentia ita patuerunt acerrimis perſecutionibus, quid cogitandum eſt de lege gratiæ, ac de Religione, quam Jeſus Chriſtus inſtituit? Religione, inquam, quæ præclare reparavit innocentiam, cujus primi Patres jacturam fecerant; quæ reſtituit juſtitiam, ac morum integritatem, quam Idolorum cultus proſcripſerat, & quæ ſola hominibus contulit ſemet ſanctificandi ſubſidia! Noſtis, quanam rabie Tyranni illam fuerint perſecuti; noſtis e contra, fideles, qui illius partes amplecti voluerunt, ejuſque gloriam ſuſtinere, omnes exhauſiſſe pœnas, atque tormenta, quæ hominum ſævitia potuit excogitare, Eccleſiaſtica hiſtoria mille nobis exempla ſuppeditat, quæ in Menologio referuntur; quapropter mihi de hac re prolixius diſſerendum eſſe non puto; ſed ſuppono, ut cum Apoſtolo dicam: *Omnes, qui volunt pie vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur.* *Auctor Sermonum in omnia argumenta.* 2. ad Tim. 3.

Perſecutiones quas ſuſtinemus propter Deum reſpiciendæ ſunt tanquam certa pignora amoris ejuſdem.

Ne vos hæc irritet veritas, & cavete, ne hinc ſcandali occaſionem arripiatis; quippe felicitas, & incomparabilia bona, quæ perſecutiones procurant illis qui propter Dei gloriam patiuntur, efficere debent, ut inter maxima beneficia, & certiſſima amoris Dei pignora habeantur: ita ut Dei Filius, qui eadem veritas eſt, jam in anteceſſum beatos vocet eos, qui patiuntur: *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* Hoc ipſum bonum impiorum perſecutiones pariunt bonis: illos plerumque tuentur in gratia, & in Dei ſervitio confirmant; ſed quia alios quoque illæ perturbant, dicere poſſumus, in hoc veros Dei filios a filiis ſæculi diſtingui, ut loquitur Scriptura; hi ſub perſecutionibus cedunt, & reſiſtere nequeunt irriſionibus, atque detractionibus, quibus ipſorum nomini officitur; robur aliis deeſt ſuſtinendi odium impiorum, bellum, quod ſibi ab improbis infertur; verbo, perſecutiones, quibus agitantur. Pudet illos, ſe palam pro juſtitia, ac virtute profiteri, timent ne ſe irriſos, deſpectoſque videant, & ne habeantur tanquam homines rudes, imbecilli, & qui ipſam quoque vivendi rationem, & mundi officia prorſus ignorent. *Idem.*

Perſecutorum potentia in eo ſita eſt, ut occidant corpus, ſed ad hoc infinita parit animæ bona.

Vultiſne cognoſcere totam crudeliſſimorum perſecutorum potentiam? Dei Filius dixit vobis, poſſe illos quidem corpus occidere; ſed addendum eſt, poſſe illos vobis infinita comparare bona, & nihil præferendum eſſe iis fructibus, quos ex injuſtis perſecutionibus ſuis valent recipere. Ut hac de re vobis perſuaſum ſit, attendatis ſufficit ad Salvatoris verba: *Beati, qui perſecutionem patiuntur &c.* Quis magis prodeſſe poteſt vobis illo, qui vobis tutum ſuppeditat medium, quo recenſeamini in numero Beatorum, quibus in cælo magna merces reſervata ſit? Quomodo loquitur Tertullianus, ubi verba facit de perſecutionibus quæ in Chriſtianos urgebantur? Victores ſumus, dum morimur; eo ipſo momento, quo perimus, egredimur e manibus veſtris, & libertatem noſtram recuperamus. Cruces de quibus ſuſpendimur, rogi, qui circum nos incenduntur, ut corpora noſtra comburantur, ſunt victoriæ noſtræ trophæa, ſunt victoriæ noſtræ ornamenta, & currus triumphalis. Verum eſt, cum alii vos perſequuntur, & exagitant, fieri poſſe (quod etiam frequens uſuvenit) fieri, inquam, poſſe, ut non ſolum temporalia bona amittatis, verum etiam anima veſtra vulneribus ſaucietur. Hujuſmodi ſors eſt eorum, qui obmurmurant, queruntur, ac ſpem abjiciunt in tribulationibus. Sed hæc vulnera non intulit vobis, qui vos perſequitur; vos præcipui auctores eſtis veſtræ calamitatis. Si intuiti fuiſſetis Jeſu Chriſti conſilia, ſi voſmet illis ſubjeciſſetis, ſi noviſſetis fructum ex tribulationibus veſtris percipere, fruſtra perſecutor ſeſe furore ſuo præcingeret; quidquid facere poſſet, in eo ſitum eſſet ut eriperet vobis temporalia bona, ſed longius procedere non poſſet. Donec jacturam hanc pateremini, quæ levis eſt, colligeretis in anima veſtra gratiæ theſauros longe pretioſiores bonis omnibus, quæ vobis fuiſſent erepta. Hoc veris Chriſtifidelibus perſuadet, homines nequiores metuendos non eſſe, & illum ſolum metuendum eſſe, *qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam.* Luc. 12. 5. *Lambert in anno Evangelico, Tomo 7.*

*Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* Attendite ad verba Salvatoris. Omnis, qui perſecutionem patitur, non ideo ſe beatum exiſtimare debet. Jeſus enim Chriſtus eos tantum Beatos futuros pollicitus eſt, qui perſecutionem paſſi fuerint propter juſtitiam. Sancti Patres docuerunt, eos, qui extra unitatem Eccleſiæ paſſi ſunt, abuſos eſſe verbis Filii Dei cum iiſdem uti volebant, ut oſtenderent ſe beatos eſſe, quia

patie-

1. Petr. 4. 15.

patiebantur. *Nemo autem veſtrum patiatur*, S. Petrus ait, *ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Chriſtianus, non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine*. En igitur gloria, & beatitudo hominis; hæc eſt pati, ut Chriſtifidelem, & pati proptee juſtitiam. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam*. Quod diſcrimen inter Hominum judicium, & Dei! Contemnebantur Apoſtoli. Tyrannus a quo damnabantur, ſedebat pro tribunali; Miniſtri Jeſu Chriſti conculcabantur. Hi in oculis Dei ſuperiores erant inimicis ſuis, & gloria erant circumdati. Præclarum paſſionum privilegium! Perſecutio, quam perferebant, certum erit pignus remunerationis eorum, & jam exiſtimare poterant, ſe adiiſſe Regni Cæleſtis poſſeſſionem. Jeſus Chriſtus dicit: *quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum*. Hoc eſt beatitudinis eorum fundamentum. *Idem.*

Dei filius [illegible] ab hominibus.

Cum maxime intereſſet altius doctrinam hanc imprimere in animis fidelium, Dei filius id fuſius perſequitur. *Beati eſtis*, ait, *cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint; & dixerint omne malum adverſum vos mentientes propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis*. Beatitudo eſt, affici contumeliis. Jeſus Chriſtus repetit adhuc; beatitudo eſt perſecutionem pati. Beatitudo eſt, impiorum calumniis proſcindi. Dei filius curam habet addendi conditionem eſſentialem, nobiſque oſtendendi hæc omnia mala tunc ſolum noſtram conſtituere beatitudinem, cum propter ipſum patimur. *Gaudete*, ſed nondum ſatis; commune gaudium non ſufficit in tanta felicitate. *Gaudete, & exultate*. Gaudium par eſſe debet remunerationi; & ſicuti maxima omnium remunerationum parata eſt remuneratio patientibus propter Jeſum Chriſtum, oportet, ut gaudium ſit omnium gaudiorum maximum. Opus eſt, ut qui illos vident, intelligant eos ſumma affectos eſſe lætitia. *Gaudete, & exultate. Idem.*

Impreſſio, quam in ſpiritu Sancti hujus fecerunt Salvatoris præcepta.

Dogmata Salvatoris mundi in Sancti hujus ſpiritu omnem illam pepererunt impreſſionem, quam parere debebant verba Præceptoris adeo boni, & potentis, qualis eſt Jeſus Chriſtus. Dixerat ille; *Gaude*, ubi te perſecuti fuerint. Sanctus hic perfecte docilis fideliter paruit verbo magiſtri. Re ipſa gaviſus eſt tempore perſecutionis: Videte illum egredientem e cœtu, ubi damnatus fuerat. Inde pedem effert exultans gaudio, quia dignus habitus eſt, qui omnia pro Jeſu Chriſti nomine perferret opprobria. Quodnam eſt gaudii ejus fundamentum? Domini ſui verbum, ſpiritui ipſius ſemper præſens: *Gaudete, & exultate. Idem.*

Nobis patienter ſuſtinendum eſt & orandum pro iis, qui nos perſequuntur.
Pſalm. 7.

Cum homines afficiunt nos contumelia, cum noſtris opibus potiuntur, cum noſtro nomini labem oſtendunt, cum nigræ loliginis ſucco nos aſpergere conantur: quidquid audeant in nos, ac ea omnia peragant, quæ Propheta innuere voluit per hæc verba: *Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat*: Nobis perſuaſum eſſe debet, tunc nos cognoſcere debere, & efficere, ut & alii cognoſcant, nos eſſe id, quod eſſe debemus; non aliis utentes armis, ut inimicorum impotentiæ adverſemur quam precibus, & patientia, & imitantes perfectos illos Diſcipulos, de quibus ſcriptum eſt: *Ibant gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*. Niſi Chriſtianus peculiarem habeat curam ſeſe in hoc ſtatu adeo ſancto confirmandi, ejus tranquillitas inceſſanter perturbationibus erit obnoxia. Nam ex quo pendebit ab hominum libidine, aut nequitia, vel a dæmonum invidia; Satanas nunquam deerit quominus recentes ingerat tentationes, multiplicet perſecutiones ſuas, & perſecutores; & Chriſtianus parebit iracundiæ ſuæ, & ultiones machinabitur: ejuſque animi afflicta ſub pondere inimicorum, ac pœnarum ſuarum cedet. Fidelis denique, qui alienis commovetur injuriis, & expers eſt paſſionum Jeſu Chriſti, coronarum illius in partem minime accedet. *Ex libro, cui Titulus: Regula S. Benedicti. Tom. I.*

Act. 5.

Quo amore proſequi debemus pauperes alienigenas, qui maluerunt patrium ſolum, bona & amicos deſerere, quam Religionem? Hebr. c. 11.

Hoc autem, ut mihi videtur, efficere debet in cordibus veſtris non levem impreſſionem. Non deſunt pauperes alienigenæ, extorres a patria, inde ejecti in exilium in odium Religionis, & Fidei: pauperes exagitati, qui propter Deum patiuntur; quibus natale ſolum interdictum eſt, quia ſunt Sacerdotes, vel initiati ſacris, quia ſunt Catholici, & Eccleſiæ gloriam ſuſtinent. Primis Chriſtianæ Religionis ſæculis adſcripti fuiſſent in albo Martyrum, & Confeſſorum Jeſu Chriſti. Nam perſecutionum tempore Martyrii ſpecies erat in exilium ejici propter fidem, & in carcerem trudi propter eamdem. Hic eſt ſtatus horum miſerorum: fides, quam profitentur, excivit in illos tot inimicos, quot error fecit hæreticos in populis, qui ſunt indociles, & rebelles lumini. Pro fide hac ſæviſſima quæque paſſi ſunt. *Anguſtiati, afflicti*. Proſcripti fuerunt, & in carceres conjecti: *Inſuper & vincula, & carceres*. In deſertis locis & in cavernis latitantes, nonniſi poſt ſexcenta pericula ad nos uſque pervenerunt, quæſituri in Chriſtiano regno perfugium: *In ſolitudinibus errantes, in montibus, & cavernis terræ. Exhortationes Chriſtianæ P. Bourdaloue Tom. I.*

Qui inſtituunt Seminaria in illis regionibus, quæ hæreticis parent, non alium ſibi finem proponunt, quam alere homines, qui aliquando afflictæ huic Eccleſiæ prodeſſe valeant, ejuſque excidium reparare: qui contra Legum injuſtitiam, atque Edictorum ſeveritatem ſubrogari valeant in locum Paſtorum, quorum jacturam fecerit, & quibus prope fuit, ut viduaretur; qui ob id audeant periculo objicere libertatem, vitamque ſuam; & quos nullum periculum, vel metus valeat deterrere. Homines, qui conſolentur, confirment, foveantque gregem non adhuc prorſus diſſipatum, ſed quam primum diſſipandum: Qui confirment infirmos in fide: qui revocent eos, quos procella abſtraxerat; qui recentes animos addant iis, quos perſecutio de loco movere non potuit. Talis fuit Sancti hujus viri agendi ratio, qui poſtquam ſe exercuit in his piis locis perpeſſus eſt omnia perſecutionum genera, quæ, quin illius fidem, & charitatem labefactarent, profuerunt, ut eaſdem augerent, illumque perfectum efficerent veri Chriſtiani prototypum. *Idem.*

Finis quem ſibi proponunt, qui inſtituunt Seminaria.

Pauci ſunt Sancti, qui, ut ita dicam non debeant perſecutionibus, adverſitatibus, paſſionibus aliquem ſaltem gradum gloriæ ſuæ in Cælo. Quid non debent Martyres cruciatibus ſuis? Proximi veſtri, & amici vos perſequentur, inquit Salvator: non ideo tamen eritis calamitoſiores. Univerſa crudeliſſimorum Tyrannorum nequitia, ne unum quidem de capite veſtro capillum convellere poteſt. Cum Deo chari ſimus, & accepti, quid nobis eſt metuendum? Quantus error eſt reſpicere odium mundi tanquam malum, cum nos mundus odit, quia diligimus Deum, quia Deo obſequimur; quia odio mundum habemus? Quos favores, quot bona mundus pollicetur Sancto N. ut illum pervertat. Et reſpuenti omnes promiſſionum illecebras, quot perſecutiones minitatur? Qua conſtantia Sanctus hic utraſque contemnit, & blanditias, & minas? Immo in blanditiis ejus gravius nanciſcitur tormentum. Mavult ſe objicere vitæ periculo; quam Dei ſui gratiam amittere. Quandonam ita ſentiemus? Quando ſecundum hæc principia ratiocinabimur? Peccatumne hodierna die malorum omnium maximum ducitur? Habeturne tamquam malum ab iis, qui peccare gaudent, & in peccatis gloriantur? Malum vocatur, jactura bonorum, ærumna, perſecutio, infortunium, quæ benedictionum ſunt ſortes ſecundum divinæ Providentiæ conſilia. At habetur ne loco mali inſignis peccatum, ubi reſpiciatur tanquam facilis ad locupletandum via? Proh Deus an quanta cæcitate hactenus vixi! Dimitte mihi iniquitates meas, & digneris exaudire orationem meam! Fac, Domine, potius ut patiar omnia tormenta. Fac, ut omnia vitæ hujus mala perferam, potiuſquam unum ſcelus committam. *P. Croiſet in Aſceticis. Tom. 5.*

Fructus quos Sanctus N. ex omnibus perſecutionibus ſuis percepit.

Plerique eorum, qui patiuntur propter juſtitiam, labefactari ſe ſinunt perſecutionibus, & ſæpe deſerunt cauſam Jeſu Chriſti, ut ſequantur mundi placita, quæ ipſis faciliora, atque utiliora videntur. Hæc maxima eſt perſecutio, quam mundus inferat innocentiæ, ex Sancti Auguſtini ſententia. Perſecutio aliquo in ſenſu crudelior, atque magis funeſta quam ea, quam Tyranni intulerunt fidei, & Religioni: efficit enim, ut abdicemus pietatem, omniaque Chriſtianæ Religionis officia, quorum Chriſtiani in Baptiſmo, publicam profeſſionem fecerunt. Aliunde vero eædem perſecutiones ſecernunt, & cognoſcendos præbent eos, qui electi ſunt, atque prædeſtinati. Hæ illos probant, eoſque oſtendunt generoſiores, fideliores, & glorioſiores. Hæc veritas eſt, quam omnium ſæculorum veritas comprobavit: virtutem, innocentiam, morumque ſanctitatem nunquam enituiſſe magis, quam in perſecutionibus. David nunquam major, ſanctiorque fuit, quam cum Saul illum odio internecino proſequebatur; Judæorum populus nunquam magis divino cultui adhæſit, quam cum permiſit Deus ut opprimeretur, in ſervitutem abduceretur, & undique affligeretur: Chriſtiani vero nunquam Sanctiores fuerunt, quam cum cruentiſſimis agitarentur perſecutionibus; cum in ſingula momenta verſabantur in vitæ diſcrimine veriti ne ad Tribunalia raperentur; tunc illi martyrium reſpiciebant tanquam ſuæ beatitudinis cumulum, ac mercedem vitæ ſanctæ, integræque tranſactæ. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Mundi perſecutiones efficiunt ut boni nonnunquam pietatis & Chriſtiani hominis officiis renuntient.

Quamvis natura ipſa conſtitutum ſit, ut paſſiones horreamus; tamen ad earum amorem in nobis ciendum ſatis eſſet, ſcire Deum in eis altiſſimum gloriæ ſuæ apicem conſtituiſſe; per illas triumphaſſe, & in illis præcipuum gaudii, votorumque ſuorum objectum conſtituiſſe. Nam ſicuti crux, licet Judæorum ævo turpiſſima haberetur, ex quo in ea animam efflare voluit hominum Salvator propter ſalutem noſtram, promeruit cultum Angelorum, & hominum, ita ut, Sanctus Auguſtinus ait, maximi terrarum Domini deinceps honori ſibi tribuerint illam in fronte geſtare: ita quantumvis turpes in ſe ipſis eſſe poſſent cruciatus, quia peccati pœna ſunt, ac effectus; ex quo tamen Dei filius illos ſibi in partem delegit, illos in perſona ſua conſecravit, eiſque omnem abſtulit turpitudinem, & ignominiam, quæ illis adhæſerant. *Idem.*

Crux Salvatoris facta eſſe debet, ut nobis inſpiret amorem patiendi pro ipſius gloria.

Procul dubio inter magna ſecreta, quæ S. Paulus ad

ter-

S. Paulus ait Deum velle, ut pro illo patiamur aliquid.

tertium raptus cælum hauſit, hujus quoque cognitionem aſſecutus eſt; alioquin favorem hunc ille nequicquam adnumeraſſet inter præcipuos, quos Deus homini in vita hac poſſit conferre, & tanta cum certitudine minime dixiſſet: *Vobis datum eſt, non ſolum ut in ipſum credatis, ſed etiam, ut pro ipſo patiamini*, quaſi diceret: Magnum quidem donum eſt, vos accepiſſe fidem, immo fundamentum eſt omnium donorum, omniumque bonorum gratiæ; at illius vultiſne conſummationem? Scirene cupitis, quod donum reliquis præſtet, & quod ſuavius ſit pignus amoris Hominis Dei; *Vobis datum eſt, ut pro ipſo patiamini*. Præter fidem, quæ vobis cum aliis communis eſt, voluit vos propter ipſum pati: quoniam hic pretioſiſſimus eſt ſermo amoris ſui. At cuinam hanc præſtitit gratiam? *Vobis*. Vobis Apoſtoli quos conſtituit ſequeſtres ſecretorum ſuorum. Vobis, quos amicos ſuos nominavit, vobis quos conſtituit tanquam fundamenta Eccleſiæ ſuæ; & quos delegit, ut eſſent Heroes Evangelii ſui; *Vobis datum eſt, non ſolum, ut in ipſum credatis, ſed etiam, ut pro ipſo patiamini*. Hæc eſt maxima gratia, & favor eximius, quem conferre poſſit homini in vita hac; eo uſque ut S. Chryſoſtomus putet ipſum S. Paulum Apoſtolum beatiorem eſſe, & glorioſiorem in vinculis, & catenis, quam cum ſublatus eſt uſque in tertium cælum; & Sanctus hic doctor profitetur, ſi ſibi optio facta fuiſſet, ſe maluiſſe cum magno hoc Apoſtolo in carceribus eſſe, quam ſedere in ſublimiſſimo Empyrei ſolio; nam perſecutiones ſunt fulgidius teſtimonium amoris Dei. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Ad Philipp. 1.

Deſiderium effundendi ſanguinem ſuum, quo S. Noſter flagrabat.

Scio nonnullos dixiſſe nimis ardentem zelum effeciſſe, ut Sanctus N. terminos exactæ modeſtiæ tranſgrederetur; ſed exceſſus nomine appellari ne poteſt ſancta libertas, qua uſus eſt, quin ſimul infinitus Martyrum numerus condemnetur, quorum verba exprobrationum refertiſſima, quæ ingerebant illi in Reges nomini Chriſtiano inimicos, ſumma cura Eccleſiaſtica Hiſtoria collegit; & quin in hujus criminis partem vocentur fideles omnes, qui poſtmodum verba hæc reſpexerunt tanquam argumentum fortitudinis eorum, atque conſtantiæ? Sanctus Noſter ſua firmitate confudit illos, qui ipſum perſequi oblectabantur; ſed hæc victoria illi peperit lacrymas, atque ejulatus cogitanti, ſe eo pacto jacturam feciſſe præclaræ occaſionis, quæ ſibi fuerat oblata moriendi pro filio Dei: Domine, ajebat ille, iis verbis, quæ mirum in modum erant pathetica, Cur per ſanguinis mei effuſionem non ſignavi meam tuæ divinitatis confeſſionem? Beati, quibus ſub primis Sancti Nominis tui perſecutoribus hoc contigit! Heu! quam illis invideo: *Utinam hoc confeſſionis meæ in te, atque Unigenitum tuum, miniſterium Neronianis, Decianiſque temporibus expleſſem*. Verum bono, fortique animo ſis, Sancte vir. Si Providentia tibi occaſionem abſtulit moriendi pro Domino tuo; fortitudo tua tibi martyrii meritum comparavit. *Sermo Manuſcriptus*.

Quanta ſit virtus eorum, qui perſecutionem patiuntur propter amorem Dei

Quam præclara ſunt virtutis teſtimonia, cum fideles una cum fontibus ſupplicia objiciuntur. Chriſtiani, qui illorum certaminibus adſtant, licet nunquam ante illos viderint, non ægre illos dignoſcunt; pleni ſunt hilaritate inter ipſos cruciatus; fidenter cælum intuentur, tormenta ipſa, pœnaſque contemnunt, & adventante morte principia ſuæ immortalitatis præſeferunt. Sed pauliſper inſpiciamus, quomodo primi fideles adſtabant fratribus ſuis, qui pro fidei confeſſione in vinculis, compedibuſque detinebantur. Nullus erat carceris cuſtos, quem non delinirent, nullus murus æneus, quem non perfoderent, nullus tenebroſus locus, quo aditum ſibi non aperirent. Illuc alii poſt alios ingrediebantur, generoſorum Confeſſorum vulnera deoſculabantur, remedia, & refectiones feſſis artubus, fractiſque corporibus afferebant, eorumque veneratio ad illorum etiam manicas, pedicaſque migrabat. *Auctor Recens*.

Chriſtianus, qui perſecutionem patitur propter juſtitiam, in perſecutionibus ſuis nanciſcitur fideles qui eum conſolantur.

Nonnunquam Tyranni Sanctos hujuſmodi Confeſſores in exilium ejicere contendunt: ſed nullum eſt exilium Chriſtiano. Hic ubique locorum fratres invenit, & concives: hi illos agnoſcunt tanquam homines, qui pertinent ad ſe, & cocunt illos conſolaturi, ubi per Eccleſiæ teſtimonium audiunt, Cultum Dei, quem colunt, & confeſſionem fidei, quam profitentur, cauſam eſſe damnationis eorum. Si eamdem ob cauſam fidelis ad metalla damnatur, recipit in labore ſuo eadem teſtimonia a Charitate fratrum ſuorum: accurrunt ex finitimis locis illi ſolatium, opemque allaturi, eum in bonorum ſuorum partem vocaturi, ejuſque pœnas imminuturi, in laboris partem accedentes. *Idem*.

Perſecutiones in Sanctum hunc commotæ ad illius gloriam contulerunt.

Pii hujus ſervi Dei ſanctitati aliquid deeſſet, ſi illi defuiſſent perſecutores; & ſicut in Jeſu Chriſti corpore, licet glorioſo, & pulcherrimo in omnibus, ſingulisque partibus, nihil magis elucet, quam vulnera illius: dicere poſſumus, perſecutiones efficere pulcherrimam, ac nitidiſſimam partem vitæ ſervorum, atque Sanctorum illius. Verum ſi divinum hoc caput vult, artus ſuos participes fieri paſſionum ſuarum, vult quoque in partem accidere inſignium honoris, quæ illas concomitata ſunt. Adorabilis iſta ſapientia, quæ in omnibus humiliationibus ſuis novit gloriam cum dedecore, & poteſtatem cum infirmitate conjungere, quæ ſemper viſa eſt & homo & Deus, nunquam permittit ſuos opprobriis affligi, niſi in tenebris aliquis protectionis ſuæ radius illuceſcat; & eo momento, quo eorum calamitas videtur eos aliis hominibus mancipare, ex aliquo charactere Dei filii eſſe intelliguntur. Hoc accidit Sancto N. in perſecutionibus, quæ exarſerunt in illum. Nam ſimulac infernus in illum contumelias evomebat: Cælum pro eodem palam locutum eſt; eumque Deus juſtum eſſe evulgavit plurimorum mortalium, ac miraculorum, quorum ipſe inſtrumentum fuit, voce. Quod videbatur labem illaturum innocentiæ ipſius, fecit, ut in dies magis ſanctitas ejus inclareſceret; tantumque gloriæ percepit ex iiſdem rebus, quæ ad illum dedecore afficiendum fuerunt adhibitæ, licet non habuiſſet, quem habebat Spiritum, ac ſenſum Jeſu Chriſti, non deeſſet illi cauſa diligendi inimicos ſuos, & deprecandi pro calumniantibus ſe. *Ex vita Cardinalis de Berulle libro primo*.

Quomodo Sanctus hic vir fidem conſtanter defenderit, licet magna illi impenderent pericula?

Procul dubio admirabimini, ſi vobis in mentem revocavero firmitatem, atque conſtantiam, cum qua Sanctus N. propugnavit fidei veritatem: theſaurus pretioſior eſt, cum de latronum faucibus illum furari cupientium eripitur; & cum multi labores exhauriendi fuerunt, ut propulſarentur vires ab infeſtiſſimis hoſtibus illatæ. Quot non ſtetit laboribus Sancto huic, ſumma cum fide tueri pretioſum fidei depoſitum adverſus inimicorum ſuorum impotentiam? Quot ille pertulit injurias, minas, atroces calumnias, exilia, perſecutiones, cruciatus, tormenta? Eccleſiaſtica hiſtoria nobis ſuppeditat alia infinita ſtrenuorum ſanctorum exempla, qui non laboribus, neque vigiliis pepercerunt; immo neque ipſi vitæ, ut injuſtis inimicorum fidei conatibus adverſarentur. Sanctus hic vir, non ſecus ac Apoſtoli quibus ſucceſſerat, cogitabat ſe a Jeſu Chriſto eſſe miſſum ut noſtrorum myſteriorum veritatem aſſereret. Illi perſuaſum erat eum, *cui data eſt omnis poteſtas in cælo, atque in terra* ipſis dicturum: *Euntes docete omnes gentes*. Hoc illius animum inflammabat; hoc effecit ut ne graviſſimis quidem periculis deterreretur: ſed e contra crederet ſe tunc magis teneri, ut veritatem defenderet, cum impotentius impugnaretur. *Lambert in anno Evangelico Tom. 6.*

Sanctus hic vir ſeſe diſponebat ut omnia ſubiret genera perſecutionum.

Sanctus hic ſemper paratus erat, ut omnia perſecutionum genera propter Jeſu Chriſti amorem perferret, ideoque jugiter ſecum ipſe reputabat ea verba, quæ dixit Jeſus Apoſtolis ſuis ut eos diſponeret ſimulque excitaret ad perferendos cruciatus, ad tuendam fidem. Ita illos hortabatur. Omnes poteſtates, dicebat illis inferni, ac terræ in vos inſurgent; conſanguinei, amici, concives, omnia inſurgent in vos: vos habebimini tanquam id, quod in mundo abjectiſſimum, ac deterrimum eſt, donec mundus gaudebit, vos mœrore afficiemini. Non diſſimulo vobis, filii optatiſſimi, quæ veſtra portio ſit in terris futura: haud æquior vobis erit conditio, quam mihi fuerit Patri veſtro: Neque melius excipiemini, quam ipſe fuerim exceptus: *Amen amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit*. Jo. 16.
Dies veſtros inter ærumnas ducetis; anima veſtra erit in amaritudine, donec mundus gaudebit, donec mundi ſectatoribus dies omnes ſereni erunt, ac feſti. Sed lætamini: non diu hæc ſcena producetur; triſtitia veſtra quam primum convertetur in gaudium, ſicut gaudium eorum brevi in triſtitiam mutabitur, cum hoc tamen diſcrimine, quod pro aliquot diebus lacrymarum tot interioribus ſolatiis delinitis, gaudium eſtis habituri, quod *nemo tollet a vobis*. Æterna felicitate perfruemini, quæ illico vobis inferet oblivionem malorum, quæ tot vitæ ſpatio paſſi fueritis propter me; & e contra mundi ſectatores pro aliquot horis voluptatum, quæ tot amaritudinibus cumulatæ fuerunt, quandiu paſſuri ſunt infinitam ploratuum, acerbiſſimorum dolorum, ſuppliciorum ac rabiei æternitatem! Conſolamini: triſtitia veſtra non diu duratura eſt, eamque omnibus numeris abſolutiſſimum gaudium excipiet. Quonam evaſerunt Apoſtolorum perſecutores, ſcitus quidam quærit Interpres? tempus eorum potentiæ, & lætitiæ abiit, tempus vero ſuppliciorum nunquam finem eſt habiturum. Plura exceſſerunt ſæcula, cum Apoſtoli aliquot poſt vitæ patientia annos migrarunt in ſinum perfectiſſimæ felicitatis; & poſt infinitum annorum numerum hæc beatitudo erit adhuc recens, guſtus recens, felicitas recens, illecebra recens. Donec ſuperbi illi, & crudeles perſecutores diſcipulorum Jeſu Chriſti, Apoſtolorum, facti opprobrium, & horror hominum, & Angelorum torquentur exquiſitiſſimis ſuppliciis, uruntur flammis, quin vel minimum valeant ſperare ſolatium. *P. Croiſet in Aſceticis Tom. 4.*

Conſolatio Confeſſorum in carcere & vinculis poſiti.

Scio, Tertullianus ait, obſcurum eſſe carcerem; ſed vos glorioſi Confeſſores aſpectu veſtro tenebras illius diſſipatis; eſtis enim luminaria fulgentia. *Habet tenebras carcer, ſed lumen eſtis ipſi*. Fateor compedibus eſtis onerati, & pedum, manuumque uſum amiſiſtis: ſed liberi eſtis in Domino, quoniam eſtis illius filii, & carcer vobis via eſt, quæ ducens in cælum, vos ad hæreditatem veſtram perducit: *habet vincula, ſed vos ſoluti eſtis Deo*. Fateor, male olet: & ex ea cloaca, non niſi teterrima mephitis exhalat; ſed vos Jeſu Chriſti bonus odor eſtis, & vitæ veſtræ puritas oſtendit Sanctitatem legum illius, & animæ veſtræ innocentiam: *Triſte illic expirat, ſed vos odor eſtis ſuavitatis*. Fateor denique vos

ibi

Digitized by Google

ibi præſtolari judicium hominum, vel aliquando affici metu tormentorum, & mortis, ac expaveſcere, ne carnificum ſævitia de fortitudine veſtra triumphet. Sed vos judices eſtis veſtrorum judicum; damnabitis eos, a quibus damnati fueritis, & ſedebitis ſuper ſedes cum filio Dei proferentes ſententiam in eos, qui in vos mortis ſententiam protulerint: *Judex expectatur de judicibus, ſed vos eſtis de judicibus ipſis judicaturi*. *Patris Senault in Panegyrico Sancti Clementis Tom. 3.*

*Ejuſdem argumenti.*

Ita ſane, glorioſi teſtes fidei guſtatis in tenebricoſis illis carceribus pacem conſcientiæ puræ, & ſine macula; cum vobis perſuaſum ſit locos omnes nullo eſſe debere in diſcrimine Chriſtiano viro; nam in quacunque mundi plaga verſetur, cum mundo fecit divortium. Suave initis commercium, non equidem dicam cum Angelis, ſed cum ipſo Angelorum Domino. Ibi procul a corrupti ſæculi illuſionibus libere colloquimini cum Patre miſericordiarum, qui ſuſtinet vos conſolationibus ſuis, qui replet vos Spiritu ſuo, qui vos gratia ſua confirmat, gratia victrici, qua ſuffulti de carnis infirmitate, deque tormentorum formidine triumphatis. Dei veſtri beneficio in carceribus veſtris eaſdem invenitis illecebras, quas olim Prophetæ ſancti inveniebant. *Hoc præſtat*, Tertullianus ait, *Chriſtiano, quod eremus Prophetis*. *Idem*.

*Nihil glorioſius fuit Apoſtolis, & martyribus quam pro Jeſu Chriſto pati.*

Nemini glorioſius fuit pati, quam Apoſtolis, atque Martyribus. Cur? Quia ſuſtinuerunt Jeſu Chriſti cauſam. Ipſum hoc nomen Salvatoris illis mortalium odium conflabat. Inimici Jeſu Chriſti, illorum inimici fuerunt. Nonne *præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine iſto?* dicebant perſecutores. Sed Apoſtoli contemnentes ſacrilegum hoc edictum, animoſe reſpondebant illis: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus*. Hac de cauſa erant in odio hominibus, flagellis cædebantur, de civitatibus ejiciebantur, & tanquam hoſtes publici habebantur. Apoſtolis Jeſu Chriſti nomen confitebantur, tunc etiam cum in carnificum manibus efflabant animam. Igitur beati ſunt, & mortalium omnium beatiſſimi; quia nemo fuit, de quo verius prædicari poſſit, hunc pro Jeſu Chriſti nomine paſſum fuiſſe. *Annus Evangelicus Tom. 7.*

*Qui patiuntur Dei gloria, & Eccleſiæ, beati vocari poſſunt.*

Illi beati ſunt, qui patiuntur pro tuenda veritate, pro Eccleſiæ gloria, pro diſciplinæ ejuſdem obſervantia, pro recti ordinis incolumitate, pro excitatione Spiritus veteris Chriſtianiſmi, pro ſanctarum Legum obſervantia, quam Antiqui Patres tanta cum Sapientia inſtituerunt, & cum vitæ ſuæ periculo ſuſtinuerunt. Illi beatiſſimi ſunt, qui cum poſſent perſecutionem evitare & mulcere furorem Inimicorum, prætulerunt honeſtas tribulationes funeſtæ quieti, quæ ipſis ſtaret innocentiæ jactura, & illos in Dei odium adduceret. *Idem*.

*Illi ſunt beati qui ſine murmure ſuſtinent omnes injuſtitias quas illis inferunt homines.*

Illi ſunt beatiſſimi, qui cum licet innoxii exagitentur perſecutionibus, ſolidas quærunt conſolationes, quas Deus ſemper fidelibus ſervis miniſtrat. Nullo habent in diſcrimine mortalium judicia; ſufficit illis, ſi ſcrutetur Deus cordis ipſorum ſecreta. Licet ab omnibus hominibus ſontes habeantur, lætantur ex quo teſtimonium habent conſcientiæ ſuæ, & merito ſibi perſuadere poſſunt, ſe apud Deum omni culpa vacare. Illi etiam beatiſſimi, qui licet oppreſſi pondere injuſtæ ac tyrannicæ auctoritatis; licet exuti bonis ſuis, licet exagitati per irreconciliabilem nequitiam a potentibus inimicis, quibus reſiſtere nequeunt, licet præſto ſint in cauſa juſtiſſima vinci, neque enim ſe defendere poſſunt deficientibus probationibus, pecunia, & exiſtimatione, nomen Domini Jeſu Chriſti benedicunt, ſecum conſolantur, quærunt in ſemet, & in propriis iniquitatibus fontem ſuæ calamitatis; cum humilitate ac timore Dei adorant conſilia, fatentes illa ſemper eſſe juſtiſſima, ac ſemper favorabilia illis, qui ſeſe cum iiſdem volunt conformare. *Idem*.

*Beatus eſt qui patitur aliquid pro nomine Salvatoris. 1. Petr. 4.*

Princeps Apoſtolorum hac utitur cogitatione tanquam omnium validiſſima, ut nos impellat ad æquo animo perferendum propter Jeſum Chriſtum: *Si exprobramini in nomine Chriſti*, dicebat ille primis fidelibus, *beati eritis, quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & ejus ſpiritus, ſuper vos requieſcit*. Quam beati eſtis, ſi quid pro Salvatoris nomine ſuſtinetis! Nam quidquid veri honoris eſt, quidquid ſolidæ gloriæ eſſe poteſt in terris, quidquid gratiæ conferre poteſt Spiritus Sanctus, depluit, ut ita dicam, in vos. Sed ſi ſuſtineretis tanquam noxii, pœnam luentes ſcelerum veſtrorum, vos quidem, pergit, lacrymis proſequerer, ac ſupplicium veſtrum turpe putarem. *Nemo veſtrum patiatur, ut homicida, aut fur, aut alienorum appetitor*. Sed ſi ideo patimini, ut ſitis Chriſtiani, vel quod non abludit, ac fere idem eſt: ſi patimini, ut pati debet Chriſtianus, propter juſtitiam: Heu, vos minime pudeat. *Si autem ut Chriſtianus, non erubeſcat*. Quare? *Quoniam tempus eſt, ut incipiat judicium a domo Dei*. Hoc enim tempus eſt, quo incipere debet in vobis judicium Dei: videlicet ex interpretum ſententia: judicium, quo vos approbat; judicium prælationis, quo vos ab aliis diſtinguit per hoc ſui erga vos amoris argumentum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*. *Ibid.*

*Ut participes ſiamus gaudii filii Dei prius participes fieri debemus paſſionum illius. Thren. 3.*

Hoc in ſenſu exclamare poſſem cum Principe Apoſtolorum: *Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete*. Heu! vos qui participes eſtis paſſionum filii Dei, lætamini; ac agite cum illo triumphum. Nunquid honori veſtro, ac nomini labes offunditur? Quo major illis inuritur contumelia, eo magis ſimiles eſtis illi, qui voluit opprobriis ſaturari, ut inquit Propheta, *ſaturabitur opprobriis*. Nunquid bonorum jacturam ſuſtinetis? *Gaudete*. Quo majus detrimentum paſſi fueritis, eo magis illum imitabimini, cui non erat, ubi caput ſuum reclinaret. Nunquid morbis, aut corporis doloribus affligamini? Quo magis acuti ſunt, eo majorem habetis ſimilitudinem cum viro dolorum: hoc enim eſt imitari illum, qui ideo ſe nobis ſimilem præbuit, ut nos ſibi ſimiles faceret, & hoc pacto faceret nos dignos amore Patris ſui, qui nihil probat, nihil æſtimat, nihil amat, niſi quod habet aliquam cum dilecto filio ſuo ſimilitudinem: *Quos ſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imagini filii ſui*. *Idem*.

*Honor eſt aliquid pati, ut Jeſu Chriſto ſimiles ſimus.*

Ita eſt, Auditores; vos qui propter Deum ſuſtinetis, ne conſideretis amplius paſſiones tanquam criminum veſtrorum ſupplicium, neque tanquam viam, quæ ducit in Cœlum, neque tanquam certiſſimum veſtræ prædeſtinationis adminiculum: cogitate ſolum, quamvis omnium mortalium integerrimi eſſetis, in nominis veſtri gloriam ceſſurum pati, ut ſimiles evadatis Regi veſtro, prototypo veſtro, Capiti veſtro. Si hic Dei filius poſtquam ebibit illum amaritudinis calicem in Cruce, vobis manu propria ejuſdem reliquias potandas offerret, num vobis animus eſſet eas recuſandi? Si poſtquam crucifixus fuit, imprimeret in pedibus, manibuſque tuis Paſſionis ſuæ ſtigmata, nonne te ſummo honore affectum putares? Nonne illa reciperes tanquam pignora amoris ſui? Hoc tamen uſuvenit tibi, quotieſcunque aliquid pro ipſo ſuſtines; & ſi id æquo, alacrique animo ſuſtines, hæ totidem ſunt paſſionis ejuſdem particulæ. Verbum hoc aculeatum, quo illuditur pietas tua, ſpina eſt de corona illius, injuſta illa perſecutio clavus eſt, qui te cruci ejuſdem affigit: dolor iſte cuſpis eſt lanceæ, quæ cor illius transverberavit; & cum patienter ſuſtines, dicere potes cum Apoſtolo; *Chriſto confixus ſum cruci*. Cruci confixus ſum una cum Salvatore meo, Domino meo, & Deo meo: Cumque ille per hæc teſtetur exceſſum ſui amoris in nos, ajo, nos viciſſim melius non poſſe amorem teſtari noſtrum erga illum, niſi patientes pro illo, & æquo animo, & Chriſtiana ſubmiſſione recipientes perſecutiones, quibus affligimur, pro gloria ipſius, quam tuemur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*. *Ad Gal. 2.*

*Nemo majorem Deo amorem, vel fidelitatem Deo teſtatur, quam qui pro ejus gloria patitur.*

Difficile non eſt alteram hanc veritatem probare vobis; nemo enim majorem generoſitatem, integritatem, fidelitatem teſtari poteſt Deo, quam qui propter amorem illius patitur. Hæ ſunt præcipuæ conditiones, quæ magnum, perfectumque amorem oſtendunt erga Deum, cum æquo animo excipimus omnes ærumnas, quæ nobis ingruunt ipſo annuente. Dixi primum in perſecutionibus, quas patimur propter amorem illius, poſſe nos melius, quam in aliis quibuslibet occaſionibus ſignificare magnitudinem, atque præſtantiam amoris noſtri. Si enim generatim proprium amoris eſt, immittere fortitudinem, & generoſitatem; quotidiana quippe docemur experientia nihil inauſum, atque intentatum relinqui pro illis, qui efflictim amantur; ubinam fortitudo Chriſtiani melius eniteſcere poteſt; ubinam amoris erga Deum magnitudo cognoſci poteſt, niſi in hoc genere paſſionum? Tandem enim quis ignorat, verum fortitudinis, & generoſitatis objectum eſſe adverſitates, perſecutiones, & omnia, ubi plurimum ferendum eſt; & contra id genus inimicos vim, ac virtutem eſſe adhibendam; nam in iis maxime animus eluceſcit? Hoc enim apud Ethnicos conſtituit Heroes, & adhuc in Chriſtiana Religione ſummos viros conſtituit. Cetera pro communi virtute poſſunt haberi; ſed patienter pro Dei gloria ferre, hoc magnum aliquid eſt, aliquid non commune, aut vulgare: in hoc gratia triumphat: in hoc virtus elucet; hoc denique, ut Sanctus Paulus ait, Angelorum, hominumque meretur admirationem. *Spectaculum facti ſumus mundo, Angelis, & hominibus*. Hinc Sanctus Chryſoſtomus infert; pati propter Deum aliquid eſſe majus, & admirabilius, quam patrare miracula, quæ ſuis, deque omnes naturæ leges ſubverterent. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*. *1. ad Cor. 4.*

*Pati pro Dei gloria argumentum eſt amoris minime cupidi.*

Paucæ ſunt id genus animæ generoſæ, quæ unice propter Deum virtute ſint præditæ; cum honor, vel alia quælibet utilitas virtutem ſubſequitur, atque illi theatro eſt; non deſunt eidem illecebræ, propter quas ſectatores habet, ſed ubi his ornatibus caret, ac Deo, ut ita dicam, ſumptibus noſtris ſerviendum eſt, tunc palam fit, unum illum amari; id agi unum, ut placeamus ei, & nobis non niſi divinas proponi cauſas, ſupra ſenſus ipſos, ac rationem poſitas. Quis enim non amaret nobis blandientem Deum, nos bonis, & proſpero rerum curſu cumulantem? Quinam hoc pretio illi non obſequeretur? Profecto credendi locus eſt amorem hunc mercenarium eſſe, & legis antiquæ proprium, ubi Deus non niſi de terrenis benedictionibus loquebatur, ut homines ad ſui cultum pertraheret; Sed amare Deum nobis exhibentem cruces in præmium ſervitutis, quam illi præſtamus, mecum fatebimini hunc eſſe amorem in-

integerri-

tegerrimum, ac perfectiſſimum, quem eidem teſtari valeamus. *Idem.*

Gloriari debemus ob eas perſecutiones quas in præſenti vita ſuſtinemus.

Hinc fit, ex Apoſtoli ſententia, tribulationes, quas propter Deum ſuſtinemus, unum eſſe illud, de quo gloriari liceat in vita hac tanquam de argumento amoris integerrimi, ac ſinceriſſimi. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis*, ait ille. (2. Cor. 12.) Quid autem? Non ita chriſtianæ humilitati adverſatur, oſtentare labores ſuos, & perſecutiones, tanquam præclariſſimum vitæ ſuæ locum, quod hic facit Apoſtolus? Nequaquam, quia gloria, quam ex omnibus rebus aliis aucupamur, inanis eſt, & commentitia; ſed quam ex noſtris paſſionibus propter Dei cauſam excipimus, juſta eſt, ſolida, & vera: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini.* (Ad Gal. 5.) Ideo prolixam texit enumerationem ærumnarum, & perſecutionum ſuarum; ideo narrat itinera ſua, vincula, carceres, naufragia: ideo ait ſe flagellis cæſum, lapidibus obrutum, de tribunali raptum ad tribunal: ideo tandem oſtendit ſigna, & cicatrices vulnerum ſuorum, totidem veluti honoris titulos. *Stigmata Domini Jeſu in corpore meo porto.* (Ibidem.) Undenam, quæſo, Apoſtolus adeo humilis, & cum de ſe loquitur adeo verecundus, homo timens, ne poſtquam Mundum univerſum converterit, ipſe reprobetur, qui arbitratur ſe primum eſſe, & maximum peccatorum omnium, undenam, inquam, Apoſtolus hic jactat ſuas tribulationes, quas pro Deo paſſus eſt tanquam totidem victorias, atque trophæa? *Quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor.* (2. Cor. 12.) Quia iterum dicam, hæc unica ea res eſt de qua licet gloriari; quia hoc unum vere glorioſum eſt, & perfectam ab omni cupiditate integritatem ſignificat. Hinc ſequitur, ſicuti licet palam profiteri, ſe diligere Deum, & fas eſt præbere ſigna, & documenta hujus amoris, & fieri nequaquam poteſt, ut prohibeamus, quominus magnus hic amor erumpat, ſi verus eſt; conſequenter licere producere amoris hujus teſtimonia, ea videlicet quæ paſſi ſumus pro gloria ejuſdem tuenda, & quæ meridiana luce clarius oſtendunt amorem illum nihil ſimulationis habere; integerrimum eſſe, atque ardentiſſimum: *Libenter gloriabor: mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini.* Vanitas quæ omnibus bonis inhæret operibus, & quæ ſimilis eſt vermi eorum fructum corrumpenti, parcere videtur tribulationibus, quas propter Deum patimur: quoniam proprius earum effectus eſt nos coram Deo dejicere, ſub manu juſtitiæ ipſius humiliare; & quia ipſa etiam confuſio, & humiliatio numerantur inter afflictiones, quas nobis immittit Deus eo conſilio, ut diſrumpatur hic tumor cordis, qui in rebus proſperis nos attollit. *Auctor Sermonum in omnia Argumenta.*

Amor, quē teſtamur Deo in iis, quæ propter illius amoré patimur non ſolum integrior eſt, ſed fidelior, & conſtantior.

Si in iis, quæ propter Deum patimur, amor, quem illi teſtamur, generoſior eſt, & integrior, dico etiam eſſe fideliorem, atque conſtantiorem, & ex hac potiſſimum fidelitate verum amorem cognoſci. Ita ut cum paſſim dicatur, in adverſis, & infortuniis periculum fieri de amicorum noſtrorum fidelitate: prorſus e contra per fidelitatem teſtamur in paſſionibus illum a nobis vere diligi; & donec hoc tentationis genere probati fuerimus, nobis eſſe metuendum, ne aliqua incidat de amore noſtro ſuſpicio. Tantum enim in mundo ſimulationis eſt, hypocriſis, diſſimulationis, ut ſæpe noſmetipſos fallamus, antequam alios decipiamus. Et ſi videtur Deus experiri velle Sanctos ſuos, & ſibi amiciſſimos per paſſiones, ut liqueat utrum fides eorum ſit ſincera; quamvis ille renes ſcrutatur, & corda: poſſumus ne ipſi certi eſſe noſtræ fidelitatis, cum nondum hac in re tentati fuerimus? Ex quo Sanctus Jacobus Apoſtolus nos docuit, patientiam conſtituere Chriſtiani viri perfectionem, quæ ſi deſit, nihil eſſe patet, in quo ſolidum haberi poſſit fundamentum. *Patientia opus perfectum habet.* (Jacobi 1.) *Idem.*

Gloria, quā perſecutiones procurant viris bonis, qui inſontes propter juſtitiam patiuntur.

Nihil addere poſſum incomparabili huic felicitati patiendi propter Deum, niſi quod injuſta perſecutio gloriam aliquam procurat viris bonis, qui innocentes propter juſtitiam patiuntur; quin illis aperit viam veram ad gloriam. Hinc Deus nequaquam permittit, ut eorum vita ſemper ſit tranquilla, & beata ſecundum mundum. Providentia mihi videtur peculiarem curam gerere illis ſuppeditandi occaſiones patiendi propter ipſum, in ærumnis, & adverſis, quæ illis ſuſcitat in optimis quoque conſiliis: modo invidia illos aggreditur, & in illos publicum odium concitatur; modo eorum inimici apertum illis bellum indicunt, & modo ipſe Deus non ſinit illos frui nimis diuturna tranquillitate, qua permanente virtus eorum majori verſaretur in periculo naufragii faciendi quam procella ſæviente. Sed ſpes ſaltem perfruendi immutabili requie in vita altera, efficere debet, ut omnes hæ perſecutiones ab illis habeantur tanquam favores, & beneficia, tanquam peculiaris Providentiæ circa ipſos cura, & tanquam pignora felicitatis. Tandem enim mors, quæ finem factura eſt omnibus eorum ærumnis, adducet eos ad ſedem quietis, atque æternæ beatitudinis. Ita ſub hoc aſpectu perſecutiones inimicorum infenſiſſimorum, graviſſima fortunæ mala, atque inopinatæ calamitates non movebunt hominem ſperantem in Deo, & ſe beatum ducet, eo quod patiatur propter juſtitiam. *Auctor Sermonum in omnia Argumenta.*

Perſecutiones que nos ad mortem adducunt ſunt acceptiſſimæ Deo.

Verum eſt, Chriſti fideles, cum minime penes vos ſit vitæ veſtræ dominium, neque poſſe nos illam Deo ſacrificare, non ſecus ac aliorum hominum vitam; in quam nullum nobis jus eſt; ſed cum eam nobis eripere ſtudet perſecutionibus, idque æquo, magnoque animo patimur, ut Deo noſtram teſtemur fidelitatem, vel ut proprio cruore ſignemus noſtræ Religionis veritatem; hæc noſtra acceptatio verum eſt ſacrificium, maximum, ſanctiſſimum, & acceptiſſimum, quod illi offerre valeamus, ideoque etiam glorioſiſſimum; quoniam hoc teſtimonium eſt probatiſſimum, quod perhibere valeamus, magnitudini eſſentiæ ipſius, ſupremoque, quod in nos tenet, imperio. Hoc autem illud eſt teſtimonium, quod omnes Chriſtiani perhibent Incarnato Verbo, cum patiuntur non mortem quidem, ſed perſecutiones adeo crudeles, ut langueant, neque ultra aliud ſperent ſubſidium, quam Cæli gloriam. *Idem.*

Ejuſdem argumenti.

Hinc docemur, Auditores, nos nunquam majorem Dei Filio gloriam conferre, quam cum aliquid patimur propter amorem illius; & ſicuti maximum ſacrificiorum omnium, quæ illi offerre valeamus, illud eſt vitæ per generoſum Martyrium, illud quod majorem cum eo ſimilitudinem habet, & quod ideo glorioſius eſt, eſt ſuſtinere aliquam perſecutionem pro ejuſdem gloria tuenda. Nobis non licet nobiſmet mortem conſciſcere; hoc eſſet horribile crimen, ſed heroicum eſt mori propter juſtitiam, & æquo animo parcere injuſte nobis vitam eripienti. Similiter pati, ut bona noſtra auferantur nobis, & ea quæ nobis antiquiora ſunt, eripiantur, id mea quidem ſententia aliquid majus eſt, quod continet ſimul meritum patientiæ, avulſi animi a terrenis rebus, & ſubmiſſionis imperio Providentiæ, & quod exæquat, vel ſuperat rectum uſum, quem facere poſſemus ejus boni, quod fuit nobis ereptum. Itaque, eſto quidem, honor, & exiſtimatio, ex Sapientis conſilio, ſit nobis theſauris omnibus utilior; tamen ſi calumnia, & invidia nobis hunc rapit honorem, ut fidelius noſtra munera obeamus; hæc, fateor enim, moleſta eſt perſecutio, ac tentatio complurium habita ratione ſatis delicata: ſed magnum hoc eſt Sacrificium Deo, cum pro illius cultu contemnuntur hominum judicia, & flocci fit æſtimatio illa, qua apud homines fruimur, ne illam, in qua apud Deum ſumus, amittamus: ita ut licet omnia id genus infortunia nobis accidant invitis, patientia, quam in his perſecutionibus teſtamur, ſæpe cedat in majorem Dei gloriam, quam inſignia ea facta, quæ propter zelum aggrederemur. *Idem.*

Utile eſt perſecutiones pati præſertim propter juſtitiam.

Fructus, quem ex his omnibus percipere debemus, eſt patienter ferre perſecutiones undecunque proficiſcantur; præſertim vero cum patimur propter juſtitiam, & innocentes ſumus eorum criminum, quæ nobis accepta referuntur. Vobis oſtendi hoc pacto Deum præbere nobis inſignia ſui erga nos amoris argumenta, & apertius noſtræ prædeſtinationis indicium; atque ut verbo omnia complectar: hic fons eſt æternæ beatitudinis noſtræ. Quapropter una cum Dei ipſius Filio exclamo: *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum Dei.* (Matth. 5.) *Beati, qui perſecutionem patiuntur!* Beati, quibus ſors contigit inſigniendi virtutem ſuam, ac Deo ſuam oſtendendi fidelitatem! Hoc intuitu Apoſtoli, ac Diſcipuli præ gaudio exultabant, & ſecum præclare agi exiſtimabant, cum in primis perſecutionibus Religionis Chriſtianæ rapiebantur ad Tribunalia, & contumeliis afficiebantur eo quod illam profeſſi erant, & annuntiaverant populis: *Ibant gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.* (Act. 5.) Tanta beatitudo, honor adeo inſignis, ut Apoſtolorum Princeps aſſerere non dubitaverit, quidquid in mundo eſt ampliſſimum, omnia honoris argumenta; quicquid magnificentius eſt, ac par ad aliquem apicem gloriæ attollendum, in eos redundare, qui ut Chriſtianos decet, patiuntur, qui videlicet patiuntur propter juſtitiam, & qui in odio ab omnibus habentur propter Jeſum Chriſtum. Hunc autem honorem, hanc utilitatem, hanc gloriam nanciſcimur in perſecutionibus, cum illis per nos nullam præbuimus occaſionem: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* *Idem.*

Ex perſecutionibus quas pro Deo patimur gloriā percipientes, hanc viciſſim gloriā procuramus.

Addendum eſt, quod ſi tantum gloriæ percipimus ex perſecutionibus pro Dei cauſa exantlatis, nos viciſſim illi majorem gloriam conferre: hoc enim eſt teſtari, nos illius ſervituti penitus adhærere; & non odium hominum, neque metum illis diſplicendi, neque tandem quidquid in mundo eſt infenſiſſimum, nos ab eodem poſſe divellere. Hoc in ſtatu Deus nos eſſe putat ſervos ſibi fideles, & pro illius gloria omnia ſubeuntes pericula, & audeo dicere tanquam Martyres juſtitiæ, quibus, poſtquam illorum virtutem hoc pacto probaverit, præparat coronas in Cælo. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Miſer ſtatus Confeſſorū redeuntium de exilio, & de carceribus excitat fideliū Charitatem.

Cum ſedatur procella una cum Tyrannorum iracundia videntur Confeſſores egredi e carceribus, & de exilio reverti eum in ſtatum, qui naturæ ipſi horrorem injicit. Quidam revertuntur plagis confecti; alii claudi, ac debiles; videntur quidam mutili, qui in prælis dimidiatos artus reliquerunt: tunc fidelium charitas producit novos effectus zeli, & pietatis; præcedunt illi ipſorum

ſorum triumpho honorem additur; omnes certatim ſibi vindicant honorem hos domibus ſuis recipiendi; deoſculantur glorioſa illorum vulnera, illi ſingularem teſtantur reverentiam, in reliquum vitæ eorum ſpatium; & parum abeſt quo minus illis tanquam Sacerdotibus deferatur obſequium. Profecto qui ſeſe per Martyrium immolavit Deo, ad Sacerdotii honorem propius accedit, & hac de cauſa Eccleſiæ conſuetudo, & gloria eſt habere Martyres, & Confeſſores pro Sacerdotibus, & Epiſcopis. *Auctor Recens.*

Honores qui adhibebantur Sanctis Confeſſoribus.

Ubicunque Sancti Confeſſores inveniantur ſive in carceribus, ſive in inſulis deſertis, ſive ad metalla damnati, alii Chriſtiani nequaquam de illorum queruntur infortuniis, atque ærumnis, quas eos pati vident; e contra benedicunt eorum pœnis, incomparabilem illis teſtantur æſtimationem, lætantur cum illis videntes eos in gradu adeo excelſo, & optatiſſimo, & quin eorum invideant gloriæ, ſimilem ſibi concupiſcunt. *Idem.*

Idolorum cultores contra ſervos Jeſu Chriſti exercuerunt, hinc quidem carnificum ſævitiam, ignis ardores, exilii faſtidia, tormentorum horrorem, paupertatis ſeveritatem, inde vero divitias, dignitates, promiſſiones, voluptates, quæ contra fidem non ſunt minus crudeles, quam novaculæ, laminæ ardentes, & omnia impietatis, & voluptatis eorum inſtrumenta Fideles in Ethnicos convertere non valuerunt. Chriſtiani autem e contra adverſus inimicos ſuos adhibuerunt ſolum patientiam, conſtantiam, & modeſtiam, & his virtutibus cum paſſionibus ipſorum conjunctis Idololatras in Chriſtianos immutaverunt. Sanctus hic Confeſſor, quem colimus, vicit patiens, & legem dixit Auctoribus ſuppliciorum ſuorum; Ethnici vero diutiſſime torquentes illum victi fuerunt, ac ſemet ſubjicere coacti fuerunt illi ipſi, quem ſe ad nihilum redegiſſe cogitabant. *Auctor Recens.*

# PRO COMMUNI CONFESSORUM
## PONTIFICUM, ALIORUMQUE PASTORUM.

## M O N I T U M.

*DEi Filius in nova lege ſatis non eſſe duxit Eccleſiam conſtituiſſe ex electo populo conflatam & ſe illius primum extitiſſe paſtorem, qui omnibus perfunctus eſt hujus dignitatis officiis, quemadmodum ſemet in Evangelio deſcripſit:* Ego ſum Paſtor bonus &c. *ſed illo hanc præterea excolere voluit, eamque perennare per ſucceſſores Apoſtolorum, qui ſunt Epiſcopi, vicem eorum gerentes:* Poſuit vos Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. *His autem addendi ſunt, qui Epiſcopis ſubordinati eodem nomine Paſtores dicuntur: quemadmodum Curati, quibus concredita eſt provincia regendi, & erudiendi Fideles eorum curæ ſubjectos, qui eorum dicto pareant tanquam Oves Paſtoribus ſuis.*

*Hoc autem in loco animadvertimus, ſicuti nullum munus eſt, quod majorem flagitet curam, vigilantiam, zelum, charitatem, majoreſque etiam labores, quam Paſtoris officium, nullum quoque eſſe, quod plures ſuppeditet occaſiones laborandi pro Dei gloria, & proximi ſalute, ideoque in quo amplius acquiri valeat meritum, & gloria pro Cælo; ex quo ſequitur rerum copiam deeſſe non poſſe Sancti Paſtoris elogium celebranti. Hunc enim titulum nequaquam illi contuliſſet Eccleſia, niſi omnia illius munera adimpleſſet ea ſedulitate, qua & ſeipſum, & populum ſuum ſanctificaret, licet in Sancti vita nullam Concionator inveniret actionum illius narrationem, & hæ laterent; Hic, inquam, titulus unus ſufficeret ad Panegyricum texendum; oſtendendo illum fideliter obiiſſe tantum, tantique momenti miniſterium, quod tot atque tam glorioſos labores efflagitat.*

---

## PRO COMMUNI CONFESSORUM PONTIFICUM,
### aliorumque Paſtorum.

Promittit Eccleſiæ Deus ſe daturum illi Paſtores ſecundum cor ſuum. Jer. 3. Judith 8. 21.

NOn mediocris ex gratiis illis, quas Eccleſiæ ſuæ pollicitus eſt Deus, antequam illam inſtitueret, fuit, eidem Paſtores, juxta cor ipſius præficere: *Dabo vobis Paſtores juxta cor meum.* Hinc pendet ſalus populorum, juxta effatum illud: *Vos eſtis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima eorum.* Paſtores ſecundum conceptum, quem nobis aſtruit Scriptura, ſimiles quodammodo ſunt parturienti: hæc non ſibi tantum vivit, ſed fœtui, quem ventre geſtat, nec illa interire poteſt, quin fœtus intereat cum illa. Quamobrem Sanctus Petrus dicit Paſtoribus, quorum caput eſt: 1 Pet. 5. *Paſcite qui in vobis eſt, gregem Dei,* videlicet qui in ſinu veſtro eſt, qui videlicet ita pendet a vobis, ac ſi illum in ſinu veſtro geſtaretis. Ita certum eſt inferiores quodammodo vivere in illo, a quo reguntur propter influxum, quem membra recipiunt a capite. *P. Segneri de Curatorum officiis.*

Curati ſtatus majorē requirit perfectionē quam Religioſi. Sanc. de E. l. Tom. 3 l. 1. c. 17.

Docent Curati ſtatum in ſe conſideratum majorem exigere ſanctitatem, ac perfectionem, quam ſtatus Regularis; quia alter quidem in *ſtatu perfectionis exercendæ*, alter vero in *ſtatu perfectionis acquirendæ*. Religioſi tenentur laborare, ut perfectionem acquirant, hoc eſt, ut deſtruant obices hujus perfectionis, tria emittant vota Paupertatis, Caſtitatis & Obedientiæ; ſed Paſtores ſunt in ſtatu perfectionis exercendæ: namque offerre ſacrificia, ſacras Scripturas explicare, Sacramenta miniſtrare, privatis, publiciſque ſcandalis ſe objicere, pauperibus opitulari, afflictos conſolari, ac tandem pro ovibus ſuis vitam impendere, ſunt exercitia, quæ ſupponunt perfectionem non acquirendam, ſed acquiſitam, quæ neceſſaria eſt ad rite obeunda ea omnia, quæ in Curati ſtatu requiruntur; cum Regulares omnia id genus non exerceant miniſteria, propter ſtatum Religioſum tunc potiſſimum, cum nondum ſacris ordinibus initiati ſunt. *Idem.*

De ſubordinatione a J. C. inter Paſtores conſtituta. Matth. 16. Act. 20. 28.

Inter Paſtores voluit Jeſus Chriſtus aliquam adeſſe ſubordinationem, ut alii aliis invigilarent, & habere auctoritatem illos regendi, ac reformandi. *Attendite vobis, & univerſo gregi; in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* Inter cæteros unus eſt, omnium primus, qui dicitur Petrus, ſuper quem Eccleſia ædificata eſt. Hic ordo Paſtorum a J. C. conſtitutus in ſæcula vigebit. Hic ſervandus eſt quam diligentiſſime, & omnino neceſſarius eſt ad Eccleſiam tuendam. Hæc igitur auctoritas eſt recte inſtituta certiſſime a Deo ipſo profecta. Huic auctoritati qui reſiſtit, reſiſtit ipſi Deo. Veritas hæc ſerio eſt conſideranda, nihil enim hac validius eſt ad inferiores in obſequio, ac officio, quod ſuis debent ſuperioribus, continendos. Jeſus Chriſtus hoc palam ſignificavit, cum loquens ad Apoſtolos dixit: *Qui vos audit, me audit,* & qui vos ſpernit, me ſpernit. *Qui autem ſpernit me, ſpernit eum, qui miſit me.* Luc. 10. 16. Ad hæc animadvertitur ne? Et ſi hæ veritates altius animis noſtris eſſent infixæ, nunquid reſiſtentiæ adeo frequentes eſſent, ac pertinaces, ut ſunt? *Sermones de vita Eccleſiaſtica Lambert Tom. II.*

De obedientia Paſtoribus debita.

Qui docilis eſt, qui agnovit characterem Dei alte impreſſum in fronte ſuperiorum ſuorum quomodo illis obedit, tanquam Jeſu Chriſto? Hæc ſunt verba Sancti Pauli. Superiorum auctoritas eſt a Deo. Hæc veritas eſt, quæ negari non poteſt. *Omnis anima,* Sanctus Paulus inquit, Rom. 13. *poteſtatibus ſuperioribus ſubdita eſt. Non eſt enim poteſtas, niſi a Deo.* Si omnis poteſtas a Deo eſt, qui ſunt Doctores noſtri, qui invigilant animabus noſtris, tanquam earum rationem reddituri, potiori jure omnem a Deo poteſtatem acceperant. Igitur Dominus Auctor eſt ordinis adeo legitimi, qui inferiores ſuperioribus ſubjicit. Hic alios quidem poſuit Apoſtolos, alios Ephеſ. 4. Prophetas, alios Evangeliſtas, alios Paſtores, atque Doctores. Hinc veri ſervi Dei unum intuentur Jeſum Chriſtum,

Digitized by Google

ſtum, in illum oculos intendunt, illum confitentur, illius potentiam adorant, huic ſemet ſubjicere debere putant; & hæc ratio eſt celeris hujus obedientiæ, cui nihil reſiſtit; quoniam conſtat, hanc Deo adhiberi, & nunquam nimis celeriter eidem obedientiam præſtari. *Idem.*

Bonum exemplum quod debet fidelibus Paſtores.

Synodus Tridentina enumerans Epiſcoporum officia, ſingillatim memorat exemplum omnium bonorum operum, quod fidelibus debent: *Bonorum omnium exemplo oves paſcere.* Et ſtatim addit, quod de Epiſcopis dicitur ratione Diœceſum intelligendum eſſe de Parochis ratione parœciarum: *Eadem omnino de Curatis inferioribus Sacroſancta Synodus declarat, & decernit.* Quare? ut Curati intelligant, quemadmodum illi veri ſunt Paſtores, licet Ordinis Superioris, ita data ratione teneri iiſdem legibus perfectionis, quibus tenentur Epiſcopi. Hoc unum intereſt diſcrimen, quod Epiſcopus erga Curatos id facere tenetur, quod Curati erga ſubditos ſuos; ideoque majorem perfectionem requiri in Epiſcopo, quam in Curato. *P. Segneri in Curatorum officiis.*

Præcipuum Paſtoris officium eſt Sacramentorum adminiſtratio. S. Thom. 1. Cor. 9 l. 1.

Sacramentorum adminiſtratio continet præcipua Paſtoris officia, quibus alludere videbatur Jeſus Chriſtus dicens ter Sancto Petro: *Paſce oves meas*; & ſecundum tres hujuſmodi titulos, ut teſtatur Sanctus Thomas, Curati a grege ſuo exigere poſſunt victum ſuum, ac jura temporalia. Reliqua puncta ad hoc redigi poſſunt, in quo immoramur. Vidimus quænam eſſet temeritas per ſe peculiarem aliquem ſtatum amplecti, quicunque tandem ille ſit, ubi Deum ducem non ſequimur; quid autem erit ſe ſe implicare in ſtatum publicum, ac omnium difficillimum, qualis eſt ille animarum regendarum? *Ars artium regimen animarum. Idem.*

Finis, quem ſibi proponere debet qui recipit beneficium curatum.

Cum curatum aliquod beneficium vobis ſuſcipiendum eſt, ſolide perpendendus eſt finis, propter quem illud ſuſcipere oportet: hæc enim rerum cæterarum regula eſt. Quinam vero finis eſt, propter quem inſtituta ſunt curata beneficia? Nunquid ut inſtituerentur gradus commodi, & jucundi? Nil tale; ſed ut totidem prææltæ veluti turres ædificarentur, de quarum vertice invigilari poſſet publico animarum bono, & hoc illi procurari:

Ezech 3, 17.

*Speculatorem dedi te domui Iſrael.* Hæc eſt præcipua occupatio, & finis verus, quem nobis proponere debeamus provinciam hanc ingreſſi. Non igitur audiendi ſunt parentes, qui ad illam ingrediendam impellere vellent, habituri unde ex beneficiis veſtris ſubvenire poſſint neceſſitatibus ſuis, & victui familiæ ſuæ: neque enim in eorum commodum, ac utilitatem Jeſus Chriſtus Paſtorum dignitatem inſtituit.

Iſ. 33. 15.

*Qui obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinem .... iſte in excelſis habitabit*, inquit Scriptura. *Idem.*

Heroice facta Sanctiſſimi Præſulis.

Præſul qui legere niſus fuerat magnanimorum Epiſcoporum veſtigia, Athanaſiorum, Baſiliorum, Ambroſiorum, qui ſe Inſignem præbuit tot memorabilibus factis, ac præclare geſtis, qui in Eccleſia fecit quidquid Summi Duces in republica faciunt, nonne magnus videri debet in oculis fidei noſtræ? Nonne noſtram meretur admirationem, ac deſiderium? Quibus elogiis non eſt in ſanctiſſimis quibuſcunque cœtibus cumulandus? Gloria, quam eximius hic Pontifex ſibi comparavit, omnes ſuperat laudes, Licet illam minime prædicaremus, non ideo minus vera eſſet, ac minus diuturna. Fama illam in omnes Chriſtiani orbis partes effudit. Hæc cum Eccleſiaſtica Hiſtorica conjuncta eſt; Religio illius ſtatuet monumentum, nunquam labentibus ſæculis delendum. Calumnia illi nebulam non effundet. At æquo animo ferremus illius celebritatem ad alias omnes pervaſiſſe gentes, & ad eam amplificandam in hac civitate nullum os aperiri? Quæ eſſet de nobis hominum querela, niſi ſolemne illi conſecraremus elogium? In hoc Diœceſis, æque ac Regni honor agitur. *Oratio funebris Cardinalis de Mailly a P. Candide Chalippes Recollecto.*

Deus jubet Paſtores Evangelium prædicare. Luc. 4.

Paſtoribus illud ipſum præcepit Deus, quod Pater ipſi Jeſu Chriſto præceperat; *Evangelizare pauperibus miſit me.* Salvator ita fideliter paruit, ut triennio indeſinenter hac in re fuerit occupatus. In urbibus, in oppidis, in pagis, in Synagogis, in Templis, in compitis, in domibus, in agris, in ſylvis, in mari, & in montibus ſemper prædicabat. Hoc ipſum agebat menſæ accumbens, & comedens. Quare? quia ad hoc miſſus

Joann. 20.

erat: *Quia ideo miſſus ſum.* Hoc ipſum præcipiebat Diſcipulis ſuis imperans, ut ſuum illi ſequerentur exemplum: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Cumque ſolemnitates, quæ adhiberi conſueverunt in publicatione legum, plurimum conferant ad majorem illis vim addendam; Salvator authentice hanc inſtauravit in frequentiſſimo Diſcipulorum ſuorum cœtu, cum jam jam aſcenſurus eſſet in Cælum, & cum ſacerrimis præliminaribus, quæ fingi poſſint. Incipit autem dicens: Data eſt mihi poteſtas omnis in Cælo, & in terra; poſt quæ ſuis Apoſtolis addit; euntes docete omnes gentes. *P. Segneri in Curatorum Officiis.*

Paſtor in id incumbere debet, ut peccatores corrigat & cum Deo conciliet.

Effectus maxime ſingularis charitatis hujus, quæ adeo late patet, eſt correctio facienda proximo ea mente, ut illum Deo conciliet; quod conſilium dumtaxat non eſt, ut nonnulli arbitrantur, ſed præceptum, & ipſum ita generale, ut ad illud fideles omnes teneantur; ſed præceptum poſitivum, quod obligat ſolum eo tempore, quo omnes inveniuntur circumſtantiæ requiſitæ ad obtinendum propoſitum finem. Quanto magis Paſtor tenebitur hoc obſervare præceptum erga animas, quarum ipſi cura concredita fuit? nam ex Sancti Auguſtini ſententia:

De Civit. Dei l. 1. c. 9.

*Ad hoc enim ſpeculatores, hoc eſt populorum præpoſiti conſtituti ſunt in Eccleſia, ut non parcant objurgando peccata.* *P. Segneri de Curatorum officiis.*

21. 9. 4. Debet homo.

Quilibet Chriſtianus debet fidei ſuæ boni exempli tributum. Ad Chriſtianam religionem evocatus fuit non pro ſe tantum, ſed etiam pro aliis; ita ut ſi minus aliis prodeſſe poſſit, eos ſaltem debeat ædificare. Si hoc officium commune eſt fidelium, proprium eſt Eccleſiaſticorum, præcipue vero Paſtorum, qui in Eccleſia poſiti ſunt ad illam ædificandam; idque non exemplis ſolum, ſed prototypis virtutis, quæ in illis effulgere debent. Hinc Apoſtolus ad eorum ſingulos æque ac Titum Diſcipulum ſuum hæc dirigit verba:

Tit. 2.

*In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum.* Paſtores habere debent maximum virtutis fundum, ut & ipſi recte vivant, & aliis in perſona ſua præbeant normam recte vivendi. Verum eſt Jeſu Chriſti vitam eſſe debere juge Chriſtianis exemplar, ſed ut Sanctus Thomas advertit, illa non poteſt æque omnibus eſſe cognita, ſeu propter mentis eorum evagationem ſeu propter ignorantiam: ideoque Salvator relinquens terras coegit Apoſtolos, eorumque ſucceſſores, ut in ſemet formarent exemplum fidele eorum, quæ in ipſo viderant, ut reliqui vulgo facilius illum imitarentur.

Joann. 13.

*Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Tale igitur eſt officium Paſtorum, exhibere, ut ita dicam, compendioſe in ſe vitam Jeſu Chriſti, ut aliorum Chriſtianorum captui facilius accommodentur:

1. Cor. 11.

*Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Hoc dicebat Apoſtolus Diſcipulis ſuis, & vos, data ratione, dicere debetis populis, quorum eſtis Paſtores: *Prælatus debet eſſe quaſi forma exiſtens Diſcipulis.* Hæc eſt locutio Sancti Thomæ de verbo ad verbum ex ſacris Canonibus deſumpta. *P. Segneri de Curatorum officiis.*

Paſtores gregi ſuo præire debent exemplo.

Certum eſt Paſtores, qui gregi ſuo non prælucent exemplo, adducere Deum in neceſſitatem utendi mediis non vulgaribus ad animas ſalvas faciendas: cum enim decrevit populo virtutis praxim reddere faciliorem, proponens illi in exemplum eos, a quibus regitur, præſume nequit, illi ſufficere prototypum fallacem, & in ſpeciem dumtaxat: hoc enim eſſet præſumere, quod uti vellet Deus capite anima deſtituto ad effundendos in membra ſpiritus vitæ, quod monſtri loco haberetur. *Idem.*

Pravum Paſtorum exemplum ſæpe multis malo patet.

Exemplum plurimum confert ad malum effundendum, cum qui in illud incidit, ordinis eſt, & characteris, qui eidem reverentiam conciliet. Profecto enim ſtatim dicitur; ſi Sacerdos, qui quotidie ad aras accedit æquo liberius vivit, mihi, qui ſæculum ſequor, & bis quotannis ad Sacram Synaxim accedo, non ne magis fas eſt eamdem mihi vindicare licentiam?

*Quos dives decpit, quid mihi turpe putem?*

Superiorum vitia ſunt excuſationes criminum ſubditorum; & ſunt quædam veluti invitatio ad peccandum. Verbo, ſcandalum, quod præbet Paſtor, eumdem habet effectum, ac ingens lapis, qui de montis cacumine dilabeetur. Ille ſecum obvium quidlibet traheret: ita nihil concipi poteſt hoc malo gravius ex Sancti Gregorii ſententia. Deus, ait ille, nullam recipit graviorem contumeliam, niſi a Sacerdotibus, quos videt criminum exempla præbere, cum illos conſtituerit vitiorum correptores; & intuetur in præceps labi nos, qui ex profeſſionis noſtræ titulo aliorum vitia compeſcere, & caſtigare debemus. *Idem.*

Paſtor tenetur convertere populos ad legem, & illos in officio continere.

Officium Paſtoris inhæret ſtatui illius; & eſt tanquam anima ejus. Salvator enim jubens Diſcipulos ſuos proficiſci ad Evangelium in orbem univerſum diſſeminandum cupiebat non ſolum, ut homines ad fidem converterent, verum etiam in ea illos confirmarent; quod fieri non poterat, niſi pergerent fidelibus divini verbi alimentum proponere. Ita dubitare utrum Paſtor teneatur prædicare, idem eſt, ac ambigere, utrum Pater filios ſuos alere teneatur. *Idem.*

Gratia ob finem eumdem tribuit Paſtores Eccleſiæ, propter quem Natura dat Mundo Patres. Paſtores paſcere debent oves ſuas, quemadmodum Patres alere tenentur filios ſuos.

1. Petr. 5. Ezech. 33.

*Paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei... Speculatorem dedi te domui Iſrael: audiens ergo ex ore meo ſermonem annuntiabis eis ex me; ſi me dicente ad impium: impie, morte morieris, non fueris locutus, ut ſe cuſtodiat impius a via ſua: ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Terribilis comminatio; ſed æquiſſima! Tandem enim, niſi Dei verbum prædicatur, ulla ne ſunt opera bona, aut virtus, quæ non pereant? S. Joannes Chryſoſtomus hoc aperte docet; *Ubi populus ſui paſtoris incuria ſpiritualem famem Cæleſtis doctrinæ patitur, ibi eſt omnis pietatis, & religionis exterminium. Hoc ipſa docet experientia.* *P. Segneri in Curatorum Officiis.*

Excuſationes quas afferimus...

Excuſationes, quæ afferuntur ad ea tegenda crimina, in quæ incidimus, ſæpius peccatis ipſis ſunt deteriores.

Hæc

*ferunt Paſtores ne prædicent ſæpe homines reddunt negligentes, & infideles. Pſal. 140.*

Hæc enim vel ex ignorantia, vel ex infirmitate oriri poſſunt: illæ vero ex mera nequitia proficiſcuntur: quamobrem Rex Propheta Deum alloquitur: *Non declines cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis*. Videte modo utrum illæ, de quibus loquimur, ejuſdem naturæ ſint, & utrum ex negligentia, & inertia proficiſcantur. Prætextus omnes, qui fingi poſſunt, ad duo redigentur capita, quorum alterum ad populum, alterum ad Paſtorem pertinet. Hinc dicitur. 1. Populus exiguo tantum in numero accedere ad audiendas, quæ illis prædicantur veritates. 2. Ille non ſatis attentas aures præbere. 3. Non proficere. Inde vero afferunt, Paſtori plurima negotia eſſe facienda; vel illi deeſſe talentum, ac ingenium, quod eſſet neceſſarium, vel denique, ſicut re adhuc integra diximus, hunc alienis exemplis probari; plurimi enim hoc munere non perfunguntur, & nihilominus impunes abeunt. *P. Segneri. Ibid.*

*Exiguus audientium numerus diſpenſare nequit Paſtorē, ne prædicet verbū Dei. Ib. 30.*

Licet non confluant populi ad audiendum Dei Verbum, non ideo tamen opus eſt, ut Paſtor ſe a prædicando diſpenſet. Verum eſt non deeſſe pertinaces homines, verbo Dei auriculam obſtruentes, iis, quæ Deus ab illis petit: *Filii nolentes audire legem Dei*. Sed non omnes ſunt id genus. Sunt quidam ita nequam, ut maximum bonum ſuum oderint. Sed quomodocunque ſe habeat res, una tantum anima, quæ ex ſermonibus veſtris proficiat, ſatis abunde omnes labores veſtros poteſt remunerari, non ſecus ac una margherita, quam piſcator pauper cepiſſet, ſatis eſſet perſolvendis laboribus, quos aliis in occaſionibus perdidiſſet. Videmus Salvatorem uni mulierculæ Samaritanæ celeberrima tradidiſſe præcepta: Paſtor vero non dignabitur loqui ad exiguum ovium ſuarum numerum poſt tantum exemplum? Fluvii, forteſque publici quotidie æque haurientibus aquam miniſtrant, licet ad hauriendum accedant perpauci. Hoc ipſum vobis faciendum eſt: Eſtis enim in Eccleſia fons publicus aquarum Evangelicarum. *Idem.*

*Paſtores tenentur corrigere populos ſuos. Valent. 2.2. diſt. 3. q. 20. p. 1.*

Obligatio Fidelium vulgo quoad fraternam correctionem innititur ſolum generali charitati, quam ejuſdem corporis membra debent habere, ut ſe ſe mutuo juvent auxilio in neceſſitatibus ſuis: Obligatio vero Paſtoris quoad eamdem rem innititur peculiari charitati, quam habere debet caput erga alia membra, non ſolum, ut illis ferat opem, ſed etiam ut eorum factis invigilet. Quod ſi aliis ſatis eſt, ſe ſe viciſſim corrigere, ubi teſtes ſunt alienorum criminum: Paſtores tenentur præterea, quantum fieri poteſt, hæc detegere crimina, ut afferant medicinam: Si enim lupus ad ovem de grege rapiendam acceſſerit, futilis eſt excuſatio Paſtoris, ſe nihil ſcire aſſerentis. *Quæ poteſt eſſe Paſtoris excuſatio, ſi lupus oves comedit, & Paſtor neſcit? P. Segneri de Parochorum officiis.*

*Paſtor magis, quam alius quilibet tenetur corrigere populos. Valent. 1. 2. diſt. 3. q. 20.*

Alii fideles ad fraternam correctionem minime tenentur, cum illam facere nequeunt, quin ſe ſe gravi alicui periculo objiciant; licet eſſet temporale, niſi in caſu neceſſitatis extremæ; ſed Paſtores negligere tenentur tale periculum non ſolum in caſu extremæ neceſſitatis, ſed cujuslibet neceſſitatis quæcunque tandem illa ſit, ex quo vera eſt; ſemper enim defendere debent oves contra lupi furorem. Mercenarius vero, & non paſtor *videt lupum venientem, & fugit*. Bonus vero Paſtor adſtat intrepidus, eumque in fugam convertit. *Idem.*

*Ejuſdem argumenti. Ric. 4. diſt. 14. art. 9. q. 1. S. Thom. 2.2. q. 33.*

Alii fideles fratrem corrigere non tenentur, cum minime ſperant ſe profecturos: Paſtores in his etiam occaſionibus tenentur; eorum enim correctio fraterna non eſt ſolum, ſed paterna; eorum enim finis eſt docere potius, quam ſimpliciter monere. Non ceſſant teneri, niſi cum metuendum eſt illis, ne mala potius irritent, quam corrigant; & ne peccatorem rebellem efficiant potius quam docilem. *Idem.*

*Paſtoribus tria obſervanda.*

Tria in Paſtoris officio inveniuntur; 1. Labor cooperandi ad animarum ſalutem. 2. Hujus officii præſtantia. 3. Reditus illi inhærentes. Qui reſpicit redditus, & utilitatem, cupide agit; qui præeminere ſtudet, agit ambitioſe: & ille tantum ex legitima cauſa operatur, qui ſibi Dei gloriam, & proximi reſpicit ſalutem. Sanctus Gregorius hoc nos docet inter Apoſtoli verba. *Qui epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*. Laudo, quod quæritis, inſignis Summus Pontifex inquit, ſed cognoſcite quid ſit Beneficium cum animarum cura conjunctum. Non reditus, nec temporalia bona illius eſſentiam conſtituunt; ſed labor, & cura ſuſcipienda. Verum eſt tamen poſſe etiam ſpectari temporale bonum, quod cum ſpirituali miniſterio conjunctum eſt; quoniam congruum eſſe debet curæ, & labori; ſed ſi hoc ſpectetur, lævo illud quidem, ut ita dicam, ſpectetur oculo, non dextro: non ſit illud tanquam propoſitus finis, ſed tantum tanquam medium, ut homo ad agendum inflammetur. Verbo, hoc non ſit tanquam caput, ſed tanquam additamentum. *P. Segneri de Parochorum Officiis.*

*S. Gregor. Paſt. l. 1. c. 8.*

*Imago boni Paſtoris.*

Hæc eſt imago, quam fingere nobis debemus hujus Evangelicæ turris, de qua ſermo eſt in Evangelio, ut propius ad examen revocemus, utrum nobis ſuppetat, unde illam ædificemus: *Sedens computat ſumptus, qui neceſſarii ſunt, ſi habeat ad perficiendum*. Quid ergo ad id requiritur? Tria, quæ memorantur inter Canones; ætas, ſcientia, morum diſciplina. Quod ſpectat ad ætatem non magnam patitur difficultatem. Quoad ſcientiam in hoc munere requiſitam plurimi per ſe confiteri videntur, ſe illam non habere; Quin ipſi prædicent, & erudiant populos ſuos, juxta officium ſuum, ſe ſe excuſant, & ſe nequaquam pares eſſe dicunt. Sed ſi hæc vera ſunt, cur ergo officium illud acceptarunt? cur beneficium hoc concupierunt? Nunquid oculis captus aliis ſe ducem præſtabit? Igitur ne te immiſceas negotio, quo rite fungi non vales: *Ne ſpondeas ſuper virtutem tuam: quod ſi ſpoponderis, quaſi reſtituens cogita*. Non ſolum tibi Beneficium quærendum non eſt, ſed oblatum quinqite reſpuendum eſt; & audacter dicendum: *Non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis*. Non eſt mihi ſcientia, qua medeti poſſim animarum infirmitatibus: Non eſt, unde illas tueri valeam, *noli conſtituere me principem populi*; alios me aptiores huic miniſterio require. *P. Segneri de Parochorum officiis.*

*Eccleſ. 8.*

*Iſ. 3.*

*Paſtor populo debet exemplum.*

Hæc ratio eſt, qua diximus animarum Paſtorem debere ſpirituali earum vitæ conſulere: *Paſce verbo, Paſce exemplo*. Sed ut melius intelligas hanc tanti momenti neceſſitatem, operæ pretium eſt, re adhuc integra conſiderare vim, quam habet in ſe bonum exemplum ad virtutem ſuadendam. Leges, quas invexit conſuetudo, Philoſophus inquit, præ aliis plures habent aſſeclas; praxis enim, quam earum videmus, efficit in nobis impreſſionem ſuavem, ac blandam, qua ad illas ſervandas excitamur. Ad illas ſtudio, ac plena voluntate ferimur: non autem inviti, & cum imperfecta voluntate; ita exemplum ſine vi obtinet, quod Tribunalia maxime terribilia vix obtinent edictorum ſuorum ſeveritate: immo videmus homines vulgo magis affici exemplis etiam fabuloſis, quam ratiociniis actioribus. Quilibet reſpicit exempla tanquam res, quæ cum ab aliis factæ fuerint, a ſe quoque fieri poſſint; cum e contra putet ratiocinia, vagos eſſe ſermones, ac intellectu difficiles, qui ſuum captum excedant, & qui idcirco ad ipſum minime pertineant. Docti etiam non minus moventur exemplo, quam imperitiſſimus quiſque. Salomon ipſe fatetur, exemplum inertis hominis, vineam excolere negligentis plus ſibi valuiſſe, quam ſolidæ meditationes, ad inertiæ horrorem concipiendum. *Quod cum vidiſſem, poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam. Idem.*

*Prov. 24.*

*Paſtor præire debet populo ſuo in via ſalutis.*

Hæc omnia, & alia longe plura, quæ dici poſſent de hoc argumento palam oſtendunt arctam obligationem, quam vobis indicit lex naturalis, ac divina, ut populo veſtro præcedatis in via ſalutis, eumque tuto bonis exemplis adducatis, Domino explicite docente: Paſtor, *cum proprias oves emiſerit, ante eas vadit*. Si rite animum adverterimus ad ea verba, *ante eas*, hæc myſterio nequaquam eſſe vacua liquebit. Paſtor pecus ſuum agere poteſt poſt illum incedens; ſed tunc non tantum eſt ducere, ſed cogere, ut vi incedat, qui character eſt rigidi, ſeverique Paſtoris; ſed cum ille præit gregi ſuo, facile, ac ſuaviter illum attrahit poſt ſe, qui character eſt Paſtoris amantiſſimi, & hoc Jeſus Chriſtus ab Eccleſiæ ſuæ Paſtoribus exigit. Itaque licet nonnunquam cogere poſſitis oves, ut rectam ſequantur ſemitam, reprehenſionibus, aſperiſque modis; his tamen abſtinendum eſt; hæc enim potius eſt ratio agendi cum jumentis, quam cum hominibus. Deus non ita ſe gerit vobiſcum, ita neque vos ita gerere debetis cum aliis; & vetat, ne ſuperbe, & imperioſe agatis cum ovibus veſtris. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, non coacte, ſed ſpontanee, neque dominantes in cleris, ſed forma facti gregis, ex animo*. Neque ideo dixeris, Paſtori minus eſſe auctoritatis in gregem; ſed in Paſtore magis valere debet exemplum, quam auctoritas. *P. Segneri de Parochorum officiis.*

*1. Petr. 5.*

*Ejuſdem argumenti.*

Opus eſt ergo ut optimum populo veſtro præbeatis exemplum, ut diſcat contemnere ex animo peritura bona, eaque ſecundum charitatis ordinem diſpenſare: nam quomodo ille deſpiciat, quod videt eſſe cultus veſtri argumentum? Cum navta dominus, naufragium evitaturus prior ille in mari projicere incipit, quæ ſua ſunt, alii qui in eodem verſantur periculo, illum facile imitantur; ſed ſi rebus ſuis ille parcere velle videatur, nunquid alii rerum ſuarum jacturam facere ſtudebunt? *Idem.*

*Paſtor avaritiā debet horrere.*

Hoc in loco notandum eſt duos eſſe præcipuos effectus avaritiæ: Primum oppoſitum juſtitiæ, per quem alienum cupitur bonum; alterum liberalitati, qui efficit, ut immodice parcamus bonis propriis. Vix credi poteſt Paſtorem obnoxium eſſe priori avaritiæ generi; ſed fieri facile poteſt, ut in altero deficiat, & mordicus inhæreat juribus ſuis, eaque rigide perſequatur, ita ut torculari ſimilis nolit prætermittere olivam, vel uvæ racemum, ex quo non omnem ſuccum expreſſerit omnino. Contra hanc animi affectionem prævertere vos voluit Salvator, admonens: *Videte, & cavete ab omni avaritia*, quæ nobis repræſentata videtur, tanquam inimicus æque potens, ac ſubdolus: *Videte, & cavete*; Maxima enim in Paſtore potiſſimum gignere poteſt effecta. *Idem.*

*Luc. 12.*

*Ejuſdem argumenta.*

Eſto nihilominus, licet hæc obſtet inordinata cupiditas terrenorum bonorum, Paſtor non ceſſet prædicare, ægris, ac morituris opem ferre, corrigere, & conſolari popu-

populos, aliaque id genus opera facere, dico avaritiam, ſi minus illi aufert arma ſpiritualia, ſaltem illa hebetare eorumque aciem obtundere, ac vim imminuere. Paſtoris exiſtimatio majorem præbet verbis ejus vim, exiſtimatio autem hæc nunquam melius conſtituitur, quam per contemptum temporalium bonorum, quibus laici mordicus inhærent. Animarum paſtori applicare poſſumus illa Evangelii verba: *Ego, ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum*. Si ei contigit, ut terræ bona contemnat, nulla eſt anima, quam ad ſe trahere non valeat, & in cælum perducere; ſed ſi horum bonorum turpe fuerit mancipium, nihil proficiet; & licet portenta fuerit operatus, ei non habebitur fides. *Idem*.

*Joann.* 12.

*Ejuſdem argumenti.*

Et profecto cum Paſtor habebitur homo cupidus, cum videbitur id appetere quod in majorem cedit utilitatem, præſto ne erunt populi, ut ſua negotia illi permittant, atque in illo confidant? Immo nonne ab illo rebus in omnibus ſibi cavendum putabunt? Si illos ad peculiarem aliquam devotionem invitaverit, cenſebunt illum de aliqua retributione cogitare; ſi eleemoſynam faciendam dixerit, putabunt illum velle aliena vivere quadra, ubi viderint ſemper illum paratum ad recipiendum, ad dandum vero reluctantem. Una ex præcipuis conditionibus, quas Scriptura in Paſtore requirit, eſt avaritiæ fuga: *Provide de omni plebe viros timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam*. Poſteriora hæc verba notanda ſunt. *oderint avaritiam*, odium enim celari non poteſt; & Paſtor cane pejus & angue ab hoc ſcelere abhorrere debet; alioquin nemo eſt, qui non contemnat illum, & munere ſuo indignum non judicet, *ignominia Sacerdotis eſt propriis ſtudere divitiis*. *Idem*.

*Exod.* 18.

*Paſtor tenetur eleemoſynâ pauperibus erogare.*

Avaritia in Paſtore efficit etiam, ut in ſemetipſum convertat arma, & adminicula, quæ illi præ manibus ſunt contra infernum; quod accidit, cum non vocat pauperes in partem eorum bonorum, quam illis debet. Ubi Paſtori conſiderandum eſt, homines omnes charitatis præcepto teneri, ut ex eo quod ſupereſt, proximi neceſſitatibus ſubveniant, idque propoſita a Deo pœna nunquam obtinendi miſericordiam, quam aliis detrectaverint: *Judicium ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam*. Æquum enim eſt, ut ſicut natura plantis quibuſdam, quæ nequeunt ex ſe ſe ſurſum attollere, ac ſuſtinere, aliarum quarundam plantarum tribuit præſidium, ac fulchrum: Gratis ſimiliter hominibus, qui per ſe victum ſibi comparare non poſſunt, aliorum hominum opem deſtinat, quibus abunde ſufficit, onde vivant. Lex hæc ita ſapiens, & ſancta, quæ pro omnibus generatim lata eſt, præſertim pertinet ad Paſtores, qui profeſſionis ſuæ vi tenentur non ſolum eleemoſynam dare petentibus, verum etiam illam ſæpe dare etiam non petentibus; immo etiam dandi occaſionem inquirere. Ad id autem tenentur ex natura bonorum ſuorum, quia omnia Eccleſiæ bona ad pauperes pertinent; cum in jure nihil magis ſit manifeſtum, quam hoc effatum: *Quidquid habent clerici, pauperum eſt*. Quapropter hæc bona jugiter *bona pauperum* nuncupantur. *Pater Segneri de Curatorum officiis*.

*Jacob.* 2. 13.

*De reſidentia, quam Paſtores ſervare tenentur.*

Non quæritur utrum nauta in navi, vigil in excubiis, urbis Præfectus in oppido obſeſſo, cui præeſt, debeat permanere; num quærendum, utrum Paſtor in parœcia ſua debeat reſidere? Nullatenus. Neque unquam hac de re in primis Eccleſiæ temporibus dubitatum eſt. Neque cuiquam in mentem venit de hac re dubitare; & nemo legem hanc tranſgrediebatur, quin ſeveriſſimis non afficeretur ſuppliciis: ſed nemo videt objecta, quæ ob illius oculos verſantur, ubi mens ejus vehementer alia qualibet cogitatione occupatur. Hoc ipſum accidit, ubi cor acri aliqua cupiditate agitatur; quia tunc non videt illa, quæ viſu facillima ſunt. Agiturne de beneficio accipiendo? Ita inhæremus temporalibus emolumentis, quæ ibi reperiuntur, ut ne cogitemus quidem de iis muneribus, quæ ab illo ſeparari non poſſunt. Dicere autem jure poſſumus reſidentiam præcipuum eſſe horum munerum; nam ubi hæc deeſt, cætera Paſtoris neceſſario deficiunt. *P. Segneri de Parochorum officiis*.

*Deus Paſtorum ſtatum inſtituens præcipit illis eorum officia.*

Liquido conſtat Jeſum Chriſtum inſtituentem in Eccleſia excellentem ſtatum Paſtoris, ejuſdem etiam officia præſcripſiſſe. Quapropter dixit Sancto Petro: *Paſce oves meas*. Quod ſi Paſtor adeo explicite jubetur paſcere gregem ſuum, crederene poſſet non teneri ad habitandum cum illo? Aliæ qualibet Biblicæ locutiones in hoc argumento hoc ipſum palam ſignificant. Dominus dixit Moyſi: *Applica ad te Aaron cum filiis ſuis, ut ſacerdotio fungantur mihi*. Non dicit ſimpliciter: Adhibe tecum Aaron cum filiis ejus, ut ſint Sacerdotes: ſed ut ſacerdotali munere perfungantur, ut alibi duobus in locis hoc ipſum inquit: *Sanctificabo Aaron cum filiis ſuis ut Sacerdotio fungantur mihi*: *& Sanctificabis Aaron cum filiis ſuis, ut Sacerdotio fungantur mihi*. Deus ſemper hac loquendi ratione utitur; *Fungi munere Sacerdotii*. Et Apoſtolus in novo Teſtamento dicit Timotheo diſcipulo ſuo: *Sollicite cura te ipſum probabilem exhibere Deo operarium inconfuſibilem, recte tractantem verbum veritatis*; & alibi etiam deſignat Paſtoris qualitatem ex muneribus illi adhærentibus. *Pater Segneri*, *Ibidem*.

*Exod.* 28.

2. *Tim.* 2. 2.



*De neceſſitate qua Paſtor ſemper populo ſuo opem ferre tenetur.*

Cum Deus nihil unquam jubeat, quod obſtet rectæ rationis principiis, vel potius, quod non ſit illi maxime conforme, facile eſt videre, quomodo lex naturalis cum lege divina conſentiat. Et ſane oſtendimus Paſtoris officium præſertim in eo poſitum eſſe, ut bonum præbeat exemplum, populo ſuo Sacramenta adminiſtret, quotieſcunque ab ipſo petuntur; ſed ſi tota die extra parœciam eſt, & nonnunquam etiam noctu, ubinam quærendus erit, ut morienti ferat opem in inopinata, ac urgenti neceſſitate laboranti? Quomodo vero parœciam ædificare poteſt, ſi in illa non maneat? Attamen illius ipſe lumen eſt, *Vos eſtis lux mundi*. Illam ergo propriis ſplendoribus debet illuminare. *Idem*.

*Fieri vix poteſt, ut qui Paſtoris officium exercet in loco Paſtoris eandem habeat curam pro populo, quâ habere poſſet idem Paſtor.*

Paſtor, qui alteri cuipiam populorum ſuorum curam commiſerit, exiſtimare non debet, eum, quem pro ſe conſtituerit, ut ſe abſente præſit populo, eandem habiturum eſſe dilectionem, eademque pietatis viſcera, quæ ipſe haberet? Oves ille tanta cura perquiret? Illas eadem conſtantia, eodemque conſilio tuebitur? Hoc fieri non poteſt, vel ſi fieri poſſet, hic merus eſſet caſus, cujus leges rationem nequaquam habendam putant; quia conſiderat omnia in ſtatu communi, & conſueto. Itaque ſicuti facere non poteſtis, ut Mercenarius fiat verus Paſtor, ſic in veſtra poteſtate non eſt ad arbitrium ſubrogare alium a vobis, qui regat gregem veſtrum. Nonne hæc univerſalis eſt regula pro omnibus oneribus, quæ alicui perſonaliter demandata fuerunt? Medicus a Communitate electus, poteſtne in locum ſuum alium ſubſtituere, qui ægrotantes inviſat, donec ipſe ſolatiis vacabit? Cauſidicus ad cauſam perorandam electus, numquid alteri cauſidico peragendam tradet eo, a quo electus fuit non conſentiente, ac invito? Publicus profeſſor poteſtne cathedram ſuam cuicumque placuerit relinquere? Exercitus Imperator tradet cuicunque ipſi placuerit exercitum ducendum, ſibi a Rege, vel a Republica traditum? Nullo pacto, & ſola ratio naturalis evincit hoc fieri neque poſſe, neque debere. Quam igitur ob cauſam Paſtor id ſibi in munere ſuo faciendum putet, quod longe majoris momenti eſt, iis quæ memoravimus, quandoquidem quæ ad æternitatem pertinent longe majora ſint iis, quæ ſunt temporalia? *P. Segneri de Parochorum officiis*.

*Lex Divina nullo modo probat ſubſtitutionem beneficii curati.*

Neque divina lex magis quam naturalis probat hoc genus ſubſtitutionis; quod ita oſtendo. Jeſus Chriſtus dixit S. Petro: *Paſce oves meas*, non dixit, *oves tuas*; quia Paſtor non eſt abſolutus ovium Dominus; quo igitur jure ſibi vindicare poteſt auctoritatem eas alteri cuipiam credendi? Poterat quidem Labanus de optimis gregibus ſuis ad arbitrium diſponere, quia earum dominus erat; poterat vendere, alienare, locare, & vel Jacob, vel alteri cuipiam committere; non poterat autem Jacob aliis ſine impetrata a Labano facultate, concredere, tandem enim non aliud erat, quam paſtor. Ita & vos mementote Paſtores tantum eſſe, non dominos ovium J. C. cum earum curæ vos præficit; dicit vobis *Paſce oves meas*, non *poſſide*. Vobis hanc commiſit curam, non contulit facultatem in aliis confidendi. Hoc officium eſt, quod a vobis peculiariter exigit, & quod vos perſonaliter præſtare debetis. Talis erat character Sancti N. cujus hodie feſtum recolimus diem; non commiſit aliis ſacrum depoſitum ſibi a Deo creditum, qui lacrymarum torrentem effudiſſet pro animæ unius jactura. *Idem*.

*S. hic Præſul omnem fiduciam, ac vim ſuâ in timore Domini collocabat. Prov.* 14.

Virtus, quæ pro fundamento habet timorem Domini, juxta Sapientis oraculum gignit confidentiam, & fortitudinem: *In timore Domini fiducia fortitudinis*. Huic innixi principio, quænam fuit S. hujus Præſulis conſtantia, ubi illi decertandum fuit pro Religione? Traduxerat adoleſcentiam in innocentia, atque integritate; Vocatus in Eccleſiæ partes conceſſerat. Solida probataque ſtudia locupletaverant mentem ejus politioribus litteris, quarum nunquam ſaporem amiſit: Eruditæ linguæ, in quibus varia ſuperſunt opera ipſius manu conſcripta, aliæque ſcientiæ Sacerdotalibus officiis adeo neceſſariæ, præcipue vero Sanctorum Canonum ſcientia, quam toto vitæ ſuæ tempore excoluit, & quam prorſus poſſedit, in illo enitebant; *Oratio in funere Cardinalis de Mailly, a P. Candido Chalippes Recollecto conſcripta*.

*Quid cogitandum de Paſtore rejiciente in Vicarium præcipua parœciæ ſuæ officia.*

Quid ſentiendum eſt de his Paſtoribus, qui unice vacaturi domeſticis rebus, lites acturi & temporalia familiæ ſuæ negotia procuraturi in Vicarium rejiciunt ſpirituales Parœciæ ſuæ functiones? Cur non potius huic terrenarum rerum curam commendent, ſibi proprii gregis paſcendi officium reſervaturi? Quodvis mortalium genus fortaſſe videbitur illi ſatis aptum ad ovium ſuarum curam ſuſcipiendam, non autem ad domeſtica negotia pertractanda? Quorſum hoc? niſi quod pluris facit temporalia negotia ſua, quam ſalutem ovium ſuarum? Ad ciendum ergo amorem reſidentiæ, ſatis eſſet illi immittere tantum animarum zelum, quantus eſt zelus reddituum. Hoc exigere parum quidem eſt; & nihilominus non obtinetur. *P. Segneri de Parochorum officiis*.

*Paſtor poteſt aliquando diſcedere & alium ſibi ſubſtituere; ſed ad breve temporis ſpatium, & facultate impetrata.*

Verum eſt reſidentiæ præceptum eſſe affirmativum, ideoque non æque ſemper obligare. Multæ ſunt occaſiones, in quibus licet ad aliquid tempus extra Parœciæ terminos abeſſe. Nimis longum eſſet ad examen vocare, quænam ſint occaſiones hujuſmodi: ſed ſemper ab Epiſcopo ſunt probandæ. Meminiſſe peculiariter opus eſt, ſi reſidendi neceſſitas eſt unquam magna, atque inevitabilis,

D tunc

Digitized by Google

nunc eſſe eum aliqua gravis ingruit calamitas, veluti atræ luis, tremitus terræ, perſecutionis, vel alterius id genus adverſitatis; quia tunc nullo pacto vobis liceb:t abeſſe, neque aliquem in locum veſtrum collocare, qui ſit minus peritus, quam vos. Vobis in loco permanendum eſt, ut opem feratis ovibus veſtris, licet hoc vita ipſa ſtatutum eſſet. Æterna animarum vobis creditarum vita prævalere debet vitæ veſtræ temporali. Opus non eſt, ut quod longe pretioſiſſimum eſt, in diſcrimen adducatur, ut in tuto ſit quod infinite minus eſt pretioſum; præterquamquod hoc eſt naturaliter boni Paſtoris officium. Exemplum, quod vobis reliquit Jeſus Chriſtus Princeps Paſtorum ſatis hanc probat veritatem, quandoquidem ille vitam ſuam, divinam licet, pro nobis impendit: *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. P. Segneri de Parochorum officiis.*

*Joann. 10.*

*S. hic Præſul erat perfectus Epiſcoporũ prototypus.*

Sanctus hic vir erat prototypus Epiſcoporum, qui ſunt ſucceſſores Apoſtolorum. Habent auctoritatem, habent arma; his uti debent ad Religionis inimicos oppugnandos, cum illos nequeant aliis rationibus coercere. Hoc prælii genus ineundum fuit Præſuli noſtro propter eandem Religionem: *Certamen forte dedit illi.* Numquid alter viſus fuit hoc generoſior? Quænam actuoſitas? Quantum libertas? Quam imperterrita conſtantia! Eadem agit fortitudine, qua Patres Eccleſiæ contra temporum illorum errores. Ad Epiſcopos locutus eſt, ut olim S. Gregorius Nazianzenus Collegis in Epiſcopatu, & ut magnus Carthaginis Archiepiſcopus Patribus Epheſini Concilii. Expetit ille patrocinium a Terræ Principibus ut olim Sancti Ambroſius, & Leo ab Imperatoribus Theodoſio, & Marciano. Seipſum roboravit contra omnes obices, atque pericula non ſecus, ac generoſiſſimus fidei propugnator. Neque vobis ſtuporem injiciet tanta conſtantia, ſi illius cauſas inſpexeritis. Hæ quippe erant, ortus, virtus, & ſpiritus Religionis. Nativitas hanc illi mentem afflaverat, virtus roboraverat, ſpiritus Religionis confirmaverat. Cum per hæc principia aliquis animoſus eſt, cui rei aggrediendæ, & exequendæ par non eſt? *Oratio Funebris P. Candidi Chalippes Recollecti in Obitum Domini de Mailly.*

*Vita hujus longe alia erat a vita plurimorũ Epiſcoporum.*

De Sancti N. mentis judicium fieri poterit ex magno illo diſcrimine, quod videtur inter ipſum, & illos, quorum flagitia Sancti Cyprianus, & Bernardus jure condemnant. Hi negligebant prædicationis miniſterium adeo proprium Epiſcopis, & eundem finem ſuis prædicationibus fecit, ac vitæ. Illi gregem ſuum derelinquebant, ut in remotis provinciis turpe lucrum facerent, hic vero nunquam recedebat a ſuo, niſi fortaſſe ad majorem illius utilitatem, & ubi id ſola neceſſitas poſceret. Illi pauperes ſine ope ulla relinquebant; hic vero ſua omnia vendebat; illi uſuram exercebant ſummo cum gregis ſcandalo, hic vero non aliud uſuræ genus agnoſcebat, niſi quod integerrime, & ſanctiſſime exercetur, juxta illud Sapientis: *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis.* Illi nullo dolore affecti videbantur neque in Sacerdotibus pietatem, neque fidem ſinceram in Eccleſiæ miniſtris videntes; & hic dies noctesque traducebat in Cleri ſui reformatione, & in Eccleſiam ſuam revocanda Eccleſiaſtica diſciplina; quamobrem tot promulgavit Edicta, atque Inſtituta, quæ documento erunt omni poſteritati. Illi prodibant magnificis, ſuperbiſque induti veſtibus lautum redolentibus ornatu reditibus Domini, quamvis illis negotium non faceſſerent ea, quæ ad Domini cultum ſpectant, hic vero præter ſuæ dignitatis inſignia, pannoſis utebatur, obſoletiſque indumentis, ſemper diverſis rebus intentus, prædicans, & catechizans in omni occaſione, noctemque ſemper in oratione traducens. Illi in aureis poculis potabant, hic frugalitatem diligebat, nonniſi communibus cibis, neque unquam aurea, argenteaque uſus ſupellectile. Illi ſemper lautis intererant conviviis, ibique ſeſe ingurgitabant; hic jejunabat crebro, ac ut plurimum in arcto pane, & aqua brevi. Compotationi eorum non deerant concentus muſici; hic vero menſæ accumbens non aliud patiebatur ſolatium, niſi quod ex Sacrorum librorum lectione capere poterat. Non deerant illis arculæ odoramentorum refertæ, & ſacculi ſemper pecunia tumentes: hic omnibus mundi theſauris Jeſu Chriſti præferens paupertatem, cum dives eſſet, pauperem ſe fecit, neque ſatis putans locuples patrimonium ſuum in operibus charitatis impendere, ultro reliquit plura, eaque opima beneficia, quæ poſſidebat; rarum exemplum, & hactenus inauditum. O verum, perfectumque Jeſu Chriſti imitatorem! O quam beati eſſemus ſi illum imitaremur, cujus ſanctitatem ſuſpicimus, & laudibus celebramus! Sed quam deplorandi ſumus, quod ob oculos habentes tantum excellentium virtutum exemplum non videmus hoc ſpeculo vitia noſtra, eaque emendare non conamur. *Ex opuſculis Cardinalis Bellarmini. Tomo 3.*

*Prov. 19. 17.*

*Pleriique Præſules non aliam habent curam quam recenſendi ſuam ſupellectilem, reditus, ſumptus.*

Nil turpius eſt Epiſcopo, quam tempus terere in recenſendis ſupellectilibus, ac reditibus, ac præcipuam curam in minimis etiam rebus examinandis, & exigenda earum ratione; quam ita replere animum ſuum ſuſpicionibus, & ſuccenſere, ubi aliquid periiſſe, vel neglectum fuiſſe cognoſcitur. Ægyptius ille, qui rebus ſuis præfecerat Joſeph, non ita agere conſueverat. Mirum! Epiſcopi inveniunt fideles homines, quibus tuto animarum ſalutem commendent, & inveniunt, cui domeſticarum rerum curam committant. Imprudentis ſane eſt, ea curare, quæ eſſent negligenda, & ea flocci facere, quæ maximi facienda ſunt; ſed liquet multo magis affici jactura earum rerum, quæ noſtræ ſunt, quam, quæ ſunt Jeſu Chriſti. Satis eſſe diligentem in eo, quod quotidie expenditur, & non aperire oculos, ut peſſimus gregis Domini ſtatus videatur. Suaves non ducuntur ſomni, niſi quæſitum fuerit ex famulo quantum in obſonio, & pane fuerit inſumptum die illa, & raro Sacerdotes conſuluntur, quænam in populo obrepant vitia. Cadit jumentum, & ad illud elevandum accurritur; perit anima, & nemo hac dolet jactura. Sed non eſt cur miremur, quoniam ipſi vitia noſtra ignoramus. *Ex Opuſculis Cardinalis Bellarmini. Tomo 3.*

Una ex præcipuis rationibus, propter quas inter Eccleſiæ Principes pauci ſint zelotes Jeſu Chriſti famuli, ea eſt, quia pauci ſunt, ut oportet, ad Epiſcopatum vocati. Ita deficit in illis præcipua conditio, videlicet vocatio, ad quam proculdubio reſpiciebat Apoſtolus, cum audacter de ſe dicebat: *Paulus ſervus Jeſu Chriſti vocatus a Deo ad Apoſtolatum.* Mirum eſſet profecto ſi qui per ambitum viam ſibi aperiunt ad Eccleſiaſticas dignitates, quærerent non quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti. Quicunque igitur ſuam quærit utilitatem non eſt J. C. ſervus, ſed ſuæ ambitionis mancipium. Sed nondum ſatis, etenim aſſero eos, qui ad Præſulum dignitatem perveniunt, & ad illam provehuntur; non eo quod in illis doctrina, & meritum magis quam in aliis reperiantur, ſed vel ob conſanguinitatem, vel ob validas commendationes; hi licet ſollicite non exquiſiverint locum ſuum; non ideo tamen ſunt ex numero eorum, quos vocat Deus; ſed eorum jure vocari poſſunt filii carnis, & ſanguinis: Hi ſunt aulici potius quam ſervi Jeſu Chriſti. Hi cupiunt Epiſcopi fieri ad majorem Jeſu Chriſti gloriam, ſed ut commodius vivant, & familiæ ſuæ ſumptibus pareant. Quapropter S. Bernardus ſcribens ad Eugenium Papam: alter ambit pro altero, & aliquis fortaſſe ſibi. Suſpicione non vacet quicunque apud te adhibet interceſſores; nam illius qui te urget per ſe, & propter ſe, cauſa jam acta eſt, jam damnatus eſt. Cave ne ad Epiſcopatum attollas, qui illum appetunt, ac deperennt; aſſume potius detrectantes; immo illos coge, & vim adhibe. *Idem.*

*Pauci ſunt famuli, qui digne appellari ſint ad Eccleſiaſticas dignitates.*

*S. Bernard. de Conſid.*

Quænam ædificatio videre Præſulem generis præſtantiſſimi, florenti juventa cum ea venuſtate, quæ mundo placere poterat, quin nihil in ipſo mundum ſaperet; nihil ab aula mutuatum niſi veram, nobilemque morum elegantiam, in id intentum ut ſe locis omnibus dignum præſtet, quin tamen ad illos evehi ſtudeat; omnes Eccleſiaſtici ſtatus regulas ſervantem, ſibique ad ſcrupulum caventem ab eo ſtatu, qui jure periculis plenus appellari poteſt: quæ præcautio illum conſtituit extra jactum omnis ſuſpicionis, & reprehenſionis; & a qua ſecum nunquam diſpenſavit tunc etiam cum provectiori eſſet ætate, & cum ampliſſimis, uſque conſanguinitatis vinculo conjunctiſſimis matronis? Quam vim, quod robur non contulerunt illi virtutes Epiſcopales, quarum abſolutiſſimum erat exemplar, ut illam miſſionem obiret! Ex omnibus qualitatibus, quas S. Paulus requirit in Epiſcopo, nulla ei deerat, irreprehenſibilis in moribus teſtem vocare poterat univerſum terrarum orbem, & nemo illum citra ruborem inſimulare potuiſſet; ſobrius, & modeſtus, prudens, ſapiens, cautus rebus in omnibus, quem ordinem domi ſuæ non conſtituebat? Non arbitrabatur indignum ſe eam regere, diligenter avertere, quidquid illam perturbare poſſet, eam ſanctificans quotidie precibus, quas cum domeſticis ſuis effundebat. Magnus ſine ſuperbia, acer ſine iracundia, litium oſor, juſtus, & æquus, nunquam ſe præverti ſinens neque ipſa ſpecie pietatis. Se ſe ad Religionem excolebat, quemadmodum ſuadet Apoſtolus, non autem ad hanc pietatem ſpecioſam, cui nihil ineſt ſoliditatis, ſed ad eam, quæ innititur fidei, & quæ probatur operibus, Officio divino, Miſſæ ſacrificio, Epiſcopatus muneribus, praxi Religionis, ac fideli omnium officiorum ſuorum obſervantia. Adeo præclaræ qualitates adducebant illum in ſtatum generoſe ſuſtinendi ea omnia, quæ ad Dei gloriam pertinent, & non metuendi obtrectationem, quæ doctrinæ auctoritatem abrogare ſtudet per ea, quæ accidunt in vita. Illius adverſarii cum nihil invenirent quod in vitæ illius ratione reprehenderent, rubore ſuffuſi ſunt, juxta illud Apoſtoli verbum: *Ut is, qui ex adverſo eſt, vereatur nihil habens malum dicere de nobis: Ex oratione funebri P. Candidi Chalippes Recollecti in laudem Cardinalis Mailly.*

*Irreprehenſibilis erat S. in Præſulatu vita, & omnium etiam Patrum Eccl. ſtrictis monitis obtemperabatur.*

Præſulibus etiam id obſervandum eſt, quod S. Paulus præcipiebat Timotheo diſcipulo ſuo, ne cuiquam manum imponeret, niſi re attentius explorata; Cum enim elegit illos Deus, ut ſint Paſtores animarum, admittendum eſt, ut habeant miniſtros pares opem ſibi ferendo in muneris ſui exercitatione, ideoque ordines non eſſe promiſcue conferendos. Nimia facilitas, & modica circumſpectio, quæ modo in Ordinibus adhibetur efficit, ut hodierna die Clerus repletus ſit iis qui ad Sacerdotium anhelant, non ideo ut Deus ſit ſemper eorum hæreditas, ſed ut laicam juriſdictionem effugiant, vel ut habeant,

*Præſules non debent tanta cum facilitate Ordines conferre.*

unde

unde ſibi comparent victum ſperantes ſe ad Eccleſiæ dignitates eſſe perventuros. *Idem.*

*Paſtor debet ſubditis ſuis amoris argumenta.*

Dicere poſſumus Paſtorem patrem eſſe, qui filios ſuos ſumma complecti debet benevolentia, & qui aſſiduis curis ſuam illis reſtatam facere debet charitatem. Videamus igitur quam gregis veſtri curam ſuſcipiatis. Videamus, utrum illi ea præſtetis officia, quæ pater amantiſſimus debet liberis ſuis. Vacandum vobis eſt potiſſimum puerorum inſtitutioni, & maximi momenti eſt tenellas has plantas excolere? At enim indociles ſunt, atque veſtris hortamentis renituntur. An potius penes vos culpa eſt, quibus nulla eſt diligentia, & qui cum illos allicere deberetis, illos aliquando repellitis, quia illos nullo habetis in diſcrimine, & fortaſſe etiam duriuſcule agendo abſterretis? Paſtores zelotes plurimas habent artes innocuas, quas illis charitas ſuggerit, ut puerorum ſibi amorem concilient, ut illos cieant, & ad crebro ventitandum alliciant. Peccatorem in criminum ſuorum cœno relinquitis: Creditis ergo vos huic nihil debere? An ignoratis Deum ex vobis non expetiturum rationem animæ illius, vobiſque luendam eſſe pœnam, niſi teſtimonium perhibere valueritis vos pro virili parte nihil intentatum reliquiſſe, ut illum ad frugem, ac pœnitentiam revocaretis? Num iis perfungimini officiis, quæ debetis ægrotantibus? Illis Eccleſiæ quidem Sacramenta adminiſtratis, & mox eos deſeritis. Creditis ne vos ea præſtitiſſe omnia, quæ vobis erant præſtanda, & vos univerſo munere veſtro perfunctos fuiſſe? Nonne inevitabilis vos neceſſitas urget ægros inviſendi, conſolandi, docendi rectum ægritudinum uſum? voſmet totos proximo veſtro debetis, ergo penes vos eſto judicium, utrum ſevere corripiendi ſitis; cum tot in occaſionibus illos relinquitis ſine ope, ſine ſolatio, ſine ſubſidio. *Lambert in ſermonibus de vita Eccleſiaſtica. Tomo 1.*

*S. Auguſtini ſententia de dignitate Epiſcopali.*

S. Auguſtinus ſcribens ad Valerium Epiſcopum ſuum, quæſo, ait illi, cum omnia in hoc mundo ſint conſideranda hoc præſertim tempore, nihil commodius, ac ſuavius eſt Epiſcopali dignitate, ac ordine Sacerdotum, vel Diaconorum, ubi oſcitanter functiones illius adimplentur ſecundum aulicorum Eccleſiaſticorum conſuetudinem; ſed coram Deo nihil triſtius eſt, atque funeſtius. Altera ex parte conſiderate in hac vita, noſtris præſertim temporibus, rem omnium difficillimam, moleſtiſſimam atque periculoſæ plenam aleæ eſſe Epiſcopi dignitatem, & officium Sacerdotis, & Diaconi, ſed econtra nihil eſſe beatius, atque utilius coram Deo, cum illud adimpletur ea cura, quam ſupremum rerum Dominus exigit. Ita loquitur S. Auguſtinus, & hoc eſt argumentum epiſtolæ ipſius, quæ legenda eſt ab illis præcipue, qui quin ſciant, quod faciunt, ad Epiſcopatum, vel ad Sacerdotium contendunt, & qui quum obtinuerunt, quod efflictim optabant deſerunt gregem ſuum de alia re quavis ſolliciti, quam de munere ſuo, quin cogitent de ovium ſalute tuenda, earumque numero augendo. *Ex Opuſculis Bellarmini Tomus* II.

*Exempla veteris teſtamenti.*

Paſtores, qui in Bethleemitico ſtabulo beatam nacti ſunt ſortem videndi, & adorandi ante alios Verbum carnem factum, noctu vigilabant, ut gregum ſuorum gererent curam. Quid igitur faciendum eſt Paſtoribus, quibus non brutorum animantium cura habenda eſt, ſed ſpiritualium animarum, pro quibus Jeſus Chriſtus in terris vivens noctes impendebat in gemitibus, ac orationibus! Si Jacob tantam geſſit curam ovium ſoceri

*Gen. 31.40.*

ſui, ut vere dicere poſſet: *Die, noctuque æſtu urebar, & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis*; quodnam incommodum metuendum eſt illi, cui credita eſt hujus chari gregis cura, pro quo Dei Filius ſuum ſanguinem, ac vitam effudit? Et ſi diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, nonne æquum eſt, ut bonus Paſtor ſit prope oves ſuas; & præſto ad illas ex infernalis lupi faucibus exculpendas? *Idem.*

*Quomodo S. hic Præſul ſeipſum ſacrificabat, ut animas Jeſu Chriſto lucraretur.*

Tantum aberat, quod Sanctus hic Præſul quidquam de omnibus laboribus ſuis remitteret; ut recenti ardore omnea obiret ſacri ſui miniſterii exercitationes, & ita in perſona ſua adimplebat hoc Sapientis verbum: *cum conſummaverit homo, tunc incipiet*. Vita tot laboribus exercita ſignificare debebat, Præſulem corde plenum inventum iri, cum agendum eſſet pro tuenda Religione, ac una cum Sancto Paulo dicturum: *Ego libentiſſime impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.*

*2.Cor.12.15.*

Nullus erat dubitandi locus poſt ea, quæ aſſidue faciebat animas Jeſu Chriſto lucraturus, eaſque ad Romanam Eccleſiam revocaturus. Illos erudiebat, hortabatur, urgebat, illos in prolixis, difficillimiſque morbis, quorum tædio nunquam afficiebatur, frequentibus viſitationibus conſolabatur; neque eos relinquebat niſi vidiſſet illos perfecte converſos, animam efflare in unitate fidei, & in Sacramentorum communione. *Oratio in funere Cardinalis de Mailly habita a P. Candido Chalippe Recollecto.*

*Paſtor non minus tenetur gregem ſuum tueri, quam regere.*

Vigilantia Paſtoris in grege tuendo non minus ad illius pertinet officium, quam labor illius agendi. Cum Jacob oſtendere vellet Labano ſua erga illum promerita dicebat, ſe gregem illius tanta fortitudine, ac prudentia tutatum fuiſſe, ut ne ovem quidem lupi ex grege ipſius ceperint, occiderintque, *nec captum a beſtiis oſtendi ſibi*. David ut apud Saul ſuam oſtentaret vigilantiam, atque fortitudinem teſtabatur, ſe ubi forte vidiſſet leonem, vel urſum arripientem arietem, ſtatim in illos irruere conſueviſſe, ut ex eorum gutture prædam exculperet: & ipſe J. C. nobis ſignificare volens quouſque paſtoralis ipſius charitas proceſſerit, ait, ſe quin in turpem conjiceret fugam, quod plures mercenarii paſtores efficiunt, dediſſe animam ſuam pro ovibus ſuis. Modo vero cum nequeat ultra per ſe hanc nobis operam & aperta charitatis in nos ſuæ argumenta præbere, exonerat ſe, Sanctus Gregorius Pontifex inquit, hac parte curarum ſuarum in hos *miſericordiæ viros*, quos ſubinde excitat per intervalla, Fideles, integerrimoſque Paſtores, qui ſuo invigilant gregi, in has electas animas, quæ non alium habentes characterem niſi amoris, zelique ſui ſeſe totas impendunt fratrum ſuorum ſervitio, inceſſanter cogitantes de illis & jugiter pro illis eas deprecantes a Deo gratias, quibus indigent, pro illis offerentes thura precum ſuarum, & myrrham mortificationum, avertentes ab illis procellam perſecutionum, ac miſeriæ, tenera, ac delicata charitate ſentientes importunitatem malorum, quibus anguntur, dolentes cum dolentibus, gementes cum gementibus, & in carne ſua a criminibus vacua circumferentes pœnam peccatorum earum, ut illas Jeſu Chriſto lucrentur. *Elogia hiſtorica Sanctorum Tomo 1.*

*Sacerdotes novæ legis, non ſecus ac antiquæ ex hominibus aſſumuntur ut diſcant compati ſimilibus ſibi.*

Prima quæ ad Pontificem efficiendum conditio requiritur, hæc eſt, videlicet ut ex hominibus aſſumatur. Noluit Deus huic miniſterio Angelos præficere. Quemadmodum Pontificis munus eſt offerre ſacrificia Deo pro hominibus, oportet, Apoſtolus inquit, eum eſſe hominem; ut iiſdem obnoxius infirmitatibus, ac illi, propter quos orare debet, pronior ſit, ut eorum peccatis, & vitiis compatiatur, in quæ per ignorantiam, vel errorem inciderint. Hoc ipſum invenitur in Jeſu Chriſto, qui Angelorum naturam non ſumpſit, ſed filiorum Abraham; & quia illi, ad quos liberandos acceſſerat, carne, & ſanguine erant induti; ſeipſum induit iiſdem, & eos fratres vocare minime erubuit. Debuit ergo illis ſimilis fieri per omnia, ut eſſe poſſet pro illis apud Deum, quemadmodum teſtatur Apoſtolus, Pontifex miſericors, & fidelis, qui pro peccatis populi piaculare ſacrificium offerret. *In anno Chriſtiano Tourneaux Tomo 1.*

*Debentur illis decimæ, ne a miniſterio ſuo illos avertat cura rerum temporalium.*

Pontifex conſtituitur in iis quæ ad Dei cultum pertinent, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis. Pontifex igitur fungitur mediatoris officio Deum inter, & homines. Curam gerit eorum omnium, quæ ad Dei cultum pertinent, & ne a ſacra hac functione avertatur, ut olim in Lege veteri tribus Levi altaris miniſterio conſecrata oblationibus populi alebatur: ita in nova Pontifices ne ab officio ſuo dimoveantur, certos habent redditus ſuis adnexos dignitatibus, unde ſubſiſtere honeſte valeant, ac tueri dignitatem ſuam cum Dei honore, & liberius invigilent ſaluti gregis ſibi crediti, quin temporalibus negotiis vacare teneantur. Sed ſicuti Pontifices non ſecus ac homines alii amicti ſint carne, iiſdem ſunt obnoxii infirmitatibus, ac erratis, & opus habent expiandi per ſacrificia propria crimina ſua æque ac aliena. Hinc legis antiquæ Sacerdos orare tenebatur primum pro ſe, proque familia ſua, ut ſimul cognoſcens ſuas infirmitates intelligat, quanta indulgentia alienis compati debeat. Hac de cauſa ab Evangelicæ legis Pontificibus petit Apoſtolus ut cognoſcentes quot lapſibus illi obnoxii ſunt, æque ac populus compatiantur laboribus eorum, qui ſibi demandati ſunt, intuitu propriæ miſeriæ, ſecuti in re hac ipſius Salvatoris exemplum, qui cum eſſet ſine peccato, etiam, atque etiam commendavit Diſcipulis ſuis ſpiritum lenitatis, ac miſerationis, quo ſemper erga peccatores uſus eſt. *Idem.*

*De officiis Paſtoris erga gregem.*

*Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum.* Ad Hebr. 5. Deus eligit Paſtores populi ſui; hic illos conſtituit in Eccleſia futuros illi Patres, Paſtores, & Oracula. Horum eſt oves adducere per viam, quæ ducit ad vitam; horum eſt deligere illis optima paſcua, & illos a lupis tutari circumeuntibus ſepta, ut oves devorent aberrantes. Quænam eſſe debet ovium docilitas; & quæ Paſtorum charitas, & ſanctitas? Porta, per quam Paſtor ingredi debet in ovile, ut præeat gregi ſuo, eſt Jeſus Chriſtus. Quicunque igitur ingreditur illuc non vocatus a Jeſu Chriſto, & non incenſus charitate ejus erga gregem, hic fur eſt, quærens non quidem paſcere, & ſaginare pecus, ſed ex ejuſdem ſpoliis locupletari, juxta verba Salvatoris ipſius. Verus Paſtor, ait ille, facit ut oves ſuæ vocem ſuam audiant. Illas palam, privatimque docet. Num zelo carere debet? debet ne rudis eſſe? Illas dolentes ſolatur. Num parum callere tenetur vias Domini, & aſpergi levi ſanctitatis fuco, & in ſola ſuperficie poſſidere virtutem? Verus Paſtor præit ovibus ſuis, videlicet præbet illis exemplum, atque in moribus ſuis proponit illis praxim virtutum, quas prædicat. Tales ſunt Paſtores, quorum vocem audiunt oves, & quos cum oblectatione ſequuntur. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

*Inanis gloria ſæcularium, & nonnullorū Eccleſiaſt-*

Mundi ſectatores ſua utuntur elatione, ac magnitudine, ut propriæ aſſententur ſuperbiæ. Intumeſcunt de ſemet præclare ſentientes: falſo illis perſuaſum eſt omnia ſibi deberi; geſtiunt in honore haberi, ſumma cura per-

*eorum, qui ad curata anhelant beneficia,*

perquirunt prærogativas adnexas dignitatibus ſuis. Cum Eccleſiæ miniſtri ſimiliter utuntur elatione ſua, jam mundi partes ſequuntur, quas Dei Filius reprobat, & quæ cum Eccleſiaſtico ſtatu omnino ſtare non poſſunt. Eccleſiæ miniſtro perſuaſum eſſe debet, elationem hanc illi fuiſſe commiſſam, ut fratribus ſuis opitularetur, & eorum ſanctificationi cooperaretur. Licet ſuper fratres ſe videat ſublatum, ſeipſum debet reſpicere tanquam ſervum omnium ſecundum verbum Salvatoris dicentis ſe non veniſſe, ut alii ſibi ſervirent, ſed ut ſerviret aliis, præſto eſſe debet, ut ſeſe aliis humiliet, eos coacturus ad ingrediendam ſalutis viam. Debet ſeipſum reſpicere, ut victimam jamjam pro omnium ſalute immolandam. *Lambert.*

*Qualitates quas habere debet bonus Paſtor, & quænam ſint ejus officia;*

Paſtoris Charitas, quin mutet naturam, ſe in varia partitur exercitia ſecundum varias gregis ſibi crediti neceſſitates; & ſemper eadem permanens ſua multiplicat officia pro variis neceſſitatibus, quibus opem ferre tenetur. Semper occupata eſt in regendis fidelibus: alios parturit, aliis compatitur, coram aliis ſe humiliat, & aliorum habita ratione ſe exaltat. Pluribus ſuavis, pecudis ſevera, communis omnium Parens: Paſtoris charitas efficere debet, ut in animarum regimine hæc varia obeat officia. Charitas fœcunda eſſe debet, quantum in ipſa eſt quotidie recentes filios parere debet Eccleſiæ: *alios parturit*. Paſtoris charitas compati debet Fratribus ſuis, eorum infirmitatibus opem ferre, ſine perſonarum acceptione; *cum aliis infirmatur*. Charitas hæc humilis eſſe debet, ita ut ſi in illius regimine aliquid reprehendatur præſto ſit illud reformatura, licet etiam aliqui e plebe illius vitium detegerent: *ad alios ſe inclinat*. Charitas hæc eſſe debet conſtans, & generoſa corripiens mala ſicubi inveniuntur ſine ullo metu rationum humanarum; fortiter ſuſtinens Dei læſi gloriam, ſed diligentiſſime cavens ne quæ Dei ſunt cum amore proprio conjungat, quod nimis eſt familiare: *Ad alios ſe erigit*. Charitas nonnunquam debet eſſe ſevera, *aliis ſevera*, ſed hæc qualitas potiſſimum neceſſaria eſt erga ſeipſum & parum, ut plurimum, erga alios. Quod pertinet ad peccatores, tractandi ſunt eum eadem lenitate, qua Dei Filius nobis oſtendit reminiſcentes nos quoque peccatores eſſe, & non permittentes, ut quiſpiam in vitiis, ac pravis habitibus cujuſcunque generis marceſcat. *Ex Specimine Panegyricorum, ex Sancti Bernardi Panegyrico.*

*Integritas Sanctihujus Præſulis, & liberalitas ejus.*

Quot recentes roboris gradus non acceſſerunt ex integritate ipſius, & erga pauperes liberalitate? Nil magis animum emollit, quam ſpiritus avaritiæ. Sapiens ait, eum qui divitias amat paratum eſſe, ut ſacrificet honorem, atque conſcientiam ſuam, & ipſam quoque animam habeat venalem. *Hic enim & animam ſuam venalem habet*. Dives autem ſuis opibus non inhærens homo rarus eſt, qui laudari meretur, fecit quippe inſignia miracula: *Quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua*. Sanctus hic Præſul animo magno contemnebat opes. Dignitati ſuæ, & cordi tribuebat quidquid Eccleſiæ ſpiritus permittit. Menſa illius, non ſecus ac D. Auguſtini, patebat nobilitati, merito, & virtuti, magnifica, ubi opus eſſet, pluribus in occaſionibus Principes, & Reges excepit cum generoſa liberalitate. *Oratio funebris P. Candidi Chalippes Recollecti in obitum Cardinalis de Mailly.*

Tenera Sancti hujus pietas, charitas, manſuetudo, actus, quibus omnes ſibi conciliabat ſermone unctione manante, quæ validiſſima eſt ad efficiendum, ut peccator vulnerum ſuorum magnitudinem ſentiret, jampridem illi famam comparaverant viri ad animas dirigendas aptiſſimi. Pauci ex hæreticis illi reſtiterant; pauci ex illis, qui æquo liberiores ſunt illius hortamenta ſequi non potuerant; ex omnibus terræ partibus, quod erat uſitatum zeli ſui theatrum, ad ipſum confugiebatur. Vix tot curis ſufficere poterat cum molitus eſt attollere ædificium diutius manſurum ad Dei quidem gloriam, proximi vero ſalutem. Hoc autem conſilium ita vehemens fuit, ut nullus dubitaverit, quominus de cælo deſcendiſſet, & qui hanc illi mentem injecerat, ſuppeditaret etiam ad eandem explendam ſubſidia. Hæc tamen ſubſidia juxta communem Providentiæ rationem ſatis procul abeſſe videbantur; modicam ſibi affulgere extrinſecus ſpem videbat, ipſe per ſe opibus non pollebat; & quem huic operi præficeret, ignorabat. *Auctor Recens.*

*Labores, & zelus Sancti hujus Præſulis,*

Num magni labores ſuſcipiendi ad Sanctam doctrinam alendam, fatigare valuerunt Sancti hujus Præſulis animum? Aſſuetus erat laboribus in obeundis Diœceſis ſuæ viſitationibus, in quibus fama teſtatur illum ſibi propoſuiſſe imitandum Sanctum Carolum Borromæum omnes obeuntem licet locorum longinquitate maxime diſſitas Eccleſias, & viarum difficultate impeditiſſimas, ubi populos hortabatur, omnibus, ac ſingulis præbebat aures, componebat lites, regebat negotia a ſummo mane uſque ad veſperam divinis operibus intentus, quin ſe ulla reficeret eſca. Graviſſimi morbi non prohibuerunt illum quominus infinitos pueros, qui eorum notas recentes in facie præſeferebant, ſacro confirmationis chriſmate inungeret. Neque ipſe immunis fuit, & parum abfuit, quominus & ipſe victima fieret. Poſt adeo moleſtas viſitationes, quanam in re quietem ſuam collocabat? Videlicet in frequentibus collationibus cum Parochis, quibus præ cæteris liber, & jugis patebat aditus; dicebat enim, hæc mea ſunt negotia, & illa mihi ſunt procuranda. Requiem ſuam collocabat in jugi lectione Sanctorum librorum, & Canonum, in non intermiſſa gregis ſui cura, in edictis, mandatiſque inſtruendis contra errores, pro charitate, ac de diſciplina, ubi, non ſecus ac in reliquis operibus ejus elucet eruditionis ubertas, cogitationum amplitudo, ſublimis, & magnifica eloquentia. *Oratio funebris in obitum Cardinalis de Mailly habita a Patre Candido Chalippes recollecto.*

*Benevolentia S. hujus Præſulis erga omnes, & inde quod omnibus placeret.*

Humanitatis ejus officia erga omnes, quibus ſeſe omnibus conditionibus accommodabat, ut ſeſe ſimplici populo, & pueris ipſis communicaret; hæc, inquam, officia non erant in eo, ut in aliis plurimis, ſteriles ſignificationes, ſed proficiſcebantur ex ſincero deſiderio de omnibus ſtatibus benemerendi. Nullibi viſus eſt animus generoſior, & beneficientior. Quot ille gratias pro ampliſſimis familiis obtinuit, nominis ſui fama, qua in Regis aula pollebat? Amabiles hæ animi dotes generatim omnium corda demerebantur? Ampliſſimi viri præſto erant illi, ut operam, ac obſequium ſuum teſtarentur, ac advenis ſignificare geſtiebant ſenſus, quos in honorem tanti Antiſtitis fovebant. Aula ejus conferta erat iis magis, quos zelus, & obſervantia, quam quos negotia trahebant. Cum per vias ille præteriret, omnes undique confluebant, beatos ſe putabant ii, quibus illum oculis ſuis uſurpare contigerat, omnes laudibus humanitatem extollebant, eique ſecernas benedictiones deprecabantur. *Ex eadem lugubri Oratione.*

*Quidquid Sanctus hic admiſſus eſt, ut Epiſcopalem renueret dignitatem, Deus non ſine miraculo adegit eum, ut illam reciperet.*

Si quis unquam dignitates oblatas reſpuit, hic ſane fuit Sanctus N. & ſi vinientia operis ſui, ut aliquis Epiſcopalem ſedem amplecteretur, hac ſane utendum fuit cum hoc, qui cum in ipſo omnes collucerent qualitates in tanta dignitate neceſſariæ illam conſtantiſſime reſpuit, donec Dei voluntas innotuit inſigni miraculo. Nam præter quam quod didicerat regere Epiſcopatum, cumque Clerus, & populus probaverant, opus adhuc fuit, ut Angelus cælo dilaberetur, ac teſtaretur illius electionem a Deo fuiſſe probatam, & illum obſtiturum mandatis Dei, niſi Eccleſiæ ſuæ votis acquieſceret. Attamen omnes illi aderant qualitates, quas S. Paulus Apoſtolus requirit in Epiſcopo, quas ſi a me vobis recenſeri placet, me eas enumerante, quæ in illo refulgent, videbitis neminem illis ornatiorem fuiſſe. *Ex Panegyrico S. Maglorii P. Senault ex Oratorio.*

*Vitæ Præſulis eſſe debet integritas, & humilitas,*

Epiſcopus eſſe debet ab omni crimine vacuus, ejuſque exiſtimatio, & vita ita munda eſſe debet, ut ne minima quidem labes in eo deprehendi valeat. *Irreprehenſibilem*. Diutius Sanctus Noſter in eo operam, curamque omnem collocaverat, ut ſtirpitus omnia vitia in ſeipſo convelleret, & ad tantum perfectionis apicem evaſerat, ut, ſi per modeſtiam ſuam ſibi licuiſſet, dicere poſſet Inimicis ſuis: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nihilominus in infulis excipiendis contremiſcit; via illum confirmat Angelus, & niſi metueret ſe divinæ obſiſtere voluntati, næ ille caput, vel manum ſuam impediret adeo gravi, aleæque plena ſarcina. Illuſtre hoc exemplum minime deterret cæcos illos ambitioſos, qui impudentiſſime Eccleſiaſticas ambiunt dignitates, qui turpiter ſeſe dejiciunt, ut creſcant; qui conſcientiam, vitamque ſuam proſtituunt, aucupaturi dignitatem, ubi ipſa etiam nominis exiſtimatio, ac vita ſacrificanda eſt, ut Eccleſiam tueantur: Non contremiſcunt, ubi cogitant, ambire Epiſcopatus, quos Sancti rejiciunt, ſe conquirere id, quod illi fugiunt; & omnibus meritis, virtutibuſque deſtituti, *ipſis etiam Angelicis humeris formidabile onus*, ut S. Bernardus ait, concupiſcunt. Sanctus noſter longe hinc aberat: ut enim dignitatem hanc reciperet cogeretur, opus fuit Cleri ſuffragiis, expliciteque Jeſu Chriſti imperio; ſine quo nunquam auſus fuiſſet onus ſubire, quod adeo ſuave, & honorificum videtur ambientibus hanc dignitatem, ſed quod econtra videtur adeo grave, ubi ſerius illius munera, ac officia inſpiciuntur. *P. Senault in Panegyrico S. Maglorii.*

*Sententia S. Bernardi de munere Epiſcopi. Bern. Epiſt.*

S. Bernardus ea, qua enituit, eloquentia Epiſcopo cuidam repræſentans ejuſdem officia, dixit illi: *Miſiſti manum ad aratrum, opus eſt fortitudinis. Speculator factus es, opus eſt prudentiæ. Debitor es omnibus, opus eſt juſtitiæ. Prædicare debes, opus eſt ſcientiæ*, & ſcito teneris, quid gregi tuo proſit, quid obſit; hunc tibi relinquendum non eſſe, alioquin rationem redditurο omnium malorum, quæ illi tua pariet abſentia. Alibi etiam in eandem ſententiam, ubi vere æque ac fortiter exaggerans illam, oſtendit Epiſcopis quid illis faciendum ſit in Eccleſiis ſuis. *Civitas eſt, vigilate ad cuſtodiam, concordiamque*; & ne permittatis, ut inimicus pacis abſentia veſtra abutatur, ad ferenda zizania. *Sponſa eſt, ſtudete ornatui*. Mementote Filium Dei cum inveniſſet Eccleſiam ſuam, hanc exornaſſe virtutibus, & non pepercisse ſanguini ſuo ad detergendas labes, & rugas, quæ illius decori caliginem offuderant: *Oves ſunt, intendite paſtui*: Illas in optima, & ſalubria paſcua deducite, eas a lupis arcete, ſcitote, hoc a vobis officium præſtari non poſſe, niſi una cum illis fueritis,

*Serm. 76. in Cant.*

niſi

niſi præceſſeritis illis, ut eas veſtris dirigatis exemplis. *Idem*.

De onere, & honore Epiſcopatus.

Conſtat Epiſcopos primas eſſe cauſas boni, & mali, quod accidit in Eccleſia, & eos ſecum rapere homines univerſos, non ſecus ac primum mobile ſecum trahit cælos omnes, & inde fit ut per felicitatem nullo ſatis unquam habendam in pretio participes fiant omnium bonorum operum, quæ fiunt in ipſorum Diœceſi; merentur cum omnibus operantibus, coronantur cum omnibus certantibus, tantaque illorum eſt merces, ut in ſe contineat illam omnium militum, qui ſub eorum vexillis vicere. Verum cum nullum in terris bonum ſit, quod labe nulla aſpergatur, neque dignitas, quæ ſuis ſepta non ſit periculis, Epiſcopi rei ſunt omnium criminum, quæ in ipſorum Diœceſi patrantur; rationem reddituri ſunt mortis ovium ſuarum, ſemper illis metuendi locus eſt, ut ſupremus Paſtor ab illis rationem expoſcat, & ne ulciſcatur in illis da jacturam gregis ſui, qui ob illorum negligentiam interierit. Etenim poſt terribilia hæc verba, quæ protulit per Prophetam; *Sanguinem illorum de manu veſtra requiram*. Quid metuendum eſt ab illius amore, ubi fuerit in furorem converſus? Hæc juſtiſſima cauſa eſt ſtuporis Sancti N. Hoc efficit, ut in ſolio ſuo trepidet, & contremiſcat, hoc graves efficit ejus infulas, & crucem ſuam non ferendam, hoc illi terrorem incutit, ne dum ipſe alios ſalvare cupit, ſeipſum condemnet. Nunc vobis cogitandum relinquo, quinam eſſe debeat timor communis magno huic Epiſcopo ac aliis, & utrum dignitas, quæ hujus metum parit, cum eadem in ipſo ac in aliis ſit, eundem in omnibus ſit metum paritura? Non timent, ut in Diœceſi ſua ea oboriantur mala, quæ irritare valeant Dei Filium contra ſe? Nonne committuntur vulgo peccata, quæ ipſorum peccata fiant, vel quia non jugulant illa in ortu ipſo, aut quia in eorum progreſſu minime coercent? Non reformidant ne Dei Filius illis imputet omnia ſcelera, quæ minime prohibent? Non expaveſcunt, ne tot, ac tam diuturnæ abſentiæ, quarum color eſt aliquod lucrum temporale, & quarum vera cauſa non alia eſt, quam inutila ſolatium, excipiantur perturbatione aliqua familiæ, & poſt ſe trahant licentiam Eccleſiaſticorum, & ſcandala ſæcularium? Non verentur, ne pompa hæc, quæ illos quocunque ſubſequitur, confirmet querimonias pauperum, quorum diſſipant patrimonium, & ne hæc magnificentia, quæ in eorum ædibus renidet, hic luxus, qui in eorum pretioſa ſupellectili refulget, hic nitor, qui in eorum conviviis collucet, accuſet eos coram ſupremo hoc animarum noſtrarum Epiſcopo, quo ex illis rationem expetenre horum omnium bonorum, quorum œconomi tantum ſunt, non excipiantur eadem cum ſeveritate, qua Pater ille familias excepit in Evangelio ſervum, qui familiæ ſuæ commoda contempſerat? Verum ſi hujuſmodi vitiis immunes ſunt; ſi bona ſua cum pauperibus partiuntur, non timent, ut Dei Filius ab illis rationem expoſcat ſanguinis ſui, fidelibus diſtribuendi, verbi illis annunciandi, & Spiritus Dei, ab illis in ejus Eccleſiam effundendi? Hac de re obſtupeſcebat Sanctus N. hæc erat ratio, & cauſa jugis terroris ejuſdem. *Pater Senault in Panegyrico Sancti Maglorii*.

Genes. 9. & 41.

Magnus S. propter ea miracula, quæ operatus eſt, ſibi laudi vertere poteſt eaſdē prærogativas de quibus glorīatus eſt ut etiam Apoſtolus.

Si magnus Gentilium Apoſtolus jure ſuo gloriari poterat ſuum Apoſtolatum divinitus confirmatum fuiſſe per miracula, & doctrinam ſuam per prodigia fuiſſe probatam; mihi videtur Sanctus N. pariter gloriari potuiſſe, & eadem de ſe prædicare; pauci enim fuerunt Apoſtoli in Eccleſia, qui tot operati fuerint portenta ad convertendos peccatores, & ad opem miſeris ferendam. Omnes enim ejus actiones totidem ſunt prodigia; vita ejus non aliud eſt quam ſeries miraculorum; & ipſe etiam magnum eſt miraculum, quod perſtringit oculos, & animos rapit. Sed ſi ille tanta cum facilitate patrabat illa, prævideo fore ut eadem vobis jactitare minime velit. *Idem in Panegyr. S. Marcelli*.

Hujus Sancti Præſulis erga pauperes charitas.

Ubi Sanctus hic ad Epiſcopalem ſublatus fuit dignitatem, credidit redditus ſuos, redditus eſſe pauperum, credidit ſe nihil habere quod non eſſet eorum, & non ſolum contra charitatem, verum etiam contra juſtitiam eſſe, melius vel cœnare, vel cubare quam miſeros illos. Luxum expulit e domo ſua, menſæ ſuæ ſociam adhibuit ſobrietatem, in veſtibus ſuis modeſtiam prætulit; & docuit omnes Epiſcopos non aliud eſſe quam bonorum Eccleſiæ diſpenſatores. In ſumma annonæ caritate, quæ illorum Diœceſim afflixit, mutuatus eſt, vendidit, dedit, quidquid potuit in pauperum ſolatium, argenteam ſupellectilem pignori dedit, reliquam vero diſtraxit, ac eo redactum ſe vidit, ubi pro ſuo, familiæque ſuæ victu deerant omnia. Nonne fatendum eſt, auditores, Sanctum hunc omnium bonorum ſuorum ſacrificium obtuliſſe, ac ſeipſum exinaniſſe, ut omnibus Diœceſis ſui pauperibus ferret opem? *P. Senault in Panegyrico S. Caroli*.

Licet S. hic Antiſtes cogeretur cum hominibus habere conſortium, ſæpiſſime latebat, ut orationi vacaret.

Sanctus hic Antiſtes perfectiſſime novit actionem cum contemplatione conſociare, & nullus unquam Sanctorum tantam habuit cum hominibus, & Angelis conſuetudinem: Nam uti primum poterat ſeſe negotiis ſubtrahere, orationi vacabat, recipiebat a Deo quod largiri debebat populo ſuo, ac Moyſis inſtar ſe transformans in monte ſancte ſibimetipſi moriebatur, ut feliciter viveret Jeſu Chriſto. Sibimet identidem exhibebat duo præcipua Archipræſulis officia, prædicationem, & orationem hac conſulendum eſſe Deum, ſcrutandas illius intentiones, & perdiſcenda ejuſdem myſteria, atque conſilia; altera vero populos eſſe ædificandos, rudes erudiendos, afflictos ſolatio afficiendos, & peccatores conveniendos. *Idem*.

Regere cœpit perſonam domum ſuam, mox diœceſim ſuam ſummis laboribus reformavit quin exciperet magnos & parvos vel Eccleſiaſticos.

Initium duxit a perſona, ac domo ſua, & utramque ita moderatus eſt, ut jam re adhuc integra eſſe poſſet prototypus & exemplar omnibus Præſulibus, omnibuſque eorum familiis. Diœceſim vero ſuam tanto zelo, ac vi reformavit, ut neque ſæculi, neque Eccleſiæ Principibus parceret. Res illi fuit cum Provinciæ illius moderatoribus, Proregibuſque, qui arbitrabantur, corruptos mores corrigere idem eſſe ac ſus, deque publicam avertere libertatem, ſibi ille conflavit malorum Sacerdotum odia, & longe magis laborandum ei fuit in Eccleſiaſticis, quam in ſæcularibus refringendis. Verum cum illi compertum atque exploratum eſſet ex illorum reformatione illam etiam populi pendere: *Sicut Sacerdos, ita & populus*: tantam adhibuit curam, laboremque impendit, & tandem tantam lucem, & calorem immiſit, ut clerus qui totius Italiæ flagitioſiſſimus erat, fieret omnium modeſtiſſimus, atque ſanctiſſimus. Domus illius facta eſt Seminarium Epiſcoporum, Cardinalium, atque Pontificum: ibi exemplis ſuis præcipuos ſæculi ſui viros informavit, qui proficientes ex monitis ejus, evaſerunt nitidiſſima mundi luminaria. Sed dicamus, Auditores, pietatem illius nequaquam coarctatam fuiſſe in illius Diœceſi; induſtris enim amor ejus artem inſpiravit illi, qua univerſæ proficeret Eccleſiæ, & in remotiſſimas licet Provincias doctrinam, & reformationem inferret. *P. Senault in eodem Panegyrico S. Caroli*.

Seipſum pro ovibus ſuis ſacrificavit ac dies & noctes impendit ut illis indigentibus ferret opem.

Poſtquam Epiſcopale ſolium aſcendit, non aliam mentem habuit, quam ut ſe pro ſubditis ſuis ſacrificaret, id unum quærebat, quomodo illis procuraret bona, quæ lis deerant, & ab illis ea amoveret mala, quæ illis impendebant. De civitate in civitatem migrabat pudibundos egenos quæſiturus, ſimul conciliabat eos, quos utilitatis ratio ſecreverat, dæmonibus eripiebat eos, quos error perverterat, & tanquam bonus Paſtor montes, valleſque peragrabat ut quæreret ovas, quæ vel perierant, vel deerraverant. *Idem*.

Ejuſdem argumenti.

Qui labori non parcebat pro peccatorum converſione, non parcebat opibus, ut pauperibus ferret opem. Illi perſuaſum erat, ſibi nihil eſſe, quod ad Diœceſanos ſuos non pertineret; theſauros in arca recondere idem eſſe, ac ibi includere vitam miſerorum, ac ſibi vindicare ea, quæ divina Providentia ei ad aliorum dumtaxat ſalutem crediderat. *Cave ne intra loculos tuos includas ſalutem inopum, & tanquam in tumulis ſepelias vitam pauperum*. Vixit, & obiit in exercitiis charitatis; & dicere poſſum quin aliis Præſulibus injurius ſim, neminem fuiſſe, qui eo plura pro populo ſuo operatus, & paſſus fuerit. Sed quia ad hoc ut aliquis juſtus ſit, eſſe oportet æque ſeverum in ſe, ac lenem in alios. Ita profecto Sanctus hic Præſul ſe geſſit, ut qui erga alios mitiſſimus erat, ſe ſibi ſævetiſſimum exhiberet. *Idem*.

Epiſcopi nomen nomen oneris potius eſt, quam honoris.

Etiamſi Epiſcopatus eminens ſit in Eccleſia dignitas, mihi videtur jure S. Gregorium dixiſſe hoc eſſe nomen oneris potius, quam honoris. Nam præterquam quod Epiſcopus ſemet ſacrificare debet pro ovibus ſuis, eaſque præcedere debet, ut agat, ac tueatur, opus eſt ut ſeipſum perdat, illas ſalvas facturus, ut vitam ſuam in diſcrimine collocet, illas in tuto locaturus, ut objiciat ſe inediæ, ſitiſque periculo, illas inde erepturus. Neque enim ſumus amplius in lege veteri, in qua Paſtores alebantur lacte ovium ſuarum, earumque vellere induebantur: ſed in lege nova, ubi ad exemplum J. C. Summi Paſtoris animarum noſtrarum Epiſcopi effundere debent ſanguinem ſuum pro ſalute, ac victu ovium ſuarum; Opus eſt, ut ad illum imitandum ſeſe objiciant omnibus periculis, quæ ovibus impendent, ac morientes ſibi afficiantur ſenſu malorum ovium ſuarum curæ ſuæ mandatarum. *Panegyricus idem*.

Epiſcopi ſunt mediatores inter homines, & Deum.

Licet Epiſcopi homines ſint, tamen ſimul etiam ſunt mediatores homines inter, & Deum; quoniam hujus ſuſtinent auctoritatem, ejuſque perſonam referunt in Eccleſia. Verum cum Deus gloriam ſuam ex noſtra gloria percipiat, cumque illi ad gloriam cedit, quod nobis cedit ad utilitatem, permittit, ut Epiſcopi hominum negotia procurent, & ad thronum ſuum illorum cauſam perorent. Et ſane videtur præcipuum eorum munus eſſe divinæ ſeſe objicere iracundiæ, de illius manu fulmina excutere, cui ſi ſatisfacere nequeant, illum obteſtari, & obſecrare, ut debitas peccatoribus pœnas in ſuum caput deflectant. Ita in cruce operatus eſt Jeſus Chriſtus; ſciens enim hominum peccata nonniſi per mortem expiari poſſe, ſeſe ad illam ſubeundam obtulit, ut eos liberaret; & oravit Patrem ſuum, ut illis parcens in unum ſe pœnis detorqueret. Hac in re illum generoſe imitatus eſt Sanctus N. & licet ſummo flagraret zelo pro gloria Domini ſui, tantam prætulit charitatem pro ovium ſuarum ſalute, ut quotieſcunque Deus manum extulit ad eos perdendos, ſuum obtulerit caput ad evitandum vulnus, & mortem ipſam ſubire pro nocentibus maluerit, ut illos immunes præſtaret. Cum hæreſis omnes finitimas civitates, & oppida invaſiſſet,

& Deus æquiſſimam teſtatus eſſet iram ſuam ea pœna, qua interibant omnes, qui ab eo receſſerant; mediator hic conſperſus cinere, indutus cilicio, flagellis armatus coram Deo prodiit & non ſecus ac Jeſus Chriſtus eorum peccata lavit in Sanguine ſuo. *Idem.*

Ejuſdem argumenti,

Verum cum optime ſciret Sanctus Noſter Epiſcopos mediatores eſſe Deum inter, & homines, & his ſatisfaciendum eſſe alterius juſtitiæ, ut aliorum peccata expiarent; voluit ea in celebritate prodire tanquam pœnitens, vel publicum anathema; indutus eſt cilicio; cineribus aſperſit caput ſuum, nudatis, cruentiſque pedibus, fune ad collum alligato, & manibus funale tenens objecit caput ſuum fulminibus Cæli, multiſque lacrymarum imbre genis Deum obteſtatus eſt, ut vel ſe de hac eriperet vita, vel parceret populo ſuo: *Aut dimitte hanc noxam*, dixit illi cum Moyſe, *aut dele me de libro, quem ſcripſiſti.* Nonne jure dicere poſſum, auditores, Magnum hunc Præſulem fuiſſe reconciliationem populi ſui in tempore divinæ iracundiæ; ſanguinem ipſius lacrymis admixtum deleviſſe peccata ſubditorum ſuorum, & gratiam illis obtinuiſſe, quia contempſerat vitam ſuam: *In tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio. Idem.*

Exod. 32.

Eccli. 44.

De Zelo quem habere debent Epiſcopi pro grege ſuo.

Super omnia opus eſt, ut Epiſcopi zelotes ſint, potentes, pleni fortitudine, ac fervore gloriam J. C. tueantur. Zelus eſt flamma charitatis; incendit omnes, quos animat; eoſque paulatim abſumens facit victimas rei illius, quam amant. *Zelo zelatus ſum*, inquit verus amator, *pro Domino exercituum.* Zelus meus comedit me. Afficior injuriis, quæ Deo Iſrael inferuntur: & magis læſus contumeliis, quæ illi inferuntur, quam doloribus, quibus ipſe torqueor, niſi illum ulciſcor, zelo, & amore conficior. Zelus enim non urit ſolum, ſed devorat, & quemadmodum ante dixi, ipſa etiam oſſa pervadit, medullas exſiccat, & in cinerem redigit amatores, quos poſſidet. *Zelus domus tuæ comedit me.* Zelus iſte plerumque cum potentia conjunctus eſt, & iis, quos animat, vim, ac fortitudinem tribuit. Hinc S. Auguſtinus teſtatus eſt; ſicuti amor gloriæ, & voluptatum ſtrenuos efficit infideles: ita amorem Dei invictos fideles efficere. Minæ ac tormenta illos deterrere non poſſunt, Tyranni, & Carnifices eorum conſtantiam non labefactant: & quidquid excogitare crudelitas poteſt, illius auget conſtantiam, & amorem. Inquiunt enim; ſumus infirmi, quia ſumus peccatores; ſed fortes ſumus, quia diligimus; zelus nobis in neceſſitate robur immittit, & ſemper nobis certa adeſt victoria, quia ſemper præſto ſumus moriendo. *P. Senault in Panegyrico S. Sulpicii.*

3. Reg. 19.

Pſalm. 68.

Sanctus hic ſeceſſit, ut lacrymis ſuis, & omnia gregis ſui eluat peccata,

Cum Magnus hic Sanctus præſertim ſeceſſiſſet, ut ſeſe morti præpararet, amaris eluebat lacrymis peccata, quæ ſui Diœceſani patraverant; putabat ſe redditurum eſſe rationem, ſi quid Eccleſiaſtici deliquiſſent; eum enim illos ad Ordines promoviſſet, ſibi perſuaſerat futurum, ut ab ipſo Deus rationem expeteret flagitiorum, & ſcelerum eorundem. Conceptus hic dolor eliciebat crebro ex corde ſuſpiria, ex ore queſtus, ex oculis lacrymas. Repetebat ſæpe terribilia hæc verba: *Sanguinem eorum de manu veſtra requiram*: Cumque ſciret ovium jacturam eſſe Paſtoris vel infortunium, vel crimen, Jeſum obteſtabatur, ne ſibi accepta referretur earum calamitas. *Idem.*

Unus eſt Paſtor bonus, qui J. C. eſt, cujus vices gerūt alii Paſtores.

Unum habemus bonum Paſtorem, cujus omnes Paſtores boni ſunt membra. Hic eſt Jeſus Chriſtus; & quatenus boni Paſtores, ſunt, S. Ambroſius ait, Vicarii amoris, & charitatis ejus, non ſecus ac auctoritatis. Bonus Paſtor reſpicit animas, quas regit, tanquam a J. C. redemptas; & quia amat Jeſum Chriſtum amat eos, qui ſunt Jeſu Chriſti. Quamobrem Salvator ter a S. Petro quæſivit: *Petre, amas me?* antequam illi diceret. *paſce oves meas.* Illas amat ita, ut ſi opus ſit, ſeſe objiciat pro earum ſalute; & ſi ſibi vitam ipſam in neceſſitate putat impendendam pro iis, quæ ſibi a Deo creditæ ſunt: quomodo S. Gregorius ait, non partietur cum illis bonum quod habet, cum aliena indigeant ope? Nihil eſt, quod ſuum ſit; quia ipſe totus illarum eſt in Chriſto Jeſu, & cum Apoſtolo dicit illis: *Ego autem libentiſſime impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris. Tourneaux in anno Chriſtiano. Tomo 6.*

2. Cor. 12. 15.

Paſtor mercenarius non amat oves niſi quatenus illi prodeſt.

Paſtor mercenarius ille eſt, qui in Eccleſiaſtico Miniſterio, ea dumtaxat quærit, quæ ſua ſunt. Cum de lucro agitur referendo, tunc laboris nec piget, nec pœnitet; ſed omnia deſerit, ubi non invenit ultra honorem, aut quæſtum quem petit. Etenim non amans Jeſum Chriſtum, neque amat illos, quos Jeſus Chriſtus proprio redemit ſanguine. Videt lupum, & fugit. Perſecutio terret illum, efficitque, ut deſerat gregem; vel ſi manet cum illo, in hoc, S. Auguſtinus inquit, fugit illum, quia metus linguam ejus ligat, & prohibet, ne loquatur pro populo, aut pro veritate tuenda. Quicunque alia habet negotia quam Jeſu Chriſti, par non eſt, qui ſancte gregem regat Jeſu Chriſti. *Idem.*

Veri Paſtoris officia.

Denique bonus Paſtor animum appellit, ut ſuas oves cognoſcat, & ſingulis proſpiciat. Novit imbecilles, ut ſuſtineat; ægras, ut curet; errantes, ut revocet; lapſas, ut relevet, mœſtas, ut ſoletur. Novit omnes, & ſe præbet omnibus omnia, ut omnes ſalvas faciat. Eas autem hoc pacto cognoſcere nequit, quin cognoſcatur ab illis. Ex his indiciis quantum illi charæ ſint vident, & hoc videntes illum amant, ejus obediunt voci; quia non loquitur niſi ut ſalvas faciat eas. *Idem.*

Miniſtri J. C. incumbere debent perfectioni ſingulorum fidelium componentium totale corpus Eccleſiæ, cujus ſunt membra.

Sicuti corpus integrum tunc perfectum eſt cum membra ſingula peculiarem perfectionem aſſecuta ſunt, J. C. Miniſtri ad totalem Eccleſiæ perfectionem tunc tantum incumbunt, cum operam navant in peculiari cujuſlibet Fidelis perfectione. Primi Paſtores efformarunt, ac perfecerunt prima membra Corporis Spiritualis Chriſti Domini; ſucceſſores eorum inceptum opus perennarunt, formantes, ac perficientes fideles temporum ſuorum; quod uſque ad ſæculorum finem vigebit. Hæc autem particularis ſingulorum fidelium perfectio in eo ſita eſt, ut firmitatem habeat fidei, nullis tempeſtatibus concutiendam, S. Paulus ait, & hanc aſſequuntur firmitatem, qui charitate veritatem exercent. Hoc illi tradere debent Chriſtianis; & hic ſtatus eſt, quo adducere debent eos, quibus Jeſus Chriſtus diſtribuit dona, quæ ad animarum ſalutem donantur. Ob hæc dona tumeſcere non debent, neque enim eadem habent ex ſe, neque pro ſe illa acceperunt. Inertes eſſe non decet, neque otioſa relinquere hæc dona, quibus aucti fuerunt, ut iiſdem ad ædificationem, & perfectionem Corporis Jeſu Chriſti utantur. *Annus Chriſtianus. Tomo 6.*

Opus eſt Præſulem eſſe perfectum, ut digne obeat munus ſuum.

Si Epiſcopatus eminenter complectitur in ſe totam dignitatem, atque potentiam ordinum, & graduum Eccleſiæ, oportet etiam, ut Epiſcopus quodammodo poſſideat omnium ſtatuum perfectionem: Apoſtolus autem addit per fidem placeri Deo; quia nemo ſine illa Deo placere poteſt. Oportet, ut Epiſcopus ſatis habeat fidei placiturus illi, a quo jugiter pro aliis miſericordiam eſt deprecaturus. Unus Noe juſtus repertus eſt, cum omnis caro, ut loquitur Scriptura, viam ſuam corrupiſſet. Decrevit tunc Deus oſtendere hominibus effectus iræ ſuæ, eoſque univerſali aquarum eluvione delere. Sed juſtitia Noe Mundum cum Deo reconciliavit, & eripuit ex univerſo interitu Patriarcham illum, cum filiis, qui terram incolis repleverunt. Epiſcopus juſtus inveniri debet, ut Dei placare iracundiam, & cum Deo conciliare valeat peccatores. *Idem.*

Opus eſt ut Pontifex compati poſſit aliorum miſeriis eo quod & ipſe illis obnoxius eſt.

Prima, quæ in Pontifice requiritur conditio, hæc eſt, ut ex hominibus deſumptus ſit. Noluit Deus Angelos ad hoc miniſterium vocare. Cum Pontificis officium ſit offerre Deo ſacrificia pro hominibus opus eſt, ut ille ipſe homo ſit, ut iiſdem obnoxius infirmitatibus, quibus illi, pro quibus orare debet, facilius compati poſſit alienis lapſibus, in quos ſive ex ignorantia, ſive per errorem inciderit. Hoc vere invenitur in Jeſu Chriſto; neque enim aſſumpſit ille naturam Angelicam, ſed illam Filiorum Abrahæ; & quia illi ad quos liberandos veniebat induti erant carne, & ſanguine, ipſe quoque iiſdem indui voluit, neque illos fratres ſuos erubuit nuncupare. Debuit ergo eorum ſimilis eſſe in omnibus ut fieret apud Deum Pontifex miſericors, & fidelis, & ut populi peccata expiaret. Cum enim & ipſe per tentationem probatus fuiſſet; iis poſſet ſuccurrere, qui iiſdem tentationibus probarentur. *Annus Chriſtianus, Tomo 2.*

Quanta eſſet Charitas hujus Sancti Præſulis erga pauperes.

Ejus erga pauperes charitas eum magis magiſque commendabat, & acceptiorem efficiebat. Cur nequeo vobis referre quidquid in eorum gratiam operatus eſt? Videbatur ingredi Noſocomia, & ibi ægrotantibus opem ferre. In cœtibus charitatis, quibus ſæpe aderat, in pauperum tuguriis, quæ lætus obibat, in tota diœceſi ſua, quam inviſit, ſeu ut ſartas tectas ſervaret domos, quæ ſunt publicæ miſeriæ perfugium, ſeu ut conſuleret iis, quos, vel quas egeſtas nocentes efficere potuiſſet, verbo, pro omni neceſſitatum genere effundebat uberes eleemoſynas, eleemoſynas ſapienter diſtributas, & minime vulgares. Non deerant illi etiam ſecretæ eleemoſynæ, quas diligenter abſcondebat oculis populi, ipſis etiam Aulicis ſuis, & quæ cognitæ non fuerunt niſi grati animi ſenſu eorum, quibus per obliquos euripos ferebat opem. Largitiones illius tales erant, ut intelligi minime poſſet ex quo fonte haurire poſſet, unde tot erogaret pecunias. Ita hæ quidem exhauſtæ ſunt, charitas autem non ita. *P. Candidus Chalippes Recollectus in Funebri Oratione Cardinalis de Mailly.*

Obſervantiam, & obedientiam debemus Paſtoribus, & Doctoribus noſtris.

Recordari, & imitari debemus virtutes ductorum noſtrorum, qui obierunt; obſervare tenemur, & parere illis, qui vivunt. Hi a Deo conſtituti ſunt, ut nos dirigant. Nos ſumus grex, illi Paſtores. Jeſus Chriſtus vult, nos revereri cathedram, in qua ſedent, & auctoritatem, qua induti ſunt, eo uſque, ut faciamus, quod dicunt, tunc etiam cum abhorrere debemus ab iis, quæ faciunt. Non audiendi tantum ſunt tanquam Doctores, ſed illis ſubjectos eſſe nos decet tanquam iis, quibus jus eſt præcipiendi. Apoſtolus enim non dicit illis credendum eſſe, ſed obediendum; & nihil nos ab hac obedientia diſpenſat; niſi cum illis obedientes, non obediremus Deo. *Tourneaux in Anno Chriſtiano. Tomo 12.*

De Paſtorum vigilantia ſuper populos ſuos, deque eruditione, quam illis debent.

Paſtores vobis invigilare debent erudientes vos, & deducentes, ſed eorum conſilia vobis prodeſſe non poterunt, niſi dociles fueritis ad credendam veritatem, quam tradunt, & ſubjecti, ut pareatis iis, quæ vobis præcipiunt. Et hoc eſſe debetis ratione illorum, ut vobis invigilent hilariter, & non ægre, quod vobis nequaquam

quam prodeſſet. Gravis eſt eorum farcina; hanc leviorem efficire, curis eorum proficientes. Profectus enim veſter totus ille fructus eſt, quem ſibi vigiliarum ſuarum proponunt.

*In ſteriles agros nolunt juga ferre juvenci.*
*Pingue ſolum vexat, ſed juvat ipſe labor.*

Illi vobis præcipientes ferviunt, in commodum veſtrum illi præſunt; jactura veſtra eſt, cum non recipiunt eum laborum ſuorum fructum, quem quærunt; quoniam hic eorum fructus non aliud eſt, quam ſalus noſtra. *Ibidem.*

Paſtores in lucro ponere debent talenta ſibi a Deo tradita.

Servi illi duo, qui ex pecunia ſibi a Domino credita duplum retulerunt, ſunt fideles J. C. Miniſtri, qui illius tantum gloriam quærentes nihil prætermittunt ut augeant gratias, quas receperunt; videlicet cum zelo operantur ſalutem fidelium, & nihil miſſum faciunt, ut placeant illi, qui dixit: Ecce vos ipſe conſtituo, ut eatis, & fructum referatis. Hoc fecerunt Epiſcopi, in quorum diebus feſtis legendam proponit Eccleſia parabolam hanc. Apparebunt iſti coram J. C. cum animabus, quas lucrati fuerint onuſti glorioſis manubiis, quas hoſti eripuerint, & recipient tunc debitam ſibi laudem, ac mercedem, quam promeriti fuerint; quoniam ſingulis eorum dicetur: *Serve bone, & fidelis.* Bone, quia fidelis fuiſti, veni, ut recipias multum, pro modico, quod feciſti. Quantulum enim eſt quod Sancti facere poſſunt in comparatione gloriæ, & ſupremæ felicitatis qua donabuntur, & ineffabilis gaudii Domini ſui, in quod ingreſſuri ſunt, futuri participes regni Cæleſtis, eo quod non abnuerint in partem accedere laborum ipſius. *Tourneux in Anno Chriſtiano. Tomo 12.*

Ejuſdem argumenti.

Qui autem abiens fodiit in terram pecuniam domini ſui, quin illam in lucrum poneret, repræſentat illum, qui per inertiam, ac vaporem non adhibet in ſervitute J. C. & Eccleſiæ ſuæ talenta, quæ ab eo recepit. Nam ſapientia, quæ ſe non communicat, Scriptura inquit, theſaurus eſt in terra abſconditus. Deus non accendit lucernam, ut jaceat ſub modio, quin totam illuſtret Domum iis luminibus, quæ ad id illi data fuerunt. Habere donum verbi, ac tacere, regendis aliis parem eſſe, & nullius curam velle ſuſcipere; demum aliis prodeſſe poſſe, & ſibi tantum vivere; hoc Evangelium vocat fodere pecuniam Domini. Et quoniam, ut S. Gregorius ait, ratio, quæ reddenda eſt, par erit acceptis, qui plura acceperint contremiſcere debent, cogitantes illum, cui parum datum fuerit, non ideo minus damnatum iri, ut ignavum Evangelii ſervum, niſi impenderit hoc parum in quæſtum illius, a quo parum illud accepit. Ita ſe geſſit S. hic Paſtor, qui locum habet exclamandi cum Jeſu Chriſto: ecce, Domine, animæ omnes, quas tibi lucratus ſum, & quas ex ore hoſtis exculpſi. Ex omnibus quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam. *Annus Chriſtianus. Tomo 12.*

Charitas hujus Sancti Præſulis in prævertendis Populorum neceſſitatibus.

Sancti hujus Præſulis Charitas omnium erat temporum, & locorum. Nullum unquam illi propoſitum fuit opus miſericordiæ, quod non hilariter fuerit amplexus, & in quod large, effuſeque opes ſuas non contulerit. Ipſe immo diligenter percontabatur, & occurrebat neceſſitatibus. Quot familias aluit? Quot Eccleſiaſticis Diœceſis ſuæ ſecretis ſubſidiis non profuit? Quot Catholici ad ipſum confugientes ejus liberalitatem experti non ſunt? Num latet quomodo publice hoſpitalitatem exercuit in ædibus ſuis, mortalium non exiguo numero, cui manu propria miniſtrabat? Putatiſne Sanctum hunc Præſulem integerrimum, & charitate referum formidaturum fuiſſe unquam terrenarum rerum jacturam, & in præliis pro Religione ſuſceptis metu hoc examinandum fuiſſe? Una Charitas efficere potuiſſet, ut earum deſiderio teneretur; & animus, quem illi genus ſuum immittebat, & quem virtus roborabat, non minus Spiritu Religionis fuiſſet ſuccenſus. *P. Candidus Chalippes Recollectus in funebri Oratione Cardinalis de Mailly.*

Non ambitio, neque avaritia impellere debet Præſules in Aulam.

Magnus viſus eſt Moyſes coram Pharaone per ea prodigia, quæ coram hoc Principe operatus eſt. Deus enim dixerat Moyſi futurum, ſe illum Deum Pharaonis eſſe effecturum. Epiſcopus dignitate ſua ſupra Reges ſublatus eſt; neque illam abjicere debet turpi ea ſervitute, quæ Principum aulæ ſubjicit ambitioſos, cupidoſque præſules. Neque ſeſe attollere debet per ſuperbiam ſuper legitimas Poteſtates, quibus illum ſubjicit Deus, non ſecus ac reliquos ſubditos, quoniam ipſius auctoritas mere ſpiritualis eſt. Sed ſemper magnus erit in oculis Principum, cum erit præditus virtute; cum de exercendis omnibus dignitatis ſuæ officiis erit ſollicitus: neque relinquet gregem ſuum, ut Moyſes in Aulam iturus, niſi ob explicitum Dei imperium, & Eccleſiæ ſuæ utilitatem. *Idem.*

Sacerdotes & Epiſcopi ſunt Vicarii J. C. non ſucceſſores.

Epiſcopi reipſa non ſunt ſucceſſores J. C. ſed Vicarii & Miniſtri. Ille vivit, ſed abeſt, hi in terra ſunt, & ille in Cælo. Ille per ſeipſum offert in Cælo victimam, quæ in cruce oblata fuit, eandemque offert in Cælo per miniſtros ſuos ſuper terram in Miſſæ Sacrificio. Sacerdotes, & præſertim Epiſcopi ex D. Pauli ſententia ſunt diſpenſatores Myſteriorum ejus. Jeſu Chriſti regnum non minus æternum eſt, quam Sacerdotium, quod non prohibet quominus ſint Reges in terris, quorum Miniſterio populos gubernat. Deus eſt Judex æternus mortalium omnium, & nihilo ſecius vult hic etiam adeſſe Judices ejus indutos auctoritate, qui dicant jus; immo ille ipſe



agit eorum miniſterio. Jeſus Chriſtus per Sacerdotes offert. Ipſe Eccleſiam ſuam per Pontifices regit. *Idem.*

Tenentur Præſules paſcere gregem verbo Dei.

Divinitus demandata eſt Epiſcopis cura diſpenſandi Fidelibus cibum Cæleſtem verbi Dei, adminiſtrandi illis Sacramenta, & præbendi illis omnia neceſſaria ſubſidia ad ſalutem. Propter hanc eſcam, quam illis miniſtrare tenentur, Paſtores appellati ſunt. Et quia vitæ eorum debent invigilare, ideo Epiſcopi vocati ſunt, quaſi diceres, Inſpectores, Procuratores. Humiles eſſe debent, fideles, & ſapientes in miniſterio ſuo. Humiles, quia reſpiciuntur tanquam ſervi Dei. Electi ſunt, inquit Scriptura, ut populos regant; nunquam extollas te, ſed eſto inter illos tanquam unus ex illis. Servus aliis præpoſitus ſervis, non ideo minus eſt ſervus; non aliam habet in fratres ſuos auctoritatem, quam ut illos parere cogat communi Domino; & onus illi commiſſum aliorum neceſſitatibus conſulendi, injicit illi aliam ſervitutem eo majorem, quo plures habet inferiores; quam ob rem primus omnium Epiſcoporum titulum ſibi vindicavit Servi Servorum Dei. *Annus Chriſtianus. Tomo 2.*

Character bonorum Paſtorum.

Non deſunt Paſtores, qui S. Paulo teſte, animum appellunt ad Sanctorum perfectionem, ad officia miniſterii ſui obeunda, ad ædificationem Corporis J. C. hiſque rebus vacant, quin ſacrum Miniſterium ſit unquam interpolatum, donec occurramus omnes in unitatem ejuſdem fidei, & cognitionis ejuſdem Filii Dei donec perfecte efformetur in electis ſuis, quod nonniſi in ſæculorum conſummatione continget. Uſque ad illud tempus non erit ſæculum tenebrarum, quo veritas prorſus ignota ſit, & quo Jeſus Chriſtus ita obliviſcatur noſtri, ut non ultra loquatur ad nos. S. Paulus aſſerit, nunquam defuturos Paſtores; Paſtores has oves, quæ deerraverint in ſepta revocaturos, eiſque ſemitam rectam oſtenſuros. *Annus Evangelicus. Tomo 2.*

Levitas, & Indulgentia Sancti hujus Præſulis in eos, qui defecerunt.

Sanctus hic Præſul non erat ex iis duris, ac ſuperbis hominibus, ſpiritum dominationis præſeferentibus, quem S. Petrus condemnat, qui clementiam ignorant, & quos quoddam feritatis genus inexorabiles efficit. Paterna charitate admonebat, & corripiebat eos, qui deliquerant, & tantam eorum, & Eccleſiaſtici ſtatus curam gerebat, ut illos in ædes ſuas accerſeret eo tempore, quo noverat miniſtros, ac domeſticos ſuos abeſſe, ut ad litteræ apicem adimpleret illud Evangelii verbum: *Corripe eum inter te, & ipſum ſolum.* Non erat tamen ex eo genere hominum infirmorum, ac ignavorum, qui ſummum Sacerdotem Heli imitantur, quos Scriptura canes mutos, cæcaſque vigilias appellat. Retundere noverat ſuperbiam filiorum Levi, acriter coarguere, & ſevere animadvertere in eos, qui non merentur indulgentiam, quin rationem haberet ullam eorum qui Phariſæorum vitia ſuperaverant, & qui inter fideles turbas ciebant. Firmus & conſtans nunquam in Doctrina nutavit, ac eo ipſo tempore quo maxime uſus eſt indulgentia propter Eccleſiam, liquet illum ſemper præſto fuiſſe, ut ad officium revocaret, & perſequeretur quidquid non omnino eſſet ſubjectum. *P. Candidus Chalippes Recollectus in funebri oratione Cardinalis de Mailly.*

Matth. 18.

Sanctus hic inſigne eſt exemplum miniſtris Eccleſiæ.

Sanctus hic unum eſt ex egregiis exemplis, ex quibus omnes Eccleſiæ miniſtri debent intelligere, nihil magis eſſe metuendum, quam onus Paſtorale, beatum exiſtimandum eſſe, qui vitam ſuam traducere poteſt, quin immane hoc deferat pondus; neminem niſi invitum, ut ita dicam, ingredi debere in Sanctuarium, & cum Deus nobis apertiſſima oſtendit legitimæ vocationis indicia, quibus reſiſtere criminoſum eſſet. Illi qui ambiunt Eccleſiaſticas dignitates, & qui ſine tremore conſpiciunt ſublimiores Eccleſiæ gradus accedunt viſuri Sanctum virum; qui mentem ſuam nequeunt inducere ad excipiendum ſuperioris officium, & qui ſe nimis arduum opus aggredi cenſent, ubi conſentiunt ſe inter Eccleſiaſticos recenſeri. Quinam Sancti noſtri tremor, ac trepidatio, cum a populo in Epiſcopum petitur? Arte opus eſt, ut in urbem ſe conferre cogatur. Tanquam ſummum depoſcit beneficium, ut ſibi liceat reverti in ſolitudinem, ut ibi innocua fruatur tranquillitate æternas ibi veritates meditaturus, & auſteriſſimas pœnitentias in ſemet exercitaturus. Omnes illum Epiſcopatu dignum teſtantur; ipſe unus ſe profitetur indignum. Hoc vocatur veram habere ideam Epiſcopatus, illum cogitare tanquam graviſſimam ſarcinam hominis vires ſuperantem; & quæ nonniſi cum ſingularibus gratiis deferri poteſt. Quas quidem gratias largitur Deus trepidantibus horrentibuſque onus adeo grave, illudque ſolum excipientibus, quia diſpliceret Deo, cujus voci non obediret. *Annus Evangelicus Tomo 7.*

Quare non fuerit mens Dei Sanctum hunc ad Epiſcopalem dignitatem vocatum?

Deus igitur Sanctum hunc vocaverat. Elegit illum, ut repleret unum ex ampliſſimis locis Eccleſiæ ſuæ, ut nitens hoc lumen expoſitum oculis fidelium omnium, validiſſima eſſet ratio, qua excitarentur ad obeunda omnia munera ſua, & ad exequenda fideliter omnia præcepta, quæ per Paſtorem adeo ſanctum illis data fuiſſent. Eo igitur attentius nobis conſiderandum eſt lumen hoc, quod ſe noſtris oculis offert, quia videtur pro nobis peculiariter effeciſſe Deus, ut nobis colluceret: *Mementote præpoſitorum veſtrorum*, ajebat Sanctus Paulus: *qui vobis locuti ſunt verbum Dei.* Mementote igitur, Auditores, & non obliviſcamini cum idololatriæ tenebræ adhuc effuſæ eſſent in ſatis magnam

partem Europæ, Sanctum N. miſſum a Deo fuiſſe ad illas diſſipandas, & illuc Evangelii veritatem afferendam. Hoc conſilio inſtauravit Deus in illo magnas eas facultates, quas Apoſtolis ſuis communicaverat. Pauci ſunt Sancti qui plura & magis authentica operati fuerint miracula quam Sanctus N. Cur autem illi contulit Deus has omnes facultates? Nempe ut oſtenderet, illum a ſe miſſum, ut diſponeret diſcipulos Sancti hujus viri ad audienda cum docilitate verba vitæ, quæ illis nunciabat. *Annus Evangelicus Tomo 7.*

Paſtor ſe ipſum ſacrificare debet pro grege ſuo.

S. Joannes Chryſoſtomus hanc in rem perſpicue aperit ſententiam ſuam: aſſerit eum, cui demandata eſt cura ovium J. C. ſi unam ex illis interire paſſus fuerit, ovis amiſſæ rationem eſſe redditurum. Cogitate, inquit hic Doctor, quæ ultio, & quæ ſupplicia paſtoribus ſint metuenda, ubi ſunt non ſolum in neceſſitate reddendi rationem de peccatis ſuis, verum etiam in periculo in æternos ignes ruendi propter peccata populi ſui. Si hæc vera ſunt, Paſtores negligentes num ſatis obiiſtis ea quæ ad vos ſpectant officia, cum ſacra celebraſtis myſteria, cum ſolemnibus diebus aliquot horas impendiſtis, ut feſtinanter excipiatis confeſſiones ovium veſtrarum, cum illos morituros extremis reficitis Sacramentis? Sed pueros erudire, Evangelica dogmata prædicare, peccatores cogere, ut a peccatis recedant, deerrantes oves conquirere, diſſidentes conciliare, putatis hæc ad veſtrum miniſterium minime pertinere? Oſtendet aliquando vobis Deus, ea quæ veſtri muneris erant, & quid ſibi velit, paſcere oves ipſius. Oſtendet vere Paſtorem non eſſe, qui non totum ſe mancipat curæ gregis ſui. Ex veritatibus, quas attigi, arguo, Paſtorem non eſſe ſpectandum tanquam hominem juris ſui, ſed tanquam mancipium eorum omnium, qui illius indigent ope; atque felicem habendum eſſe, ſi gregi ſuo omne tempus, requiem omnem impenderit; & illum nunquam efficientius ſaluti ſuæ dare operam, quam cum vacat alienæ. *Lombere in Sermonibus de vita Eccleſiaſtica. Tomo 2.*

Conſtantia Sancti hujus Præſulis in tuenda unione in Eccleſia.

Quodnam principium agebat acriter adeo Sancti hujus Præſulis animum? Spiritus Religionis, Auditores, non alius. Eduxit ille gaudium ſpirituale, ut ſeſe objiceret ſciſſuræ, quam reformidabat: non ſecus ac Iſraelitæ cucurrerunt ad arma prohibituri, ne Tribus aliquot aberrarent. Quidquid a vobis petimus, dicebant illi his Tribubus, hoc unum eſt, videlicet ne ſecedatis a nobis. Hoc ipſum dicebat Sanctus hic Antiſtes apud indociles, atque ut poneret gladium non præſtolabatur aliud quam reſponſum æque ſincerum ac illud Tribuum, de quarum fide oborta erat ſuſpicio. Tulit ille quidem rigidas ſententias per Jeſu Chriſti potentiam, ut olim S. Paulus, ſed non aliud illi verſabatur animo, quam ſalvare animas, & membra bene valentia, a putreſcente ulcere præſervare. Allocutus eſt ille Præſules illuſtres Confratres ſuos, ſed ut tanquam Moyſes ſe conjungeret cum illis omnibus qui erant Domini, neque abnuit cum Rebellibus communicare, niſi quatenus verebatur, ne ſe objiceret terribilibus minis, quas Dei Filius in Apocalypſi intentat piis Epiſcopis, ea tantum de cauſa, quia in Eccleſiis ſuis tolerabant viros, & mulieres, quæ erroneam doctrinam profitebantur: *Pater Candidus Chaleppet Recollectus in funebri Oratione Cardinalis de Mally.*

Character Paſtoris boni, & mercenarii.

Bonus, & verus Paſtor actus Spiritu J. C. per ſe aſſumit quidquid ſeveritatis habet Chriſtiana morum diſciplina, ovibuſque ſuis reſervat quidquid habet indulgentiæ, charitatis, lenitatis. Ipſe ad unguem incipit exercere, quod traditurus eſt ovibus ſuis. Quin exaſperet officia ſatis aliunde auſtera, quæ a fratribus ſuis exigere debet, mallet potius in eorum gratiam legitima invenire lenimenta legis in ipſa lege: aliis eam tantum imponit neceſſitatem, a qua citra prævaricationem diſpenſare non poteſt, nec aliis imponit, quod ipſe ſolus geſtare non poteſt. Malus autem Paſtor econtra nullam in Evangelio cognoſcit indulgentiam, niſi pro ſe; cupidus, ignavus, iners, ſenſibus ſuis addictus, exuit oves ſuas, illas inutilibus laboribus, atque indiſcretis mortificationibus obruit. Conſilia in præcepta illis commutat, totaque ejus ſanctitas in eo ſita eſt, ut alii ne latum quidem unguem a regula ſecedant. Qui vero intueretur macerationes, & auſteritates, quibus infirmiores opprimit, diceret, penes illum jus eſſe per inflictas aliis piaculares pœnas propria peccata expiandi. Ex his characteribus cognoſcite hypocritas, & eorum facta evitantes vobiſmetipſis cavete ab æquiſſimo anathemate, quo Jeſus Chriſtus eos percellit. *Ex libro cui titulus Morales novi Teſtamenti per P. la Neuvilla Tomo 4.*

Tenetur Eccleſia vim facere, ut Sanctus hic vir Epiſcopatu accipiat. Cyprian. Epiſt. 52.

Sanctus N. diu ſummum renuit Pontificatum, neque illum accepit, niſi poſtquam Eccleſia ſanctam vim in eundem exercuit: *Non ut quidam, vim fecit, ſed ipſa vim paſſus eſt, ut Epiſcopatum coactus acciperet.* Audite Pontifices, audite populi, qui eligitis, vel qui ordinatis Epiſcopos. Eligendus eſt ille, qui vocatus renuit, & conquiſitus latebras quærit. En quid dicat Carolus Magnus, qui præ cæteris Principibus Eccleſiæ rebus ſtuduit: *Profecto indignus eſt Sacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus.* Epiſcopi electio ſuſpicione non vacet, cum vim ibi fieri non expectat. *Panegyricus Sancti Mathiæ P. Senault. Tomo 1.*

Si verum eſt Sacerdotio, & Epiſcopatu indignum eſſe, qui non invitus illud aſſequitur, quis jactare poteſt ſe rite electum eſſe eo tempore, quo ambiuntur beneficia, quo nihil feſtinamus, ac turpius requiritur quam Eccleſiaſticæ dignitates, quo Principum virorum favor captatur ad illas obtinendas, & quo obſidentur Miniſtri ad eas per aſſiduas importunitates extorquendas? Diſcite ab Eccleſia Matre veſtra, eos, qui cupiunt beneficia, nocentes eſſe coram Deo, eos qui illa petunt, nocentes eſſe coram hominibus, & eos, qui per alios petunt, alios ſecum habere velle nocentes. Neque in medium afferatis illa S. Pauli verba ad excuſandam ambitionis veſtræ injuſtitiam: *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* Nam præterquamquod Epiſcopatus optari poterat eo tempore, quo illi adnexum erat Martyrium ſecundum S. Gregorii Magni ſententiam: *Tunc laudabile fuit Epiſcopatum quærere, quando qui plebibus præerat primus ad Martyrii tormenta ducebatur.* Quis neſcit, ſimulac Apoſtolus in nobis deſiderium accendit, omnem ſpem nobis abſtuliſſe, & ubi præclaras illius nobis dotes deſcripſit, ut nos alliceret, præſentaſſe etiam pericula, ut nos deterreret? Si Epiſcopatum reſpicitis, Epiſcopi qualitates conſiderate; & ſi primi illius vos amor perſtringit, alterius vos terreant conditiones. Apoſtolus vult Epiſcopum eſſe irreprehenſibilem. *Oportet Epiſcopum eſſe irreprehenſibilem.* Eſt ne aliquid in perſona tua reprehendendum? ita ne perfectus es, ut omni non labe ſolum, verum etiam ſuſpicione careas? *Sobrium.* Es ne ſobrius tu, cujus Deus venter eſt; qui gloriam tuam in eſca, & potu conſtituis, & qui ideo ambis beneficia, ut menſæ tuæ ampliores ſumptus efficias? *Pudicum.* Caſtus es? qui ſemper in cœtu mulierum verſaris, & qui eas ſequeris ad Theatrum, qui eas ne in Templis quoque deſeris, ut Dei Filius qui reſidet in Altari, teſtis ſit impudicitiæ tuæ, & in furore iracundiæ ſuæ tibi dicere poſſit: *Etiam Reginam vult opprimere me præſente in domo mea? Prudentem.* An prudens es qui tuam lædis exiſtimationem, atque conſcientiam, ut conſtituas fortunas tuas, qui præfers terram Cælo, & qui te præbes mancipium nobilium, ut fias Epiſcopus populorum? *Ornatum.* Numquid ornatus es virtutibus, ut Apoſtolus exigit; & habes ornatus interiores, qui animam Deo jucundam efficiunt; tu qui comptior es mulieribus, omnemque locas operam in cæſarie calamiſtris colenda, & negligis animam tuam, quæ eſt Creatoris imago? *Doctorem.* Denique Doctor es, qui nunquam Sacra legiſti Biblia: qui ea nomine tantum cognoſcis Eccleſiæ Patres, & qui Sanctum Paulum contemnens de Cathedra veritatis loqueris tantum de Seneca, vel Ariſtotele? Ex toto hoc ſermone diſce, quandoquidem nullam habes Epiſcopi qualitatem, te citra injuſtitiam minime poſſe ad Epiſcopatum anhelare, at te anhelantem eandem dignitatem, quam non mereris, te tuum dedecus, tuamque perniciem conquirere. *P. Senault in Panegyrico S. Mathiæ. Tomo 1.*

Qui ambiunt directe vel indirecte beneficia indigni ſunt Eccleſiaſtica dignitate.

1. ad Tim. 3.

In ſecunda parte Paſtoralis c. 8.

Eſther c. 7.

Epiſcopis bella pro Religione ſunt dimicanda.

Verum eſt, Epiſcopis dimicandum eſſe pro Religione. Hi ſunt vigiles poſiti in excubiis ſuper muros Jeruſalem, quibus neque interdiu, neque noctu tacendum eſt. Sunt magni Sacerdotes Domini, & doctores exercituum ejus, qui ut olim Judas Machabæus acceperunt Sanctum gladium ad evertendos inimicos populi Dei, & Levitæ ſub eorum auctoritate in prælii partem deſcendunt. Horum conatus fulciunt Principum poteſtas, a quibus Eccleſia jus habet petendi ſuppetias, & quas digne petit per Pontificis ſummi verba ad Regem. *Præſtare, dilectiſſime Fili, præſtare una nobiſcum pro Domini cauſa tuenda: & vi brachii tui coge inimicos, ut ad officium redeant, qui receſſerunt a nobis, & qui tam manifeſta præbuerunt pertinaciæ ſuæ documenta.* Vos autem, Auditores, cogitatis ne inutiles eſſe Sanctorum horum præliorum ſpectatores? Nonne vobis etiam dimicandum eſt pro Religione, palam illius negotium, & gloriam procurantes, ac publice profitentes, vos Cathedræ S. Petri, & Corpori primorum Paſtorum inhærere; ſedulo evitantes nexus, & lectiones, quæ fidei veſtræ integritatem valent corrumpere; veſtra utentes auctoritate ad infringendos pravos ſermones; elevantes manus veſtras adinſtar Moyſis, & offerentes Deo ſacrificium veſtrorum operum bonorum, ut illius benedictionem ſuper labores Sacrorum Miniſtrorum detrahatis? Ita vos decertare & licet, & decet quin vinci metuatis: quippe Religio efficit ſemper, ut triumphent illi, qui pro ipſa dimicant, cujus rei documento eſſe poteſt Sanctus noſter Antiſtes. Hic in prælio fortitudine plenus, ſimulque viſus eſt in triumpho cumulatus gloria. *P. Candidus Chaleppet in funebri Oratione Cardinalis da Mailly.*

Paſtor ſe ipſum reſpicere debet tanquam patrem prælatum ſuis, & ipſe ei ſpiritualis ac temporalia bona ſubditis ſuis indigent.

Eccleſiæ Miniſter non ſolum Paſtor, ſed & Paterfamilias eſt. Hujus autem curam gerat. 1. Seſe accommodet prudenter neceſſitatibus componentium illam. 2. Ne quærat de eorum ſubſtantia ſaginari. 3. Nullam ex officii ſui partibus negligat, aut contemnat. 4. Omnes, & ſingulos peramanter excipiat, nunquam utens cum illis ſeveritate, niſi prius lenitate nihil proficiat. Quod ſcandalum, & quæ calamitas Eccleſiæ tuæ Deus! Si qui illi nomine tuo præſunt abjicientes viſcera charitatis erga filios tuos præferant ſuperbum Domini titulum ſuaviſſimæ qualitati Paſtoris, & Patris. *Ex Morali Patris la Neuville. Tomo 4.*

Dome-

*Quid faciendi Paſtoribus æquam celeſtis Patrisfamilias œconomis.*

Domeſtici Patrisfamilias generatim ſunt omnes Chriſtiani, quibus ille contentus eſt, dummodo ſibimet invigilent. Ejus Œconomi ſunt Paſtores, & illi omnes, qui aliquam habent in Eccleſia auctoritatem. Neque ſatis eſt his vigilare, ne ipſi incidant in manus inimici; debent etiam eſſe *fideles, & ſapientes*. 1. Fideles erga Deum, quem vereri debent, cujus negotia, & gloriam debent procurare cum ardore, firmitate, conſtantia, etiam cum jactura quietis, libertatis, & vitæ, 2. Sapientes autem erga populum Dei, quem adducere debent in vias ſalutis publicis, privatiſque eruditionibus. Fidelitas, & ſapientia Paſtoris petit, ne quis in eo tantum quod neceſſarium eſt immoretur; ſed ne quid omittat eorum quæ utilia eſſe poſſunt ad perfectionem ovium ſuarum; ne quid illis abſcondat omnium veritatum, quibus capiendis ſunt pares, ſed illis annuntiet Moralem Jeſu Chriſti diſciplinam quoad late patet, inveſtiget Dei ipſius de ovibus ſuis conſilia, ad ea deregenda illis præſtet opem, & ad illa fideliter perficienda ſuadeat, hortetur, inflammet. Væ igitur Superioribus, ac directoribus ignavis, cupidis, inertibus, quorum vitio animæ illis concreditæ aliquod ex officiis ſuis ignoraverint. Hujus ignorantiæ rationem erunt reddituri. *Idem*.

*Paſtor paſcere debet gregem ſuum quatenus Pater ſpiritualis, & temporalis.*

Paſtor paſcere debet gregem ſuum, quatenus pater filiorum ſuorum. Tu hac duplici indutus es qualitate erga eos omnes, quos Providentia curæ tuæ credidit; ſedulo igitur hoc munus adimple. Frange omnibus panem verbi: hoc quidem nonnullis ſatis eſt, ſed non deſunt alii, quibus debes præterea panem magis phyſicum. Hæc duplex eſca tibi duplex injicit munus; quorum alterum nequaquam minus eſt altero neceſſarium. Primum explebis per eruditionem, altero autem nonniſi per eleemoſynam defungi vales, quæ etiam par eſſe debet. 1. Facultati tuæ. 2. Alienæ egeſtati. Viſne in re adeo delicata ſcire quouſque ſeſe tua extendant officia? dicam. Cum Paſtor cujuſcunque tandem ille ordinis eſſe potuit, ſecundum Mundum, ſibi ſumpſit, quod neceſſe eſt ſecundum leges frugalitatis, & chriſtianæ modeſtiæ, ut decenter vivat eo in ſtatu, in quo illum conſtituit Eccleſia, ea quæ ſuperant proculdubio ad pauperes ſpectant. Aliter cogitare falli eſt. Aliter de bonis ſuis diſponere, interire eſt. O Deus illumina quæſo hac in re mentem miniſtrorum tuorum, ſed præſertim inflamma cor, illud tua replens Charitate. *Ex libro cui titulus, Moralis novi Teſtamenti Patris la Neuville. Tomo 4.*

*Paſtor ſemper ſibi cavere debet, & gregem ſuum regere ſapienter.*

Paſtor debet ſemper eſſe vigilans, & expectare Dominum ſuum; ubi ceſſet, ſimilis eſt malo œconomo, qui ſibi perſuadet herum ſuum abeſſe, & diu abfuturum. Hæc eſt omnium criminum cauſa. 1. Abuti per ſuperbiam ſpirituali auctoritate ſua. 2. Negligere per ignaviam officia ſua magis eſſentialia. 3. Superbe, duriuſcule & per impotentiam regere eos, quibus præeſt. 4. Amare, quærere, ſibique procurare omnes vitæ voluptates. 5. Affectare præ cæteris eniteſcere & intumeſcere propter honores ſuæ delatos dignitati. Hæc ſunt, dicit S. Hilarius, mala, in quæ certiſſime ruit Paſtor, qui ſolet Dei judicium reſpicere, tanquam maxime diſſitum, & qui diuturnam ſibi vitam pollicetur. Bone Deus! quam facile eſt in hanc incidere illuſionem! E contra vero quam arduum eſt ab eadem ſibi omnino præcavere! *Ibidem*.

*Comment. in Matth cap. 26*

*Væ populis duces cæcos habentibus, eorumque exempla ſequi cupientibus.*

Populus infelix, qui pro duce cæcos habet! Et longe infelicior, ſi illos illuminatos credit. Miſeri duces! Sed longe miſeriores ſi amaverint cæcitatem ſuam, ac lumini prætulerint tenebras! Malum ipſorum omni prorſus caret medicina, & inevitabilis pernicies eorum, quibus ſe duces præbent. Non poteſt Deus terribilius nobis oſtendere ſignum iræ ſuæ, adverſus familiam, Eccleſiam, Communitatem, quam cum illi ducem præficit vel ſeductorem, vel ſeductum. Quod ſcandalum, quæſo, gignet corpori univerſo, cui præeſt, niſi animæ, ac nimis credulæ oves tandem aperiant oculos, & videant periculoſi ducis hujus imperitiam, præſumptionem, atque nequitiam? Ne credas, Domine, oves tuas niſi Paſtoribus ſatis oculatis, ut detegant præcipites greſſus, quibus ſeptæ ſunt; ſatis ſtrenuos, & fortes, ut illas avertant, licet natura ipſa, & animi propenſione eo ferantur. *Ibidem*.

*Quænam eſſe debeat charitas Paſtorum in populos!*

Amor proprius efficit, ut ad vivum ſentiamus mala noſtra; charitas autem facit, ut malis fratrum noſtrorum magis, magiſque afficiamur. Hæc medicinam ſollicite inquirit, eamque a Deo humiliter petit. Paſtor, qui agnoſcit ſpiritum J. C. & eodem repletus eſt, ſincere amat gregem ſuum, reſpicit tanquam filios ſuos eos omnes, qui componunt illum. Paternus amor pro illis loquitur inceſſanter: tanquam ſibimet factum putat, quidquid boni accidit ovibus ſuis; eorum infirmitatem indulgenter excuſat; earum vitia patienter tolerat, earum errores leniter corrigit; in gaudii ipſarum partem accedit, earum dolore dolet, omnibuſque neceſſitatibus conſulit. Itane vos geritis cum iis, quos Deus curis veſtris ſubjecit? Si pro illis minus foves ſenſus hujuſmodi, jam non es verus paſtor; ad ſummum paſtor es mercenarius adhærens gregi non teneris quidem charitatis amplexibus, ſed duris vinculis cupiditatis. *Idem*.

*Obices, qui prohibeant ne Eccleſiæ miniſtri peccatoribus afferant medicinā.*

Modicum fidei, & charitatis, vel defectus attentionis in Eccleſiæ miniſtris ſæpe ſoli obices ſunt, qui peccatorum ſaluti adverſantur. Hoc his quidem grave malum eſt, ſed longe graviſſimum illis, ac terribile argumentum judicii. Sola in ſuperiori re inertia crimen eſt, quod ſufficit illius damnationi. Propheta non aliud objicit crimen calamitoſis hiſce Paſtoribus domus Iſrael, qui a Domino damnati fuerant, niſi quia oves ſuas negligebant: *Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abjectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat, non quæſiſtis*. Hæc reprobationis illorum cauſa eſt: nonne igitur & noſtræ cauſa erit? Sunt animæ morbi, qui Apoſtolorum miniſterio curantur; ſunt quos curat ſolus Jeſus Chriſtus: hi ſunt affectus quidam vitioſi, & inveterati. In hoc igitur ſtatu ad illum confugite liberandi. Sed opus eſt, ut ad illum vos adducat humilitas, oratio, mortificatio, fiducia. *Idem*.

*Ezechiel. 34. 4.*

*S. Petrus exemplo eſſe debet aliis Paſtoribus.*

Quemadmodum S. Petrus futurus erat Eccleſiæ caput, voluit illum, & cum illo reliquos Paſtores docere quomodo pati deberent infirmitatem eorum, quibus erant præficiendi, neque obſtupeſcere propter lapſus illorum, ſed cum lenitate eos relevare, eiſque parcere cum charitate cogitantes in quæ mala ipſi etiam ruere poſſent. Si Petrus non peccaſſet, zelus ejus pro fidelitate, quam debebat Deo, nimis acer, ac violentus fuiſſet. Non cogitaſſet humani cordis imbecillitatem, quod oblivisci poteſt officiorum omnium. Horum officiorum juſtitiam ſolum reſpexiſſet, & horrorem ingratitudinis a ſubditis contra Regem, a captivis redemptis contra redemptorem ſuum, & a filiis contra Patrem ſuum perpetratæ. Alii paſtores ſibi imitandam eſſe illius ſeveritatem credidiſſent; & ſicuti peccatorum numerus major eſt, quam juſtorum, rebelles occalluiſſent in defectione ſua, ubi pœnitentiæ januam ſibi interclusam vidiſſent. *Godeau. In elogiis Epiſcoporum in S. Petri elogio.*

*Jeſus ex S. Petro ac ſucceſſoribus ejus petit magnum erga ſe amorem, qui complectitur cæteras conditiones Paſtori neceſſarias.*

Jeſus a S. Petro magnum petit amorem, quia illum conſtituere vult in loco, ubi ille maximis erat laboribus exercendus. Jeſus non interrogat illum de luminibus mentis ejus, non de ſcientia, prudentia, conſtantia, patientia, non denique de temperantia, juſtitia, puritate, quæ virtutes ſunt in Paſtore neceſſariæ. Quærit tantum ab eo, utrum ille ipſum amaret præ omnibus ſodalibus ſuis. Amor enim complectitur reliquas omnes conditiones, quas Paſtoris munus requirit. Qui enim amat Jeſum Chriſtum, amat Eccleſiam illius, ſponſus enim amari non poteſt, niſi ametur & Sponſa. Itaque cum illam nactus eſſet fœdam, proſtitutam, atque infidelem, effudit ſanguinem ſuum ad abſtergendas omnes illius maculas, ad tollendas rugas, eamque formoſam, omnibuſque dotibus abſolutam efficiendam. Paſtor, qui gregem ſuum amat, non ſolum in eo omnem impendit ſpiritum, curam, ſcientiam, experientiam, tempus: ſed prodigit etiam valetudinem, & vitam ſuam, ut illum paſcat, agat, tueatur, quæ tria ſunt officia paſtoris. Diligite ergo Paſtorem ſummum, ſubalterni Paſtores, & amabitis oves veſtras ſicuti amandæ ſunt, eritiſque illis duces fideles, ſtrenui defenſores, prudentes nutritii, teneri, veriqué Patres. Ita conquiretis deerrantes in ſepta reducturi. Ita non fatigabimini præbituri illis eſcam verbi, & eſcam earum infirmitati congruentem; & quæ illas nutriat, non quæ delectet, quæ earum bonam ſervet valetudinem, non quæ earum guſtui ſatisfaciat. Ita illas mundabitis, quæ ſe coinquinant; ita alligabitis vulnera earum, quæ ſunt ſauciæ, quin earum vulnera horreatis. Ita in vitam revocabitis, quæ mortuæ ſunt. Ita vita earum glorioſum fiet veſtræ dilectionis trophæum. Ita amor veſter omnia cum diligentia, ſapientia, pace, & gaudio procurabit. Ita digni eritis nomine, & honore veſtro, qui ille ipſe eſt, ac Filii Dei. *Idem*.

*Sanctus N. adlaboravit ut impugnaret Ethnicos eoſque confunderet.*

Sanctus hic vir adlaboravit, ut emundaret gregem Jeſu Chriſti, plures annos antequam illum duceret. Ethnici reſiſtere non poterant vi verborum illius. Philoſophia illi cedebat arma: quocunque acumine contra hunc illa diſputaret, ſemper ſuperata rubore ſuffundebatur. Sectas omnes æque pudebat. Vario armorum genere cum illis certabat; ſed ubique ſimilis erat victoria. Populi victos iis ſe videbant argumentis, quibus ſibi utendum eſſe arbitrabantur ut vincerent; & doctrinæ illius nihil opponere poterant niſi pertinaciam, & cæcitatem ſuam. Ubi ſe in Petri Cathedra conſpexit, ſibi magnum hoc exemplar propoſuit ad imitandum. Succedens illius dignitati, voluit etiam illius zelo, & charitati ſuccedere. Quid illum facere non coegit hic zelus? Quid hic amor non peperit? Nihil illi erat moleſtum, nihil ſupra vires eximii hujus Paſtoris. Interdiu noctuque laborabat, ut gregem, quem coegerat, paſceret, eumque novarum ovium acceſſione augeret: bene valentes alebat pabulo verbi Evangelici, earumque bonam valetudinem roborabat. Curabat ægrotantes, & non horrebat putridiſſima earum ulcera. Errantes conquirebat, vel prohibebat, ne errarent. Infirmitati debilium ſemet accommodabat: inſolentium vim ſtrenue coercebat. Denique ſe omnia omnibus præbebat, ut omnes Chriſto lucrifaceret. Dæmon in illum quotidie ciebat ſexcentos fere obices; ſed cum difficultatibus, calumniis, injuriis, contumeliis illius fortitudo creſcebat. Carcer, fames, ſitis, paupertas erant illi in deliciis. Cum infernus ſe illum ſtraviſſe putabat, tunc ſe victum, proſtratumque videbat. *Idem*.

*Eccleſia tanto indigebat Paſtore.*

Ut Eccleſiæ navis regeretur inter fluctuum, quibus agitabatur, æſtum, opus erat gubernatore æque callido,

& ſtre-

re, qui illam regeret, & tueretur.

& ſtrenuo, qualis fuit Sanctus N. Zelus illius æque fuit ſapiens, & ardens. Non expavit perſecutionem; neque ulla in occaſione illi ceſſit; verum neque provocavit illam per imprudentiam. Veritatem propugnavit, ſed ita ut nullam et conflaret invidiam. Fortis fuit, non pervicax. Severitatem habuit religioſam, non autem ſuperbiam. Nulla in re ſibi pepercit; aliis vero compatiebatur. Oves ſuas gerebat in corde, ut afferret illas in cor Jeſu Chriſti. Præſules omnes tanquam Magiſtrum ſuum conſulebant, & tanquam Patrem colebant. Ubi aliqua difficultas incidiſſet, ejus reſponſa ab illis tanquam oracula habebantur. Hac autem utebatur auctoritate, cum de Eccleſiarum tranquillitate agebatur. Poſt tot initas pro Evangelii defenſione pugnas, voluit Martyrii coronam. Confirmavit mortis ſuæ conſtantia adhortationes, quas ovibus ſuis propoſuerat de morte alacriter, conſtanterque ſubeunda ob tuendam Supremi Paſtoris gloriam. Præbuit illis exemplum fidelitatis ab ipſis obſervandæ, & ſignavit ſanguine ſuo veritates, quas iis prædicaverat. Memoria ejus ſancta fuit in Eccleſia, quæ illum ad hodiernum uſque diem tanquam unum ex illuſtrioribus Præſulibus veneratur. *Elogium Sancti Irenæi Domni Gedeau in libro cui titulus, Epiſcoporum elogia.*

Sanctus hic Præſul habebat omnes neceſſarias dotes, ut digne Pontificis munus obiret.

Poſt inſignia humilitatis documenta, quæ Sanctus hic Præſul ediderat, dubitandum non erat, utrum dignitas Epiſcopalis illi ſuperbiæ ſenſus immitteret. Nimis procul aberat a laqueis, quos illi Mundus nectere poterat, ut incidere poſſet in Dæmonis laqueos: e contra illi objici non poterat infenſior inimicus. Non deerat illi ſcientia, ut illum confunderet; non eloquentia, ut impugnaret; non ſapientia, ut vinceret, non fortitudo, ut de eo triumpharet. Sed quid dico? Illum jam vicerat: omnibus pompis ejus jam abrenuntiaverat; eum ſe in ſtatum adduxerat, ubi illum jam metuere non poſſet. Exempla jam prædicationi præceſſerant. Pauperior erat illis, quibus paupertatis amorem prædicaturus erat. Sæculi honoribus ſe abdicaverat antequam aliis eorum perſuaderet contemptum. Cruci jam adhæſerat, antequam de Jeſu Crucifixo loqueretur. Longius proceſſerat, quam alios vellet adducere. Epotarat fæces Calicis, quem aliis delibandum tantummodo porrigebat. Denique difficillima Evangelii conſilia exercuerat, antequam doceret præcepta. Attamen, ubi populi conſilium perſpexit, ſe conjecit in latebras. Adeo plena erat illi cognitio Sanctitatis, quam Sacerdotium poſtulat, ut ſe hoc dignum exiſtimare non poſſet. Contremuit, & expavit ad intuitum Cathedræ, quæ illum ſuper fratres attolleos per dignitatem, exigebat, ut ſuper illos magis, magiſque per virtutem ſe attolleret. *Idem in elogio S. Cypriani.*

Ratio habenda ab Epiſcopis erga eos, qui adverſus Eccleſiæ auctoritatem rebelles ſunt.

Quamcumque ſeveritatem adhibere teneantur Epiſcopi, ut illos impugnent, qui fidei puritatem corrumpunt, & contra Eccleſiæ auctoritatem rebellant, opus tamen eſt, ut pati ſciant, & in ſummo zeli ſui æſtu ſemper patientiam nullis perturbandam tumultibus tueantur. *Prædica verbum*, dicebat S. Paulus Timotheo diſcipulo ſuo, *inſta opportune, importune, argue, obſecra, increpa in omni patientia.* Et Sanctus hic Apoſtolus Apoſtolatus ſui gloriam conſtituebat tam in magna patientia, quam præſtulerat ſemper, quam in miraculis, quæ fuerat operatus. Fatebimini, Auditores, Præſulem, cujus admirati eſtis certamina, non minus patientem, quam fortem extitiſſe, & hunc primum illius triumphum fuiſſe. Quam durum eſt Præſuli oppoſitionem, ac renitentiam invenire in fidelibus, quos illi ſubjecit Deus, & qui illum obſervare deberent, ejuſque mandata faceſſere. Quam durum eſt Paſtori non poſſe revocare in ſepta oves, quas ſuper humeros ſuos geſtare cupit? Quam durum Patri videre filios paternam deſerere domum, ut in longinquam abeant regionem miſeram ibi vitam ducturi? En quid perferendum fuit illi, qui per antonomaſiam fuit Epiſcopus, Paſtor, & Pater. *F. Candidus Chalippes in Oratione funebri Cardinalis de Mailly.*

Omnes actiones ſancti N. reſponderunt vocationi ejus.

Quemadmodum particularis Dei vocatio conſtituerat Sanctum N. in Cathedra Epiſcopali, ita vitæ ſuæ ſanctitas ſanctitati ſuæ Miſſionis reſpondit. Fuit virtutum omnium Epiſcopalium exemplum, iiſque monaſticæ profeſſionis ſuæ virtutes adjecit. Eltas erat zelo ſuccenſus, contra cultum Idolorum, qui in Patria ſua dominabatur. Evertit illa & prædicationibus, & miraculis ſuis in Diœceſi ſua, & in finitimis Provinciis. Nullum invenirem finem, ſi aggrederer omnia vobis exhibere prodigia, quæ operatus eſt, ut Jeſu Chriſti Fidem plantaret. Illuminavit cæcos, mutis vocis uſum reſtituit, infectos lepra mundavit, ſuſcitavit mortuos, liberavit energumenos, Idolorum templa ſuis orationibus evertit. Attamen ſæpe Diſcipulis ſuis confeſſus eſt, ſe poſt Epiſcopatum pauciora edidiſſe miracula, quam ante. Sed actiones miniſterii ſui, quibus tanto cum lumine, & pietate perfungebatur, totidem erant miracula. Unus homo nequaquam par videbatur qui ſolus tot, tantaque operaretur. Itaque non erat ſolus; ſed gratia Dei erat cum illo, & hæc oſtendebat per illum potentiam ſuam in cor hominum. Nulla erant corda ita dura, quæ verba ejus non emollirent, vel ejus exempla non flecterent. *Idem elogium S. Martini.*

Zelus, & amor ſancti

Sanctus hic Antiſtes in zeli ſui motibus acer adeo, & accenſus, talis erat, qualis S. Auguſtinus nobis exhibet generoſum S. Stephanum Diaconum. *Clamabat, & amabat. Sæviebat in illo Charitas. Sæviebat, & ſalvos fieri volebat. Non eſt victa charitas in eo.* Paternum cor iſtud plenum erat lenitate, tunc etiam cum verba fulminum inſtar ſæviebant. *Lingua ferox; cor leve.* Iraſcebantur homines eo quod reſpondere non poſſent ſapientiæ, ac ſpiritui, qui per os ſuum loquebatur. Intus diſrumpebantur, atque fremebant, donec tranquillitas animi naturalibus ejuſdem gratiis cæleſtem adjiciens pulchritudinem efficiebat, ut os ſuum eniteſceret ipſis videntibus tanquam facies Angeli; in qua nulla interiorum affectuum nubes dignoſcitur. *Et intuentes eum ... viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli. P. Candidus Chalippes Recollectus in funere Card. de Mailly.*

hujus Præſulis erga populum.

Sanctus N. ante ſpecū ſe ſequit, ut Epiſcopale ſolium aſcenderet.

A puero Magnus hic Sanctus ſeceſſit in deſertum ut baptiſmatis ſui tueretur innocentiam, quam pluribus obſeſſam periculis videbat, ſi domi ſuæ maneret. Hic futurus erat plurimorum ſpiritualium filiorum pater; & Deus cum illo egit non ſecus ac cum Abraham, quem omnium credentium patrem cupiebat efficere. Illum igitur eduxit de patria, & de familia ſua, ut habitaret non quidem terram alienigenam cum magnis opibus, ſed ut viveret potius in tumulo, quam domo homini congrua. Ibi plures tranſegit annos in auſteritate, quæ ſine peculiari ope gratiæ Dei, ne ad paucos quidem dies ferri potuiſſet. Cum in eo totus eſſet, ut ſtadium ſuum abſolveret, ac ſeſe Deo ſacrificaret per pœnitentiam, Angelus illum admonuit, ut egrederetur ex deſerto, ac in urbem conferret ſe, ibi J. C. ovibus præficiendus. Viſio hæc humilitati ejus ſuſpicione non caruit; eamque repulit tanquam illuſionem Dæmonis, educere illum quærentis de ſolitudine, & inſpirantis illi deſiderium Epiſcopatus, quo ſe indignum putabat. Credidit Angelum tenebrarum ſe in Lucis Angelum convertiſſe, ut ex eo eliceret quamdam Epiſcopatus cupiditatem. Repetita viſio illum inducere non potuit, ut ſpecum relinqueret, ubi conſtituerat Tabernaculum ſuum, ibi mortem præſtolaturus. Quo magis Epiſcopalem Cathedram conſiderabat, eo magis perhorreſcebat, cognoſcens illam undique ſeptam periculis. Verum cum cæli nuntius tertio illi Dei explicuit imperium, tunc ſibi parendum eſſe duxit. Reliquit igitur rupem ſuam non ſine gemitibus, ſuſpiriis, & lacrymis, ex quibus facile erat cognoſcere, quam ſibimet ipſi vim afferret. *Idem Elogium S. Amphilochii.*

Sancti Præſulis mors.

Sanctus hic Præſul incidit in morbum, cui tota Medicorum ars fuit inutilis. Preces nihil obtinuerunt; denique obiit; at immmuta ne fuit ejus gloria? Quænam eſt mortis ejus cauſa? Jugis illius applicatio, vividique ſenſus Eccleſiæ cauſa? En quid vitæ illius ſpatium ſuccidit; quod ſaluberrimum temperamentum, ac robuſtiſſimum, diuturniſſimum fore pollicebantur. Quomodo mortuus eſt? In lectulo honoris; arma tenens manibus: dicam potius palmam. Non vivebat niſi per Jeſum Chriſtum, & propter Eccleſiam: *Mihi vivere Chriſtus eſt.* Mors non fallebat illum, immo illi fores ad beatam immortalitatem aperiebat, & cum Apoſtolo dicere poterat: *Et mori lucrum.* Noſtra erat, Auditores, jactura! heu, quæ jactura! theſauri, quem ſæcula beatiora nobis inviderunt, & quem diutius nos poſſeſſuros eſſe ſperabamus. Vobis vero peculiariter, erat jactura Paſtoris ſuaviſſimi, qui ſumma vos charitate complectebatur, licet a nonnullis minus diligeretur, tanquam S. Paulus; & pro Eccleſia univerſa ſtrenui propugnaculi, quod æque merebatur ac Judas Machabæus, ut clamaretur: *Quomodo cecidit potens, qui ſalvum faciebat populum Iſrael? Oratio funebris Cardinalis de Mailly per P. Candidum Recollectum.* 1. Mach. 9.

Populus educit Sanctum noſtrū de ſolitudine ut eum ſibi in Epiſcopum eligeret, & quomodo offenderit ſe dignum hoc munere.

Nuntium electionis Sancti noſtri incuſſit illi terrores Mortis: primum quidem jejune reſpondit ſe uxorem duxiſſe ſolitudinem, & eam deſerere non poſſe: hominem in ſylvis innutritum aptum non eſſe vivendo in urbe magna: tantum gregem, quantus erat in illa Eccleſia, expoſcere Paſtorem, qui tantum experientia valeret, quantum robore. Sibi utrumque deeſſe. & cum nondum ſatis didiciſſet imperata facere, non ferendam eſſe ejus inſaniam, ſi imperandi locum eripere vellet; Ad ſummum ſe nolle, ut illis gratificaretur objicere ſeſe periculo incidendi in tentationem, & in laqueos diaboli. Rationibus preces adjecit, obteſtationes, & lacrymas. Sed inutiles fuere, & vi extractus fuit ex cella adducendus in urbem, ubi populus excepit illum tanquam Angelum de Cælo dilapſum. Ordinatus fuit in Epiſcopum, & in ipſo ſui Epiſcopatus exordio palam innotuit eum vere a Deo vocatum fuiſſe. Applicitus fuerat navis gubernaculo, antequam remum attigiſſet; ſed patuit illum eſſe Nautam eximium antequam remigio applicaretur. Fluctus, qui inſurrexerunt in eum, non terruerunt illum. Illis oppoſuit animum ſatis firmum citra ſuperbiam, zelumque ardentem citra pertinaciam. Retinuit ſemper in menſa, in cubili, in ſupellectili Monaſticæ vitæ auſteritatem. Eo quod conditionem mutaverat, minime cenſuit mores ſibi eſſe immutandos, immo e contra totus in eo fuit ut illos puriores efficeret, atque innocentiores. Ex quo Epiſcopus factus eſt, cœpit agere pœnitentiam pro peccatis ovium: ſentiebat mala, quibus illæ non afficiebantur. Donec illæ deglutiebant velut aquam, iniquitatem; hanc ipſe lacrymarum ſuarum aquis eluebat.

bat. Guſtabant illæ peccati voluptatem, guſtabat ipſe medicinæ amaritudinem. Severitas ſua non reddebat hunc in ipſo aditu moroſiorem, ac difficiliorem. Hanc in ſe uno exercebat; in alios vero ſancta utebatur indulgentia, qua infirmus erat cum infirmis, iiſque facultatem faciebat omnes ſibi ſuas infirmitates aperiendi. *Godeau in Elogio S. Eucherii in libro cui titulus: Epiſcoporum Elogia.*

Amor, quo S. hic Epiſcopus Regem ſuum proſequebatur cogebat illum ut inſpiraret omnes virtutes dignas Rege.

Sanctus hic Epiſcopus perfecte conciliavit Dei, & Principis ſervitutem. In diœceſi ſua omnia eximii Paſtoris munera adimplevit. Nunquam viſus fuit Antiſtes adeo pius, vigilans, ſapiens, ſuavis, ſtrenuus, & chaſtitate refertus: neque aula unquam hominem vidit adeo conſtantem, & minime cupidum rebus in omnibus. Tenera dilectione Regem complectebatur, ſed dilectione Epiſcopali, quæ illum ſollicitum efficiebat cæleſtis potius, quam terrenæ magnitudinis. Inſpirabat illi omnes Chriſtiani Principis virtutes, & apud illum miſeris omnibus favebat. Auctor erat illi, ut peccata ſua redimeret eleemoſynis, atque ad Regni dignitates attolleret, non eos quidem qui per ambitum illas quærebant, ſed qui erant digniores. Arcebat a domo ipſius omnia mala, quæ illuc adrepere velle videbantur, eamque muneris ſui auctoritatem religioſam efficere conabatur, prout loci natura, ac temporum conditio poterant pati. Communicato cum aliis Epiſcopis conſilio, ſalutaria, ac ſevera ſtatuit edicta in eos, qui Regis nomine bona Eccleſiaſtica uſurpabant; & qui Principum gratia Epiſcopatum aſſequebantur. Hanc aſcendendi viam ſemper abhorruit Eccleſia; Sed hominum ambitio non ſemper rationem ſequitur. *Idem in Elogio S. Germani Pariſienſis Epiſcopi.*

Licet Sanctus hic evectus eſſet ad Epiſcopalem dignitatem, ſemper ſervavit ſpiritum pœnitentiæ.

Ordinationis gratia invenit in hoc Sancto viro veterem hominem jam mortificatum; attamen non ceſſavit, quo minus ex eo novum hominem faceret. Effudit illa nova lumina in mentem illius, novoque igne voluntatem ejus accendit. Ex humili pœnitente ſtrenuum, atque magnanimum Præſulem fecit. Nihil de primis auſteritatibus dimiſit. Eadem ſemper fuerunt ejus jejunia, eædem vigiliæ, iidem cubiles, potus, eſca, quies. A domo ſua ejiciebat quidquid ſuperfluum erat, quidquid luxum, ac delicias ſapere videbatur. Ad clerum ſuum, qui ab ipſo repertus fuit abnormis, & exlex, prædicavit regimine vitæ ſuæ prorſus frugi, ac integerrimæ. Laici flagitioſis, ac perditis libidinibus peraditi in actionibus ejus viderunt cenſuram libidinum, ac flagitiorum ſuorum. Hæc quidem conjuncta erat cum vi prædicationum ſuarum; ſed ſola licet illis terrorem, ruboremque injiciebat. Poterant quidem ejus eloquentiam violentiæ nomine redarguere, quaſi fictitiis uteretur lenociniis ad trahendas eorum mentes, atque decipiendas. Sed nihil objicere poterant bonis ejuſdem exemplis. Prodigi ſimul & avari in ſumma ejus erga pauperes largitate habebant documenta recti uſus opum ſuarum. In hac erga egenos cura, nullum ſervabat modum. Amor ejus erga ipſum Eccleſiæ Caput nullis erat terminis circumſcriptus, quomodo vero amor erga membra aliquos ſibi poterat conſtituere? Uſus eſt ille re adhuc integra ſuavitate correptionum, ut Eccleſiaſticos ſegnioſos ad officium revocaret. Sed ubi ſe nihil proficere ſenſit; ac ſe timidum haberi, vocarique audit, omni uſus eſt auctoritate, ut cogeret imperio. Neque reveritus eſt conditionis amplitudinem; neque illorum gratiam expavit in loco, ubi erat alienigena. Minas eorum contempſit, illos detruſit in carcerem, aliiſque ademit beneficia, quibus abutebantur. *Idem in Elogio S. Norberti Magdeburgenſis Epiſcopi.*

Sanctus N. domum ſuam reformare incepit antequam regeret diœceſim.

Sanctus hic diœceſim ſuam reformaturus initium duxit a reformatione, ac regimine domus ſuæ, a modeſtia ſupellectilis ſuæ, a menſæ frugalitate, domeſticorum verecundia, & pietatis exercitatione. Dici poterat, ejus vita jugis eſſe ad populum prædicatio. Profecto toto cælo potentior eſt, quam ipſa verbi prædicatio. Virtus in cor populorum ingreditur per oculos potius quam per aures. Fides eorum non magis ex auditu, quam viſu pendet. Epiſcopus eſſe poſſet purus ad inſtar Angeli; ſi domeſtici ejus fuerint libidinoſi, populo nunquam perſuadebit pudicitiam, vel huic ſuſpicio orietur, quod Præſul ſecreto indulgeat vitio, quod patitur in ſuis, vel illum palam inſimulabit negligentiæ, & arguet in illo defectum charitatis, quam debet ſuis. Pravum exemplum illis loco erit vel legis, vel excuſationis. Sancti noſtri familia fuit Seminarium optimorum Sacerdorum, & Sanctorum Epiſcoporum. Ubi per omnem Italiam percrebuit fama diſciplinæ, quæ illic ſervabatur, complures viri nobiles in eam admitti concupierunt, ut ad Eccleſiaſticam pietatem ſe formarent. Ille potius Pater erat, quam Dominus. Cura, quam gerebat eorum, qui in inferiori familia cenſebantur, ne quid illis ſeu bene valentibus, ſeu ægrotantibus deeſſet; amor, quo ſingulos complectebatur, lenitas, qua illos corrigebat, innocens erat illecebra, qua illos ſibi lucrabatur, ut lucraretur Deo. Vita illius erat ſeveriſſima. Extremis ejuſdem annis pane tantum veſcebatur, & potabat aquam, in paleis cubabat. Nunquam calefaciebat ſe, & modicum temporis ſpatium ſomno impendebat. Sed nolebat aliquem ex domeſticis, licet Sacerdotio inſignitum, hanc imitari auſteritatem. *Godeau in Elogio S. Caroli Borromæi.*

Paſtor ſuperare debet oves ſuas virtute.

Paſtor, qui regat oves, ſanctior eſſe debet ovibus ſuis. Deus, optime inquit S. Gregorius Nazianzenus, voluit eſſe in Eccleſia ad quem pertineret gregem paſcere, & alios eſſe, qui nati eſſent, ut paſcerentur, ac ſe regi permitterent. Hoc ipſum præter propter in humano corpore deprehenditur. Homo partibus conſtat, quarum aliæ regere debent, aliæ regi, & quæ ordinem minime ſervant, niſi quatenus obediunt. Qui imperant, habita ratione illorum, qui obediunt, id ſunt, quod anima ratione corporis. Sed ad imperium hoc ſatis digne exercendum, qualitera affectos eſſe nos decet? Illi ſolum, S. Gregorius ait, merentur primas in Eccleſia ſedes habere, qui cæteris virtute præſtant, qui facti ſunt amici Dei, & qui cum illo arcta adeo neceſſitudine conjuncti ſunt, ut dici queant adepti quamdam cum Deo ſpeciem familiaritatis. *Sermo de vita Eccleſiaſtica D. Lambert. Tom. 2.*

Vita ſolitaria Filii Dei ſimulque vita publica Sancti N. & Epiſcopalia eadem munera.

Dei Filius vitam duxit privatam, & vitam publicam; eam vero, ut ſeſe hujus functionibus præpararet. Venerat enim in Mundum, ut homines ſanctificaret. Per Sanctitatem ſuam, ſemetipſum in ſe colligebat, ſed per charitatem egreditur ex ſe, ac ſe totum impendit pro humani generis ſalute. Hoc documentum eſt Epiſcopis, qui ad illius imitationem ſeſe in Deo recipere debent, ut Sancti, ſed qui curam impendere debent gregibus ſuis, ut Charitate referti. Sunt Soles diœceſum ſuarum. Non ſecus ac Sol conjungit in ſe calorem cum lumine, & non illi ſatis eſt coruſcare, ſed omnia vivificat: Ita illis ſatis non eſt omnium virtutum exempla præbere; effundant opus eſt ſuos influxus in gregem, paſcant illum, nutriant, tueantur. Epiſcopalis gratia eſt gratia effuſionis. Canticorum Sponſa dicit, Sponſi ſui nomen eſſe thymiama effuſum. Thymiama in ſe continere debet odorem bonum; ſed retinere illum non debet, exhalare opus eſt, & ſeſe effundat in omnes locos, qui illum debent recipere. Beatus N. erit vas pretioſum vitali hoc odore repletum; eumque ſtatim in omnem diœceſim effudit. Miniſtri Evangelii, S. Auguſtinus ait, ſunt veluti montes, qui pacem recipiunt: videlicet divinam illuſtrationem, ut colles, qui ſunt populi, recipiant juſtitiam. Hi ſunt rivi, illi autem fons, & ſi non diffluunt, rei ſunt ſterilitatis animarum, quæ niſi irrigentur, nihil producere poſſunt. Ita prima Sancti hujus Noſtri Præſulis cura fuit illuminare, & expiare Sacerdotes ſuæ diœceſis. *Idem, in elogio S. Franciſci Saleſii.*

Paſtores enitescere debent virtutis ſuæ præſtantia ſuper cæteros.

S. Ambroſius perſpicue, ac pathetice explicat neceſſitatem, in qua verſantur Paſtores eminendi inter fideles cæteros virtutum ſuarum præſtantia. Incipit autem proponens exemplum veterum Philoſophorum, & ait primis illis Sapientibus hanc fuiſſe opinionem, videlicet, opus eſſe, ut illi ſuper alios attollerent ſe virtutum praxi. Putat autem S. Ambroſius, philoſophos hos mutuatos fuiſſe nobiles hujuſmodi ſenſus ex Sanctorum Codicum lectione. Ibi obſervatur, populum ſubſtitiſſe ad montis radices, Sacerdotes ad montis hujus verticem evaſiſſe: & Moyſem ſolum in nubem ingreſſum fuiſſe. Diſtinctio adeo belle connotata accuratius eſt obſervanda; videlicet, neceſſe eſt, ut Paſtores ſemoti ſint a populo. Quomodo ſemoti? Per vitæ ſanctitatem, per agendi regularitatem, per morum gravitatem. Paſtoris dignitas pondus eſt; hæc ingentes injicit obligationes. Qui illa inſignitus eſt, ſibimet diligentiſſime invigilare debet, & efficere, ut vitæ ſuæ ſanctitas reſpondeat celſitudini ſuæ dignitatis. Quomodo populus non revereatur Paſtorem, in quo nihil nanciſcitur, quod obſervantiam, ac obſequium non mereatur? *Lambert. Tomo 3.*

Dei Filius nihil intentatum relinquit, ut revocet oves ſuas deerrantes.

Divinus Salvator nihil inauſum, atque intentatum relinquit, ut omnes deerrantes oves ſuas revocet. Ille ipſe eas quærit, ut cogat. Vult illas in meliora deducere paſcua; ego illas requieſcere faciam, inquit ille. Ecce quo pacto Paſtor bonus agit cum ovibus ſuis, quæ jam perierant, & ad quas perquirendas ipſe deſcendit. Non utitur ille minis, neque acribus correptionibus exprobrat illis errorem. Lenitas, clementia, gaudium eo quod eas revocaverit, ſuadent illi agendi modum longe officioſiorem. Relevat eas, quæ ceciderant, imponit eas humeris ſuis, ut illis ambulandi laborem auferat, alligat vulnera earum, quæ ſauciatæ fuerant. Quis pater magis tener, quis Paſtor ſollicitior? Quis medicus ad miſerationem propenſior? Peccator poſt hæc, quantumlibet deerraverit, quantumvis nocens fuerit; poteſtne non confidere in tanta talis Salvatoris miſericordia? Sed debet ne ille aures obſtruere voci adeo boni Paſtoris? Debet in erroribus ſuis occalleſcere? debet detrectare reditum in ſepta poſt tot a Deo benevolas invitationes, ſollicitationes, ac impetus gratiæ? Si Dei bonitas erga populum certo incomprehenſibilis eſt, nunquid facilius comprehendi poteſt nequitia, & impia pertinacia peccatoris, ſuam converſionem differentis? *P. Croiſet in Aſceticis. Tomo 1.*

Lenitas, & ſive Paſtoris, vel directoris habent ſingulæ illuſiones ſuas.

Lenitas habet illuſiones ſuas æque ac ſeveritas: in animarum regimine ſæpe pro effectu charitatis deſumitur id, quod re ipſa eſt affectio prorſus humana. Superior, Confeſſarius, non poteſt tantum habere charitatis, quantum ſatis ſit erga illos, quos curis ejuſdem Providentia commiſit: ſed ſua erga illos benevolentia nunquam illum impellere poteſt, ut divinis obluctetur conſiliis, ut eorum in-

eum interpellet, ac perturbet ſacrificia, & chriſtianæ mortificationis uſum interdicat. Prohibendus eſt etiam, & cohibendus pœnitentis zelus, cujus auſteritates corporales ſunt immodicæ, & palam adverſantur valetudini, quæ ad alia munera obeunda eſt neceſſaria: quod vero ſpectat ad mortificationem mere interiorem, deferendus eſt interiori Spiritus Sancti conſilio, & inflammandus ad illecebras gratiæ ſequendas. Mortificatio, quæ affligit carnem, aliquando modum poteſt excedere; nonnunquam ergo eſt coercenda: quæ autem crucifigit mentem, & cor, nunquam nimia procedere poteſt. Vana igitur miſeratio eſt ejus, qui illi terminos velit præſcribere. *Moralis novi Teſtamenti P. Neuvilla tomo 4.*

Vis, & robur Sancti Præſulis in Eccleſiæ decertantibus ſuſti nendis.

Satis admirari non poſſumus Sanctum hunc graviſſimos labores ſubeuntem ad ea ſuſtinenda, quæ in Conciliis ſtatuit Eccleſia. Quinam Sancti hujus Epiſcopi mœror videntis turpes artes, quibus utebantur hæretici ad fucum erroribus ſuis allinendum? Cor illius dolore conficitur, cum intuetur progreſſus hæreſeos, & victorias, quas referebat. Magna quidem illius conſtantia fuit inter veritatis hoſtes, in ipſis ædibus Cæſaris errori patrocinantis ſeſe offerre, adverſarios provocare, & admirabili vi cauſam ſuam perorare. Sanctus hic, licet ſolus, timetur a multitudine adverſariorum. Hi non audent oblatum inire certamen. Calumnia, conſueta eorum arma qui ſuam ſentiunt imbecillitatem, adhibetur, ut in Patriam dimittatur, ubi pro meritis exceptus fuit ille, qui adeo generoſe pugnaverat ob tuendam veram fidem, atque, ut S. Gregorii Nazianzeni verbis utar, contumelia, quam illi ſtuduerunt inferre inimici, in majorem ceſſit illius laudem, quam gloria univerſa ab eodem relata. *Idem.*

Cura Paſtoris erga gregem aſſidua eſſe debent, & ingentes.

Paſtoris ſollicitudo nullis finibus continetur, & ſicut Deus nihil majus ei credere potuit quam animarum ſanctificationem; mirum non eſt, ſi ab ea requirat ingentes curas, quæ modum ſuperare videantur: & ne ille oſcitetur; ne incidat in negligentiam, ac ſibi præſcribat finea, peculiares ſibi leges irroget, ac ſibi in quadam complaceat mediocritate, quæ minime decet hominem, cui tanta hæc provincia demandata eſt; Deus profitetur, ſe omnia velle ab eo, quæcunque facere poteſt; & opus eſt, ut laboret, vigilet, oret, gemat, corrigat, corripiat, moneat; quandoquidem illi dixit Deus, illum nunquam perfuncturum munere ſuo, niſi nihil inauſum, atque intentatum reliquerit, ut medeatur malis fratrum ſuorum, eoſque in officio contineat. *Ex Regula Sancti Benedicti. Tomo 2.*

Paſtor nunquam præſumere poteſt ſe coram Deo juſtificatum eſſe, niſi omnia ſua obierit officia.

Nefas eſt Paſtorem ſibi præſumere ſe jam in aliquo Tribunali in quo omnia ad unguem diligenti indagine perquiſita ſunt, jam juſtificatum fuiſſe: ſed quiſnam eſt, Auditores, qui facit quodcunque poteſt, qui adhibet quidquid habet virtutis, fortitudinis, ac potentiæ ſine ulla exceptione? & quiſnam ſincere dicere poteſt; feci, quod potui: & in hoc nihil mihi ſum conſcius? Ut quis hoc dicat, opus eſt, ut Superior nihil videat in doctrina ſua, & documentis, quæ tradidit, quod abhorreat a puritate regularum, & ſe eorum omnem veritatem, atque latitudinem earum expreſſiſſe; opus eſt, ut fratres illius in ejuſdem actionibus nihil deprehenderint, quod ipſos non ædificaverit, vel quod ejuſdem monita, ac hortamenta in ſuſpicionem revocare potuerit. Opus eſt ut ſedula ſit illius vigilantia, ut omni tempore teſtis eſſe potuerit vitæ eorum, & apud eos ſibi conciliare obedientiam amoris per ea, quæ ipſis tradidit charitatis erga illos ſuæ monumenta. *Ibidem.*

Vivendi ratio nonnullorum Paſtorum, qui dedecorant ſanctitatem characteris ſui per negligentiam.

Populus in Paſtore non videt niſi modicum virtutis; immo in eo gravia deprehendit vitia. Hic Paſtoris character contemnitur. Si populus eſt nocens, Paſtor eſt multo nocentior. Si ſanctiſſimum ex omnibus characteribus in perſona illius dedecore afficitur, ſuccenſeat ille ſibi, ſuæ negligentiæ, & morum ſuorum intemperantiæ. Paſtor igitur ſupra cæteros virtutum ſuarum fulgore debet eniteſcere. Paſtor ſeipſum exprobrare debet, cum in grege aliquem invenit diligentiorem ſe, majori zelo ſuccenſum, magiſque ſuis officiis intentum. Paſtor, qui alios excitare deberet, opus habet, ut ipſe excitetur. Donec Paſtor languet in mollitie homo ruſticus, ſimplex femina zeli ſui fervore in parœcia pietatis ſpiritum fovebit. Hoccine eſt præire gregi, quomodo neceſſario Paſtor tenetur? Tantum abeſt, quod talis Paſtor aliis præcedat, ut vere dici poſſit, tunc in oculis Dei eſſe noviſſimum omnium. Nihil igitur eſt characteris titulo primum eſſe, niſi primus ſit virtute. Quo magis vos veſter attollit character, eo magis voſmet dedecore afficitis, cum ordinis veſtri dignitatem nitenti, boniſque operibus repleto vivendi genere non ſuſtinetis. *Lambert. Tomo 1.*

Satis non debet eſſe Paſtori bonum exemplum præbere, opus eſt etiam ut verbo populos erudiat.

Si Paſtor ageret ſolum, & redigeret ſollicitudinem ſuam ad ſimplicem actionem, ſeque diſpenſaret a verbi prædicatione; exemplum aliquid efferet nimis jejunum; actio ſola non ſufficeret; poſſent quidem illud ſequi, & imitari nonnulli mortales duri, vel craſſiores. Sed ægre, & vix ſibi conciliaret fidem eorum, quibus acrior eſt ſpiritus, lumen, & intellectus; & niſi illis oſtenderet facti ſui rationem, bonum, atque utilitatem, quam illa producere poteſt, præſertim vero cum agitur de viis remotioribus ab uſu communi, & oppoſitis omnibus naturæ propenſionibus, non conſequetur unquam, ut illam amplectantur in iis, quæ ſenſibus repugnant; quæ communi conſuetudini, ſenſibus omnibus, omnibuſque humanis affectionibus adverſantur: Ad id autem aut validiſſimis rationibus opus eſt, aut miraculis. S. Bernardus vult etiam ut verbum accedat voci exempli; videlicet, ut hæ duæ diſpoſitiones ſimul occurrant in Paſtore, ſibique manum mutuo præbeant. Nullus, ait ille, ordo eſt aut ſpecioſior, aut utilior, quam ut primus tu geras onus, aliis a te imponendum. Exemplum quod per actionem præbes, documentum eſt vivum, & efficax, & haud ægre perſuades mihi, quod doces, ubi ex operibus tuis video fieri poſſe, quod jubes. *Ex Regula S. Benedicti tomo 1.*

Quantum ſit temeritas Paſtoris abutentis poteſtate quam ſibi contulit Deus.

Non eſt ulla temeritas par temeritati Paſtoris abutentis poteſtate, & jure, quod illi contulit Deus loquendi de juſtitia ſuis, ubi negligit opere implere illa, quæ docet. Hoc eſt Dei veritates polluere; hoc eſt oſtendere, illas contemni; hoc eſt illis omnem abrogare fidem apud eos, quibus illas audes prædicare: hoc eſt anſam præbere Deo aliquando dicendi: *Serve nequam, de ore tuo te judico.* Luc. 19. 22. Illud vero terribilius, & quod Superiores vix animadvertunt, eſt, quod illi non ſui tantum ſceleris pœnas dabunt, ſed illas etiam quas meritæ fuerint omnes animæ, quibus illi locum, cauſamque præbuerint interitus. Quid reſpondebitis, dicit Spiritus Sanctus Paſtoribus per Prophetam, cum grex veſter inſurget in vos, & exprobraverit vobis, eo quod illas in perniciem veſtram edocueritis? *Ibidem.*

Quid faciendum Paſtori, ut præſervet animas a malis omnibus impendentibus ſuis.

Quid facere poteſt Paſtor zelotes, & fidelis gloriæ Domini ſui; vel potius quid illi faciendum non eſt, ut præſervet has animas ab omnibus malis, quæ illis impendent? Quam invenire poteſt requiem, ubi illas jamjam videt perituras? Nonne oportet, ut indeſinenter invigilet, ut dies noctesque impendat, ut inceſſanter laboret, ut exhauriat quidquid virtutis, ſpiritus, rationis, lacrymarum habet; ut occurrat, & avertat quidquid illis nociturum eſt? Et ſi tanto afficitur dolore, quanto debet, cum Apoſtolo dicat: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* 2. Cor. 11. v. 29. Sentiet ille non ſolum eorum morbos phyſicos, & reales; ſed eos etiam, qui illis accidere poſſunt, quaſi ſi jam adeſſent: Denique ſi oculi ejus indeſinenter invigilaverint his animabus, quarum illi cura concredita ſuit, ſibi ſemper illa applicabit verba, quæ dicta fuerunt a Principe Paſtorum: *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael.* Pſalm. 120. Addam etiam pauca, Auditores, vobiſque dicam; S. Benedicto magnam fuiſſe cauſam loquendi de hoc munere, tanquam de re moleſta, & laboribus plena; nam opus eſt, ut Paſtor proprie loquendo ſit famulus tot capitum quot illi ſubjecta ſunt: nemo enim eſt, a quo minime pendeat, & cui peculiarem aliquem famulatum non debeat. *Idem.*

Quodnam ſit miniſterium Paſtorum, & eorum officium.

Paſtores illi ſunt, quorum miniſterium eſt regere populum Dei, quales ſunt Epiſcopi, & ſub illis curati, aliique ſuperiores, quibus animarum cura demandata eſt. Doctores illi ſunt, qui docent, & explicant veritates Religionis: Apoſtolus hic Doctores cum Paſtoribus jungit: nam licet aliquis eſſe valeat Doctor, qui Paſtor non ſit; nemo Paſtor eſſe debet quin ſit ſimul & Doctor; quandoquidem præcipuum Paſtoris officium eſt gregem ſuum edocere. Sanctus Paulus alibi perſpicue ait, opus eſſe, ut Epiſcopus ſit etiam Doctor: & hortatur Timotheum diſcipulum ſuum, quem Cretæ conſtituerat Antiſtitem ut invigilet ſibi, & doceat alios, atque in id fortiter, & conſtanter operam collocet. Omnes hæ diverſæ gratiæ, quas Jeſus Chriſtus communicavit ſecundum menſuram, quæ ipſi placuit, illis, quos ſuos miniſtros in Eccleſia conſtituit, non illis tantum datæ ſunt propter ſe, verum etiam propter alios. Omnes laborent, opus eſt, ſinguli pro modulo ſuo, ut perfectas reddant animas, quæ ipſis creditæ ſunt; & hoc pacto conſtruant Corpus Jeſu Chriſti efformantes partes omnes, ex quibus conſtare debet. Naturale corpus fit, atque perficitur formatione, & perfectione omnium membrorum illius. Eccleſia corpus eſt ſpirituale Jeſu Chriſti; fideles omnes illius membra ſunt. Apoſtoli, Prædicatores, Paſtores efformant hæc membra convertentes homines vel ad fidem, vel ad meliorem frugem; illos autem perficiunt docendo, ſuſtinendo, confirmando: & ut verbo me expediam, adducendo eos ad Sanctitatis, & perfectionis ſtatum, ad quem illos Deus deſtinavit. *Annus Chriſtianus. Tomo 6.*

# PRO COMMUNI CONFESSORUM, EREMITARUM.

## M O N I T U M.

*DUO in Eccleſia fuere genera eorum, qui in ſolitudinibus vixere in ipſis primis Chriſtianæ Religionis initiis percelebres: quorum primi Anachoretæ, vel Eremitæ vixere in ſylvis ab omni hominum conſuetudine ſemoti, quales fuerunt Antonii, Hilariones, Pauli, aliique id genus plurimi, qui Ægypti, Palæſtinæ, ac Thebaidis deſerta frequentarunt &c. Alteri vero quibus inditum eſt nomen Cœnobitarum incolentes non procul ab oppidis vixere ſub obedientia Abbatis, & religioſam ſociabilemque vitam duxerunt: ſed procul ab hominum conſuetudine, ut vacarent contemplationi, & mutuo ſeſe ad ſerviendum Deo animarent; terrenis rebus parum adeo occupati perinde ac in remotiſſimis deſertis habitarent.*

*Eccleſia quamplurimos habuit duplicis hujus generis Eremitas, qui ſublimem aſtruxerunt conceptum Religionis Chriſtianæ, & ſenſibilia argumenta ſanctitatis vitæ illius, quam profitetur. Satis eſt conſulere quid S. Hieronymus, S. Joannes Chryſoſtomus, Caſſianus, aliique Patres ſcripſerunt de utroque genere vitæ, ut liqueat, nunquam rerum copiam deeſſe poſſe illi, qui aggreſſus eſt ſcribere elogium alicujus ex his Sanctis ſingillatim. Opera tamen pretium eſt animadvertere, ſi pauci ſunt, quorum celebratur Elogium, ac feſtus dies recolatur in tota Eccleſia, prope infinitos eſſe, qui ſeſe per ſolitudinem ſanctificare inceperunt; & qui illius amorem, atque deſiderium ſervarunt; cum inde fuerunt edocti, ut populo ſubvenirent, ſicut S. Bernardus, S. Franciſcus Paulanus, & alii, qui poſt vitam propalam actam, quam tumultuoſam vocaverunt, illuc reverſi ſunt. In hiſce collectaneis hoc nobis propoſuimus, præter ea quæ in hoc argumentum collegimus Tomo quarto Bibliothecæ Moralis titulo de ſolitudine, ex quo uberrima depromi poteſt rerum copia ad Sancti alicujus Solitarii Panegyricum elucubrandum.*

---

## PRO COMMUNI CONFESSORUM, Eremitarum.

Quomodo auctus eſt numerus imitatorum vitæ abſconditæ Salvatoris.

PRimis Eccleſiæ ſæculis viſi ſunt imitatores vitæ abſconditæ Salvatoris; Numerus deinceps auctus eſt decurſu temporum propter perſecutiones, quibus fideles in deſerta loca fugam capeſſere cogebantur. Illic ſapientes hi profugi fiebant Sancti Anachoretæ; & antra, in quibus delitéſcebant, fuerunt tanquam prima Religioſorum cœnobia. Sed cum ibi ſeſe martyrio præpararent & carnifices illuc ſæpe ventitarent, ut avulſos a ſolitudine raperent ad ſupplicium: non poterant coaleſcere, quod deinceps factum eſt, neque vitæ monaſticæ eam formam tribuere, quæ ſubſequentibus ſæculis inolevit. Tunc Eccleſia pacata vidit filios ſuos agere triumphum de ſæculi voluptatibus per victricem fugam Tyrannorum horum blandientium, atque adulantium, qui crudelibus, barbariſque Tyrannis ſucceſſerunt; atque tunc deſerta, ubi videbantur undique veſtigia glorioſorum J. C. Confeſſorum, qui illa incoluerant frequentia facta ſunt Eremitis, qui coeuntes in corpora ſub probatis capitibus, exactiſſimis obſervatoribus diſciplinæ regularis, non minus profuerunt ad fidem extendendam per exempla pietatis, quam Martyres ad eam confirmandam per zelum ſuum, atque conſtantiam. *Ex Specimine Panegyricorum Tomo* 1.

Idea, quam nobis formare debemus abſolutiſſimi Eremitæ.

Fingite vobis animo imaginem Eremitæ omnibus virtutibus cumulatiſſimi; vobiſmet exhibete virum, ne leviſſimis quidem cupiditatis impreſſionibus obnoxium, nullis ſuperbiæ ſenſibus pervium, nullis voluptatum illiciis flectendum, ab omni avaritiæ labe immunem, nullis iracundiæ ſubitis motibus perturbandum, & acutiſſimis calumniæ jaculis invium. Fingite vobis ſpiritum ſemper tranquillum inter contemplationis delicias, vel ſemper in charitatis officiis vigilantem, cor diviſum inter raptus amoris ſui in Deum, & motus zeli ſui in proximum: corpus indefeſſæ charitatis inſtrumentum aut jugis pœnitentiæ victimam: oculos omnibus ſæculi pompis clauſos; os divinis laudibus ſemper apertum, manus ſemper ad opem miſeris ferendam paratas, viſum calcantem pedibus mundum devictum, carnem ſubactam, illuſos dæmones. Conſiderate illum medium in Sanctorum manu ad idem exemplar efformatorum. Imagini vitæ prorſus ſanctæ accedat imago mortis Angelicæ, quam comitatæ, & ſecutæ ſunt omnes circumſtantiæ, quæ reddere poſſunt hominis memoriam omnibus ſæculis venerabilem; hæc tabula eſt Sancti N. perfectuſque Eremitarum prototypus. *Specimen Panegyricorum Tomo* 1.

Societas, & ſolitudo licet oppoſitæ inter ſe, ſingulæ ſua habent merita.

Utrum ſocietas ſit ſolitudini præferenda, an ſolitudo ſocietati, difficile judicium eſt. Solitudo quidem eſt comes innocentiæ, ſchola pietatis, theatrum in quo Deus maxima operatus eſt miracula; hic ſecernit a mundo hominem, cum illum vult reddere illuſtrem; & ex hoc loco, unde omnis abeſt rumor, educit Moyſem, qui regat populum ſuum; Eliam, per quem puniat inimicos ſuos, & Joannem Baptiſtam, qui prædicet pœnitentiam, & peccato bellum indicat. Inde tandem eduxit Unigenitum ſuum, cum illum tradere voluit cognoſcendum mundo, & notas facere in Judæa virtutes ejus, atque miracula. Sed quaſcunque laudes ſolitudini tribuamus, fatendum eſt ſocietatem magis eſſe naturalem, utilem, & acceptam hominibus. Magis naturalis eſt, quia homo natus eſt, ut cum hominibus converſetur, & verbum illi datum eſt, ut cum aliis ineat neceſſitudinem. Utilior eſt, parit enim abundantiam, & ſecuritatem inter homines, ab illis prohibet terræ ſterilitatem per laborem, & ferarum vim mutuis auxiliis. Eſt etiam hominibus gratior, quoniam conſtituit maximam vitæ noſtræ ſuavitatem, ac ſola omnibus malis noſtris remedia ſuppeditat. Si enim rudes ſumus, erudit, ſi infirmi, confirmat; ſi mœrore confecti, conſolatur, & nobis ea reparat bona, quæcunque per ſcelus amiſeramus. Quapropter qui ſocietatem deſerunt, ut in ſolitudinem ſe conjiciant, vel admodum generoſi ſunt, vel admodum temerarii; nihil enim horrentius eſt, quam hujus deſerta; nihil triſtius ſilentio, nihil terribilius paupertate; Neminem habet cum quo colloquatur, neminem, qui recreet, neminem, qui conſoletur. Antra quæ illi homines auferunt, non alios iiſdem comites parat, quam Tygrides, & quacunque ſpe ſolitudo Eremitas alliciat, eos frequentius dæmonum perſecutioni, quam Angelorum objicit conſolationi, *Ex Panegyricis Sanctorum Pater Senault. Tomo* 1.

Vita quam in eremo ducunt Solitarii.

Verum eſt dicere noſtrum Eremitam nullam in deſerto habuiſſe conſolationem. Sibi inhabitandum terræ centrum delegit: ibi nonniſi tabidum aerem reciprocat, nonniſi ſerpentes videt, non audit niſi bubones, & virtus ejus omnibus abſcondita teſtes non habet niſi Angelos, qui, non ſecus ac homines, illius obliti fuiſſe videntur. In deſertis vero filios genuit; his vitam dedit, cum mortuus eſt mundo; & Eremita hic, qui non erat amplius homo, factus eſt Pater illuſtris poſteritatis. Si in ſolitudine ſua adeo præclaram nactus eſt ſocietatem, in humilitate ſua non minorem honorem aſſecutus eſt. *Idem*.

Omnes mundi vanitates contempſit.

Sanctus N. ab infantia omnem mundi gloriam ſuperavit; nuntium miſit honoribus, ex quo voluptates, atque divitias contempſit, delituit in ſolitudine, ut ignotus eſſet omnibus mortalibus; & in deſertum conceſſit gloriam evitaturus, quæ a virtute ſeparari non poteſt. Noluit in ſolitudine ſua aliquem familiarem; ſed nequidquam mundum fallere conatus eſt. Sua illum prodidit virtus, ſua illum merita detexerunt; & cælum in univerſam terram hujus Eremitæ gloriam evulgavit. Quilibet videre voluit Solitarium hunc, qui fugiebat mundum, Anachoretam hunc, cui non alius erat ſeceſſus, niſi ſpecus ferarum, viventem hunc ſepultum cum mortuis, hunc Jonam, qui non triduo ſubmerſus fuerat in abyſſis maris, ſed qui annos complures in viſceribus terræ delituerat. Omnes deſerti illius Echo unum dumtaxat illius nomen iterabant, & nonniſi de virtutibus ejus loquebantur, & populi ex proximis urbibus egreſſi ſeſe conferebant in ſolitudinem, ut teſtes eſſent miraculorum illius. *Idem*.

De zelo, ac regulari vita Sanctorum Eremitarum.

Sancti Eremitæ ſummo veritatis amori adjiciebant vitæ optime inſtitutæ, ac perfectiſſimæ nitorem. Poſtquam ſeſe rebus omnibus exuerunt, & cum mundo crucifixi ſunt, longius proferunt zelum ſuum, propriis manibus operantur, ut lucrentur, unde pauperibus ferant opem: Non ideo quod jejunant, aut vigilant, tota die inertes eſſe

eſſe volunt: ſed noctem traducunt in hymnis, & vigiliis, diem vero in precibus, ac labore manuum, hac in re Apoſtoli zelum imitantes. Si enim cum mundus illum tanquam veritatis Prædicatorem intueretur, voluit tamen operi vacare tanquam opifex, & manibus ſuis operari eo uſque ut noctes traduceret inſomnes lucraturus unde pauperibus opitularetur: quanto magis dicebant ſancti illi viri, nos qui ſolitudine fruimur, & quibus nihil eſt commune cum urbium tumultu, requiem hanc conſecrare debemus labori alicui utili, ac ſpirituali? Nos igitur ſeu pauperes, ſeu divites pudeat, quod cum Sancti hi Eremi cultores, quibus nihil eſt præter corpus, & brachia, ſibi vim inferunt, ut in ſuis laboribus inveniant, ex quo pauperibus præſtent alimenta; nos e contra, quorum domus tot diffluunt bonis, ne ſuperfluum quidem impendimus in miſerorum ſolatium? Quomodonam tantam excuſabimus duritiem? quomodo veniam conſequemur? *Sanctus Chryſoſtomus. Ex Sermone 8. in S. Matthæum Tomo 1.*

*Teſtimonium Sancti Gregorii Nazianzeni in apologia fugæ ſuæ.*

Sanctus Gregorius Nazianzenus poſtquam multa dixit in laudem horum Eremitarum, ita concludit: hæc pars eſt Jeſu Chriſti, hic fructus paſſionum ejus; hoc præſidium veræ Religionis, honor populi Chriſtianũ, mundi columen, & ornamentum, quod pulchritudine non cedit iis quæ pulcherrima, & nitidiſſima in cælo renident. S. Joannes Chryſoſtomus ita loquitur: Qui modo venit in Eccleſiæ deſerta proculdubio ſolitudinem hanc præferet Paradiſo, inveniet illam repletam innumeris Angelorum copiis mortalibus ſpoliis indutorum. Hic caſtra ſunt exercituum Chriſti Jeſu; hic videtur Regius grex, homines divini, qui in terris poſſident omnem Chriſtianarum virtutum perfectionem. Nec minora dicit Sanctus Hieronymus: quia gaudio elatus exclamat: O deſerte, ubi Jeſus Chriſtus pulcherrimos flores ſuos collocavit! O ſolitudo, ubi coaleſcunt, ac cæduntur ingentea lapides illi, ex quibus Civitas magna Regis extruitur, & ubi familiariter agitur cum Deo. Sanctus Auguſtinus poſtquam laudavit Eremitas, ut dictum eſt, gradum facit ad Cœnobitas, de quibus ait: Sin tantum virtutis non eſt, ut vivamus in ſolitudine, quis ſaltem non admirabitur, & non exaltabit virtutem eorum, qui cum mundi voluptates contempſerint, ſimul conveniunt, vitamque ducunt prorſus Sanctam, vacant orationi, ac lectioni, inter ſe colloquentes de argumentis pietatis, quin aliquod præſeferant inania gloriæ, pertinaciæ, aut invidiæ ſpecimen; ſemper modeſti, verecundi, pacati, oſores diſcordiæ, ardentiſſimo amore conjuncti cum Deo; quæ unica res eſt, qua melius illi teſtari valeant ſuam pro tot benefactis gratitudinem. Nemo ex illis quidquam proprium poſſidet; nemo fratribus ſuis eſt incommodus; ſeniores, qui inter illos non ſanctitate ſolum præſtant, ſed etiam divinarum, ſpiritualiumque rerum cogitatione, junioribus præſunt paterna benevolentia, & ſi magnam in imperando auctoritatem præſeferunt, alii non minorem in obediendo oſtendunt docilitatem. *Ex Opuſculis Bellarmini Tomo tertio.*

*S. Joann. Chryſoſtom. homil. 8. in Matth.*

*S. Hier. in Epiſtol. ad Heliodor.*

*S. Auguſt. l. 1. de moribus Eccleſiæ.*

*Bona opera inſignis hujus Sancti in ſolitudine.*

Quis dicere poſſet ea, quæ accidebant in perennibus communicationibus Sancti hujus Eremitæ cum Deo? Quis explicare ardorem ſublimium harum contemplationum, & lumina quibus is donabatur? Rupes, quæ teſtes fuiſtis harum ſecretarum operationum; flumen cui toties immiſcuit lacrymas, quas vel gratiæ ubertas, vel aliena peccata eliciebant ex oculis ejus; ſecreta loca quæ toties profundis illius ſuſpiriis perſonuiſtis, quæ in cælum emittebat propter cæleſtis Patriæ deſiderium, quot, quantaque nobis diceretis, niſi muti teſtes eſſetis? Sed niſi muti fuiſſetis, nequaquam adeo familiares teſtes fuiſſetis ſervorum illius. Eadem quippe humilitas, propter quam nobis cognitionem earum rerum ſurripuit, earundem ſpectaculum vobis eripuiſſet. *Sermo P. Aurelianenſis Tomo 2.*

*Noluit Deus hominis hujus facta nobis eſſe abſcondita, quodcunque Sanctus hic advertebatur. Luc. 11.*

Verum ſi magnus hic Sanctitate vir prohibere non potuit, ut quæ inter ipſum, & Deum acta, tranſactaque ſunt, homines fallerent; prohibere item non potuit, quo minus virtus ſua, quam homines celare non poterant, tantam nominis famam illi conciliaret, quantam merebatur. Non poſuerat Deus in domo ſua facem adeo fulgentem, ut illam teneret ſub modio, ut cum Scripturis loquar; ſed illo invito ſuper candelabrum fuit collocanda, ut totum ſanctum locum illum illuſtraret, & ſuis conſiliis regeret eos, quos ædificarat exemplis. *Idem.*

*Vitæ ratio Eremitarum in deſerto.*

Qui vivunt in ſolitudine procul a rumore, tumultu, & impedimentis Urbium, & qui, ut ita dicam, in portu ſunt a vento, ac procella tuti, licet his nihil metuendum eſſe videatur ad ſalutem, tamen inceſſanter invigilant ſibi, nihilque obliviſcuntur, ut vivant cum ea integritate, quam exigit Deus a fidelibus, atque ut in ſtatu ſint ad illius prodeundi Tribunal. Quos conatus non debet exercere homo, qui amplectitur ſolitudinem, ut ſe ab omni ſorde præſervet, atque ut vitam ducat dignam profeſſione ſua, quæ plus virtutum requirit, quam vita ſæcularium, qui in mundi luce verſantur; quia homines illi majoribus ſunt obnoxii periculis jacturam faciendi innocentiæ ſuæ, niſi ad eam longe majorem curam adhibeant. Eremitæ ab omnibus hiſce curis ſunt immunes. Nemo eos lædit, nemo illis moleſtus eſt, ideoque minime ſibi cavere debent, ne iracundiæ impetu corripiantur. Nemo eos palpat, laudat nemo; ideo non expaveſcunt, ne plauſus ſibi ingerant vanitatem. Non eſt, cur acquirere admitantur prudentiam, pro Eccleſiæ regimine neceſſariam. Licet eum ad id eliguntur, ut ſæpe iſuvenit, & nullatenus parati ſunt, cæſpitant in ſingulos gradus; ambigunt quid ſibi conſilii capiendum ſit, ſæpe, quod eſt deterius amplectuntur. Egent conſilio, & neſciunt ad quem confugiant; deſunt illis neceſſariæ qualitates, ut Sacerdotio fungantur, & eas, quas pro Eremitica viſa ducenda habebant, amittunt. *Ex opuſculis S. Joannis Chryſoſtomi.*

*Sanctus omnia reliquit, ut audiret vocem J. C. illum in deſertum vocantis.*

Ad primam Jeſu Chriſti invitationem magnus iſte Sanctus omnia reliquit, & etiam ſemetipſum, ut illum ſequeretur in deſertum, ex quo ſemel tantum egreſſus eſt, ut martyrium inveniret; ſed hoc non invento, rediit in ſolitudinem tanquam utiliſſimum locum, ubi pugnaret cum mundo, carne, ac dæmone, & ubi ſibimetipſi moreretur per voluntarium martyrium, quod illi populorum omnium conciliavit admirationem, & deſertum in Paradiſum convertit. Quotidie jejunabat in pane, & aqua; non cubabat niſi tectus cilicio; non aliud habebat cubile, niſi humum, neque tectum niſi cælum cujus aſpectus ita illi placebat, ut ſæpe conquereretur cum ſole, qui conſurgens mane, auferebat illi magnum illud ſpectaculum, quod totam noctem fuerat contemplatus. Quadam die vidit mundum retibus, laqueiſque tectum, & quærens, quis tot evitare poſſet pericula, audiit hanc eſſe humilitatem. Præſtans hæc virtus cum oratione, & jejunio conjuncta reddidit illum victorem de dæmonibus, qui eidem ſæviſſimum bellum indixerant, de quo peramanter cum Domino noſtro conquerenti poſt aſperrimi certaminis exitum, apparuit, eique in corde ſuo ſciſcitanti: *Ubi eras, bone Jeſu? Ubi eras?* Reſpondit Jeſus: In te eram, ac te ſtrenue pugnantem videbam; ſed efficiam nomen tuum celeberrimum in univerſa terra. *Vita Jeſu Patris Nevet.*

*Licet primorum fidelium mores relaxarentur, voluit tamen Deus reſervare ſibi Eremitas qui ſub eadem viverent diſciplina.*

Ex ipſis primis Evangelicæ prædicationis ſæculis fidelium mores collabeſcere inceperunt; ſtatim ac ex eorum oculis evanuerunt Apoſtoli, & Apoſtolici viri, memoria veritatum, quas illi docuerant, in pleriſque fidelibus infirmata eſt, & tot, ac tam gravibus confecta fuit vulneribus a filiis ſuis, ut S. Cyprianus affirmare non dubitaverit, ideo obortas fuiſſe adeo violentas perſecutiones; quia Lex Dei diuturnæ pacis tempore corrupta fuerat, & divina ultio ſuſcitavit fidem proſtratam, & quodammodo ſomno ſepultam. Deus tamen, qui nolebat divinum hunc ignem, quem ipſe attulerat in mundum, & quem per prædicationum, exemplorum, & miraculorum ſuorum ſanctitatem ſuccenderat, & flammas corripuerat per labores, & curas Apoſtolorum, & martyrum cruorem, extingui in hac iniquitatis colluvie, ſpiritu ſuo afflavit homines, qui correpti eodem ſpiritu, qui duxit Jeſum Chriſtum in deſertum, ibi vixerunt tanquam Angeli in corporibus mortalibus, ſejuncti a bonis, a parentibus, ab uxoribus, a filiis, & ſibi in partem reſervantes unum Deum delituerunt in ſemotis ſolitudinibus, expoſiti nuditati, frigori, fami, omnibus temporum ſæviſſimorum contumeliis; laudantes Deum in ſilentio, & alienatione rerum omnium quæ poterant illos avellere ab æternarum rerum meditatione; & qui per ſeveriſſimas auſteritates, ardenteſque preces ſocios ſe addidere illis, quos Deus ſibi ſervaverat in mundo, & qui tanta licet, etiam univerſalis graſſaretur corruptio, ſtrenue pro divini nominis gloria dimicabant. En quænam fuerint actionis hujus primordia, & ſublimis hujus ſtatus, quem Sanctus noſter cum tanto fervore ampleaus eſt, & cujus adeo digne replevit officia toto vitæ ſuæ ſpatio. *Ex regula Sancti Benedicti Tomo 1.*

*Quinam ſint fines vitæ ſolitariæ?*

Vita Eremitica non unum habet finem. Quemadmodum, qui amplectuntur illam, vel criminibus graves ſunt, vel ſceleris puri, pro illis quidem ſtatus pœnitentiæ eſt, pro his autem ſtatus probationis, & exercitationis; & utrobique dubitandum non eſt, quin labores, & corporis macerationes utiles ſint, ac etiam neceſſariæ. Nihil Peccatori magis neceſſarium eſt, quam pœnitentia; qui ut ſeſe convertat, in clauſtra ſe recipit. Omnis converſio, ſi vera eſt, ſuſcipienda eſt in ſpiritu pœnitentiæ; ſed nequaquam putandum eſt poſt converſionem, non eſſe ultra opus pœnitentia. Cui tantum accidit malum, ut innocentiæ jacturam fecerit, Deumque lethali noxa læſerit; illi vita ſatis diuturna non eſt, ut in ſemet animadvertat; multoque minus arbitrari debet integram converſionem, perfectamque ſpiritus inſtaurationem unius diei opus eſſe, ad illam non ſine Sacramentorum ope, ſine violentis gemitibus magniſque laboribus pervenire non licet. *Auctor recens.*

*Quomodo S. Benedictus perfecerit ſolitudinem?*

Sub Sancto Benedicto potiſſimum abſolutum eſt opus a Paulis, atque Antoniis inchoatum. Providentia in magno hoc Cœnobitarum Patriarcha collegit virtutes omnes Superioribus neceſſarias, ut conſtitueret illum magni hujus Ordinis caput, ex quo tot alii prodierunt tanquam ſurculi e caudice. Norat ille jugum Monaſticæ Regularitatis ad captum ſuorum diſcipulorum aptare, ut illos deduceret ſecundum illicia diverſarum gratiarum

ad

ad peculiarem perfectionis gradum, ad quem vocati erant. Adjiciens ſemper Evangelicam ſerpentis prudentiam leni ſimplicitati Columbæ, temperabat ſeveritatem obedientiæ cum præcepti ſapientia; & longe alius ab auſteris Phariſæis, qui alienis humeris imponebant onera non ferenda, quæ ipſi ne digito quidem attingebant, auferebat diſciplinæ jugo quidquid oneroſum erat, omne quidem pondus reſervans ſibi, aliis, pro virili parte, impertiens leviora. *Ex Specimine Panegyricorum.*

Infinita reverentia, quam Eccleſia præſtare debet his magnis viris.

Nunquam ſatis honore afficere debet Eccleſia ſummos hoſce viros, qui per inſtituti ſui ſanctitatem aperientes Clauſtrorum aſylum tot animabus, quæ inter mundi ſcandala interirent, ſunt veluti adminiculum, cui Providentia adnectit diſcipulorum prædeſtinationem. Quo autem latius horum arborum rami protenduntur, eo magis diſciplinæ hujus obſervatores multiplicantur; & quo longius abeſt originis eorum vetuſtas, eo majores ſunt fructus, quos ferunt in vinea Domini, plus illis debet Paterfamilias. Juxta hoc principium quænam Sancto N. debentur elogia? Quot Sancti ex hoc ordine in Cælitum album relati celeberrimis Canonizationibus, vel quorum memoria in authenticis faſtis aſſervatur! Quot ſe ipſos ſanctificaverunt in cellularum ſuarum caligine, remotiſve deſertis, non alium teſtem habentes niſi Deum, & qui vitæ ſuæ ſpatio *abſconditi in ſecreto faciei Domini*, magna revelationis die luce amicti fulgebunt! Quot adhuc ſeſe ſanctificant in Cœnobiorum numero, ubi Sancti N. regula obſervatur! Quot tandem animæ laudant, æternumque laudabunt Deum in Cælo, qui æternæ futuræ fuiſſent victimæ ultionum illius, niſi Sancti hujus Patriarchæ inſtitutum illis oſtendiſſet viam, quæ illos ad beatum terminum adduxit! Poſt hæc ſi verum eſt, fore ut qui fecerint, & docuerint, tanquam ſydera in Firmamento colluceant, quibus tandem gloriæ radiis Sanctus N. in cælo fulgebit: quandoquidem quiſquis prædeſtinatorum fuit inter diſcipulos ejus, illum circumſtant, tanquam tot radii, ex quibus conſtat *corona immortalis, quam Juſtus Judex illi præparavit?* Sed ſicut fuit Pater Cœnobitarum, eorundem fuit etiam exemplar. *Ex Specimine Panegyricorum. Tomo 1.*

Plura Solitariorum genera.

Primum exemplum, quod Sanctus N. Eremitarum prototypus reliquerit, eſt quærere ſolitudinem ut ibi Jeſus Chriſtus inveniatur. Sunt ſolitarii quidam moroſi, agreſtes, voluptuoſi, ſuperbi, ambitioſi, oſores hominum, ſibi met ipſis non ferendi, ac ſimiles tetro illi Dæmoni Evangelico deſerta dumtaxat, atque ſepulcreta incolenti. Sunt Solitarii lenes, pudici, mortificati, humiles, ad agendum parati, pleni interiori gaudio, quod ſecum defert gratia; ſemper pro fratrum ſalute ſuſpirantes, vel pro ſua laborantes, qui ab humana ſocietate recedunt, ut vitam ducant Angelicam. Hos Jeſu Chriſti diſcipulos in deſerto, alloquitur Deus: his perfectis imitatoribus vitæ ejuſdem abſconditæ ſe communicat Deus: his cordibus, in quibus jugulati omnes ſæculi affectus nullum amplius relinquunt veſtigium agitationis, atque tumultus, audiendam ſe præbet vox cæli. Cum ille florenti ætate mundum reliquit, nequaquam actus fuit ulla ex ſecretis rationibus illis, quibus nonnunquam mundi ſectatores impelluntur, ut illi extremum vale dicant; non tædio, quod fortunæ caſus pepererit; non mœroribus conceptis ob ea quæ maxime cupiebantur, ſibi negata; non mollitie ingenii moroſi ſocietatem fugientis, ne incidat in contradictiones, quas ſuperbia & amor proprius pati non poteſt; non impotentia explendi latentem ambitionem, aut propulſandi, ulciſcendique illatam ſibi contumeliam. Nulla ex his rationibus Sanctum N. coegit, ut ſolitudinem amplecteretur. Sacrificium ejus purum fuit, & ſine labe; noverat ille, quod

Prov. 15. 8.

*victimæ impiorum ſunt abominabiles coram Deo*, quia cor eorum pollutum eſt. *Ex ſpecimine panegyricorum.*

Qui ſeſe Deo vult devovere debet roborare ſe ſe, ac ſe præparare, ut omnes ſuperet tentationes.

Quicunque vere vult ſe mancipare Deo, ſemet præparare debet ad neceſſariam, ac inevitabilem tentationum probationem. Canis Satanas, qui Eremitas ſequitur in abditiſſima ſaltuum latibula, tanta vi aggreſſus eſt Sanctum N. ut cum tentationis vim ſuſtinere vix poſſet, neque illi ſupereſſet integrum, niſi ſuperior pars voluntatis; quæ in perturbatione, ac tumultu ſenſuum omnium cedentium præbet conſenſum, vel negat. Verum metuens ille, ne ſatis diu in extremo hoc rerum perfugio perſeveraret, invenit in ſolitudine genus quoddam armorum ciliciis, hiſpidiſque ſubuculis potentius adverſum hoſtem, a quo premebatur; & ex illo triumphat novo præliandi genere inter ſpinas, in quibus ſeſe immergit, atque volutat; carnem ſuam ſexcentis vulneribus lancinans, ut ne uno quidem puritas illius ſauciaretur. *Idem.*

Societas habet ſuas illecebras ſed ſimul etiam ſua pericula.

Societas ſua habet pericula, non ſecus ac illecebras ſuas. Sæpe jucunda eſt, ſed fere ſemper eſt nocens; ſi nos conſolatur, corrumpit, ſi nos erudit, diſſipat; ſi ſpiritum excolit, ſæpe debilitat. Nullum fere nobis faciendum eſſet examen, ſi nulla nobis eſſet cum hominibus conſuetudo; & jure ſuo dictitabat Philoſophus cum ajebat ſe plura in hominum converſatione didiciſſe vitia quam virtutes. Sed quamquam tanta non pareret mala, ſaltem fatendum eſt, hanc nos mundo agglutinantem efficere, ut nos e Cæleſtibus avertamus, & creatis admoventem rebus, a Creatore divellere. *Biroat in Panegyricis Sanctorum, Tomo 1.*

Sanctus N. in ſteriori rerum humanarum tumultu interiorē ſervabat ſolitudinem.

In virtute altas jeciſſe radices oportet illum, qui in converſatione diſſipari non vult, & quicunque hanc obtinet vim in ſpiritum ſuum, de Deo cogitandi, ubi cum hominibus agit, næ hic gloriari poteſt ad erectiſſimum ſe perfectionis apicem perveniſſe. Hunc ſane attigerat Sanctus N. per praxim Orationis. Nam licet de deſerto ſuo fuiſſet egreſſus eum mundo converſaturus; & obedientia atque Charitas coegiſſent, ut tot diſcipulorum regimen amplecteretur, & virtus, quæ illum inſignem omnibuſque cognitum reddiderat eum cogeret audire illos, a quibus conſulebatur, tuebatur ſuam in negotiis agendis tranquillitatem, atque inter hominum conſortia ſuam ſolitudinem. Deferebat ſecum deſertum ſuum in oppida; agebat cum Angelis, donec verſabatur cum hominibus, & duo ſimul adeo diverſa munera ſuſtinens ſatisfaciebat ſimul quantum debebat Deo per ſolitudinem, & quantum debebat creaturis per converſationem. Roma gentilis olim admirata eſt unum ex ampliſſimis Civibus

Cic. in Somno Scipionis.

ſuis eo quod *nunquam minus ſolus erat, quam cum ſolus.* Cæterum minime video tantam hanc cauſam hominem admirandi, qui in penetralibus ſuis ſecum cum cogitationibus ſuis colloquitur, & ſeorſim a viventibus cum mortuis verſatur. In ſolitudine omnia facere poſſumus, omnia aggredi; per totum terrarum orbem excurrere licet, quin loco moveamur; diſputare poſſumus cum omnibus Philoſophis, deliberare cum Oratoribus, dimicare cum terrarum Dominoribus in remotiſſimis deſerti latebris; & Solitario nihil facilius eſt, quam abſentes vocare, ſuſcitare mortuos, ut ſolus cum illis verſetur. *Idem.*

Pericula, quibus obnoxii ſunt qui mundū ſectantur, effecerunt, ut Sanctus N. in Solitudinem confugeret.

Mundus magnus eſt liber, qui nos brevi erudit in ſcientia Sanctorum, cum Deus unus reſpicitur, hic unicus erit liber Sancti N. ex quo didicit mirabilia, ut ſermonibus ſuis eruditiſſimis Doctoribus placeret, qui obſtupeſcebant videntes hominem adeo illuſtratum, ac eruditum ſine ſtudiis, & literis. Ex una parte in mundo non vidit niſi vanitates, & dolos; ex altera nihil niſi nequitiam, furta, cædes; ac tandem cognovit quantæ opus plenum eſſet aleæ cum illo inire familiaritatem; & quam arduum eſſet ibi ſalutem ſuam operari; quamobrem iniit conſilium relinquendi illum; utque ſibi caveret ab omnibus periculis, quibus ſæpius erat, in horrentem conceſſit deſertum, ut ibi ſerviret Deo cum majori charitate, & ab humanis rebus abalienatione. *P. Nouet in vita Jeſu.*

Solitarii non habendi ſunt tanquam homines mundo inutiles.

Illi de Eccleſia merentur optime, qui vitæ ſanctitate fideles ædificant. Hinc Patres Eccleſiæ toties cohortati ſunt populos, ut ſacra inviſerent Monaſteria, ſacroſque tumulos, ubi veteres Eremitæ adhuc viventes erant inſepulti. Putabant enim exempli eorum lucem, radios nitentes quos ex ima ſolitudine emittebant, ſolos pares eſſe diſſipandis tenebris, quæ peccatores excæcant. S. Auguſtinus de antiquis Anachoretis verba faciens, quibus ſatis erat modicum panis, & aquæ, in inhoſpita confugiebant loca, ut in requie, & cordis ſilentio vacarent Deo, ait injuria a nonnullis haberi, tanquam inutiles mundo. Ad id autem ſatis eſt, cogitare nolle, quantum opis nobis afferant precibus ſuis, optimis exemplis, & bono virtutum ſuarum odore Sancti illi, quamvis latentem vitam ducant. Adeo verum eſt, eos, quorum vita ædificans eſt in Eccleſia, habitos ſemper fuiſſe tanquam pretioſos homines; qui perquam bene merentur de proximo, quia nos amant, & per exempli ſui ſanctitatem nobis animos faciunt. *Sermones de Vita Eccleſiaſtica Lambert. Tom. 2.*

Sanctus N. ex quo ſe parem cognoſcit per ætatem eligendo vitæ ſtatui, vitam amplectitur eremiticam.

Sanctus hic admirabilis ubi eam attigit ætatem, in qua vitæ genus eligere poſſet, quale Deus ab illo cupiebat, ut perveniret ad perfectionis gradum, quem ab æterno illi conſtituerat, iniit conſilium eremiticam amplectendi vitam, & aufugiendi in deſertum, ut liberius perſiſteret in ſuavi illo commercio, quod jam in cælo ſibi comparaverat. Hæc enim præcipua erat ejus illecebra, & dicere conſueverat, neceſſe eſſe, ut qui cum Deo agere vellet, in ſolitudinem concederet; arduum eſſe audire vocem illius in mundi tumultu, & ſimul guſtari non poſſe terræ voluptates, & delicias Paradiſi. Hic ſolitudinis amor, qui cordis ejus imperium occupaverat, ex eo fecit hominem cæleſtem, & perfectum Jeſu imitatorem in Deſerto. In hunc ille ductus fuit, non ſecus ac Jeſus a Spiritu Sancto: ibi tentatus fuit a ſpiritu tenebrarum, qui per horribilia, & obſcœna ſpectra conabatur illum a ſuſcepto conſilio deterrere. Ab Angelis viſitatus fuit, qui eidem magna contulerunt lumina, & ſalutaria conſilia. Quadam die cum Sacellum ædificaſſet paulo ante Ordinis ſui inſtitutionem, vidit eos de Cælo dilabi veluti ad illius celebrandam dedicationem. Oratio, & mortificatio duæ erant illius comites individuæ. Silentium ipſius elementum erat, ſolitudo Paradiſus; vita vero jejunia, vigiliæ, flagella. *Vita Jeſu P. Nouet.*

Quomodo eduxit Deus hominem hunc de deſerto?

Eduxit Deus ſanctum hunc hominem, ut ita dicam, ex aliorum hominum maſſa, & plures annos peculiari gratia abſcondit illum *in ſecreto faciei ſuæ* ſecundum Regis Prophetæ locutionem, ut præſervaret illum a ſæculi nequitia, & ſequentibus ætatibus daret innocentiæ pœnitentis exemplum. Homo hic, qui veluti caſta Columba vivæ fidei, & fervidæ charitatis alis ſuffulta, ut novam terram, novoſque cælos inquireret, deſerti vias delineavit, & didicit gemere coram Deo in Solitudinibus: Angelus

gelus hic, licet mortalis factus tanquam inviſibilis, precibus ſuis protexit imperia, fidei ſuæ ſanctitate ſuſtinuit Eccleſiam, auſteritate, ac aſperitate vitæ ſuæ humanam confudit ſapientiam, verbi vi, & ſilentii ſui efficientia oppugnavit Hæreticos, domuit dæmones, de Inferno triumphavit ope Cæleſtis auxilii, & ſua conſtantia; cujus vita excedens captum, & conſueta lumina rationis fuit miraculum gratiæ Jeſu Chriſti, veritatis Religionis argumentum. *Ex Panegyricis Flechier.*

Quomodo ſe geſſerit S. Joannes Baptiſta in ſolitudine, quam ab infantia ingreſſus eſt.

Ab extrema pueritia vixit in Solitudine perinde ac eſſet in Cælo; rexit corpus ſuum, quaſi ſpiritum, & Spiritum aluit, quaſi Angelum. Alii mundum relinquunt poſtquam cognoverunt illum; hic illum reliquit, antequam in illum ingrederetur. Alii obliviſcuntur criminis per virtutem, poſtquam illud per nequitiam perpetrarunt. Hic nunquam patravit illud, quia nunquam cognovit: pœnitentia aliis medicina eſt, huic antidotum. Ibi fecit initium, ubi alii eſſent beati ſi facerent finem; hujus infantia maturior eſt aliorum ſenectute. Primus, quem fecit in ſanctitate, greſſus terminus eſt perfectionis Patriarcharum, & Prophetarum; poſtremus eſt ille ipſius Chriſtianiſmi; & dicere verum eſt illum naſcentem noviſſimum eſſe hominem Legis, morientem vero primum gratiæ. Ante hunc Cælum ingens erat, vaſtaque ſolitudo, unde ceciderant Angeli; & quo homines aſcendere non poterant illam repleturi; ſed modo felici permutatione ſolitudo Cælum facta eſt coram Sancto Joanne. Cælum eſt manſio Beatorum, & deſertus Sanctorum. Cælum alit ſydera ad terram illuſtrandam; ſolitudo nutrit aſtra ad Cælum locupletandum. Cælum eſt thronus victorum, deſertus eſt præliantium caſtra. Ibi triumphi celebrantur; hic victoriæ referuntur. Cælum ſedes eſt Angelorum, ſolitudo hominum, qui tamquam Angeli vivunt. *P. Nouet in vita Jeſu.*

Sanctus N. vitam duxit in deſerto laboribus pleniſſimâ ac pœnitentia & de patria optime meritus eſt.

Sanctus N. Paſtor fuit civitatis, unde originem hauſerat. Hic illi plura reddidit, quam accepit; illa eterum in lucem hunc ediderat filium iræ, & maledictionis; hic autem curis, ſermonibus, & exemplis illam a Dei indignatione, & hominum furore ſurripuit. Sed non uno ictu ad hanc dignitatem pervenit. Ad eam præparavit ſeſe per vitam pœnitentem, & omnibus laboribus plenam, quam a puero ducere incœpit. Patriam deſeruit domum, & in deſertum aufugit, ibi incepit redigere corpus ſuum in ſervitutem ſpiritus, antequam per ætatem rebellare poſſet. Diluculo Jugum Domini ferre aſſuevit, & puritatis habitum induit, antequam ſordibus ullis corrumperetur. Naturæ illud permittebat unum, quod ad vitam alendam erat neceſſarium. Terra miniſtrabat menſæ illius radices, quas fert inculta. Hæ autem ex ſuo ſapore ſatis condiebantur. Sylveſtres arbores ferebant illi fructus, qui eſurienti erant deliciæ. Purus fons ſitim illius relevabat, & aquam bibens temperantiam ſervabat. Sitim ipſam nolebat explere; ardorem ejus lenire ſtudebat, ne ipſius ſanctimoniæ noceret. Humus erat illi cubile. Dormitabat potius quam dormiret, adeo modicum tempus indulgebat ſomno, ut vix viribus reficiendis ſufficeret. Hoc pacto ſpiritus ejus nunquam corpore premebatur. Nulli unquam ad illum uſque vapores aſſurgebant, qui illi caliginem effunderent, nulla coaleſcebant, quibus turbaretur, tonitrua. Non erat ei cur ſemper de ſe diffideret, ſibique caveret; verumtamen ſemper trepidabat. Victoria, quam per pœnitentiam referebat, tantum aberat, quod illi vanitatem ſuaderet, ut immo vigilantiorem faceret, & humiliorem. Nullæ terrenarum rerum cogitationes illum occupabant. Longius aberat a mundo affectu, quam ſolitudine. *Godeau, in Elegio S. Jacobi Epiſcopi Niſibienſis; in libro cui titulus Epiſcoporum Elogia.*

Quomodo hic ſanctus ab infantia in deſertum ingreſſus eſt, & quomodo ibi vixit.

Ab ipſa ferme pueritia vitam adeo ſanctam exorſus eſt, quæ exemplo eſſe poterat iis etiam, qui in virtute provectiores eſſent. Ubi primum cognoſcere potuit ſeipſum, non ſibi, ſed Deo vivere voluit. Primus rationis uſus fuit ſacrificium illi, qui pro ipſius ſalute dignatus eſt naſci. Princeps ſæculi vidit illum e ſæculo egredientem antequam per ætatem illum corrumpere poſſet. Avertit ille oculos ab omnibus vanitatibus antequam perſtringi poſſent. Auſteritas pœnitentiæ, quæ animam illius roborabat, corporis valetudinem perturbavit adeo, ut ſpecum, ubi morabatur, deſerere coactus fuerit. Dei manus infirmaverat victimam; ſed lex Dei præcipiebat, ut uſitatis rationibus illam tueretur. Beatum ſemet arbitratus eſſet, ſi peregrinationi ſuæ tam cito finem imponere potuiſſet; ſed illius terminus præſcribendus erat a Deo. Corporis ſui carcerem non amabat; ſed inde exire non poterat, niſi ad nutum illius, qui ibi concluſerat animam ſuam. Ægra valetudo, quæ illum aliquot pharmaca epotare juſſit, non effecit, ut vel minimas delibaret delicias. Valetudini reparandæ operam dedit, quin tamen ſuæ officeret pietati. Morbi cura fuit illi pœnitentiæ loco, tamen propter curam hanc non convaluit. Ipſe Jeſus Chriſtus ſe illi medicum obtulit per viſum. Quemadmodum huic ſerviens in morbum inciderat, ita Deus illi manu ſua facere voluit medicinam. Ut huic muneri gratias referret, pauperibus erogavit omnem pecuniam, quam ex bonorum ſuorum venditione collegerat. *Godeau in Elegio S. Porphyrii, ibidem.*

Sanctus hic ſermonum ſuorum eloquentia plures ad ſolitudinem amplectendam induxit.

Sanctus N. de bono ſolitudinis verba faciens eam adeo jucundam exhibet, ut ad eam diligendam quamplures mundo implicitos egerit. Nulla eſt aula tam deliciis affluens, atque magnifica, quæ cum deſerto ore illius delineato valeat æquiparari. In anteceſſum ibi quies, & Cæli felicitas reperitur. Ibi omnia a rebus mortalibus procul ſunt. Ibi cum Angelis habetur neceſſitudo. Secundo nos docet mundi contemptum, & fugam ita feſtive, ut fieri nequeat, ut qui hunc audierit, mundum non oderit. Docebat hinc quidem quomodo ſanctam in mundo vitam inſtituerent illi, quos conditio ſua retinebat; inde vero, quomodo fugam arriperent illi, quibus hoc integrum erat. Collocabat arma in manibus eorum, qui cum illo decertare debebant, ſed libentius tradebat illis, quomodo fugiendo vincerent illum. Mallebat efficere, ut tuto, quam ut cum periculo vincerent. Illum ſua docuit experientia. Loquebatur de deliciis, quas guſtaverat. Liquebat, calamum ejus corde agi, & ipſum ea deſcribere, quæ ardenter amaverat, ambatque. *Godeau in Elogio S. Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi.*

Quid nobis commendet Deus per Prophetam, & de duplici ſolitudinum genere.

Sapiens væ dicit Soli, & Deus videns *non eſſe bonum, hominem eſſe ſolum; faciamus inquit ei adjutorium ſimile ſibi.* Veruntamen per Prophetam clamat: *Egredimini de Babylone.* Imperat Patri credentium, ut relinquat patriam domum, atque familiam profecturus ad incolendam terram deſertam, quam illi oſtenſurus eſt, & explicite ait, ſe in ſolitudine cum anima converſari. Profecto duo ſunt ſolitudinum genera; unum quo nos ducit ſpiritus tentator, & in quo peccatores errant in calamitoſis ſemitis iniquitatis; alterum, quo nos adducit Deus ut in viis juſtitiæ deambulemus, & ut ibi audiamus vocem Dei: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus.* S. N. Eremitarum Pater percelebris eſt in Eccleſia ea glorioſo hoc charactere. Illuſtri huic Patriarchæ debet Eccleſia prima fundamenta vitæ Monaſticæ, & Regularis. Divinus hic homo fuit tanquam divinum germen, ex quo olim prodierunt tot Sancti Anachoretæ, qui orbis Chriſtiani deſerta frequentarunt. Ne conſideretis ergo in Sancto hoc Patriarcha unum ex iis Solitariis, qui æque ſunt hominibus inutiles, ac ignoti; Sed Solitarium agentem propter ſanctificationem populi, vel pro ſua laborantem: imitatorem vitæ abſconditæ, atque diſcipulum vitæ publicæ ſalvatoris; qui prædicavit ſuper tecta veritates, quas Deus illi revelavit in auriculam, & qui ad mundum erudiendum protulit ſalutaria documenta, quæ dederat illi Spiritus Sanctus in Solitudine. *Ex Specimine Panegyricorum pro die feſto S. Benedicti. Tomo 1.*

Vera ſolitudo eſt imitari ſolitudinem J. C. & vitam ejus abſconditam.

Quemadmodum omne ædificium, quod poſitum non eſt ſuper lapidem angularem, qui Jeſus Chriſtus eſt, ruit neceſſario, neque aliud ponere licet fundamentum, niſi Jeſum Chriſtum; in hac baſi totum ſtruere debemus elogium Sancti N. cujus primus character eſt, ſimile Chriſtianum, & Evangelicum Eremitam, verum imitatorem obſcuræ, abſconditæque vitæ Salvatoris mundi. Neque enim defuerunt Ethnicis ſolitarii, qui ab hominum commercio abhorrebant, ut facilius ſua celarent vitia; quorum cognitio ſimul eſſe non potuiſſet cum admiratione, quam ſibi conciliare cupiebant; qui venditantes, ut S. Auguſtinus ait, inflatis ſuperbia buccis magnifica inanis ſcientiæ ſuæ dogmata, expectabant, ut plauſuum, laudumque rumor ad eos titillandos uſque in penitiores ſolitudinum receſſus accederet, & qui ſpeciem illam tranquillitatis, qua perfruebantur, obtenderent tanquam honeſtum integumentum ad celandam inexplebilem gloriæ cupiditatem, qua vorabantur. Propter longe alias rationes Sanctus N. ſolitudinem ingreſſus eſt. Ex una ex præſtantiſſimis Italiæ familiis egreſſus, & Romam a parentibus miſſus, ut humanarum ſcientiarum lumina illis accederent, quæ ea nobili inſtitutione hauſerat, divinitus ſecretis illuſtratus fuit, & loco profanarum ſcientiarum, quibus operam dabat, aliam didicit prorſus cæleſtem, atque aſſecutus eſt ſenſum horum verborum Jeſu Chriſti: *Porro unum eſt neceſſarium. Quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Qui amat patrem, aut matrem ſuam pluſquam me, non eſt me dignus. Qui vult perfectus eſſe, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Maximis his veritatibus commotus, noluit ultra librum alium præter Evangelium, neque alium præceptorem, quam Jeſum. Interpellavit ſtudiorum ſuorum curriculum; omnem abdicavit ſcientiam præter hanc crucifixi: & admirabilia hæc ſecutus conſilia, omne ſcidit commercium cum mundo, toties maledictione, atque anathemate percuſſo, ut adhuc vivens in deſerto inhoſpitali delitеſceret. *Idem.*

Miracula, quæ Dei Filius in deſerto operatus eſt.

Nullus eſt in mundo locus, ubi Dei Filius plura ſit operatus miracula, quam in Deſerto: illuc ſeceſſit ductus a Spiritu Sancto cum dæmone pugnaturus, & de illius poteſtate crudeli homines liberaturus. Ibi dies quadraginta jejunavit; & hæc adeo diuturna abſtinentia ſpiritui nequam primas ingeſſit de illius divinitate ſuſpiciones: *Ut vidit illum jejunantem, ſuſpicatus eſt eſſe Deum.* Ibi Angeli miniſtrarunt ipſi, eoſque recepit honores, quos ſuis præliis meritus fuerat. Ex eo tempore ſolitudo ſemper Jeſu Chriſto chara fuit, & eo ſeceſſit per Orationis commercium acturus cum Patre: *Erat pernoctans in Oratione.* Illic coram Apoſtolis ſeſe transfiguravit, *Chryſolog. ſerm. 12.* *Luc. 6.*

dedit-

deditque eis ſpertiſſima ejus gloriæ documenta, quam Beatis præparabat. Illic majora operatus eſt miracula, bis panes multiplicavit in populorum, qui eumdem ſubſecuti fuerant, dedit ſatietatem, atque hoc prodigio ſeſe præparavit ad illud, quod illi facturi erant in Eccleſia ad fidelium alimoniam. *P. Senault in Panegyricis.*

Quid ſentiendum ſit de eo, qui omnem ſibi voluptatum mundi hujus uſum interdicit? *Bernardus de vita ſolitaria.*

Quid vobis ſentiendum videtur de eo, qui omnibus rebus caret, & nullius indiget rei in deſerto; qui ædium veſtrarum pompam, indumentorum luxum, conviviorum intemperantiam, ſermonum vanitatem irridet, & fruens Deo, ac ſemetipſo, in ſolitudine ſuam nanciſcitur felicitatem? *Cum quo Deus eſt, nunquam minus ſolus, quam cum ſolus eſt. Tunc enim fruitur Deo in ſe, & ſe in Deo:* S. Bernardus ait. Hoc exemplo diſcite auditores, homini voluptatem ſuam, & requiem quærendam non eſſe in ſocietatibus; opus eſſe, ut recedat a mundo, ſi accedere cupit ad Deum; & donec permanebit implicitus in ſæculi impedimentis, illum nequaquam guſtaturum eſſe Paradiſi delicias, neque ullum habiturum eſſe jus ad gaudia Beatorum. *Idem.*

Chriſtianus omnis eſſe debet ſolitarius.

At enim, inquient illi, qui propter genus, & conditionem terrenis rebus inhærent. Eo quod ſumus in hominum ſocietate, nunquamne ad ſocietatem Angelorum licet nobis aſpirare? Vita urbana, aut politica ita nocens eſt, ut qui regit domum, familiam, urbem, rempublicam proſcriptus ſit a Regno Jeſu Chriſti, & pro publica utilitate laborantes carere debeant ea mercede, quæ Solitariis deſtinata eſt? Utique, Auditores, Eremita eſſe debet, qui ſalvus fieri vult; ſolitudo nos adducit in Cælum, & homo ut ſit Chriſtianus, eſſe debet ſolitarius. Ex quo Eccleſiam ingreſſus eſt, mundo nuntium miſit; & Baptiſmus, qui eſt imago ſepulturæ Jeſu Chriſti, Sancta eſt ſolitudo, in qua feliciter conſepultus eſt. *Conſepulti ſumus cum illo per baptiſmum in mortem. Idem.*

Rom. 6.

Primi fideles penitus erant a mundo avulſi, & cæleſtia duntaxat cogitabant.

Philipp. 3.

Primi fideles ſemet tanquam Eremitas cogitabant. Corpore tenus erant in mundo, ſpiritu vero cogitatione, deſiderio in Cælo erant, & cum hominibus converſantes per negotiorum commercium cum Angelis per Orationis commercium verſabantur: *Converſatio noſtra in cælis eſt.* Tertullianus olim hac uſus eſt ratione, ut Martyres conſolaretur; eiſque perſuaſit, carcerem nullam iis ademiſſe ex innocuis voluptatibus eorum; quandoquidem licet libertate fruerentur, abſtinebant tamen a ſæculi voluptatibus, quibus æque abrenuntiaverant tam in domibus ſuis, quam in carceribus: *Chriſtianus etiam extra carcerem ſæculo renunciavit.* Ita mundus Chriſtiano viro defectus eſt. Mortuus eſt omnibus ejus ſolatiis, omnibus illius pompis abrenuntiavit, & niſi violare velit ea, quæ in Baptiſmo pollicitus eſt, oportet, ut vivat tanquam Solitarius in Eccleſia. *P. Senault Tomo primo Panegyricorum.*

Tertull. ad martyr.

Qui ſolitudinem quærit, æque Deo acceptus eſt ac martyr.

Fatendum eſt, Hominem, qui oculos mundi fugit, ac in ſolitudinem ſe recipit; qui plauſus, & gloriam contemnit, æque Deo acceptum eſſe, ac Martyrem, qui dolorem ſuperat, & ſpernit voluptatem. Nam pugnat cum acerrima, eaque ſuaviſſima omnium cupiditate; iis abrenuntiat, quæ magis nitent in mundo; ſacrificat ea, quæ in hominum opinione ſunt pretioſiſſima, & jugulat ea, quæ altius impreſſa ſunt in corde filiorum Adam; ex quo neceſſario inferendum eſt, Sanctum N. qui hæc omnia complevit, jure ad martyris honorem contendere: fuit enim in eremo, ſeſe contumulavit in Clauſtro; ſeſe mundo abſcondit univerſo, ut fugeret gloriam. Neque putetis hoc eſſe relinquere modicum, cum relinquuntur honores expetiti. Illuſtri eſt ortus genere, quod illi omnia ſperare permittit; mundus non habet honorem, quem hic ſibi polliceri nequeat; & ſi ſceptrum, & coronam excipias, nulla dignitas eſt, quæ non ſit virtuti ejus inferior. Tamen has omnes ſublimes ſpes ſacrificat, omnes has nitentes dignitates relinquit, & ſecundum Moyſis vota præfert Crucis opprobria pompæ & gloriæ Ægypti. *Idem Tomo 3.*

Gratia Chriſtiana Sanctis inſpirat deſiderium ſolitudinis.

Cum Sancti nihil tam reformident, quam mundum, Jeſu Chriſti gratia illis hoc deſiderium inſpirat, & ex quo baptiſmate abluti ſunt, contumulari cupiunt cum Jeſu Chriſto, & hominum oculis abſcondi. Deſertus, qui eſt umbra mortis, eorum delicias conſtituit, & ſcientes, quænam intercedat ratio inter ſepulcra, & ſolitudines (*Nunc dormiens ſilerem cum Regibus, qui ædificant ſibi ſolitudines*) cupiunt eſſe Eremitas, ut mortui ſint, & eſſe ſolitarios, ut quodammodo ſint ſepulti. Quærunt hanc terram oblivionis, ubi peccatores nullum amplius habentes cum illis commercium nequeunt turbare requiem eorum, neque preces interpellare. Hoc erat Sancti N. votum, qui præferens ſtatui ſuo deſertum, petebat, ut ſibi liceret qualitatem ſuam cum illa Anachoretarum permutare; Voti reus factus eſt, deſeruit ſtatum ſuum, ſibique deſertum quæſivit in Inſula, ne mundus ipſi negotium faceſſeret. Ibi ſuas auxit auſteritates, noctes in oratione traduxit, induit ſe cilicio. Fertur ibi aliquot annos tranſegiſſe in horrenti illa ſolitudine majori cum animi tranquillitate, quam in Epiſcopatu; ſed ubi vidit populum ejus meritis illectum accedere ad ſe in deſerti ſui latebris conquirendum; ægros ad valetudinem, mœrentes ad ſolatium, energumenos ad libertatem quærendam; cœpit mortem optare, ac vitæ ſuæ finem concupiſcere, ut moleſtarum curarum ſuarum finem inveniret. *Panegyricus S. Maglorii per P. Senault.*

Quantum noſtra vivendi ratio diſcrepet a vita Sancti hujus in deſerto.

Videamus, ut erubeſcamus Sanctum N. in deſerto; Videamus Sanctum corpori ſuo licet vigiliis, ac annis effœto, bellum inferentem, & metuentem hunc hoſtem licet infirmum, vires hujus infirmantem, ne rebellandi foveat audaciam; negantem illi neceſſaria, ne illi tribuat ſuperflua, nunquam bibentem vinum, ne incontinentiæ flammam accendat. Heu! quam longe diſtamus ab hoc terribili vitæ genere! Quam longe diſcrepat vita noſtra ab innocentia Eremitæ hujus diſciplina! Tamen noſtrum nobiſcum gerimus hoſtem ut ille; carne, & ſanguine ſumus coagmentati, ut ille; eodem ardemus igne, quo ille metuebat, ne ureretur. Sed dicamus, Auditores, inimicum hunc in nobis longe terribiliorem eſſe, quam eſſet in Sancto N. Rebelli huic, qui ſumptibus ſuis obedientiam didicerat, & ita infirmatus erat, ut larva nudis oſſibus cohærens potius videretur, quam corpus animatum, ſi minus extinxerat, ſaltem oppreſſerat ignem impuritatis; & ſi quæ adhuc ſupererat favilla cineribus inſepulta, neque fumum emittere, neque flammam concipere poterat. Sed corpus veſtrum vegetum eſt, opipare illud ſaginatis, ſuperbis veſtibus operitis, magnificis ædibus excipitis; nihilque obliviſcimini eorum, quæ neceſſaria ſunt ad alendam inſolentis hujus mancipii impotentiam. Ignis, qui viſcera veſtra exurit, quotidie accenditur alimentis, quæ illi miniſtratis: illum alitis impuris lectionibus, parum honeſtis imaginibus, nimis libera cum mulieribus conſuetudine; Oleum camino additis, ut generale incendium fiat, quo ſimul conflagretis. Deinde vero in Confeſſionibus veſtris hæc auditur querela, caſtitatem difficilem eſſe; cum Dei Filius vobis illam imperavit, non conſuluiſſe veſtras vires, & credidiſſe vos Angelos eſſe, vel oblitum fuiſſe vos eſſe homines. *Idem.*

Deus educit aliquando de deſerto Eremitas, ut faciat eos ſibi fideles Apoſtolos.

Deus qui eſt admirabilis in Sanctis ſuis, ſæpe præparat illos per ſolitudinem Apoſtolicæ vitæ muneribus. Ubi videt Eremitarum virtutem attigiſſe illum ſublimitatis, roboriſque gradum, qui illam conſtituit ſuper contagioſa ſæculi exempla, nonnunquam eos mundo opponit ad illius impugnanda flagitia, atque ſcandala, & poſt quam illos in ſolitudine efformavit tanquam in ſchola cæleſti ad Religionis certamina; Providentia ejus fallens humilitatem ſervorum ſuorum, ſemper amantium caliginem, & ſilentium, illis ſuſcitat occaſiones, ut in medium proferant ſcientiam ſalutis, in qua illos magiſtros conſtituit. Etenim ex omnibus Domini miniſtris nulli ad populorum converſionem ſunt aptiores, quam homines iſti admirabiles, qui inter ſaltus, & nemora eminus innutriti prodeunt repente tanquam divinitus demiſſi Cælo, ut homines vias ſalutis edoceant. *Ex Specimine Panegyricorum pro die feſto S. Benedicti. Tomo 1.*

Idem ſequitur argumentum.

Id genus erat glorioſus Sanctus N. Deus, qui ex illo magnum Eccleſiæ ſuæ lumen cupiebat efficere: diu illum ſub obſcuris nubibus texit, ut majori cum luce prodiret. Sed hic theſaurus diutius terræ ſepultus latere non poterat: hic flos agrorum inter ſpinas, quibus ſeptus erat, ſe ſe prodidit per optimum odorem, quem circum undique effundebat. Paſtores, qui re adhuc integra ſylveſtrem hominem eſſe cenſuerunt in ea ſpecus caligine, quo ſe ſe receperat, mox tanquam Sanctum coluerunt. Pietatis illius fama Romam uſque perlata fuit. Quicunque tuto ambulare volunt in arcta via, hunc ſibi deligunt ducem. Alterum videre mihi videor Joannem, qui ab ipſis uſque incunabulis ductus fuit in ſolitudinem, ut ſe ad ſublime Præcurſoris miniſterium præpararet; catervatim populos attrahit ad pœnitentiæ baptiſmum, quem illis prædicat. Vix Sanctus N. prodire cœpit, tanquam *lucerna ardens, & lucens*, cum illuminavit illos qui *ſedebant in umbra, ac tenebris mortis. Ex Specimine Panegyricorum pro die feſto Sancti Benedicti. Tomo 1.*

Sancti hujus exemplum imitari debemus, in ſolitudine laborare pro mundo, & in mundo ad ſolitudinem anhelare.

Ita Sanctus N. poſtquam ſanctificavit ſemetipſum in ſolitudine, novit efficaciter alienæ ſanctificationi cooperari. Sequamur exemplum illius, auditores, & fugiamus mundum, ut ab illius corruptione præſervemur. In mundum non prodeamus niſi, ut impugnemus ſcandala; ad ſolitudinem anhelemus, & in ſolitudine pro Mundo deprecemur. In receſſu noſmet ſanctificemus, in ſanctitate ſanctificemus alios exemplo noſtro; ne ſolitariam vitam in otium nocens, neque vitam urbanam in profanam diſſipationem convertamus. *In omnibus viis tuis cogita Deum*, Sapiens ait, *& ipſe diriget greſſus tuos.* Nihil aggrediamur, nihil faciamus, aut dicamus, quod vel noſtræ, vel proximorum noſtrorum ſaluti profuturum non ſit. Nunquid jampridem hæret nobis aliquid, an noſmet Deo totos impendere debeamus? Nondum ſatis nobis exploratum, compertumque eſt nihilum rerum terrenarum? Nondum ſatis nobis perſuaſum eſt, noſtræ ſalutis opus unum eſſe illud, quod occupare nos decet? Nondum ſatis audivimus in hora mortis, quæ properat, omnia nobis acta, tranſactaque eſſe, præter opera noſtra bona, & mala, quæ nobis manent, manebuntque? In præſentiarum deeſtne tempus agendi? Vita noſtra inutilibus animadverſionibus abſumetur? Tempus agendi pœnitentiam in meditatione illam agendi impendemus? *Idem.*

Prov. 3.

Studium & ſanctæ lectiones tota eſſe debet Eremitarum occupatio.

Eremitarum officium eſt non ſimpliciter credere, vel ſcire eſſe Deum, illum amare, & colere, verum etiam illum funditus cognoſcere, aſſequi lumina ſapientiæ, ac intelligentiæ ipſius, ad illum in ſeipſo videndum, & guſtandum, eoque perfruendum, quid efficere poteſt, ut felicius hoc munere perfruamur, quam ſtudium, & ſanctorum librorum lectura, ubi Deus ipſe eos alloquitur, atque tot modis erudit; & ubi Sapientia Æterna ſe prodit tanta in luce illis, qui per attentionem norunt pulſare ad oſtium illius? Si Eremitæ deſtinati ſunt ea ipſo ſtatu ſuo contemplandis divinis perfectionibus in cordis ſilentio, in cupiditatum ſuarum tranquillitate, & procul ab iis omnibus, quæ illos poſſent diſtrahere ab æternarum rerum meditatione (ut ad hanc quoque diem eximius ait hujus artis Magiſter) quænam illa eſt ea omnibus exercitationibus, quæ melius hæc illis bona procurare valeat, quam ſtudio, atque lectura eorum tractatuum, qui ampla eorum contemplationi ſuggerunt argumenta; qui auctoritate ſua, & ipſa impreſſione Spiritus Sancti, ſe ſe ibi explicantis, ſilentium indicunt; qui mulcent animi affectus per unctionem ejuſdem Spiritus, qui animos paſcit pulchritudine, ac luce earum veritatum, quas continent: & qui jucunde ſuſtinent attentionem, & ſeparationem objectorum omnium ſenſibilium, multiplici varietate exemplorum ſanctitatis, & abalienationis, quæ illi proponunt? *Auctor recens.*

Difficile eſt conciliare ſolitudinem cum Mundi hujus impedimentis.

Mirum in modum eſt arduum invenire ſolitudinem in tumultu Mundi, expedire mentem a negotiis, quæ occupant illam, non amovere animum a Deo, ubi cum hominibus converſamur, utrique ſatisfacere, quin deſis reverentiæ quam debes Deo, & charitatis, quam debes hominibus. Ita unum ex maximis Sancti N. privilegiis, & unus ex ampliſſimis characteribus, quibus ab aliis Sanctis diſtinguitur, & una ex arctiſſimis obligationibus, quas ſuis filiis præſcripſit. Si enim fieri volunt Patris ſui imitatores, deſerere debent quocumque ſolitudinem ſuam, ita ut nunquam magis ſoli ſint, quam cum mundo ſunt impediti; & reſervantes meliorem ſui cordis partem Deo, minori dumtaxat rebus creatis adhæreant. *P. Senault in Panegyricis Sanctorum, Tomo 1.*

Baptiſmus cogit Fideles, ut vitam vivant ſolitariam conformem vitæ Jeſu Chriſti.

Baptiſmus eſt tanquam ſpirituale ſepulchrum, ubi homo peccati ſepelitur, & gratiæ renaſcitur: itaque prima obligatio, quam hoc Sacramentum Chriſtianis imponit, eſt ducere vitam prorſus ſpiritualem, a ſenſibus avulſam, & vitæ Jeſu Chriſti conformem; quoniam baptizantur in ſanguine illius, & in ſimilitudinem mortis ejus, ut Apoſtolus loquitur; ſed generalis hæc obligatio fuit particularis vocatio horum fidelium, quos, ut ita dicam, eduxit Deus de aliorum hominum maſſa, ut ſanctificaret illos in ſolitudine mortuos mundo. Hi non aliud reſpexerunt, quam Cælum; non aliam habuere converſationem quam orationem; non aliam exercitationem niſi pœnitentiam; non ſpem aliam, quam vitam æternam; non alium bonorum operum ſuorum teſtem, quam Deum, qui cum eorum eſſet objectum, merces etiam futurus erat. *Ex Specimine Panegyricorum, Tomo 1.*

Voluit Deus dare illum poſteritati tanquam gratiæ prodigium, & abſolutiſſimum exemplar ad imitandum.

Ex hoc numero fuit Sanctus N. Hic vir, quem Deus plures annos abſcondit in ſecreto faciei ſuæ, ut futuris illum ſæculis daret tanquam imaginem innocentiæ mortificatæ, ac pœnitentis; hic vir, vel dicam melius, hic Angelus, qui ſe inviſibilem quodammodo præbuerat reliquis hominibus; qui habitus fuit tanquam prodigium gratiæ Jeſu Chriſti, & vivens imago veritatis Religionis ſuæ, a nobis habendus eſt tanquam Mundo mortuus per omnimodam ſeparationem a ſæculo in ſolitudine, & vivens cum Chriſto, ut mundum ædificet. Si ipſum æterno damnat ſilentio, & nullam niſi in Cælis habere vult converſationem, & mundum ipſum deſerit, ut ſe ſe totum Deo in ſolitudine devoveat. *Idem.*

Divina Providentia curam gerit eorum, qui ſe ſe penitus illi tradunt.

Cur nequeo illum exhibere vobis plures annos inclusum in tumulo, a natura univerſa alienum, & ſæculi oculis abſconditum? O Domine, qui triſtem conſolaturus Agar errantem in Deſerto, & avertentem oculos, ne morientem puerum videret, non ſine miraculo fontem excitaſti, qui ſitim utriuſque extinxit, qui exquiſitas dapes, & manna cælitus demittere dignatus es in populum tuum per deſertum in terram promiſſam euntem; qui corvorum miniſterio aluiſti Prophetam Eliam ſecus oram torrentis, ubi delituerat, ut falleret Jezabel perſequentem; qui panes multiplicaſti, ut aleres Turbas, quæ te ſecutæ erant propter ſuaviſſimas divini eloquii tui illecebras, viſus es Dominus naturæ attentæ ad vocem omnipotentis Creatoris ſui; hæc potes inſtaurare miracula in gratiam S. Anachoretæ; ſed effundere voluiſti quocumque exempla virtutum illius, ita ut lumen hoc abſconditum ſub modio penetraret nubem, quæ celabat illum in oculis mundi. *Ex Specimine Panegyricorum.*

Satis admirari nõ poſſumus vitam auſteram, quã Sanctus hic duxit in illis horrentibus locis.

Quanta nos caperet admiratio Sancti hujus viri, ſi liceret exhibere vitam Angelicam, quam tot annos duxit in obſcuro ſpecu, & inhoſpitali; ubi ſpiritus ejus non minus quam corpus aberat a Mundo! Quis enarrare poſſet raptus ejus, atque extaſes? Quo magis vacuus erat ſæculo, eo magis plenus erat Deo. Effundebat Dominus in animam ejus cæleſtes delicias, ac interiores ſuavitates, quæ efficiunt verum gaudium, ſolidamque Eremitarum beatitudinem, ibique ille guſtabat voluptates adeo ſuaves, ut de temporis quereretur pernicitate, quod aliquando illi harum conſolationum delicias auferebat. *Idem.*

Seceſſit a Mundo non ut evitaret amaritudines, ſed ut perfectiori vacaret ſpiritui.

Sancti hujus noſtri a Mundo receſſus non fuit coactus, qualis eorum eſſe conſuevit, qui ſecedunt, ut evitent tædia, atque faſtidia, quæ in nobis ciet moroſum ingenium ſocietatis inimicum; & ubi poſt aliquot horas devotioni impenſas, homo diſſipatur nugis, quæ parum decent Eremiticæ vitæ ſanctitatem; ubi amor ſingularitatis, & dominandi ſpiritus nos includunt in quorumdam amicorum orbe, qui noſtris infirmitatibus adulantur; & ubi famoſis libellis, aſperrimiſque cenſuris corripimus mundum, a quo contemnimur, & derelinquimur. *Idem.*

J. C. voluit conciliare vitam abſconditam cum vita publica.

Jeſus Chriſtus omnis Sanctitatis, & Sapientiæ exemplum, quo nomine a Clemente Alexandrino appellatur, vitam duxit publicam, & vitam abſconditam. Voluit converſari cum peccatoribus, ut illos erudiret, quos Providentia in Mundi commercio implicat; & vivere voluit ſeorſim a peccatoribus, ut perfectam daret ideam vitæ ſolitariæ iis, quos eadem ad contemplationem appellat. Ideo in deſerto ſuo, abſconditaque vita complecti voluit omnes virtutes, quæ Eremitis ſunt neceſſariæ: vim admirabilem reſiſtendi omnibus dæmonis tentationibus: *Ductus eſt Jeſus in Deſertum, ut tentaretur a Diabolo*; (Matth. 4.) admirabilem humilitatem, propter quam gloriam, & Mundi honores contempſit: *cum cognoviſſet Jeſus, quia venturi erant ut caperent eum, & facerent regem; fugit ſtatim in montem ipſe ſolus*: (Joan. 2. 6.) infatigabilem in Oratione perſeverantiam, *ſeceſſit in Deſertum, & orabat*. Denique generoſum conſilium tuendæ gloriæ Patris ſui, & ſe præparandi ad mortem veluti victimam: *Egreſſus ibat ſecundum conſuetudinem in montem Olivarum*. En quid fecerit Jeſus Chriſtus in Deſerto, & ſimul ecce, quid ad illius imitationem fecerit Sanctus N. ita ut de hoc dici poſſit illum mortuum eſſe, ut mortuus eſt J. C. & vitam illius abſconditam fuiſſe in Deo, ut ejuſdem J. C. vita. *Ex Specimine Panegyricorum, Tomo 1.*

Sola narratio vitæ, & mortis Sancti hujus, ſat erat ad peccatorum converſiones.

En, Auditores lectiſſimi, quid ſit vivere, & mori in Jeſu Chriſto. Sola narratio vitæ, ac mortis Sancti N. plurimas gignebat converſiones. Ubi de magno hoc Eremita incideret ſermo, peccatores flagitia ſua relinquebant; juſti excitabantur, ut ſe ſe in virtute perficerent; pœnitentes ſe ſe in exercitatione mortificationis inflammabant; mercatores negotiationes, milites arma, eruditi volumina, Reges, atque Reginæ regias ædes relinquebant. Cur ergo vitæ ejus hiſtoria non poterit nos a mundo divellere? Opus ne eſt, ut exemplum Magni Sancti hujus, ac tot aliorum, qui ſacrificarunt quidquid in ſæculo ampliſſimum, atque ſuaviſſimum erat, efficere nequeat, ut hæc infringamus vincula, quibus mundo vincti adhæremus? Numquid nobis non ſunt cauſæ eædem, quæ illos excitarunt? Numquid deeſt nobis earumdem gratiarum ſubſidium? Non ne Infernus nobis metuendus eſt, ac ſuperandus Paradiſus? *Idem.*

Sanctus hic mũdi commercium vitavit, ut ſoli Deo viveret.

Sanctus N. ingreſſus eſt in teterrima deſerta, quæſivit penitiora vaſtæ ſolitudinis latibula, abdidit ſe in ſpecum, ut hominum oculos falleret, ſepelivit ſe in tumulo cum mortuis, ut nullum amplius haberet cum viventibus commercium, & ſenſim, & ſine ſenſu moriens ſibi, vivere cœpit Deo. In felici hoc receſſu domuit corpus ſuum jejuniis, rationi ſubjecit cupiditates, avulſit ſpiritum ſuum a carne, & adhærens ſummo bono, quod amabat, feliciter inde egregias omnes qualitates expreſſit. Ibi docuit homines quærere ſolitudinem, ut ibi Deum inveniant, & refulgens *tanquam Stella Deſerti* terram in Cælum convertit. Ibi dæmones prælio vicit, expulitque ſolitudine, quam ſibi delegerant poſtquam ex mundi oppidis extorres per Evangelii prædicationem acti ſunt. *Idem.*

Sanctus hic Pœnitens omnes mundi curas abjecerat.

Sanctus hic Pœnitens permanebat in ſolitudine, omnibus ſæculi curis expeditus; ibique cæleſti rore paſcebatur, cujus ope inceſſanter ſuavi, & frequenti divinarum rerum meditatione perfruebatur. Ne corpus mentis ſuæ volatum præpediret, illud jugi pœnitentia exercebat, in illud tanquam in inutile mancipium ſæviens, & tanquam in reum animadvertens. Quænam erat illius eſca? Jejunium. Quæ illius quies? Vigiliæ, & labor. Quod indumentum? Aſperum cilicium. Ex quo infertur, duplicem Eliæ ſpiritum fuiſſe, quod ſpectat ad corpus, Spiritum mortificationis; quod ad animam pertinet, Spiritum orationis, & contemplationis. Utroque ſimul repletus fuit divinus Præcurſor Joannes Baptiſta, ex quo in terris viſus eſt; quapropter illum nobis exhibuit Evangelium tanquam alterum Eliam: *Et ipſe præcedet in ſpiritu, & virtute Eliæ*. (Luc. 1.) Magnificum quidem elogium in paucis verbis, quibus continetur; ſed licet magnificum, melius applicari nequit, quam illuſtri Sancto, cujus memoriam hodierna die univerſa colit Eccleſia. *Exhortationes Chriſtianæ Pater Bourdalove. Tomo primo.*

Fatendum eſt in vita auſtera, & mortificata non deeſſe

magnum

*De præſtantia & magnitudine pœnitentiæ.* magnum aliquid, & hanc non parum conferre ad Sanctitatis meritum commendandum. Eos veneramur, qui in perſona ſua deferunt vitæ hujus characteres; & licet ipſis nobis indulgeamus, in aliis ſeveritatem hanc admiramur, neque credimus raram, ac ſingularem virtutem melius exhiberi poſſe, quam ſi repræſentetur tanquam rigida in moribus, ſtudiis naturæ oppoſita, ſenſus, & carnis inimica. Et ſane bellum hoc, quod ſibimet infert homo, hoc corporis ſui odium, indefeſſus hic labor negandi illi omnia, & generoſum conſilium illud perſequendi, crucifigendi, deſtruendi totidem ſunt miracula, quæ ſuperant noſtræ humanitatis infirmitatem, & quæ non aliud habere principium poſſunt, quam omnipotentem Dei gratiam. Quærabat ex Judæis Jeſus Chriſtus, quid illi quærerent in Deſerto, cum illuc catervatim confluerent glorioſum Præcurſorem ejus viſuri: *Matth. c. 11.* *Quid exiſtis in Deſertum videre?* Putatiſne, dicebat illis, vos ibi viſuros hominem mollibus veſtitum? &c. *Exhortationes Chriſtianæ P. Bourdaloue. Tomo 1.*

*Sancti Eremitæ in deſertum conceſſerunt ut facilius ſe ſanctificarent.* Thebaidis, Nitriæque deſerta, quibus ut ita dicam, tot inſignes ſanctitate viros debet Eccleſia, parum frequentia fuiſſent, niſi tranquilli eorum receſſus aptiores viſi fuiſſent contemplationi, quam urbium rumor, atque tumultus? Et quam inutile fuiſſet Paulis, Antoniis, atque Hilarionibus mundum deſerere, ut expeditius viverent in Sancta ſimplicitate, quam illis præſcribebat Evangelium; niſi neceſſaria fuiſſet ad acquirendam ſpiritus, & cordis puritatem, quam tanta cura quærebant? Neque dixerim ideo neceſſum eſt, ut omnes relinquant urbes, ut ſe ſanctificent. Quilibet perfici poteſt in omnibus ſeculi ſtatibus, & conditionibus. Nemo tenetur in Deſertum ſecedere, ut ſaluti proſpiciat ſuæ: ſed qui ad altiorem perfectionis gradum contendere volunt, ſe ſe omnino expediunt e mundo; ne amplius ullum cum eo habeant commercium, atque ut arctius adhereant Deo. *Sermo quintus Academiæ anno 1677.*

Anachoretæ ſemper principem inter ſolitarios locum tenuere propter ſtatus excellentiam, & eminantiam virtutis, & ſanctitatis. S. Benedictus ſecundum ordinem, ac naturalem diſpoſitionem primos Cœnobitas appellat; quoniam a Cœnobio ad Eremum gradum faciebant, & ibi primum ſemel inter Clauſtra efformare debebant, & per virtutum aliarum exercitium, præcipue vero obedientiæ acquirere perfectionem, robur, & mortificationem neceſſariam ad feliciter ſuſtinenda prælia, quæ illis in ſolitudine ſunt obeunda. *Anachoretæ principem tenent inter ſolitarios locum.* Neque ideo exiſtimandum eſt, quo minus Deus, qui ubi vult, communes regulas prætermittit, in ictu oculi de medio Mundi in Deſertum abripuerit electas animas, quas gratia ſua roboraverat, ſuoque repleverat ſpiritu, ut innoteſcit exemplis S. Pauli, S. Antonii, S. Mariæ Ægyptiacæ, Sancti N. cujus hodie memoriam celebramus, aliorumque plurimorum. *Ex Regula S. Benedicti. Tomo 1.*

*Tædia, & amaritudines, quæ obruunt Sanctum hunc Eremitam in deſerto.* Vix Sanctus hic Eremita mundo extremum vale dixit, ut ſe in deſerto ſepeliret, cum (nondum enim ſatis illi videbantur omnes auſteritates, quas ſanctum ſui odium, cum Dei amore conjunctum fecerat, ut in ſemet exerceret) permiſit, ut cor ſuum amaritudine repleretur; voluntas ſua ariditatibus, tædiis, extremiſque deſolationibus affligeretur; conſcientia acutiſſimis morſibus turbaretur, & ſcrupulis adeo importunis urgeretur, ut nullum quietis momentum carpere poſſet. Integras traducit noctes effundendo lacrymas felle amariores; pœnitentias ſuas iterat, onerat corpus ſuum recentibus auſteritatibus; confugit ad ſacramenta; producit preces ſuas; & nihilo minus lucem invenire nequit in tenebris, neque animæ ſuæ lætitiam reperire. Creſcunt illius tumultus, & ſollicitudines, vel ut melius dicam, creſcunt agones illius; ac tentationes augentur: videt ſe exagitatum importunis perſecutionibus Dæmonis, qui jugibus deſperationis cogitationibus illum torquet. *Ex Panegyricis P. Texier. Tomo 2.*

# PRO COMMUNI CONFESSORUM POENITENTIUM.

## M O N I T U M.

*HOC Pœnitentium nomine, quod in primitiva Eccleſia locus erat a communi Fidelium loco diſtinctus, de illis verba facere intelligimus qui fidem abnegaverant, aut flagitioſam, & abnormem vitam duxerant, qui tamen per Domini gratiam, atque miſericordiam ad officium ab errore converſi, humiliter ſe ſe Canonicis pœnis, atque animadverſionibus ſubjiciebant, & ad non modicum tempus a reliquo Fidelium cœtu ſepoſiti permanebant. Hoc autem exigebat Eccleſia pro peccatis enormibus, publiciſque, donec poſt publicam ſatisfactionem illos in partem admittebat Sanctorum Myſteriorum, quæ illis negabantur, niſi in gratiam cum Eccleſia rediiſſent, ac ſincera, veraque pœnitentiæ ſpecimen dediſſent. Hinc factum eſt, quod complures eorum per ſingularem Dei gratiam, cum eſſent antea peccatores inſignes, evaſerint admirabili ſanctitate viri; & poſtquam Eccleſia illos Anathemate percuſſerit, & in eos tamquam impios animadverterit, deinde tanquam Beatos coluerit; eorum pœnitentia facta fuerit æque glorioſa coram Deo, ac eorum crimina eos in oculis hominum dehoneſtaverant. Non eſt cur admodum in Scripturis, Sanctiſque hiſtoriis verſati ſimus, ut ingentem Sanctorum id genus numerum inveniamus, quorum elogium ſub Pœnitentium nomine celebrari poteſt.*

*Modo licet Eccleſia juſtis de cauſis plurimum de hac veteri diſciplina remiſerit, Dei tamen juſtitia nihil de jure ſuo relaxavit. Hæc ſibi vult in hac, vel altera vita ad extremum quadrantem ſatisfieri, cum hoc tamen diſcrimine, quod qui pœnitentiam ſuam in alteram differunt vitam, in aperto verſantur periculo nunquam pœnitentiam agendi: ii vero, qui in hoc ipſo Mundo fructus faciunt dignos pœnitentiæ, non ſolum Dei juſtitiam vitæ auſteritate mulcent, verum etiam ſæpe ad eum ſanctitatis, gloriæque gradum in Cœlo perveniunt, quo non perveniſſent, ſi nunquam flagitioſam vitam duxiſſent. Non deſunt plurimi, qui hac via ſe ſe ſanctificarunt: ſed quos aliunde cognoſcere non valemus, niſi ex pœnitentiarum ſuarum aſperitate; qui unicus titulus ſatis eſt ad eorum exornandum elogium ſermone ſatis utili, ac frugifero, pro quo hic non arctam rerum ſupellectilem ſuppeditamus.*

---

# PRO COMMUNI CONFESSORUM
## Pœnitentium.

*Læſi numinis dolor elicere debet lacrymas ex oculis noſtris.* RAtio traducendi in ſancto mœrore dies noſtros, eſt concipere, ac aſſequi mente, quid ſibi velit peccaſſe, tunc enim non in ſolo dolore, & mœrore ſubſiſtimus; ſed erumpimus in ploratus, lacrymas effundimus, & carnis auſteritatibus maceramus. Hæc tria neceſſaria ſunt, ut vivamus ſicut perfectum decet Pœnitentem. Primum fovendus eſt in imo corde extremus dolor patrati ſceleris; ſecundo lacrymæ fundendæ ſunt, vel ſaltem ingemiſcendum eſt coram Domino; tertio caro mortificanda eſt per eas pœnas, quæ ſingulorum viribus, atque ſtatui aptiores exiſtimantur. *Abbas de Jorry.*

*Lacrymæ, quas fundimus in obitu conſanguineorum, aut amicorum, ſunt inutiles.* Inutiles lacrymæ, quas conſanguinei, vel amici mors, aut temporalis alicujus boni jactura elicit! Hæ quidem facerent, ut jacturam ſentirem, illam autem non repararent, ex tantum lacrymæ, quibus eluam peccata mea, jacturam a me factam ſarcire poſſunt. Sum ex illis miſeris, quibus permittit Deus conſolationem, niſi amplius ſæculi voluptatibus me abdidero; ſi inutiles nugas contempſero; ſi omnia magnitudinis, & fortunarum meditamenta abdicavero. Sacrificium hoc non poteſt eſſe difficile cognoſcenti pretium lacrymarum pœnitentiæ. *P. Segneri Tomo 5. Meditationum.*

*Lacrymæ pœnitentiæ, quas Magdalena, & S. Petrus effuderunt, triſte eorum penetrabant.* His pœnitentiæ lacrymis peccatrix Magdalena ſe abluit, & S. Petrus emundatus eſt; ſed oportet, ut ſalutares contritionis aculei, qui has lacrymas eliciunt, in corde per gratiam defixi ſint, & gemitus, qui peccati ſordes eluunt, manent ex fonte divino; quia animæ juſtificatio effectus eſt ſupernaturalis, qui non niſi a ſupernaturali cauſa producendus eſt. Hujuſmodi fuerunt Sancti Petri lacrymæ; ex contrito illius corde, & divino Domini ſui obtutu, tanquam ſalutari quodam jaculo confoſſo effluxerunt, cujus vi pus, & vene-

*Houdry, Suppl. Bibl.* Tom. V.

*Matth. 26. 75 Luc. 22*

num vulneris adhuc recentis manſyit: *& egreſſus foras flevit amare*. Lacrymarum amaritudo conjuncta fuit cum copia. Quod per voluptatem ingreditur in cor, non niſi per dolorem poteſt emergere. Hic fons lacrymarum, qui poſt peccatum ejus obortus eſt, ad mortem uſque fuit inexhauſtus. Traditio teſtatur, hos lacrymarum rivulos, jugiter ex oculis ejus fluentes, in genis illius effodiſſe viſibiles notas doloris ejus: adeo illi perſuſum erat: ſatis eſſe ſemel peccaſſe, ut fletibus æternis peccatum delendum ſit. *Satis eſt peccaſſe ſemel ad fletus æternos. Idem.*

Propheta non excitat ad effundendas coram Domino lacrymas. *Threni 2.*

Jeremias ſecundo lamentationum ſuarum capite, ita loquitur ad populum Iſrael: *Deduc quaſi torrentem lacrymas per diem, & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui, conſurge, lauda in nocte in principio vigiliarum; effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini*. Propheta per hæc verba Judæos excitat ad pœnitentiam, quia graviter læſerant Deum, & quia poſt excidium Jeruſalem captæ, direptæque a Rege Babylonis, adhuc reliqui erant anni ſeptuaginta moleſtiſſimæ captivitatis; oſtendit illis veram pœnitentiam requirere gemitus, & ploratus; & nihil addi poſſe videtur iis, quæ dicit: *Deduc quaſi torrentem lacrymas*. Satis eſſe non putat lacrymas aliquot, ſed tanta in copia lacrymas jubet effundi, ut æquiparari valeant torrentibus, cum impetu fluentibus, ac omnia ſecum trahentibus. Jubet etiam has fluere *per diem, & noctem*, ut oſtendat, lacrymas has nequaquam ceſſare debere, quod prorſus oppoſitum eſt torrentibus, qui celeri quidem curſu feruntur, ſed quam primum exareſcunt. Oportet igitur ut lacrymæ torrentis habeant rapiditatem, & perennem fluminum curſum. Plorare *per diem, & noctem* ex Prophetæ ſententia non aliud eſt, quam a plorando non deſiſtere. Quapropter addit: *non des requiem tibi*: Ne ſomno indulgeas, neque enim quieſcendi tempus eſt, cum Dominus ſublata manu percuſſurus eſt te; lacrymare, inceſſanter implora divinam miſericordiam ſuam non verbis quidem, ſed lacrymis, non lingua, ſed oculis. Hic enim orandi modus magnas habet vires ad iram ſupremi judicis flectendam. *Cardinalis Bellarminus in Opuſculis.*

Quando & quo doloris ſenſu plorandum eſt?

Sed quoniam infirmitas humana aliquam requirit requiem, admonemur, ut ſaltem aliquam noctis partem vigilemus, quod tempus maxime proprium eſt vacandi orationi, & gemendi coram Deo: *Conſurge*, ait Propheta, *lauda in nocte*; videlicet cum modicum quieveris per diem, indulge orationi, & ne expectes donec admodum proceſſerit nox: *Effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini*; hoc eſt confitere illi peccata tua, ita emunda cor tuum, ut nihil reliquum ſuperſit; ſicuti ne una quidem aquæ gutta ſupereſt in vaſculo, quod evacuatum eſt. Hoc enim tempus eſt inveniendi gratiam coram Deo, confitendo patrata ſcelera; & humiliter, & cum lacrymis profitendo, te pœnas meritum eſſe, ac dignum eſſe, qui puniaris. S. Ambroſius loco huic hunc tribuit ſenſum: *Effunde* ait, *cor tuum in conſpectu Domini*. Sed non ſatis eſt amaris fletibus noſtra eluere peccata, illa etiam fratrum noſtrorum ploranda ſunt, & quantum per nos fieri poteſt, eorum converſioni conferendum eſt. *Idem.*

Homo afficitur magis patente jactura, quam gratiæ.

Lacrymis proſequi debemus gratiæ jacturam, & animæ noſtræ mortem. Qui vidit filium ſuum morientem; aut quæ virum ſuum, ſummo tantum mortis illorum dolore conficiuntur; nos vero, qui peccatis noſtris Cæli jacturam facimus, ne advertimus quidem. Eos, quicunque tandem illi ſint, non pudet teſtari immenſum dolorem ſuum, ſe ſe proſtitant humi, amaras emittunt lacrymas, veſtes mutant, & ſordidati ingemiſcunt. Non cogitant amplius, ſe in deliciis innuttitos fuiſſe; non timent, ut maciem contrahant, ac dolori indulgentes incidant in morbum. Molles feminæ ſuſtinent ea, quæ maxime faſtidium creant, & marem, virilemque animum præſeferunt. *S. Chryſoſtomus in Opuſculis.*

Quomodo S. hic pœnitens tradidit argumenta veræ & ſinceræ pœnitentiæ?

Cordis, & vitæ mutatio adeo eſt de eſſentia pœnitentiæ, ut ipſi quoque Hæretici nobiſcum conſentiant, & hac in re non differant a Catholicis, niſi quatenus in hoc ipſi conſtituunt omnem eſſentiam, & obligationem; nobis aſſerentibus hanc partem eſſe dumtaxat; ſed cui ut plurimum adeo præpoſtere ſatisfacimus, ut libenter aſſirmarem, eodem tempore, quo Hæretici illius deſtruunt naturam, ſæpe Orthodoxos praxim evertere; nunquam enim minus ſinceræ viſæ ſunt converſiones, nec minus veræ morum, vitæque mutationes. Abuſus qui hac in re accedunt, eo procedunt, ut inutilem efficiant ſupremam malorum omnium medicinam, & unicam ſalutis noſtræ ſpem diruant. Cum autem Sancto Pœnitenti noſtro explorati compertique eſſent omnes iſti abuſus, nemo fuit, qui apertiora dederit veræ, ſinceræque converſionis documenta. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Theologo justitiæ divinæ ſententiæ.

Jure optimo dixerunt Theologi, Pœnitentiam eſſe juſtitiæ divinæ effuſionem, & præcipuum illius munus eſſe acuere peccatorem in ſeipſum, eumque cogere, ut in ſe animadvertat. Profecto Pœnitens non aliud eſt, quam homo irritatus, quærens Dei gloriam, & ulciſcens contumelias, quæ in ipſius perſonam illatæ fuerunt. *Quid eſt aliud homo pœnitens*, S. Auguſtinus ait, *niſi homo ſibimet iratus?* Ægre ſe ipſum ſuſtinet, quia ſe nocentem videt; & perinde ac ſuus eſſet judex, & carnifex, excogitat nova quotidie ſupplicia, ut ſe ipſum puniat. Cum ejus augetur iracundia, de dolore gradum facit ad mortem, & quin ſcelus admittat, innocuam artem invenit efficiendi, ut quidquid in ſe diſplicet Jeſu Chriſto, moriatur. Conatur enim delere omnes reliquias peccati, quas a primo Parente accepit, Occidit per pœnitentiam veterem hominem, confugit ad mortificationem, deficiente Martyrii occaſione, & minime valens vitam perdere inter ſupplicia, eam breviorem efficere ſtudet per jejunia, atque vigilias. *Veterem hominem*, Guerricus Abbas ait, *cum actibus ſuis gladio pœnitentiæ interficis*. Et S. Bernardus, *perdit animam ſuam ſive ponendo eam, ut martyr, ſive affligendo, ut pœnitens*. Denique in exceſſu iræ ſuæ eligit ſæviſſimum mortis genus, ac ſe ipſum damnat ad ſubeundam honoris, ac vitæ jacturam, ſe ipſum cruci configens. *Chriſto confixus ſum Cruci*. Ubi. S. Joannes Chryſoſtomus inquit, duo magna eluceſcere miracula viſa ſunt, quæ ſtuporem fidelibus injiciunt; Quorum primum eſt, pœnitentem vivere, quia reſurrexit: alterum vero, mortuum eſſe, quia crucifixus eſt: *declaratque duplex miraculum, alterum quod crucifixus eſt, alterum quod vivit, & quod vivens, ac ſpirans ſimul crucifixus eſt*. Pœnitentia nequit longius procedere, nihilque ultra exigit a peccatore, ubi illum contra ſe ipſum animavit, ejuſque manibus uſa eſt ad occidendum illum innocuo parricidio, & affixit illum Cruci, ut juſtitiæ divinæ faceret ſatis. *In Panegyricis P. Senault Oratorii, Tomo 3.*

*Sermone de Pœnitent.*

*Bernard. ſerm. 30. in Cantic.*

*Galat. 2.*

Sanctus hic nulli pepercit rei, ut ſe puniret, & mortificaret?

Ex omnibus Pœnitentibus, qui has omnes diverſas tentavere vias, nemo diligentius, auſteriuſque id fecit, quam Sanctus N. cujus feſtum diem hodie recolimus. Si enim attentius ad examen revocaveritis primos converſionis ejuſdem annos, videbitis hominem iratum ſibi, nihil ſibi parcentem, ſibi renuentem non dico ſuperflua, ſed neceſſaria; corpori ſuo indicentem bellum, quaſi hoſti infeſtiſſimo; dies in jejuniis, noctesque in vigiliis traducentem, & in omnibus actibus æquiſſimam ultionem ſuam preſeferentem. *Idem.*

Quomodo Sanctus hic ad mortificationem, & pœnitentiam confugit?

Sanctus Noſter ſciens Pœnitentem mortem dolori adjicere debere, omnes mortis occaſiones inquirit, cumque illam in Martyrio nequeat invenire, confugit ad mortificationem, quæ non aliud eſt, quam diuturna mors, eaque auſtera. Ut enim ſcite S. Bernardus ait, ſi hoc ſupplicii genus non ita crudele eſt, ac illud, quod Martyrum conſtantiam exercet, ſaltem eſt prolixitate moleſtius: *Quamquam eſt genus Martyrii ſpiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra caeduntur ferro, horrore quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius*. Verum quis melius novit rigorem diuturnitati ſupplicii hujus conſociare, quam hic Sanctus, quandoquidem quotidie recentem excogitabat auſteritatem ad corpus, ſpiritumque ſuum mortificandum? *Idem.*

*Bern. ſerm. 30. in Cantic.*

Mundo factis eſt admirari eos, qui cruces amplectuntur cruce, & mortificationes, ſed illas ſequi, & imitari detrectat.

Cum Calvarii Philoſophia eo ſublimior eſt, quo auſterior; longe plures habet admiratores, quam Diſcipulos; & niſi in Crucis ſchola fuerint inſtituti, non ita facile illius aſſequuntur præcepta. Vult enim peccatorem non ſolum mundo mori, ſed etiam crucifigi. Vult illum amare, & in pretio habere omnia, quæ mundus contemnit, & odit; & e contra odiſſe & contemnere quidquid Mundus amat, & habet in pretio. Opus eſt, ut cruces ſint mutuæ, ut & mundo pœnitens crucifixus ſit, & mundus pœnitenti; *Omnia quæ mundus amat, crux mihi ſunt*; ut quidquid diligit mundus illi ſupplicium ſit; ut honores, opes, voluptates ille perhorreſcat, & quæ Mundus cruces putat, caſtas delicias eſſe arbitretur; illas diligenter requirat, libenter amplectatur, iiſque toto adhæreat affectu. *Idem.*

De exiguo pœnitentium numero in Eccleſia.

*Galat. 6.*

Pauci pœnitentes, & crucifixi in Eccleſia inveniuntur & ſi aliquot Sanctos excipitis, inter quos Sanctus Noſter inſignem locum promeritus eſt; non multos video, qui cum S. Paulo dicere valeant: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*. Non deſunt, S. Gregorius ait, qui carnem ſuam mortificant, & qui ad mundi gloriam anhelant; qui jactitare poſſunt, ſe crucifixiſſe corpus ſuum; ſed ſimul fateantur neceſſe eſt, ſe per ambitionem mundo vivere, & quin ibi crucem ſuam perquirant, ſe voluptatem, ac opes inquirere. *Qui corpus macerat, ſed honoribus anhelat, crucem carni intulit, ſed mundo per concupiſcentiam pejus vivit*. Sed pauci inveniuntur, hic idem Pater addit, qui crucifixi ſint mundo, & quibus mundus ſit crucifixus; qui non amant amplius Mundum, & quos mundus non amplius diligit; qui mundum horreant, & quos horreat mundus, ideoque pauci ſunt pœnitentes. *P. Senault in Panegyrico Sancti Franciſci.*

*Gregor. l. 8. Moral. c. 28.*

Vera imago Pœnitentis.

Non ne hæc vera eſt Sancti N. tabula? Contemnit mundum, & a mundo contemnitur; ille mundum pati nequit; neque illum mundus, ſe ſe mutuo affligunt, & alterum viciſſim ſe crucifigit, & quaſi mundus factus eſſet Sancti hujus carnifex, perſequitur illum, & voti compos ſui non eſt, niſi eum ſuffixerit cruci. Illum enim tanquam inſipientem traducit, in ludibrium vertit, & omni contumeliæ genere afficit. Videt ne poteſt bellum apertius, odium crudelius, & magis furens perſecutio? *Idem.*

Verum

*Verus Pœnitens mundi placitis adverſatur.*

Verum ſi mundus Sanctum hunc crucifigit; Sanctus hic non parcit mundo. Per Evangelii placita pernicioſa mundi placita evertit: auſteritate pœnitentiæ noxias illius voluptates condemnat; cilicii ſui humilitate veſtium pompam redarguit, ac tandem mundum crucifigit condemnans quidquid mundus veneratur. Severiuſne id facere poterat quam cum tot exercuit ſeveras mortificationes, quæ illum verum Jeſu Chriſti imitatorem efficiebant? Non ne hoc erat ſapientem Crucis ſtultitiam reſtituere? Non ne hoc tandem erat inſanam mundi Sapientiam damnare, illum Cruci ſuffigere, quemadmodum Jeſus Chriſtus olim dæmonem, & peccatum ſuffixit? *Idem.*

*Homo, qui agit pœnitentiam Dei juſtitiam prævenit, illam ultro in ſemetipſum exercens.*

Homo agens pœnitentiam Dei fungitur officio, ejuſque locum tenet ſua peccata condemnans. Illa igitur cum omni ſeveritate damnare debet: hæc prima eſt concluſio. Homo agens pœnitentiam ſimul eſt & judex, & reus; hoc eſt judex a Deo conſtitutus in cauſa ſua, in qua in ſeveriorem partem debet inclinare. Hæc altera concluſio eſt. Homo agens pœnitentiam fert judicium a quo datur provocatio ad ſuperius judicium; cujus ſententiam ſine illa relaxatione ſubire debet. Hæc tertia concluſio. Homo autem plures ne ob cauſas in ſemet debet eſſe ſeverus? *En primis Sermonibus P. Bourdalove Tomo 3.*

*Peccator pœnitens ſui ipſius judex eſt.*

Peccator vere tenet locum Dei, cum ſe per pœnitentiam judicat; & hoc Tertullianus innuebat per emphatica verba illa: *Pœnitentia Dei indignatione fungitur.* Quid eſt Pœnitentia? Virtus eſt, quæ in nobis fungitur munere juſtitiæ, vel potius iracundiæ Dei. Fingite vobis, S. Ambroſius inquit, Deum inſtituentem pœnitentiam pactum feciſſe cum homine, cum illo egiſſe, eique dixiſſe: opus eſt, ut aut ego judex ſim peccati tui, aut ut tu ipſe contra te judicium feras. Tibi optionem relinquo alterutrum evitare non vales; peccatum enim tuum pœnam meretur, ſed alteruter ſatis erit. In te igitur eſt, eſſe judicem tui; ſi enim temet per pœnitentiam judicare volueris, mihi nulla erit amplius actio in te; alioquin niſi ipſe volueris exercere in te ipſum judicium hoc, jus meum mihi manebit, & tanquam Deus, tenebor mihi met jus dicere? Hæc Deus; ſed quo in Scripturæ libro ita loquitur Deus? Neſcio equidem quot in locis Veteris, novique Teſtamenti, præcipue vero per Sanctum Paulum, nobis dicentem:

1. Cor. 11. *Quod ſi nos dijudicaremus, non utique judicaremur a Domino. Ex primis Sermonibus P. Bourdalove Tomo 3.*

*Bona, quæ inveniuntur in corpore pœnitenti Sancti hujus.*

Multa inveniuntur bona in terris in corpore pœnitenti Sancti hujus. Hoc eſt adeo ſubjectum ſpiritui ſuo, ut nunquam rebellet adverſus ipſum; ſine murmure obedit omnibus voluntatibus ejus. Pœnitentia fidelis gloriæ imago illud ita ſubjecit, ut nullus in eo deprehendatur motus moleſtus, qui juſtorum patientiam exerceat, & qui ex eo non eliciat, ut olim ex S. Paulo, votum illud cum ſuſpiriis, & ejulatu: *Quis me liberabit a corpore mortis hujus?* Videtur Beatus hic non manducare amplius ex neceſſitate, ſed ex potentia, alimenta huic non eſſe amplius neceſſaria; & ſi veſcitur, non veſci, ut ſuis ſatisfaciat neceſſitatibus, ſed ut evitet mundi gloriam, & laudem. Nullum habet amplius commercium cum hominibus, & aures illius, quæ non audiunt amplius verba noſtra, ſingulis noctibus audiunt concentus Angelorum, quibus recreatur. Sed ut vobis liqueat nullam ei glorioſi corporis deeſſe qualitatem, ſciatis oportet, eum tantum reſurrectionis Domini ſui eſſe participem, quantum crucis ejuſdem particeps fuit. *Ibidem.*

*S. hic Pœnitens ſibi blanditus non eſt in ſua pœnitentia.*

Satis omnibus perſuaſum eſt, ad veram peccatorum pœnitentiam faciendam, & conſequendam eorum veniam ſincere peccatis eſſe abrenuntiandum, & credere volo neminem ad Pœnitentiæ Sacramentum accedere, qui non habeat deſiderium, & re ipſa non curet inire conſilium pœnitentiæ peragendæ, ſine quo ſcit confeſſionem inutilem futuram. Sed prima illuſio, quam deprehendo, & quæ omnium eſt vulgatiſſima, hæc eſt quod hoc conſilium ſemper in conſilii natura conſiſtit, & determinatio, quæ ſtabilis, ac firma videtur; quæ etiam exprimitur fallacibus verbis, quæ & Confeſſarium, & pœnitentem illudunt, ſimplex ſemper eſt determinatio, non autem effectus. Nobis autem blandimur, nobis verum eſſe vitæ mutandæ propoſitum, & ab omnibus flagitiis abhorrendi; ſed cum effectus non ſubſequatur propoſitum, conſilium hoc ut plurimum chimœricum eſt. Hic in re Deum fallere non poſſumus, qui renes ſcrutatur, & corda, ſed plerumque noſmetipſos decipimus accipientes cogitationes mentis noſtræ pro affectionibus cordis, & noſtræ imaginationis commenta pro veris voluntatis noſtræ conſiliis. E contra ſi ad examen revocaverimus Sancti hujus Pœnitentis factum, intelligemus, illum ſibi nequaquam blanditum fuiſſe & fideliter pro virili parte quantum in ipſo erat, conſuluiſſe veræ, ſinceræque pœnitentiæ. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

*Pœnitentia peccatorum criminum facienda. Jo. 8. 11.*

Sciſcitabimini, quænam vobis inſtituenda ſit peccatorum veſtrorum pœnitentia, & reſpondebo vobis, ut olim Jeſus Chriſtus mulieri adulteræ: *Nec ego te condemnabo: vade, & jam amplius noli peccare.* Magna pœnitentia veſtra erit ferre patienter mala veſtra; configi in cruce cum Jeſu Chriſto, ab hac vita vos convellere in



ſtatu triſti, & moleſto, in quo ſit adeo fragilis, eamque, ſi opus fuerit ſacrificare Deo cum humili fortitudine. O quam bona pœnitentia eſt ſeſe tenere ſub manu Dei inter vitam, & mortem! Nonne hoc eſt reparare omnia vitæ crimina, patientem eſſe in doloribus, & præſto ad ſubeundam, ubicunque Domino placuerit, vitæ hujus jacturam, qua adeo perperam abuſi ſumus? *En Epiſtolis Domini Fenelon Cameracenſis Epiſcopi de variis Religionis argumentis.*

*Magnum hic Sanctus eſt pro nobis pœnitentiæ qui homo oſtendit placita Evangelii non eſſe ardua, & difficilia.*

Intuemini in Sancto hoc Pœnitente viventem crucifixi Salvatoris imaginem; ex vita ejus diſcite nihil eſſe in Evangelio, quod amor facere nequeat, ſeveriſſima Evangelii inſtituta facillima eſſe iis, quibus aliquid fortitudinis ineſt: mortificari poſſe corpus non ſine aliquo voluptatis genere; relinqui poſſe divitias, & in ipſa paupertate copiam invenire, contemni poſſe honores, & ſibi nominis famam conciliare; bajulari poſſe crucem, & in ea delicias invenire; denique glorificari poſſe, poſtquam crucifixus fueris; quandoquidem Sanctus N. adeo feliciter crucem cum gloria conjunxit. *Panegyricus S. Franciſci apud P. Senault.*

*Cauſæ quæ prætexuntur, ut nobis ea pœnitentiæ officiis diſpenſemus.*

Cum vobis exhibetur Dei Filius manus habens clavis terebratas, & caput ſpinis coronatum veſtram cauſamini imbecillitatem, atque illius potentiam; dicitis illum Deum fuiſſe, vos autem homines eſſe; illi æque facile fuiſſe dolorem ſuperare, ac dæmonem vincere, & ob futiles has cauſas voſmet ab officio veſtro diſpenſatis. Sed quid dicetis de vobis propoſito exemplo? Quid dicetis de hoc Pœnitente crucifixo, quem vobis ob oculos poſui? Nonne homo erat, uti vos? Nonne iiſdem circumdatus erat infirmitatibus; & illius anima licet generoſa, non ne non ſecus ac veſtra in fragili, mortalique carne erat incluſa? Attamen ille toto vitæ ſuæ tempore egit pœnitentiam, ſenſibus ſuis negavit, non equidem dico, eorum deſideria, ſed neceſſaria. Excepit ille corpus ſuum tanquam infenſiſſimum hoſtem, vixit in omnium contemptu, in paupertate, in dolore, atque ad virtutis cumulum, geſtavit Crucem, ac vulnera Domini ſui. *Idem.*

*Timendum nobis eſt, ne S. hic Pœnitens aliquando nos accuſet, & damnet.*

Non veremini ergo, ut vos aliquando crucifixus hic vos damnet, & Sanguis de vulneribus ejus defluens ſit atramentum illud, quo ſcribatur, vel ſignetur juſta mortis veſtræ ſententia? Vobis mihique magis reformido Sancti hujus, quam ipſius Jeſu Chriſti plagas. Hæ pro nobis quidem miſericordiam deprecantur, illæ vero contra nos ultionem depoſcunt. Hæ noſtrum nobis ingrati animi vitium exprobrant; ſed illæ noſtram exprobrant ignaviam. Hæ nobis ſuggerunt excuſandi modos: illæ hos nobis eripiunt, noſque erudiunt, ſi minus ea patimur, quæ paſſus eſt N. nobiſcum tantum nobis eſſe ſuccenſendum. Petamus igitur participes fieri paſſionum ejus; oremus, ut ille nobis ſua ſtigmata inurat, & pœnitentiæ amorem inſpiret. *Idem in Panegyrico S. Franciſci.*

*Pœnitentia eſt æternarum pœnarum compendium.*

Ignorare nemo poteſt pœnarum æternitatem deberi, & paratam eſſe uni tantum mortali peccato; & hanc æternitatem nulla ratione evitari poſſe niſi per pœnitentiam. Igitur pœnitentiæ magnitudo ſecundum hanc menſuram æſtimanda eſt. Sceleribus noſtris æternum meriti ſumus ſupplicium; nobis per pœnitentiam efficiendum eſt, ut eruditus quidam Auctor ait, quoddam veluti *Compendium ignium æternorum*. Si igitur compendium eſt, eorum æternitatem exprimat neceſſe eſt durationis diuturnitate; compenſet opus eſt inutiles damnatorum deſperationes ſuſpiriis, & vivæ, ſinceræque pœnitentiæ doloribus; ignibus, ac tormentis loci hujus ſuppliciorum ſubroget jejunia, cilicia, aliaſque ſeveritates, quas verus dolor inſpirat; verbo, hæc pœnitentia aliqua cum ſimilitudine facere debet, quod Divina faceret aliquando juſtitia, ſi ita miſeri eſſemus, ut illam nollemus prævertere: *Compendium ignium æternorum.* Scio equidem in compendio non requiri totam extenſionem ejus rei, cujus compendium eſt; verum nonne compendium hoc omnes continere debet proportiones rei ipſius? Ita ſicuti per noſtrum ſcelus promeriti ſumus maximum omnium ſuppliciorum; opus eſt, ut pœnitentia, quæ juſtitiæ locum tenet, nobis inferat pœnam, quæ ratione habita virium noſtrarum maxima ſit omnium pœnarum: alioquin timendum eſt, ſi minus pœnitentia noſtra, quæ divinæ juſtitiæ ſupplementum eſt, quo nomine ab erudito Theologo appellatur, non ſatis fuerit congrua, Deus viciſſim juſtitia ſua noſtræ ſuppleat pœnitentiæ; videlicet ſuppleat ignaviæ noſtræ, atque tantum in nos ſeveritatis exerceat, quantum in noſmet in præſentiarum indulgentiæ adhibemus. *Ex Dominicali Auctoris Sermonum in omnia argumenta. Tomo 1.*

*De gaudio, quod in cœlo gignit peccatoris converſio.*

Nihil peccatoribus majus ſolatium, aut confidentiam, vel converſionis celeritatem afferre poteſt, quam Evangelii Parabola. Salvator pluribus in locis teſtatus fuerat ſingularem ſuam erga peccatores benevolentiam, ſalutis eorum deſiderium ſollicitamque curam eos convertendi; verba, facta, parabolæ, omnia prodebant viſcera miſericordiæ divini hujus Salvatoris. Non veni vocare juſtos, ajebat ille, ſed peccatores; bene valentibus non eſt opus medico; ægris pharmaca propinantur. Si peccatoris imaginem nobis adumbrat in evagatione filii prodigi, ſuum quoque proponit in optimo libidinoſi hujus filii parente, qui illum alacriter cum tanto gaudio, feſtinatione, hilaritate excipit, ita ut fratri

conflaret invidiam. Denique myſterium Incarnationis Verbi, nativitatis Domini, vita ejus mortalis, & mors valida ſunt argumenta illius amoris, quo Deus complectitur homines, & deſiderii illius, quo peccatorum ſalutem quærit, & urget; ſed duplex parabola, quam in hoc proponit Evangelio, ſuperare videtur quæcunque alia miſericordiæ ſuæ monumenta. Se Patriſfamilias comparat, centum oves habenti; qui ſumma ſollicitudine earum curam gerit, omneſque permanter complectitur; nihilque intentatum relinquit, ne earum quævis aberret. Ipſe eas agit in optima paſcua, & arcet lupos ab ovili. Nihilominus, licet omnem vigilantiam, & curam adhibeat omnem, una earum deerat: Bone Deus! quænam tunc amantiſſimi Paſtoris cura eſt? quid non agit? Quem laborem non aggreditur, ut deerrantem inveniat, & reducat in paſcua? Diceres ſalutem ovium nonaginta novem, quæ reliquæ in ovili ſuperſunt, tantum illi non afferre voluptatem, quantum affert dolorem unius jacturæ. Relinquit alias unam illam quæſiturus, qua inventa quænam ejus eſt lætitia, quæ voluptas? Quin huic ſubiraſcatur; agatque illam ante ſe, ut intra ſepta cogat: imponit eam in humeris ſuis, ut eidem itineris laborem auferat, & ſuavi hac onuſtus ſarcina triumphantis inſtar in ovile ſuum ingreditur; neque ſatis eſſe putans illam recuperaſſe, vult omnes amicos ſuos gaudii ſui participes fieri. Salvator amabilis ſub hac imagine ſe ipſum deſcribit. Invenite, fingite vobis argumentum, colores, locutionem, ſchema aliquod magis aptum ad ſuavem nobis confidentiam injiciendam? En aliam parabolam, quæ non minorem grati animi ſenſum, & converſionis deſiderium in peccatore ciere debet. Mater familias argenteum nummum amittit; quare ſummo dolore conficitur. Quot ſe non torquet laboribus, ut illam inveniat! Lucernam accendit, omnia evertit loca, omnem ſus deque domum evertit, omnes ſerutatur angulos, donec tandem invenit illam. Quæ tunc animi exultatio, quæ gaudii ſignificatio, qui intemperantis lætitiæ clamor! Diceres, illam omne bonum ſuum, quod amiſerat, repenſſe: Ita, Dominus addit, gaudium erit in cælo ob reditum, & converſionem peccatoris, qui cum per peccatum interiiſſet, tandem gratiæ victas dat manus. Poſt hæc autem adhuc aliæ expetuntur cauſæ, ut quis ſe convertat! *P. Croiſet in Aſceticis. Tomo 5.*

Peccator differens converſionē excuſari nequit.

Peccator eſt inexcuſabilis ſi poſt adeo urgentes ſollicitationes, tantamque Dei benevolentiam ſe non convertit, & differt adhuc pœnitentiam. Quam enim prætexere cauſam poteſt ſuæ pertinaciæ? Quantulumcumque adhuc religionis ſuperſit; poteſtne quis ignorare periculum æternæ infelicitatis, ſi velit adhuc vivere in peccatis? Niſi hoc ignoretur, quid retinere poteſt hominem, cui ſuperſit adhuc lux recti ſenſus, & aliquod religionis principium, ne ruat in præceps, tunc etiam, cum renditur ei manus, quæ retrahat illum; quid inquam illum retinere poteſt in ſtatu peccati, cum etiam Deus illi ſuam exhibet gratiam? Numquid ſeveritas Dei jure irritari flagitiis, & ſceleribus ejus? Sed tandem poteſt ille non prævidere gaudium, quo univerſa Cælorum patria exultabit propter illius converſionem, reditumque, poſt hanc Evangelii noſtri parabolam? Poteratne Salvator aliquid dicere aptius ad ſedandos furores noſtros, ad timorem noſtrum auferendum, ad levandum tuborem noſtrum, noſtſque immittendam in miſericordia ipſius confidentiam, quam hanc parabolam? Cælum univerſum magis gaviſurum eſt noſtra converſione, quam juſtorum perſeverantia. Deus ipſe, ut ita dicam, ſibi gratulatur de reditu noſtro ad ſe. Quantum terribilis eſt peccatori in peccato morienti, tantum ſuavis eſt, compatiens, miſericors, præveniens, indulgens peccatori peccata ſua in hac vita deteſtanti. Mors in peccato ignes æternos accendit, & Dei provocat iracundiam, armat ultionem illius in omnem æternitatem contra peccatorem in peccatis morientem; converſio autem peccatoris, ſincerus illius dolor, & pœnitentia exarmat iram Dei, iterum accendit omnem illius benevolentiam erga peccatorem, efficitque, ut omnium criminum illius obliviſcatur. Et poſt hæc differtur converſio? Peccator adhuc vivit, & moritur in peccato? *P. Croiſet in Aſceticis Tomo 5.*

Quo Dominus magis miſericors eſt, eo peccator obſtinatior eſt, & ſit nocentior.

Quo magis Dominus erga peccatorem miſericors eſt, eo nocentior peccator eſt, ſi in ſua rebellione perſiſtit contra Patrem adeo bonum; nihil melius oſtendit juſtitiam adeo ſeveri ſupplicii, quo Deus ita pertinacem punit nequitiam, quam impia peccatoris in peccato obſtinatio. Scrutamini ſenſum parabolæ, quæ tantæ conſolationis repleta eſt. Tandiu, ut ita dicam, mœrore affeciſtis Cælum univerſum impuriſſimo vivendi genere: hodie poteſtis Cælum univerſum afficere lætitia per ſinceram converſionem veſtram ad Deum. Ne cunctemini ergo, neque differatis ad horæ dimidium, neque ad breve momentum afferre Sanctis Angelis lætitiam vobis utiliſſimam futuram. Si nondum temet convertiſti, convertere, hoc ipſo temporis articulo per actum perfectæ contritionis, & per integram confeſſionem. Si jam te convertiſti; inſtaura converſionem tuam interioris pœnitentiæ renovatione, & recentibus actibus Contritionis, ſæpe per ſingulos dies repetendis. Tibi non ſufficiat unius converſionis affectus; illam per effectus proba, præbe hodierna die recentia illius argumenta ſive per ampliorem confeſſionem, ſive per officioſam viſitationem illis præſtitam, cum quibus in gratiam rediſti, ſive per opera miſericordiæ. Elice profeſſionem magis apertam pietatis, & ſanctimoniæ. Non vulgarem eroga eleemoſynam animo reparandi quidquid injuſte fortaſſe peccaveris, licet te fallat. *P. Croiſet in Aſceticis Tomo 5.*

Senſus veri Pœnitentis.

Quo magis me attollere conabor, eo minus in decidendi diſcrimine verſabor; & quo magis ad id contendam, quod ſanctiſſimum eſt in officiorum meorum obſervantia, eo minus metuam ne in iis, quæ magis eſſentialia ſunt, deficiam. Verum licet hoc ineam conſilii, quod coram te, & non ſine gratia tua capio, non audeo aſſerere me illud caſte, integreque in conſpectu tuo ſervaturum. Donec vixero, plurima mihi excident errata; & donec mortali hoc corpore indutus ero, nimis triſtes humanæ conditionis effectus experiar; verum ſaltem proponens ea ſemper facere, quæ ſuperent ea, quæ facere teneor, me in eum ſtatum adducam, ut non deficiam in iis, quæ majoris momenti ſunt, & invigilans ſanctificationi meæ, effugiam occaſionem, ac periculum memet prævertendi. *P. Bourdaloue in ſpiritualibus receſſibus.*

Comparat J.C. peccatorem filio viduæ, quem a mortuis revocavit.

Quid dixit Jeſus Chriſtus filio viduæ, quem ſuſcitavit? Dixit illi, *Adoleſcens tibi dico, ſurge.* Opus eſt, ut peccator, qui ſincere converti vult, ſurgat e tumulo ſuo. Videlicet nulla eſt, nec vera converſio, niſi peccator omnes exerit conatus ſuos, ut de peccato referat victoriam. Mundus ignavis plenus eſt in ſcelere ſuo languentibus. Peccati effectis deterriti conſilium aliquando capiunt ex erroribus ſuis emergendi; ſed ubi illis ſuades, ut pro viribus ſurgere conentur, conſilium hoc ſtuporem illis injicit, & abjiciunt animum. Nolunt ullis ſibi ſumptibus, laboribuſque litare pœnitentiam. Clamante Mundi Salvatore, *Surge*, tanta eorum eſt mollities, ut nolint ſibi quidquam faceſſere negotium; manent in mortis lectulo. Dei Filius quærit, ut ſibi vim faciant; hanc vim poſtulat, & ſine hac nunquam eos ſuſcitabit. *Tomo 4. Anni Evangelici.*

Vis, quam ſibi inferre debet peccator, ut ſuperet peccatum.

Primum quidem exigit, ut vobiſmetipſis vim inferatis ad ſuperanda peccata. Cum enim vos Deum dereliquiſtis, ac dæmoni ejus inimico ſerviſtis; peccatum auxit vires ſuas, altaſque jecit radices in animas veſtras. Peccatum fortius, ac validius eſt deliberationibus veſtris, quæ adhuc nutant, & infirmæ ſunt. Hic rapidus eſt torrens, qui ſecum rapit quidquid ipſi objicitur. Putaſne te repente violentiam hujus fluminis pernicitatem cohibiturum? Tempore opus eſt, multiſque conatibus. Vim ſibi facias oportet; plurica admovendus eſt huic vulneri ignis, antequam convaleſcat. Animos deſpondere non debes, cum hoſtis robuſtus, & acer, aliquam de te refert victoriam. Innocentia nonniſi multis laboribus, & poſt plurima certamina reparatur. Cauſam affert S. Auguſtinus: ſi enim facile repararemus ſemel amiſſam innocentiam, illam iterum, ac ſæpius amittere conſueſceremus, quod ſine labore haud ægre reparaviſſemus. Peccator videns quanti ſibi ſtet eum, ex quo ſemel decidit, ſtatum adipiſci; diligentius ſervabit theſaurum, quem tanta difficultate vix poteſt reparare. *Idem.*

Progreſſus quos eſſe oportet debet pœnitens, ubi vicerit peccatum.

Multum profecit peccator, cum eo pervenit, ut peccatum vinceret, & ab eodem recederet. Nondum tamen hoc totum illud eſt, quod ab illo expetit Jeſus Chriſtus. A peccatis ceſſare, & parrata delere ſcelera duo ſunt, ſimul non perturbanda. Cum recens non conflatur æs alienum, non ideo illud, quod antea conflatum fuerat, diſſolvitur. Exigit ergo Jeſus Chriſtus, ut non mediocres conatus exeramus, ad hoc, ut veteribus noxis ſatisfaciamus. *Anni Chriſtiani Tomo 4.*

Licet Sanctus hic a lethali peccato eſſet immunis, tamen verè durit pœnitentem

Sed quin S. Ambroſii rationibus utar, nonne ſatis eſt a me vobis exhiberi exemplum S. N. Innocens erat, & per eam gratiam, quæ noviſſimis hiſce ſæculis eſt infrequentiſſima, in Baptiſmalis innocentia perſeveraverat: tamen erat pœnitens uſque ad vigilias, jejunia, flagella. Non parcebat ſanguini ſuo, cum Deo ſatisfacere vellet, & licet nullius ſibi criminis eſſet conſcius, niſi eorum, quæ ne juſti quidem evitare poſſunt; tamen non ceſſabat quominus in ſe tanquam nequiſſimum hominem animadverteret. Nos vero per execrabilem ignaviam nocentes ſumus, & eſſe nolumus pœnitentes: gloriamur de infirmitatibus noſtris, & pharmaca pudet epotare; crimina criminibus agglomeramus, & ſemper pœnitentiam differimus. Attamen nulla ſalus eſt peccatoribus ſine pœnitentia, & quoniam divinam læſimus Majeſtatem per impotentiam, opus eſt, ut illi ſatisfaciamus per pœnitentiam, atque dolorem. *P. Senault in Panegyrico S. Nicolai de Tolentino. Tomo 2.*

Quid faciendum ſit, ut Sancti hujus pœnitentiæ exemplum ſequamur?

Manus noſtras commodemus divinæ juſtitiæ, ut illam ulciſcamur, & noſmet puniamus. Exequamur judicia, quæ protulit in peccatores, & in noſmet ipſos carnificum miniſterium exerceamus, & ſuppliciorum noſtrorum ſeveritatem magnitudini ſcelerum aptemus. Oremus Sanctum, cujus hodierna die colimus ſolemnitatem, ut nos animet contra nos, ut nos participes faciat luminis ejus, cujus ope in ſe met minimas etiam labes detegebat, illius ſeveritatis qua in ſeipſum acerrime animadvertebat, & inflammati zeli, quo tanto cum furore ſæviebat, in ea, quæ Dei legem, ac honorem lædebant. *Idem.*

Nō acquieviſſet Deus promiſ-

Si Ninivitæ non reliquiſſent ſcelera ſua, & ſatis eſſe cenſuiſſent eorum pœnitentiam polliceri, ac profiteri,

ſe dum-

Cur Ninivitarum pœnitentiam ſe facturos promittentium, niſi illam vere & practice egiſſent.

ſe deinceps non peccaturos: putatis ne futurum fuiſſe, ut Deus umbratili huic pœnitentiæ acquieſceret? Non ita, Auditores; factis opus erat; & in hoc adimpleta fuit, Sanctus Auguſtinus inquit, Jonæ prophetia, qui prædixerat fore, ut intra dies quadraginta Ninive ſubverteretur: *Aliter quidem hominibus, aliter Deo viſum eſt: Ego impiorum puto, quod Propheta prædixerat.* Everſa ſunt Ninivitarum vitia. Ninive non fuit ultra voluptuoſa illa Ninive, ac deliciis abdita. Mutatio ejus, quæ vim habuit mulcendi iram Domini, fuit omnimoda vitiorum ejus ſubmeſſio; & quin in ſuderibus contumularetur, luxum, ac libidines ſuas ſub cinere pœnitentiæ ſepelivit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quomodo Sanctus hic ploraverit, & everit pœnitentiam.

Simulac Sanctus N. ſuum crimen confeſſus eſt, *prorupit ad lacrymas*. Uti noluit verbis, quæ fallere poſſunt, lacrymas adhibet, quæ doli, ac fraudis ſuſpicione vacant: *Sermo in precando forte fallit, lacryma non fallit*. Verum eſt lacrymas non loqui, tamen ſecretam habent vocem, quæ in Cælo auditur; quam ob rem Propheta Deum deprecabatur, ut lacrymarum ſuarum vocem exaudiret: *Exaudi vocem fletus mei*. Non poſcit criminum ſuorum veniam, ſed hanc obtinent gemitus. Malvult plorare cauſam ſuam, quam perorare; *Malvit*, Sanctus Ambroſius ait, *cauſam flere, quam dicere*; arbitratus enim energetica verba exprimere nequaquam poſſe totum dolorem ſuum, credidit ſibi confugiendum eſſe ad compendioſum lacrymarum ſermonem, qui locum teneret eorum omnium, quæ dicere poſſet ad judicis iram flectendam. Et ſane nihil eſt validius, & magis efficax ad peccata delenda, & promerendam Dei miſericordiam, quam lacrymæ pœnitentiæ. S. Gregorius ait, eas fontem fuiſſe, quo Magdalena inſignis illa peccatrix abluta eſt, & quo S. Petrus ſcelus ſuum eluit; Sed opus eſt, ut charitas, & gratia eliciant lacrymas, & hæ ex imo ſcateant corde, ut divinam hanc virtutem obtineant: animæ quippe juſtificatio ſupernaturalis eſt effectus, qui nonniſi per ſpiritualem cauſam produci poteſt, & cum peccatum coaleſcat in corde, deſtrui nequit niſi in loco, ubi duxit originem, opus eſt etiam ut lacrymæ, quibus deletur, amaræ ſint, & peccatum in cor per voluptatem ingrediens, inde non exeat niſi per dolorem. *Ex Specimine Panegyricorum pro die feſto Sancti Petri Tomo 1.*

Pſalm. 7.

Dei erga peccatores pœnitentes providentia.

Nos opera noſtra ſequuntur; neque ea aliis cedere poſſumus. Admiremur infinitam Domini noſtri ſapientiam, & nullis cancellis circumſcriptam illius miſericordiam. Qua patientia ſuſtinet ille peccatorum aberrationes, & qua illos excipit humanitate ad paternam domum redeuntes! Ejus lætitia, liberalitas, exultatio in reditu prodigi filii tanta eſt, ut filio natu majori invidiam creet. Nonne exuberans cordis mei gaudium mihi ſignificandum erat? bonus hic Pater ais. Tales ſunt Dei ſenſus erga peccatorem pœnitentem, *Perierat*. Manuum mearum opus, imago mea, ſimilitudo mea, pretium ſanguinis mei *perierat*; hodie vero iterum in hujus boni poſſeſſionem ingredior. *Mortuus erat*. Hæc anima erat, de qua ſpem omnem abjeceram, centies ſollicitata, acquiſita me repulerat, atque contempſerat; omnes conatus mei in irritum ceſſerant, in peccati ſomno erat ſepulta. Hodie contra omnem ſpem impius hic aurem præbuit voci meæ, ceſſit amantiſſimis gratiæ meæ ſollicitationibus, avertit ſe ab impietate, in qua viaeſat, pertæſus impuritatum ſuarum redit ad me, proſtratumque ad pedes meos illum inter ulnas meas peramanter excipio; & in cor ſubmiſſum, emollitum, ac docile ingredior. Video rebellem hunc filium execrantem defectionem ſuam, deprecantem miſericordiam meam, & ad clementiam meam confugientem. Cur mihi non liceat hac victoria frui? Tenebar illius ſubire jacturam, licet unice illum diligerem; non obſtat ultra, ne meo ſatisfaciam deſiderio eumdem felicem efficiendi. Quodnam majus gaudium creare poteſt creatura ſuo creatori; Juſtum e contra meis beneficiis cumulatum, ſi poſtquam per otium guſtavit dulcedinem dilectionis meæ, & bona illa expertus eſt, quibus perfruuntur mihi fideliter ſervientes: ſi quando capitur tædio ſervitutis meæ, ac faſtidit Domini ſui amantiſſimi delicias, & optimi Parentis illecebras, ſi moritur in erroribus ſuis, ſi moritur mihi infenſus, ac inimicus, nonne mihi in illum erit animadvertendum tanquam in rebellem filium, nonne illum miſeræ reproborum calamitati tradere debeo? Oblitus eſt ille gratiarum, & beneficiorum meorum; nonne æquum eſt, ut ego bonorum operum illius obliviſcar? Nonne juſtum eſt, ut in eum tanquam in impium ultio mea ſæviat; quandoquidem mortuus eſt in peccato ſuo? *P. Croiſet.*

In pœnitentia tantum lacrymæ non ſunt ſteriles.

Proprie loquendo lacrymæ factæ ſunt pro pœnitentia; cæterum nulli rei proſunt. Si enim quis jacturam paſſus fuerit conſanguinei, amici, nominis ſui, vel ſuorum bonorum, ac ploret quoad voluerit, lacrymæ illum magis, magiſque torquebunt. In ſola pœnitentia non ſunt ſteriles, quia nos eluunt, & multiplici cum fœnore nobis reſtituunt, quod amiſeramus. Denique per illas peccata noſtra feliciter obliterantur. Hæ delent chirographum mortis, quod ſcriptum fuerat contra nos, & quod alioquin in æternum vigeret. In inferno quippe peccatum quidem punit Deus, non autem delet, ac illud ſemper præſens efficit in oculis illius, a quo patratum fuit, ut indeſinenter conſpectu ejus auctor torqueatur. Ita ſane, Deus inquit illi, qui propter ſcelera ſua damnatus fuit; te puniam in omnem æternitatem; ego vero, peccator reddit, maledicam tibi in omnem æternitatem: te, Deus inquit, æternum perhorreſcam; & ego te, miſer addit, æterno proſequar odio. Infinitis ſæculis, Deus ait, exercebo in te ultionem meam: ego autem, reſpondet infelix, te jugibus blaſphemiis laceſſam. Juſtitia hæc peccatorem domat, ac ſubigit, non convertit. Sola pœnitentia peccatum deſtruit, & ad nihilum redigit ſeparans voluntatem peccatoris ab affectu criminum, efficitque ut revertatur ad Deum ex tota cordis ſinceritate. Hæc eſt ampliſſima, ac præſtantiſſima, quæ fieri poſſit ſatisfactio, quoniam ab amore procedit & dolore numinis læſi. Hoc unicum eſt ſpectaculum quod Cælo afferre valeat lætitiam; hanc pœnitentiam expectat Deus, & poſcit. Et ſane nihil eum cogit tot annos ſuſtinere peccatorem, niſi ſpes converſionis illius. *Ex Dominicali Auctoris Sermonum in omnia argumenta.*

Non defuerunt pœnitentes, qui exercuerunt in ſe omnia ſeveritatis genera.

S. Ambroſius ait quoſdam fuiſſe pœnitentes, qui, ut ex divina miſericordia peccatorum ſuorum veniam extorquerent, exercebant in ſeipſos omnia pœnarum genera, omnibus voluptatibus nuntium mittebant, nullas lacrymis ſuis permittebant inducias, in vultibus ſuis mortis ſpeciem præferebant, & qui ad tempus ſibi impoſuiſſe videbantur inferni pœnas, ut ſeſe ab illis in æternum liberarent: *Cognovi quoſdam ſulcaſſe vultum lacrymis, exaraſſe continuis fletibus genas, ſtraviſſe corpus ſuum calcandum omnibus; jejuno ore ſemper, & pallido, mortis ſpeciem ſpiranti in corpore prætuliſſe. P. Senault in Panegyrico Sancti Nicolai Tomo 2.*

Lib. 1. de pœnitentia cap. 16.

Monitum ad peccatores, ut agant pœnitentiam.

Hic idem Sanctus alibi peccatores ad pœnitentiam invitans, ſalutaria illis præbet conſilia, quæ tantum abeſt, quod mundus nequam ſequatur, ut ne noverit quidem: *An quiſquam illam pœnitentiam putat, ubi graſſetur acquirendæ ambitio dignitatis?* Putaſne te agere pœnitentiam, cum ambitione captus ad honores anhelas, ac temet novis criminibus implicas, ut novas aſſequaris dignitates? *Ubi vini effuſio?* Cum noctes, dieſque inter commeſſationes atque compotationes tranſigis, cum te mero proluis, & obliviſceris jejunium eſſe partem pœnitentium? Cum licitis etiam voluptatibus non abſtines? Scias ad divinam juſtitiam mulcendam libidinibus tuis irritatam, abrenuntiandum eſſe ſæculo, noctes in oratione traducendas eſſe, & in lacrymis impendendum eſſe tempus, quod ſomno natura deſtinavit. Denique ita vivendum eſt, ut rebus omnibus moriare, & vita tua ſit imago mortis prolixæ, atque crudelis: *Vivendum eſt, ut vitali huic moriamur uſui. Idem.*

Sententia S. Auguſtini de converſione peccatoris, & præſertim Sancti Pauli.

Auream hanc S. Auguſtini ſententiam expendite, non deſperandum eſt de ullo peccatore, quantumvis nequam, donec vivit, & ſi de illo deſperatur, actus eſt imprudentiæ pro illo preces effundere. S. Leo in eadem eſt ſententia: In hac vita mortali non deſperanda eſt alicujus converſio; ſed omnium optanda correctio eſt ope Dei, qui relevat lapſos, qui nexos ſolvit, qui illuminat cæcos; & aſſerere poſſumus Jeſum Chriſtum nominis ſui gloriam inſignem effeciſſe deſtinando Sanctum hunc, ut olim Sanctum Paulum ad converſionem omnium gentium, & populorum. Hoc eſt vas electionis, dicit Dominus, quod mihimet reſervavi, ut ferret nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael. S. Paulus converſus factus eſt inſtrumentum converſionis univerſorum. Converſio illius converſio fuit totius mundi. Hoc illius munus erat, hoc officium donec vixit in terris; hoc etiam magnum illius eſt opus, & jucundiſſima victoria in cælis. Non ceſſat, quominus vacet peccatorum converſioni & exemplo, & precibus, & doctrina. Sola converſionis ipſius memoria magnam vim obtinet in cordibus, nam, ut S. Bernardus ait, peccator hinc ſpem concipit veniæ, quæ illum ad pœnitentiam agendam excitat; & qui hujus conſilium cœpit, in illo invenit perfectæ converſionis exemplar. Diſcite ex hoc Apoſtolo, quid vobis faciendum ſit, ut valeat veſtræ converſionis gratia, ut ille aliorum converſionem procurando. Gloria enim illius, qui convertitur, eſt cum fervore operari; & ſicut acies oculorum hebeſcit, cum agere nequit, ut accidit illis, qui diu in carceris tenebricoſi caligine detinentur; ita virtus interit, cum iners eſt. Illius exercitium eam ſuſtinet, atque tuetur. Vobis igitur ſatis non ſit ad Deum converti, niſi ex abyſſo, ex qua vos emerſiſtis alios longe plurimos erutis. Hodie unus Sanctus Paulus in terram proſtratus fuit; ſed cum illo mundus omnis conſurrexit. *Vita Jeſu P. Nouet.*

Pœnitentia in nobis eumdem ac in Ninivitis effectum producere deberet.

Si quis ingreſſus fuiſſet in Ninive aliquot dies poſt Jonæ prædicationem, inſcius quid accidiſſet, proculdubio obſtupuiſſet videns adeo univerſalem mutationem. Quæſiviſſet proculdubio, ubi eſſent illa theatra, atque ſpectacula, quæ antea ibi videbantur; & admiratione perculſus fuiſſet non audiens ultra verba fieri de ludis, conviviis, atque ſolatiis, neque amplius cognoviſſet urbem illam, adeo fuerat immutata. Hoc ipſum nobis accideret, ſi pœnitentia, quam agimus, vera eſſet, atque ſincera. In ea, quam in nobis pareret, immutatione,

qui antea nos in ſtatu peccati cognoverunt, poſt converſionem non amplius cognoſcerent nos. Sed Chriſtiani facile cognoſcuntur poſt pœnitentiam, quia nulla in iis immutatio contingit. Illos invenis in iiſdem habitibus, & iniquitatis operibus; eaſdem in illis affectiones deprehendis, eadem ultionis deſideria, eumdem voluptatum amorem. Dicamus igitur audacter, pœnitentiam eorum non eſſe veram; aperta enim reliquiſſet veſtigia; luxum hunc omnemque vanitatis apparatum reliquiſſet; obtruncaſſet has viſitationes, hæc colloquia, integram vitæ mutationem peperiſſet, quoniam hic naturalis eſt veræ pœnitentiæ effectus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Fructum quem debemus recipere ex Sancti hujus pœnitentia, non ſecus ab illa filii Prodigi.

Ecce, Auditores, fructus ex magni Sancti hujus pœnitentia a vobis percipiendus; verum quemnam hunc percipere vos docet ex pœnitentia filii Prodigi? Suo vobis oſtendit exemplo, pœnitentem omnes conatus exercere debere, ut e peccatis emergat; Pœnitentem ad criminum ſuorum conſpectum ſemet exinaniſſe debere, & pœnitentem in pœnitentiæ ſenſibus debere perſeverare. Cum Pœnitens ita affectus eſt; omnia expectare poteſt a Dei ſui miſericordia. Vidiſtis jam primos effectus benevolentiæ in Patre Filii prodigi, cujus mihi nunc vobis enarrandæ ſunt miſericordiæ, ut intelligatis quo uſque procedant Dei erga peccatores pœnitentiam agentes, miſericordiæ. Ajo Evangelii noſtri parabolam oſtendere, peccatorem per pœnitentiam aſſurgere poſſe ad gradum altiorem illo, unde excidit. Peccator per virtutem Pœnitentiæ ſuperare poteſt meritis juſtos, qui in gravia ſcelera lapſi non ſunt; ſed dico etiam, illum falſo ex Evangelii noſtri parabola argumentaturum; qui aſſereret tantas eſſe Dei miſericordias, ut ſeſe effundant etiam in peccatores, qui in impœnitentia verſantur, & qui ſeſe convertere negligunt. *Ex Anno Evangelico Lambert. Tomo 2.*

Deus ſemper paratus eſt recipiendis peccatoribus contritis, & humiliatis, qui non differunt ad illum reverti.

Quod minus præſto ſit Deus recipiendis peccatoribus ad illum redeuntibus, nequit dubitari; & veritas hæc adeo palam expreſſa eſt in Evangelii noſtri parabola, ut ſatis ſuperque probata eſſet, etiamſi Sacræ Scripturæ non alias rationes alibi afferrent. *Cum adhuc longe eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus; & oſculatus eſt eum. Cum adhuc longe eſſet.* Non expectavit donec filius propius accederet, ut illi amorem ſuum teſtaretur: *miſericordia motus eſt.* Amabat ergo filium hunc, licet aberrantem, ingratum, inobedientem. Major ne oſtendi poteſt ſollicitudo? Ruit in collum ejus, illum amplectitur: quinam amor! quæ bonitas! quæ miſericordia! Amor cum verus eſt, non hæret in ſimplicibus ſignificationibus; ſtatim gradum facit ad effecta. Prodigus hic filius pulcherrima induitur purpura, alioquin non potuiſſet intereſſe convivio, quod illi parari juſſerat Pater. Peccatores igitur cum per pœnitentiam purgantur, adeſſe poſſunt cœnæ, in qua panis, qui manducatur, caro eſt Jeſu Chriſti. Dixi, cum per pœnitentiam purgantur, vereor enim, ne peccatores in ſemetipſis fallendis induſtrii hoc abutantur exemplo & nimis feſtinanter ad ſacra accedant Myſteria. Romæ Clerus ſcribens ad S. Cyprianum ait eos, qui nondum per pœnitentiam expiati volunt communionis ſuæ tempus prævenire, hos non ſalutaria ſibi remedia depoſcere, ſed maturatæ communionis perniciosum virus recipere. *Pro ſalutaribus remediis exitioſa depoſcunt properata communionis venena.* Non igitur inficior peccatores admitti poſſe Domini menſæ, ſed ajo ſolum, adhuc ut cum fructu fiant divinarum epularum participes, opus eſſe, ut iiſdem ſenſibus affecti ſint, quibus affectum vidimus Filium prodigum. Verum eſt igitur, Salvatorem amare peccatores; ipſum ad peccatores quærendos acceſſiſſe; ipſum in peccatores uberrimas gratias effundere: verum ne omittimus neceſſariam conditionem, dummodo illos pœniteat, dummodo ex Dei documentis proficiant, & faciant fructus dignos pœnitentiæ. *Lambert in Anno Evangelico Tomo 11.*

Quomodo peccatores audierant vocem Joannis pœnitentiam prædicantis?

Poſtquam Joannes Baptiſta annuntiaverat hominibus glorioſa Jeſu Chriſti conſilia, exercuit miniſterium ſuum. Primi illius conatus fuerunt convertere peccatores, eiſque ſenſus veræ contritionis immittere. Peccatores ad illum fidenter accedunt; etenim ad illum aditus ſuavis erat, & facilis. Procul abſit hinc fallax illud commentum, quod paſſim nominatur, virtutem ſemper eſſe truculentam, armatam, terribilem. Mundi Salvator repulit neminem. Licet eadem eſſet innocentia, tamen qui graviſſima commiſerant ſcelera, certi erant, ſe benigne eſſe excipiendos. Publicani, & Peccatores accedebant ad Filium Dei, beati, quia digni habiti aſpectu illius; ad ejuſdem cor etiam accedebant. Sæpe enim qui accedebant ad Filium Dei in vita ejus mortali, ab illo quam longiſſime aberant; & modo, qui videntur a Salvatore remoti, invenire poſſunt ſecretum accedendi ad ipſum; Propheta enim ait: *Prope eſt Dominus omnibus invocantibus eum. Idem Tomo 3.* Pſalm. 144.

Publicani intenti erant, ut audirent verbum Dei illius pœnitentiam prædicantis.

*Accedebant Publicani ad Filium Dei, ut audirent illum.* Divina ejus doctrina alliciebat omnes, qui illum ſequebantur, & audiebant: Ejus dulcedo, lenitas, eloquentia, in qua, licet ſimplex eſſet, renidebant tamen aliqui divinitatis ejuſdem characteres, ſacri erant nodi, quibus tot populos ad ſui ſequelam attrahebat; eæque inviſibiles erant catenæ, quibus ad ſe omnes voluntates trahebat. In ſeptimo Sancti Joannis Capite legimus, cum Jeſus Chriſtus magno quodam feſto die ſermonem habuiſſet ad populum, nihil ultra quæſitum fuiſſe, ut omnes uno ore clamarent, homo hic certe propheta eſt. Alii dicebant, hic eſt Chriſtus. Milites quos Phariſæi, & Principes Sacerdotum miſerunt, ut illum comprehenderent, animum ſuum adducere nequeunt, ut imperata faciant; & ubi reverſi ſunt, ut ſeſe excuſarent, dixerunt: *Nunquam locutus eſt homo ſicut hic homo. Annus Evangelicus Tomo 3.*

Nunquam deſperandum eſt de peccatorum ſalute; ſed e contra novis orandum eſt pro illorum converſione.

Multum orandum eſt pro converſione peccatorum. Obduratiſſimi, pertinaciſſimi in nequitia ſua, & a Deo remotiſſimi, quin eorum nos capiat oblivio, eſſe debent objectum precum noſtrarum ardentiſſimarum; ſunt in via interitus ſui, eorum neceſſitates urgent, pro illis igitur nobis potiſſimum laborandum eſt. Nonne eſt nocentem eſſe, dormitare, & fratris ſalutem negligere, cum ille tanto eſt obnoxius periculo? Scimus donec peccator ſpiritum ducit, nunquam conclamatam eſſe illius converſionem; ſemper locum habet illud Joelis Prophetæ: *Quis ſcit, ſi convertatur, & ignoſcat Deus, & revertatur a furore iræ ſuæ? Idem Tomo 4.* Joel. 2.

De peccatoribus bene merentur poſſunt, qui a mundo ſeceſſerant pro illorum converſione.

Illi de Eccleſia perquam optime merentur, qui in ſolitudine permanentes, Deo juges offerunt preces. Seipſos immolant pro ſalute fratrum ſuorum; ſeſe caſtigant, ut cohibeant Dei brachium jamjam fulmina jaculaturi. Illi de Eccleſia merentur optime, qui in mundo viventes, tanquam in ſolitudine, eo magis noti ſunt Deo, quo mortalibus ignoti ſunt. Clam plorant, & gemunt. Sunt quidem, qui majorem edunt rumorem, & cum majori pompa operantur quam humiles hi pœnitentes; ſed creditur ne id, quod hominum oculos attrahit, ſemper eſſe jucundius illi, qui peculiari prædilectione proſequitur animas humiles? Humilium preces, ſimplicium vota, gemitus ſecreti ſolvant imperia, convertunt peccatores, cient motus, quorum nemo crederet uſquam auctores eſſe Chriſtianos, qui latent, & qui omnibus ſeſe mundi negotiis abdicarunt. *Idem.*

Cauſas quas habet peccator mœrendi.

Revoca, ſi potes in memoriam omnia vitæ mala, quæ cor mœrore conficere poſſunt; plurima invenies in peccato tuo, & ejuſdem ſpeciei, & majora, quæ triſtitia debent opprimere: Si quis mœrore contabeſcit eo quod jacturam paſſus fuerit laborum, operumque ſuorum, tu perdidiſti fructum omnem operum tuorum. Si triſtatur, qui exulare cogitur a Patria, tu exulas a Paradiſo. Si mœret, qui ære alieno obrutus eſt; bone Deus, quid ipſe non debes Deo? Si triſtitia conficitur, qui ſe infamia laborantem, ac rubore ſuffuſum videt, tu factus es objectum horroris in oculis Sanctorum, & Dei. Si mœrore conſumitur, qui ſe in crudelem carcerem detruſum conſpicit; tu factus es dæmonis, inferniqụe mancipium. Si triſtatur, qui in lectulo languet periculoſo morbo confectus; anima tua mortua eſt. Si mœrore contabeſcit ille, cui magnum auri, argentique pondus diuturnis collectum ſudoribus surreptum fuit, quot ſupernaturalibus bonis exutus fuiſti? Si mœret, qui ſeipſum a pluribus inimicis tueri debet, creata omnia parata ſunt ut irruant in te, ad hoc ut Deum ulciſcantur. Si dolet, qui jacturam facit Parentis, conjugis, amici, Deum amittens amiſiſti Patrem, ſponſum, amicum. Si triſtitia conficitur, qui in manu eſt inimici; Deus inimicus tuus eſt, & tu in illius poteſtate: Si mœrore afficitur, qui gratiam amittit Domini æque magni, & amabilis: quis major, quis amabilior Deo, qui te odit? *P. la Peſſe, Sermone de dolore Pœnitentis.*

Bonorum ſpiritualium jactura ſola eſt, quam lacrymis proſequi valeant.

Lacrymæ, de quibus loquitur Jeſus Chriſtus, illæ ſunt, quæ oriuntur ex dolore, quo ob alicujus boni jacturam afficimur; tamen non ſemper lacrymæ hæ illæ ſunt quas Salvator beatas appellat. Lacrymis proſequimur bonorum direptionem, magiſtratus amiſſionem, amici mortem, & non ideo ſumus ex numero fidelium lugentium, de quibus dicit Evangelium: *beati qui lugent; quoniam ipſi conſolabuntur.* Et ſane videbitur tunc lacrymarum Oceanus; hæ non reparant malum, pro quo effunduntur, neque beatior eſt, qui lacrymas fundit. E contra horum omnium mœrorum inutilitas, nos miſeriores efficit, magiſque inconſolabiles. Sed beati propter lacrymas ſunt, qui illis proſequuntur detrimenta, quæ per peccatum fecerunt: ſoli enim ſunt, quibus dolor reparare poteſt amiſſa bona; ſoli ſunt quibus ploratus, & gemitus afferre poſſunt conſolationem. Bona, quorum jacturam paſſi ſunt, dona ſunt gratiæ, & gloriæ; Pœnitentia in utrorumque poſſeſſionem reſtituit; quam ob rem Jeſus Chriſtus illis beatitudinem, & conſolationem pollicetur: Beati, qui lugent; quoniam ipſi conſolabuntur. *Pater Segneri Tomo 5. Meditationum.* Math. 5.

Pœnitentia eſt ſtatus, quem S. N. amplectitur.

Pœnitentia in Eccleſia ſtatus vocatur ad innuendam ejus conſiſtentiam, & ſoliditatem: dicimus enim ſtatum innocentiæ, & ſtatum pœnitentiæ; & in ipſis Chriſtianiſmi temporibus, pœnitentes ab aliis ſeorſim morabantur, & indumento diſtinguebantur, neque in ſacrorum myſteriorum partem admittebantur niſi poſt diuturnam probationem, ex qua ferebatur de converſionis eorum veritate judicium. Apertum hoc diſcrimen hodierna die anti-

antiquatum eſt, & Eccleſia, quæ falli non poteſt in conſuetudine ſua, non ſecus ac in doctrina, pluribus in rebus indulſit infirmitati filiorum ſuorum in Pœnitentiæ cauſa; ſed illos diſpenſare nequit a vitæ immutatione, quia hæc mutatio ad pœnitentiæ ſpectat eſſentiam. At Sanctus hic Pœnitens toto vitæ ſuæ curriculo fideliter veterem morem retinuit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

*Pœnitentiæ neceſſitas.*

Niſi pœnitentiam egeritis, peribitis. Nemo hinc excipitur; generalis eſt comminatio; omnes in pereundi verſantur diſcrimine; omnes igitur peccatores ſunt: omnes ergo indigent pœnitentia. Veritas hæc nullam patitur contradictionem. Omnium una eſt in re hac ſententia: omnes fatentur agendam eſſe pœnitentiam, qui autem agat illam, eſt nemo. Quidam ſe illam pollicentur facturos; alii ſe jam illam feciſſe putant; Primi temerarii ſunt, qui in re adeo incerta, quale tempus eſt, periculo objiciunt æternitatem beatitudinis, vel calamitatis: ſecundi ſunt præfidentes, qui ſatis ſe ploraſſe tenent, ad flammas æternas extinguendas. Dolor, quem vera parit contritio, cum ipſa vita manet; dubito equidem de earum lacrymarum ſinceritate, quarum fontem momento exhauriri video. Sed licet certus eſſes, te abunde pro antiquis peccatis his ſatisfeciſſe, num certus es te ab omni peccato immunem factum fuiſſe? Ex eo tempore ita ne fidelis fuiſti, ut reparare gratiam minime debueris? Hæc nonniſi per pœnitentiam vel petitur, vel obtinetur. Ad hoc igitur præſidium ſatis validum confuge, quo excepto reliqua vel parum valent, vel nihilum. *P. le Neuveille Tomo 40.*

*Pœnitentia non in ſola vitæ mutatione conſiſtit, ſed in ſatisfactione facienda Deo pro ſceleribus præteritis.*

Hæreticorum ſæculi ſuperioris error eſt credere pœnitentiam conſiſtere in ſola vitæ mutatione. Sed audeo dicere practicum errorem plurimorum hodiernorum temporum fidelium eſſe in ſolo dolore præteriti temporis acquieſcere, quin admodum laborent juſtitiæ Dei ſatisfacere per preces, jejunia, aliaſque id genus auſteritates. *Parum eſt Chriſtiano peccatorum pœnitere*, quidam Pater ait, *niſi & pœnitentiam peregerit.* Itaque hoc pœnitentiæ nomen non ſignificat ſolum ſimplex conſilium relinquendi vitæ flagitia; verum juxta conſuetudinem ſcripturarum nomen hoc ſignificat etiam pœnam, qua illa mulctare debemus, ſimulque complectitur interiorem cordis dolorem, & externas corporis mortificationes: Hac de cauſa cum Prophetæ populos ad pœnitentiam invitabant, Dei verbis duo ſimul indicebant; *Convertimini ad me in toto corde veſtro*, atque in hujus converſionis, veræque pœnitentiæ argumentum, lacrymæ, jejunia, aliique rigores, quos hæc virtus inſpirat illis qui vere convertuntur, reſtatum faciunt, vos ſerio, & ex tota cordis ſinceritate converti. *In jejunio, & fletu, & planctu.* Ratio vero petitur ex eo, quod Doctores omnes poſt SS. Auguſtinum, & Thomam docent, pœnitentiam tenere locum ultricis juſtitiæ, quæ pœnas ſumit de peccatore per ipſum peccatorem. *Eſt dolentis vindicta puniens in ſe, quod ſe dolet admiſiſſe.* Ultio eſt, ſatisfactio eſt, quam Deo tribuit peccator, quem pœnitet injuriæ; qua illum affecit. Igitur pœnitere, quin Deum ulciſcamur ſine pœna, & ſatisfactione, non eſt veram agere pœnitentiam: Nam ut idem Sanctus Auguſtinus ait, neceſſe eſt hominem puniri vel a Deo, qui contumelia affectus fuit, vel a peccatore, qui eumdem affecit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

*Quænam ſint cauſæ pœnitentiæ.*

Pœnitentia, cujus ſcopus eſt ſubigere, & mortificare corpus ratione vivendi, quæ ſit prorſus oppoſita vitæ inordinatæ, efficit, ut ſtatim nuntium mittamus noxiis, quæ ipſi etiam noxia eſſe confitemur; mox vero prout in illius viis progredimur, ſuperfluum, quod ipſi innoxium eſſe cenſemus, obtruncat, deinde nos privat commodo, quo nos carere minime poſſe putavimus: denique aufert etiam non quidem neceſſarium, ſed adhæſionem, & nimiam earum rerum, quæ ſunt neceſſariæ, curam. Eximium pœnitentiæ, variorumque illius graduum ſpecimen! Si quid eſt, quo infirmitas noſtra non audet ſperare ſe perventuram, ſaltem ne lateat nos, & illud aſſequi optemus. Efficit, ut noxia abdicemus, videlicet impuras voluptates, quas divina lex prohibet, quia nullum eſt peccatum magis divinæ oppoſitum ſanctitati, & quod minus cum Spiritu ejus ſimul eſſe queat, quam impudicitia. *Non permanebit ſpiritus meus in homine,* *Geneſ. 6.* *quia caro eſt.* Superfluum obtruncat, hoc eſt vitæ delicias; quia nihil eſt difficilius ſimul conciliandum, quam vita mollis, & morum innocentia, & innocentia hæc, Job inquit, *non invenitur in terra ſuaviter viventium.* *Job 28.* Nos privat commodo, hoc eſt iis, quæ ad vitam commode ducendam inſerviunt, quæ licet nobis omnino negata non ſint, fovent tamen carnis rebellionem, & aufert etiam nimiam eorum quæ ſunt neceſſaria ſollicitudinem: hoc enim ignotum eſt Sanctis viris placitum; nolle quidquam pati, nihil negare ſibi, nihil ſibi deeſſe, velle, & ne pœnitentiam quidem agere. Sed quod Sancti non aſſequebantur, factum eſt ſecretum devotionis ſæculi. Dici enim poteſt, nullum uſquam ſæculum majori cum oſtentatione locutum fuiſſe, quam noſtrum de pœnitentiæ ſeveritate, & in praxi magis ſibi indulſiſſe in iis, quæ vita ſuavis nuncupatur. Nonne enim aliquando ita ſe excæcat, ut putet rationem ſibi corporis ſui habendam eſſe? Nonne eo uſque procedit, ut judicet nos eſſe mundo neceſſarios, & hanc potiſſimam eſſe cauſam, ut noſmet a vulgatiſſimis legibus diſpenſemus? Attamen id dixit Apoſtolus; & verum eſt, pœnitentiam, ut ſit perfecta, extendendam eſſe uſque ad odium ſui ipſius, & peccatum ſatis reparari non poſſe, niſi crucifigendo hanc peccati carnem, quæ eſt inimica Deo. *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt. Ex Quadrageſima P. Bourdalove Tom. 1.*

*Quam deploranda ſit infirmitas humana tot obnoxia peccatis.*

Eheu! quam longe diſtamus a fervore, & ſeveritate primorum diſcipulorum Filii Dei! quam raro lacrymarum donum, tunc temporis adeo commune, invenitur! Tunc propter unum crimen, populus omnis ingemiſcebat; precibuſque cæli iracundiam mulcere quærebat: modo cum plurimi ſint peccatores, vix unus homo invenitur, qui doleat videns Deum quidem affici contumelia, animas vero interire. De neceſſitate plorandi, *Jacobi 4.* atque gemendi aliquod argumentum elicimus ex Epiſtola Sancti Jacobi. Mortificamini, inquit S. hic Apoſtolus, miſeriam veſtram confitemini. Plorate, mutetur riſus veſter in luctum, & gaudium veſtrum in triſtitiam. Generatim loquitur ad omnes fideles, de quibus paulo ſuperius dixerat. Peccamus quotquot ſumus in plurimis. Vult, nos confiteri miſeriam noſtram, ideoque nos indigere miſericordia Dei, ad quam promerendam non ſolum clamores in cælum mittere, verum etiam contritionis ſenſus concipere debemus, quæ riſus noſtros convertat in lacrymas, & lætitiam noſtram in mœrorem. Quid enim prodeſſet aliquot effundere lacrymas, ſi ſtatim noſmet manibus manciparemus mundi voluptatibus? *Cardinalis Bellarminus de gemitu columbæ.*

*Dolor numinis læſi ex corde procedere debet niſi eſt hypocriſis.*

Dolor læſi numinis ſincerus eſſe debet, & emergere ex imo corde: alioquin omnia hæc externa, quæ videntur, non aliud ſunt quam hypocriſis mera. Sed ſi dolor iſte ſincerus eſt, & procedit ex corde vere contrito, dolorem hunc certo certius impulſurum hominem ad præbenda apertiſſima indicia odii, quod illi ſuadebit pœnitentia contra peccatum, & hoc armaturum manus illius contra ſe ad ultionem repoſcendam. Hoc ipſi experimur. Quidquid vere odimus, hoc delere conamur; & odium, quo agimur, efficit, ut nullam inveniamus requiem, niſi prius illud poſuerimus extra facultatem nobis nocendi. Hoc ipſum de peccato dicendum. Si illud vere oderimus, ipſum in nobis delere conabimur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

*Si hic vir agnoſcebat Deo plura feciſſe pro ſe, quam Pater filii prodigi pro filio ſuo.*

Prodigi filii Pater fecerat ne quidquam pro filio ſuo quod exæquare poſſet omnes favores, & miſericordias, quas debeo Providentiæ Dei mei? id autem mecum repetere poſſum, quin tenerum animi grati ſenſum foveam vel id cogitare minime poſſum, quin ſim mortalium omnium ingratiſſimus? Hæc cogitatio Dei adeo miſericordis, præſertim vero erga me quantumvis pauliſper illi meditandæ immorer, certiſſime ope divinæ gratiæ commovebit cor meum; & ſenſus contritionis meæ producet effectus, qui ſunt eſſentiales pœnitentiæ. *P. Bourdalove in Aſceticis ſeceſſibus.*

Alacriter mihi confugiendum eſt ad Deum, ac coram eodem proſtrato mihi inſtituenda eſt confeſſio ſcelerum vitæ meæ, hæc ad pedes ipſius deteſtanda ſunt, & lacrymis eluenda. Peccavi, Domine, contra te, non quidem ſemel, ut olim Prodigus filius in Parentem ſuum, *Luc. c. 15.* ſed toties ferme, quot ſunt momenta vitæ meæ. Non affero inanes excuſationes coram te, neque fictas cauſas prætexo, mendacii me redargueret cor meum, & ſapientiæ tuæ lumina me pudore ſuffunderent. Peccavi, Domine, magis adhuc, quam ipſe cognoſcam, & quantum tu ipſe cognoſcis, melius quam ego. Omnia audeo confiteri coram te, atque ut deliniam, non habeo quid offeram tibi, niſi amariſſimam confeſſionem, & lacrymas meas. *Idem.*

*Chriſtianus inceſſanter plorare debet peccata ſua.*

Chriſtianæ lacrymæ non ſunt eſſentialiter exteriores, & ſenſibus ſubjectæ; quæ non prodeunt extrinſecus, ut plurimum ſunt amariores, ac ſinceriores. Vera pietas detegit animæ fideli tres lacrymarum fontes, quæ æque meritoriæ ſunt. Primus eſt peccatum generatim ſumptum, præſens, vel præteritum, perſonale, vel alienum, grave, vel leve; nullum eſt, quod dignum non ſit totius cordis noſtri dolore. Recogita igitur inceſſanter ad exemplum Sancti Exechiæ Regis omnes annos vitæ tuæ in amaritudine animæ tuæ. Nullum invenies, quod lacrymis tuis eluendum non ſit; Sanctus hic mœror debet ſemper te comitari, ſed in te dominari non debet: Neque enim laudabilis eſſet, ſi vellet ſpem, & charitatem ſuperare. *P. Neuville in morali novi Teſtamenti Tomo 3.*

Chriſtiani ab antiquis Patribus piſces vocantur in aquis Baptiſmi nati, & qui in illis, tanquam in elemento ſuo vivere debent. Sed heu! Quotuſquiſque in cæleſti hoc permanent balneo? Alterum eſt pœnitentiæ balneum, cujus aquæ non ſunt quidem adeo perſpicuæ, ſed aptiſſimæ ad reparandam albedinem jam amiſſam, & ad valetudinem roborandam. Aquæ ſunt lacrymæ, quas pœnitentia elicit de corde, & quæ per oculos fluunt Pœnitentis. Ita fluebant ex oculis David, dicentis: *exitum aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.* Oculi mei fuerunt duo perennes lacrymarum fontes, non quod filius meus inſurrexit in me, vel quod vidi rebelles populos meos, vel quia va-

lidis

lidis hoſtibus ſeptus fui; ſed quia non cuſtodivi legem tuam Domine, quia tuis mandatis non parui. Nunquid propter hoc lugetis, mulieres, & facile manant lacrymæ ex oculis veſtris? Heu! aliam omnino ob cauſam vos inconſolabiles eſtis; ob filii mortem, ob viri jacturam, lugetis; ſed animæ veſtræ mortem, jacturamque gratiæ, ac Paradiſi non lugetis. Attamen opus eſt, ut verus Chriſtianus ſit piſcis, qui ſemper in aquis vel innocentiæ, vel pœnitentiæ vivat, non autem in aquis maris mundi, ubi ferre non poteſt niſi ingentes procellas, ac tandem deplorabili naufragio demergi. *Godeau in Homilia.*

Occaſiones peccati fugiendæ.

Ad veram pœnitentiam agendam ſatis non eſt proximas peccati occaſiones relinquere: inceſſanter fugiendæ ſunt, & eminus fugiendæ: has ob cauſas, 1. Sine pœnitentia nulla ſalus, ſine horrore peccati nulla pœnitentia; nullus horror peccati ſine fuga occaſionis, quæ adeo arctam habet cum peccato neceſſitudinem. Joſeph, qui ſuæ virtuti confideret, celeriter fugit; vicit: David fugam diſtulit; victus fuit. Si tuto incolumen ſervare cupis innocentiam tuam, amove a corde tuo, quantum fieri poteſt, objecta, quæ illud alias inflammarunt; fax non ſatis bene extincta, quam primum concipit flammas, quantumvis parum ad eam ignis accedat. Ne excidant tibi ex animo hæc maximi momenti monita; fac, ut ſemper in te validem impreſſionem efficiant; Dominum precibus fatiga, ut te illis docilem præbeat. *Ex Morali Novi Teſtamenti P. la Neuville Tomo 3.*

Quinam ſint fructus pœnitentiæ.

Pœnitentiæ fructus ſunt ſincerus dolor, vitæ mutatio, mundi fuga, pomparum ejus contemptus, indumentorum modeſtia, familiæ cura, pauperum amor, in ſacris Officiis aſſidua cura, orationis guſtus, Sanctorum librorum lectio, praxis mortificationis. Tempora admodum mutata ſunt. Olim pœnitentia agebatur in cinere, membra cilicio tegebantur. Modo creditur in mundanis ornamentis agi poſſe. Olim magnus requirebatur annorum numerus ad peccata expianda; modo credimus ſemihoræ precibus expiari: Olim Pœnitentes in copia pauperibus eleemoſynam largiebantur, ſcientes precum eorum auxilium ad Dei mulcendam iram eſſe neceſſarium: modo cenſemus adinventam eſſe artem conciliandi pœnitentiam cum luxu; neſcitur quid ſit peccata eleemoſynis redimere; cum ſanctus noſter N. aliter omnino agere conſueverit, ut enim pauperum egeſtatibus opitularetur, vix ſibi neceſſarium reſervabat. *Lambert in anno Evangelico. Tomo 1.*

Senſus humiliationis & contritionis S. N. pœnitentis.

Quomodo leniam juſtitiam Dei irritatam in me? Ad eam mulcendam, Domine, vel reparanda eſſet noxa, quam tibi intuli, per humiliationem, quæ noxam ipſam æquaret, vel huic noxæ ſatisfaciendum eſſet pœna, quæ eſſet congrua. Neutrum fieri poteſt: & niſi Deus ceſſerit, interii. Quomodo humilians me coram illo injuriam reparabo, qua illum affeci ab eodem deficiens, & contra illum rebellans? Illum offendi, quia legem ejus violavi, & admodum contemptibilis eram coram oculis ejus, cum peccavi; poſt inobedientiam meam æque dignus ſum odio, atque contemptu. Honor quem illi adhibere poſſum, longe igitur minor erit contumelia, qua illum affeci. Hujuſmodi ſemper fuerunt ſenſus hujus pœnitentis. Quomodo vero illi ſatisfacere potero pro pœna meo ſceleri debita? Ullane excogitari poteſt pœna, quæ illatam Deo puniat contumeliam? Si mandata illius non violarentur, ſi peccatum non læderet infinitam illius Majeſtatem, non ita graviter peccaretur, & inveniretur pœna, quæ ſcelus noſtrum expiaret; quoniam id ageretur ſolum, ut creaturæ unius ſupplicium alterius creaturæ contemptum exæquaret. Quam pœnam pati poteſt homo, quæ auferat Deo in omnibus perfectionibus ſuis infinito, jus exigendi ab illo honores ſemper majores? Infirmitas noſtra nos impares omnino facit, qui juſtitiæ illius ſatisfaciamus. *P. de la Peſſe Tom. 5.*

Sanctus hic pœnitens in vita mortificata ſuam petit voluptatem.

Quænam voluptas fuit fideli huic Dei famulo dicere poſſe: credo infallibiles veritates, ſublimia, & impenetrabilia myſteria, & vitam fidei meæ conformem duco. Adorabilis eſt, incomprehenſibilis, inacceſſibilis. Eam habeo, quam habere poſſum ideam majeſtatis illius; me imperiis ejus ſubjicio, & juſtitiæ, quam nihil fallit, & quæ omnia crimina punitura eſt. Illius me terrent minæ, & ictibus ejuſdem memet conor ſubtrahere. Ego illum non irrito, nec me dignum ultione illius puto. Miſericordia ejus infinita adeo incredibilis eſt infidelitati; benedico illi, illi gratias ago, ejuſque beneficio. Providentiam illius, cujus altiſſima arcana noſtram mentem excedunt, hanc adoro, ejuſque perfectiones, curas, ac illecebras veneror. *Idem. Tom. 2.*

Lacrymæ, & contritio hodierna die pars pœnitentiæ eſt.

Nihil, ut ſupra dictum eſt, melius decet Pœnitentem, quam fundere lacrymas. Contritio pars eſt illius, qui cum Propheta dicere debet: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, & nocte.* Nec ſolum hæ peccata delent, ſed dicere poſſumus his animam refrigerari; & præcipuam illius conſolationem eſſe lacrymarum aſſiduitate teſtatam facere Deo magnitudinem doloris, quo conficitur eo quod illi diſplicuerit. Nihil eſt, quod Dei ſpiritus melius inſpiret iis, qui ſemel deſeruerunt viam veritatis, ut illam erroris, atque mendacii ſequerentur, nihil inquam eſt in quo magis conſtituat ſinceritatem converſionis peccatoris alicujus, quam in illius gemitibus. Hoc paſſim teſtatus eſt per Prophetas, & Jeſus Chriſtus facta aperte hoc profeſſus eſt, cum dixit, beatos eſſe, qui lugent, & ipſe etiam viſus eſt effundere lacrymas. *Matth. 5. v. 5.* *Ex libro cui titulus, Regula Sancti Benedicti. Tomo primo.*

Idem ſequitur argumentum.

Hæc eſt diſpoſitio, quam in omnium Sanctorum perſona deprehendimus, & non in iis ſolum qui poſt diuturnos errores redierunt ad Deum, ſed in illis ipſis, quorum vita a crimine fuit immunis. Alii uberes fundebant lacrymas, alii fundebant illas ſenſu earum noxarum, quæ in oculis mundi videntur leves, ſed graves ſunt in oculis eorum, qui diligunt Deum, & qui ſenſu afficiuntur earum rerum omnium, quæ ad illum pertinent, & qui malorum omnium maximum putant, Deum lædere, ac illi diſplicere. Opus eſt ergo, ut Chriſtiani confiteantur peccata ſua in amaritudine cordis ſui, & doleant repetentes præterita crimina, & præſentia cognoſcentes, necnon ſæpe cogitent, ſe a Deo profugos eſſe, & ſe vivere *in valle lacrymarum*. *Pſalm. 83.* Nihil eos melius attollere, & propius ad Deum evehere, quam motus contritionis peccatorum ſuorum. Hæ lacrimæ non ſemper exteriores ſunt; cor illas effundit, & in animas affluunt, eaſque Spiritus Sanctus producit. Denique gratiſſimum quod peccator, & pœnitens offerre valeat divinæ Majeſtati ſacrificium, illud eſt ſui doloris, & contritionis: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Pſalm. 50.*

Notæ quæ ſignificant dolorem ſeri numinis.

Si parati criminis dolor vere magnus eſſet, illum proculdubio teſtaremur, & proderemus eo pacto, de quo dubitandum non eſſet. Cum lethalis mœror cor noſtrum opprimit, is facile prodit in faciem: non licet de alia quapiam re dubitare; ſatis clamat ipſum ſilentium noſtrum, ut ab omnibus audiatur; lacrymæ ex oculis noſtris erumpentes primi ſunt ejuſdem interpretes, & ſuſpiria noſtra id exprimunt eloquentius, quam verbis omnibus fieri valeat. Vide Magdalenam ſenſibili hoc dolore confectam; ſtatim ac cor illius hoc confoditur jaculo, ad Salvatoris pedes funditur in lacrymas; & quin illi negotium faceſſant hominum ſermones, magno in cœtu quærit cæleſtem medicum, cui conſcientiæ vulnera aperiat, & ab eo expetat curationem. Sanctus Petrus eodem actus dolore egreditur ſtatim ex eo, in quo erat loco, & lacrymarum exundantia oſtentat doloris ſui magnitudinem: *Et egreſſus foras flevit amare. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Deus poſtulat ſincerum dolorem noſtrarum pœnitentiam.

Vult Deus corda noſtra conteri, & in pulverem redigi. Hæ loquendi rationes oſtendunt ad iracundiam Dei leniendam non ſufficere profiteri, nos pœnitere peccatorum, ſed acrem concipiendum eſſe eorum dolorem, quem ut plurimum ſingultus, gemitus, & lacrymæ comitentur. Patres de contritione loquentes adhibent verba energetica, apta ad terrorem ignavis animabus injiciendum. Fundamus lacrymas, Sanctus Cyprianus ait, pares magnitudini ſcelerum noſtrorum. Non curis, neque remediis parcatur ad profunda curanda vulnera, ita ut pœnitentia ſcelus exæquet. Preces iterandæ ſunt; noſmet interdiu affligere debemus, & vigilare noctu, vitam totam in ploratibus, gemitibuſque tranſigere, humi, & in cinere cubare, noſmet induere cilicio. Clemens Alexandrinus pœnitentiam baptiſmum lacrymarum appellat. Sanctus Gregorius Nazianzenus ait, ſe recipere pœnitentes, dummodo videat faciem eorum lacrymis madidam. Theodoretus inquit, licet vulnera, quæ poſt baptiſmum recipiuntur, non ſint inſanabilia, ea tamen non æque facile curari, ac antiqua, quæ per aquam Baptiſmi curata fuerunt; ſed lacrymas, & pœnitentiæ ſeveritates eſſe adhibendas. Ita primis Eccleſiæ ſæculis de vera contritione loquebantur. Hodierna vero die plurimi ad ſacram Exomologeſim accedunt, qui nullum, vel certe modicum habent criminum ſuorum dolorem: ſed qui ex corde quærunt in gratiam reverti cum Deo, & recte vivendi principium facere, ut bene mori poſſint; hi nil melius efficere poſſunt, quam negotia ſua ad tempus differre, omnemque ſpiritum in pœnitentiæ ſenſus impendere. *Ex opuſculis Bellarmini. Tomo 5.*

Senſus animæ vere pœnitentis.

Quid feci; quid cogitabam, cum tale ſcelus patravi? Læſi Patrem parentum omnium ſuaviſſimum, & mei amantiſſimum; contempſi illum, cum effundebat in me ſuas benedictiones, & totidem habebam ſuæ in me bonitatis infinitæ documenta, quot illius erant vel in me beneficia, vel in proximum meum. Sed quid reſpondebo Jeſu Chriſto Salvatori meo, qui me licet indigniſſimum dilexit, & tradidit ſemetipſum morti pro me, qui adhuc illum ſceleribus meis lædere pergo. Quod ingrati animi vitium, quæ crudelitas! Dominus meus paſſus eſt turpiſſime cædi, ſpinis coronari, crucifigi pro expiatione criminum meorum; & illum nihilominus recentibus noxis eum laceſſo? De cruce clamat ad me *Sitio*; nec ceſſo illi fel amariſſimum propinare. Quis poſſet mihi aperire quænam gloria eſt, quam amiſi, mortale peccatum committens? Hæres eram Regni cæleſtis; mihi in præmium deſtinata erat vita beata, atque æterna: huic abrenuntiavi ut ſordida fruerer voluptate; & eadem indignum me præbui per blaſphemiam, quam protuli in Deum, & per teterrimam calumniam, quam intuli proximo meo. Et quid hæc mihi profuerunt?

Ecce in maximam corrui omnium calamitatum. Ecce me factum dæmonis mancipium, & ſæviſſimum omnium inimicorum meorum: & ſimulac mortale hoc corpus, quod atteritur, & corrumpitur in ſingulos dies, amiſerit, quod illi reliquum eſt vitæ, peccatrix anima æternis ignibus adjudicabitur. Heu! me miſerum! Cras fortaſſe, hac ipſa nocte demergar in ſtagnum ignis, & ſulphuris; ſed quod maximum mihi dolorem parit, eſt graviſſimum ingrati animi vitium erga Patrem, & Dominum meum, qui eo pluribus me cumulabat bonis, quo audacius illum criminibus laceſſebam. *Idem.*

*Quanta ſit Dei patientia expectantis converſionē peccatoris?*

Scriptura, & Patres nos docent, quantumvis conclamata videatur peccatoris ſalus, te, Deus bonitatis, nolle illius obdurationem, & mortem, ſed potius converſionem, & vitam; donec eſt in hoc mundo patientiam tuam ſemper illum expectare, & ubi peccatum abundat, gratiam tuam ſuperabundare. Cum tu ſis omnium hominum judex, eſſe quoque Salvatorem; & cum veneris ad vocandos non juſtos, ſed peccatores, & cum ægris opus ſit medico, non iis autem qui optima gaudent valetudine, beatis impiis in ipſo beatitudinis ipſorum ſtatu te ſuppeditare ſalutaria eorum malia remedia; & validos ſtimulos, ut convertantur. Ut hoc fiat duo tantum requiruntur. Ex parte Dei, quod illis tempus, & gratiam permittit, quod illos expectet, requirat, juſtificet; ex parte vero peccatorum quod vocantis voci reſpondeant, & redimant tempus. Dies enim eorum mali fuerunt; nec illi ſunt amplius illud, quod erant; quapropter agant pœnitentiam, & vitæ rationem commutent. Hæc quidem omnia difficilia ſunt, non tamen impoſſibilia. Impii hi beati non fatigantur Deum lædendo, ſed Deus etiam nonnumquam illos expectando non fatigatur. Voluntatem habent inhærentem malo: ſed cum voluntas hæc ſit indifferens, ferri poteſt in bonum. Sunt ſimiles nivi, grandini, & cryſtallo; frigidi, gelu adſtricti, obdurati; ſed non deſunt miſericordiæ theſauri ſub hac nive, grandine, & cryſtallo, & *nemo* (ut in S. Cypriani dicto perſeverem) *nemo deſperet eos quos adhuc frigidos videt, quia theſauros Dei in nive, & grandine non videt. Ex moralibus Sermonibus Tomo 1.*

*In primitiva Eccleſia peccatores, qui non ſe ſubjiciebant legi pœnitentiæ privabantur precibus, & a publicis cœtibus arcebantur.*

Certum eſt, donec vigebat fervor Chriſtianus, flagitioſos peccatores, qui ſemet ſubjicere detrectabant legibus pœnitentiæ, non ſolum a communibus cœtibus, precibuſque arceri, ſed non putari quidem veros Chriſtianos conſueviſſe. Quid prodeſt nomen Chriſtiani citra profeſſionem Evangelii, dicebat eorum temporum auctor? Homines, addebat ille, Chriſtiani non ſunt, ex quo hoc illis nomen defertur; ſed e contra hoc illi nequicquam defertur, donec re chriſtiani non ſunt. Et alter vitioſo Catholico exprobrabat, cur te gloriaris non eſſe te in Hæreticorum ſententia, quandoquidem onera tua tibi eamdem præparant pœnam, quam illis errores ipſorum? Sed ubi ad ſalutaria pœnitentiæ remedia confugiebant, dolore errata ſua reparabant, & communis fidelium ſenſus erat, ut ſimulac peccator pœnitens fieret, tunc ultra probro non eſſet Eccleſiæ. Pœnitentes aliis ſecernebantur, & dicere poſſumus, quemadmodum Sancti componebant Eccleſiam innocentiæ ſuæ candore circumundique ornatam; ſimiliter Pœnitentes alteram, prioris ſororem compoſuiſſe, quæ in luctu, lacrymiſque ſuis dicere poterat: filiæ Jeruſalem, nigra ſum, ſed formoſa, & ſub pœnitentiæ caligine inveni gratiæ ornamenta. Ita ſe geſſit Sanctus N. cujus hodierna die memoriam colimus. Ita ille toto vitæ ſuæ ſpatio pœnitentiæ auſteritates exercuit, non ſolum ut præterita peccata ſua expiaret, verum etiam quæ ab hominibus quotidie perpetrabantur. *Auctor Recens.*

*Apoſtoli poſt Salvatorem a Chriſtianis pœnitentiam exquiſiverunt.*

Prædicatores, quos Dei filius deſtinavit ad mundi converſionem, eumdem ſecuti ſunt ordinem ac ille, ut populos edocerent. Apoſtoli eodem tempore, quo fidem, pœnitentiam annuntiarunt: Patres Eccleſiæ de Baptiſmo, & Chriſtianorum vita locuti ſunt ſub nomine pœnitentiæ: Omnes Sancti ſumma cum auſteritate illam exercuerunt: & ratio ipſa ſuadet, quandoquidem natura generatim nocens eſt per originale peccatum, quod in ea relinquit ſemen cæterorum; & ſinguli etiam homines nocentes pariter ſunt propter crimina, quæ originis ſuæ calamitati addiderunt; tenentur ſemper agere pœnitentiam, & ſatisfacere, niſi velint alia ſceleribus ſuis cumulum addere recenti injuſtitia & cæca præſumptione. Quoniam vero Chriſtianiſmus illis viam aperit, ut reparent juſtitiam, quam amiſerant, neceſſe eſt, ut illos in pœnitentia contineat, & gratia Salvatoris eos doceat præterita expiare delicta, & Cæli viam reparare. *Auctor Recens.*

*Pœnitentia privat hominem omni voluptate, & honore.*

Gloria, & voluptas duo maxima ſunt hominis deſideria, Nunquam fere alterius privationi conſentit, niſi illud alterius acquiſitione immolare teneatur. Voluptuoſus honoris obliviſcitur, quia illum allicit voluptatis illecebra: ambitioſus negligit voluptatem, quia illum trahit gloria. Sed pœnitentia aufert homini duorum horum bonorum perfruitionem, voluptatis quidem per doloris amaritudinem, gloriæ vero per ſenſus humilitatis, qui nunquam magis profundi ſunt, quam cum ſe ſontes eſſe cognoſcunt. Invenimus homines pluribus modis humiliatos, qui illis aliorum contemptum conciliant. Primus modus eſt natalium turpitudo, in qua inveniuntur nonnunquam ſordes adeo probroſæ vel ſceleris, vel ſervitutis, ut rubore ſuffundantur, quin noxii habeantur, & in hoc ſenſu peccator exprobrare ſibi poteſt originem ſuam, quæ in lucem edidit ſervum dæmonis, & parentum ſuorum ſceleribus coinquinatum. Modus alter quo homines humiliantur, eſt per naturalia corporis, animique vitia, quorum altera viſum, altera lædunt ſocietatem. Et in hoc quoque ſenſu peccator, habet occaſionem humiliandi ſe, conſiderans circum undique ſuas ignorantias, & infirmitates. *Idem.*

*Miſeria extrema peccatoris ſine pœnitentia.*

Certum eſt gloriam cum miſeria ſimul eſſe non poſſe; & in Sacrorum Bibliorum ſtylo vocabula afflictionis, & humiliationis unum, idemque ſignificant. Nulla autem miſeria major eſt, quam peccatoris, qui procul abeſt a Deo, exutus omnibus gratiæ bonis, & cui æternum inſtat ſupplicium. Sed omnes abjectiones longiſſime abſunt ab illa, cujus cauſa peccatum eſt: illæ non complectuntur niſi naturæ, vel conditionis calamitatem; hæc autem, quæ ſita eſt in peccato, meretur omnino, ut qui illud commiſit, contemnatur. Hoc pacto peccator potiſſimum humiliatur, & pœnitens, qui omnes colligit humilitatis cauſas, hanc præ cæteris agnoſcit, & erubeſcit cum ſummer ipſius contemptu, qui illum ſub ipſo dejicit inferno. Interior hic humilitatis ſenſus Sancti Pœnitentis noſtri mores formavit. *Idem.*

*Notio veræ pœnitentiæ ab omnibus habenda.*

Pœnitentiæ nomen hoc in loco preſſius non excipitur velut ſignificans chriſtianam virtutem illam, quæ conterit cor peccatoris, quæ illum diſponit ad gratiam, & quæ maximos ejuſdem progreſſus concomitatur. Utor nomine Pœnitentiæ, quomodo omnes vulgo uti ſolent ad exprimendas pœnas, quæ pro peccato imponuntur; cujus uſus adeo communis eſt, ut quidquid moleſtum ſuſcipitur agendum in patratorum criminum ſatisfactionem, pœnitentia vocetur. Loquor hic igitur de pœnitentia ſpiritus, videlicet de pœnis, quæ ſufferuntur propter peccatum primis converſionis temporibus. Diſtinguo igitur ſpiritum corporalis pœnitentiæ, ab hac pœnitentia ſpiritus; altera quippe eadem eſt hujus virtutis eſſentia; habitualis, & permanens diſpoſitio, quæ in anima quoque eorum, qui eminent Sanctitate, invenitur; ſed pœnitentia de qua loquimur proprie pœna eſt recentium Converſorum, in quos Dei juſtitia vult animadvertere per rigores ſuos, & quos divina Sapientia vult expiare, & ſeparare ab illiciis amoris Mundi, & amoris proprii per has pœnas. Diſtinguo etiam hanc pœnitentiam ſpiritus a corporis pœnitentia; quia earum ſeveritates longe differunt, non ſecus ac earum ſubjecta. Cum utrumque particeps fuerit peccati; tenetur utrumque illud expiare pœnis; ſed corporeæ reguntur diſcretione, quæ tempus earum, & vires obſervat, ita ut vulgo neque immodicæ ſint, neque aſſiduæ, cum pœnæ ſpiritus nullam habeant menſuram, nullumque intervallum. Et vere æquum eſt ut quoniam ex duobus nocentibus ſpiritus eſt nocentior, acrius puniatur; ita pœnæ illius aliunde proficiſcuntur, & ab alio imponuntur judice, quam illæ, quas Pœnitentes patiuntur extrinſecus. Spiritus imponit corpori pœnas, quas patitur: ſed Deus ipſe infligit ſpiritui varias pœnas, quibus affictatur: ideoque corporis pœnæ voluntariæ ſunt, & pœnæ ſpiritus neceſſariæ. Licet ſpiritus dominetur in corpus tanquam mancipium ſuum; tamen adeo arcte illi conjunctum eſt, ut ſemper illi indulgeat, ſemperque aures benignas præbeat illius excuſationibus, ut eam moderetur ſeveritatem, quam meretur: ſed juſtitia Dei, quæ pœnas irrogat ſpiritui, capax non eſt, aut erroris, ut decipiatur, aut infirmitatis, ut flectatur. Videamus ergo quas pœnas illa per ſe irroget, & quas juſte permittit in pœnam, vel probationem recens Converſorum; & diſcamus, quam periculoſum ſit lædere Deum juſtum, ac potentem, qui tanta cum ſeveritate in eos ipſos animadvertit, quos jam gratia ſua dignatus eſt. *Auctor recens.*

*Lacrymæ quas fundimus eamdem non habent vim ac illæ Sanctæ Magdalenæ niſi eamdem habeant cauſam.*

Credendum non eſt, Auditores, omnibus lacrymis, quas fundimus, eamdem ineſſe vim, ac lacrymis Magdalenæ, niſi fluant ex eodem fonte, & niſi eadem cauſa eas cieat. Baptiſmatis aqua per ſe nullam habet efficiendi vim, niſi ad Sacramenti dignitatem attollatur per verba baptizantis. Hoc ipſum accidit lacrymis ex oculis fluentibus: inutiles ſunt; niſi illas eliciat pœnitentia. Omnes lacrymæ, quas temperamenti mollities tanta cum facilitate elicit, nihil proſunt ad ſalutem; Omnes illæ, quas elicit boni alicujus, vel amici jactura, ſteriles aquæ ſunt, quæ nihil pro cælo producunt. Opus eſt, ut Sanctus Spiritus eas uberes faciat, alioquin omni fructu carent, vel ſi mavis, ſecundum S. Auguſtini mentem, ac locutionem, docte plorandum eſt. *Docte plangite.* Quid ſibi vult inſignis hic Doctor? Igitur ad lugendum doctrina requiritur? Ita ſane, & hominum plerique ignari ſunt in tribulationibus ſuis: ignorant quippe uſum lacrymarum ſuarum: nam hæc fortunæ perturbatio, propter quam tantum lacrymarum profundunt: hæ neces filiorum, vel amicorum, quæ illis tot, tantoſque dolores afferunt: hoc pravum viri ingenium, & tot alia infortunia, quæ mulieri huic perennem pariunt dolorem; ſi hæc omnia perferrentur propter Deum, & propter peccatorum ejus ſatisfactionem, quos theſauros, quos meritorum acervos illi cumulaſſent! Quæ gloriæ pondera in cælo! Sed hæc omnia pereunt, eo quod lacrymarum

uſus

uſus ignoretur. *Plangite &c.* Heu! S. Cyprianus addit, cum jacturam feciſtis alicujus boni fortunæ, nullo affici poteſtis ſolatio; ubique proditis doloris magnitudinem; quæ vos premit: Jacturam paſſi eſtis animæ veſtræ, Deique veſtri per ſcelus, & ſiccos habetis oculos, & cor inflexibile? Animam tuam perdidiſti, & non acriter plangis? Non *acriter ingemiſcis?* Video quid hoc rei ſit, & facile cauſam hujus carentiæ ſenſuum cognoſco. Hoc oritur, ait, quod homines verum habent dolorem jacturæ bonorum, quæ reſpiciunt corpus, & opes terrenas: quia illas habent in pretio, eiſque penitus adhærent. Triſtitia eorum in his omnibus occaſionibus ſincera eſt: ſed in ſpeciem tantummodo dolent ob jacturam bonorum æternorum, quæ flocci faciunt, & de quibus nunquam fere cogitant; quia lacrymæ eorum non manant ex corde, ut olim lacrymæ Magdalenæ, cujus dolor illas excitans non minus violentus eſt, quam ſincerus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

# PRO COMMUNI SANCTORUM,
## QUI SEMET IN MUNDO SANCTIFICARUNT
## bonorum operum praxi

## M O N I T U M.

*Liquet in ordine natura Providentiam conſtituiſſe, ac præſcripſiſſe hanc ſtatuum, & conditionum varietatem, qua alit ſocietatem hominum, & qua tenet in mutuis officiis civitates, regna, & Reſpublicas; ſimili pacto ſupernaturalis Providentia Dei in omnes generatim, & ſingillatim fideles vocat illos in eum vitæ ſtatum in quo naſci voluit, aut in eam conditionem, ad quam illos vocavit; ideoque adjecit illis ea media, per quæ ad finem ſuum pervenirent, & gratias, quarum ope ſemet in hoc ſtatu ſanctificarent, & etiam ad eminentem ſanctitatis ſtatum ſe attollerent.*

*Hinc Eccleſia Sanctos veneratur, & colit ex omni profeſſione, & vitæ genere, & S. Paulus, ut nobis omnem auferret cauſam, quam prætexere poſſemus negligentiæ Sanctificationis noſtræ in eo ſtatu, in quo ſumus, palam profitetur, non omnes homines eſſe Apoſtolos, Prophetas, Doctores, nec omnes iiſdem talentis donari. Unde ſequitur, Deum non ab omnibus eadem exigere officia, & munera eadem: ſed id maxime optare, ut omnes ſint Sancti,* 1. Theſſ. 4. Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra. *Quin opus ſit afferre argumenta ex veteri, novoque Teſtamento deprompta, in primitiva Eccleſia Chriſtiani omnes fere Sancti erant, eadem exercebant munia, eadem officia, communem vitam ducentes, & ſæpe obſcuram, & abſconditam, quemadmodum fecit S. Joſeph, & per plures annos ipſe Salvator. Sancti vera, de quibus hic quæſtio eſt, ex hoc ſunt numero; ſemet ſanctificarunt in vita communi, & hominum commercia per exercitationem virtutum; ac chriſtianorum dogmatum, per bonorum operum praxim, per obedientiam voluntati Dei, per paſſiones, & ſedulam officiorum ſtatus ſui, mandatorum Dei, & Eccleſiæ obſervantiam. Contingere poteſt igitur, in aliquibus Civitatibus, vel peculiari quopiam in loco celebrari diem feſtum Sancti vita hujus, qua Oratori ad elogium texendum nihil aliud ſuppeditabit, quam vitam frugi, & ſancte peractam, quæ quidem ſatis æſtimari non poteſt. Hoc itaque in argumento invenietur rerum ſupellex quæ peculiariter applicari poſſit Sancto, qui pro tali habitus, probatuſque fuerit.*

# PRO COMMUNI SANCTORUM,
## qui ſe ſe in Mundo Sanctificarunt virtutum,
## & bonorum operum praxi.

Fidelitas a nobis habenda, in quacunque ſtatu ſimus, ratio eſt ſeq... infidelitat...

Quoniam infidelitates noſtræ in Dei ſervitio vulgatiſſima eſt cauſa, propter quam deficit noſtra in Deum confidentia; exhauriamus venenatum hunc fontem ſedula, & conſtanti fidelitate. Nihil negemus Deo ex iis omnibus, quæ ſcimus illum petere a nobis, & certe orantes illum replebimur ſancta confidentia quidquid obtinendi. Impendamus ſaltem aliquod tempus in examine tetum earum, quas Dominus petit a nobis eo in ſtatu, in quo nos collocavit. Arduum non erit illas cognoſcere. Sumus ne in ſtatu religioſo? ne aliud quæramus apertius documentum divinæ erga nos voluntatis, quam regulas noſtras; has deinceps indiſcriminatim, & ſine ulla exceptione obſervemus. Præditi ſumus auguſta Sacerdotii dignitate? Minima etiam ſublimis hujus ſtatus obeamus officia, & ſecundum illius dignitatem vivamus. Vivitis in ſæculo? cogitate, quæ veſtra ſint officia, non quidem generatim, ut plurimum accidit, ſed ſingillatim, & prolixius, Officia erga familiam, filios, ſervos, Officia Chriſtifidelium, praxim pietatis conſtantem, aſſidua Religionis exercitia, inevitabilem Mandatorum Domini, & dogmatum Evangelicorum obſervantiam: & conſilium eſpe nihil impoſterum Domino negandi. Ita ſanctus ille vir, de quo verba facimus, in ipſis mundanarum curarum impedimentis, & mundi negotiis ſanctificatus eſt; ſimili ratione & nos poſſumus ſanctificati, ſi conabimur illius veſtigia legere, & exempla imitari, *P. Croiſet in Aſceticis. Tomo* 1.

In omni ſtatu quocunque occurrat difficultas, poſſumus ſanctificari.

Hæc perquiſitio curioſa fuit Doctorum virorum, nullum vitæ ſtatum in Republica inveniri poſſe, ubi aliquis ab eadem Eccleſia inter Sanctos relatus non ſit, ut intelligamus, quemadmodum non conditiones, neque inſtituti genus Sanctos minime faciunt, hæc nequaquam illa eſſe, quæ prohibent, ne aliquis ſanctificetur; ſed vita quæ in quolibet genere ducitur, & fidelitas, qua cujuslibet ſtatus officiis defungimur. Hoc olim dicebat Tertullianus fidelibus ævi ſui. *Nihil refert ubi ſitis, extra ſæculum eſtis.* Quid intereſt, quam vitæ rationem profiteamini, dummodo ad illam vos evocaverit Dominus? Ita non quæro utrum ſæculares ſitis, an Religioſi, utrum Sacris Ordinibus initiati, an Matrimonio implicati: ſed hoc eſſe debet commune Chriſtianis omnibus, cujuſcunque conditionis, & profeſſionis ſint, ut a ſæculi abſint corruptione, quod fieri poteſt in omni genere conditionum. *Auctor Sermonum in omnia Argumenta.*

Inter Reges, milites, mercatores &c. plurimi ſemet ſanctificarunt

Profecto ex Regum numero, qui inter Fideles illi eſſe videntur, qui majores obices habeant ad ſalutem, infiniti prope ſunt, qui in Beatorum album relati ſunt, priſtquam in Aula profanus vixerunt, quin vitiorum contagione inficerentur. Quænam conditio eſt, ubi ſit plus licentiæ, & Religionis minus, quam militum ſtatus? Attamen exercitus fieri poſſet ex illis, qui in eo inſtituti genere ſanctificati ſunt; nec defuerunt legiones integræ, quæ maluerunt mortem ſubire, quam fidei abrenuntiare. Inter homines negotioſos quænam pericula, quænam ſalutis difficultates? Quæ impedimenta! Non defuerunt tamen multa illorum millia, qui conſummatæ virtutis inſignia ediderunt ſpecimina, & qui ad altiſſimum ſanctitatis apicem evaſerunt. *Idem.*

Multitudo hæc SS. ex omni ſtatu & conditione nos imbare ſufficiet, eo quod eorũ exempla ſecuti non fuerimus. *Ad Hebr.* 12.

Hæc Sanctorum multitudo ex omnibus ſtatibus, & conditionibus ex Apoſtoli ſententia, ſunt veluti nubes teſtium, qui aliquando inſurgent in nos, nobiſque noſtram exprobrabunt ignaviam: *Tantam habentes teſtium nubem.* Numerus eorum perſpicuum erit, ac manifeſtum argumentum, & nos ſanctos eſſe potuiſſe, & noſtra factum fuiſſe culpa, ſi nobis ſanctos eſſe non contigit. *Teſtium nubem.* Hæc nubes ſupra nos eſt, & in media aeris regione pendens, oſtendens nobis, ſe in terris fuiſſe, quin affectu terris adhæreret; ſe inter negotia, quibus obrui videbatur, per pietatem aſſurrexiſſe, & non niſi de Cœlo cogitaſſe. *Teſtium nubem.* Hæc nubes eſt, quæ fert imbres gratiarum, & quæ has impetrat a Deo pro iis, qui iiſdem impediuntur muneribus, eaſdemque difficultates experiuntur. Sed cavendum eſt, ne nubes illa aliquando ſuper caput noſtrum diſrumpatur, & erumpat in fulmina proferens damnationis noſtræ ſententiam, ſi ita miſeri fuerimus, ut pereamus. *Idem.*

Illi qui in conditione ſua ſalvi facti erunt, aliquando exprobrabunt a...

Eheu! Auditores, quam gravi dolore torquebimur aliquando, cum Deus locum oſtendet nobis deſtinatum inter eos, qui ejuſdem ſunt ordinis, & conditionis, cujus ipſi ſumus! Quid reſpondebit homo ille, qui perit ea in conditione, in qua ſexcenti alii, quibus non plura,

neque

Iis, qui in eodem vitæ genere inſerverunt.

neque majora fuerunt ſubſidia quam ſibi ſanctificati ſunt. Tunc contra illum conſurgent, ac reſtabuntur illum unice culpa ſua interiiſſe, & conditionem eandem illi viam eſse potuiſse, per quam in Cælum aſcenderet. Quid reſpondere poterit Magiſtratus ille, vel judex qui perient in eo muneie perſungendo in quo obeundo alius ſalutem nactus eſt, quamvis nullum validius præſidium obtinuerit, & cui ſortaſſe in eodem tribunali ſucceſſit? Hæc dignitas, quam polluiſti, venalem habens juſtitiam, fuit ne cauſa damnationis tuæ? dicet illi. Non ita, quandoquidem me Sanctum fecit, tu vero reprobatus fuiſti, quia abuſus es poteſtate, atque auctoritate, quam tibi conferebat. Tu ergo cauſa es excidii tui, non hæc provincia, quæ tibi ſuppeditabat adminicula temet ſanctificandi. Hoc ipſum de omnibus aliis vitæ generibus dici poteſt: ubi qui ſanctificati fuerunt urgebunt aliorum damnationem, eum ſuo exemplo oſtendeſint, nos non ſolum poſſe noſmet ſanctificare, & ſervire Deo in quolibet genere conditionum, verum etiam nos nunquam melius perſuncturos eſſe noſtræ conditionis officiis, quam cum in ea fidelius ſerviemus Deo, ibique noſmet ſanctificare adnitemus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*,

Qui putant ſe ſanctificari poſſe inter impedimenta mundi nequeunt aliquam bonam cauſam prætexere.

Ecce quid confundere debet eos, qui hodierna die putant ſe poſſe chriſtianam vitam ducere inter eas curas, quæ adhærent profeſſioni ſuæ, vel qui credunt ſtatu, munere, & negotiis ſuis diſpenſari, ne ſanctificationi ſui ipſorum operam navent. Mira illuſio! Auditores, quæ non minus periculoſa eſt, quam communis in Mundo; ubi nihil auditur præter excuſationes, prætextus, difficultates, & obices qui afferuntur, vel potius finguntur in virtutum praxi, & in officiorum ſuorum functionibus; Sed illuſio, quam diſſipandam pro virili parte aggredias. Fictus prætextus, quem evertere adnitar oſtendens nullam eſſe conditionem, nullum ſtatum, vel munus in quo nequeat aliquis ſanctitatem adipiſci. Hoc argumentum magnum afferre debet ſolatium mortalibus omnibus; quoniam meridiana luce clarius videbunt non ſolum ſe in conditione ſua ſalvari poſſe; ſed etiam debere ipſam conditionem ſuam ſibi tanquam medium ad ſuam ſanctificationem proponere. *Idem*.

Ubi agitur de noſtra ſanctificatione reperiuntur nobis ſubornuntur difficultates, & obices.

Nihil eſt in quo plures comminiſcamur difficultates, & majores nobiſmet obices fingamus, quam cum de noſtra agitur ſanctificatione. Dolent quidam, & queruntur ſe ſimul non poſſe de Deo, & de negotiis ſuis cogitare; alii ajunt, munus officiumque ſuum cum pietate, ac devotione ſimul eſſe non poſſe; alii denique aſſerunt omnes curas, & cogitationes ſuas negotiis occupari, & abſorberi; & quod magis metuendum eſt, hominum nequitia conditiones omnes periculoſas evaſiſſe, & vitium, atque morum corruptionem ſcopulos ubique ſeviſſe. Ego tamen vobis probaturus ſum, hæc omnia inanes eſſe prætextus, quibus plerique ſibi in flagitiis ſuis aſſentantur, & quibus licentiam æquo effuſiorem excuſare adnituntur rejicientes in ſtatum, vel officium ſuum difficultates, quæ non niſi ex prava mentis, & cordis eorum affectione proficiſcuntur. *Idem*.

Deus concedit ſufficientes gratias cuilibet ſecundum ſtatum ſuum, ut ſe ſanctificet.

Poſſe nos ſervire Deo, & in omnibus vitæ conditionibus ſanctificari, cum veritas ſit, quæ hinc quidem inanes prætextus omnes evertit, quos affert ignavorum ſpirituum negligentia; inde vero ſedat turbas omnes, quas timor, atque diffidentia in infirmis excitant animabus, ſatis ſolidis argumentis vix probari poteſt. Duo tamen, vel tria mihi occurrunt, aptiſſima ad perſuadendum iis, qui ea voluerint attentius ponderare. Primum eſt, cuilibet vitæ ſtatui, & conditioni proprias ineſſe gratias, & ſingularia ad id adminicula. Gratia, quam Sacra Scriptura Cæleſtem rorem appellat, cauſa generalis eſt, quæ cuique profeſſioni, ac muneri, & privato cuipiam ſtatui ſe accommodat, ut facile omnibus perſungamur officiis, & omnes obligationes noſtras expleamus. Gratia, exempli cauſa, cadit in virum nobilem, & facit virum ſtrenuum, & illum zelo ſuccendit tum gloriæ Dei, cum ſervitutis erga Principem ſuum. Ecce quomodo hujus conditioni ſe accommodat. Deſcendit in animam hujus judicis, tribuitque illi cordis rectitudinem, amorem juſtitiæ, vim, ac robur libram æquis lancibus tenendi, quin ex alterutra parte præponderet. Labitur in negotioſum hominum & probatiſſimam inſpirat illi fidelitatem; in Eccleſiaſticum, & hunc efficit hominem divinum vitæ ſuæ exemplo ſuſtinentem characteris ſui ſanctitatem; in Religioſum, & Sanctum facit. Hæc una eademque poteſt eſſe gratia; quæ tamen variis hominum ingeniis ſe accommodat, variiſque conditionibus, in quibus Deus illos conſtituit: Sive gratia ſemper ſit eadem, & differat ſolum propter varios effectus, quos parit: ſive ut innuere videtur Princeps Apoſtolorum, vere ſit multiplex pro varietate perſonarum; & Deus, qui omnes novit ſpecies illius, uſus, & proprietates, illas applicet ſtatui, ingenio, ac ſtudiis ſingulorum: *Multiformis gratia Dei. Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Deus unicuique tradit gratias congruas ſtatui & conditioni ſingulorum.

Liquet, quemadmodum generalis adeſt Providentia, quæ omnibus magni hujus mundi rebus invigilat, ubi omnia concinne in pondere, numero, ac menſura diſpoſita ſunt, non deeſſe aliam particularem, quæ reſpicit gratiarum diſtributionem, eaſque accommodat ſtatui, & conditioni hominum. Hinc infertur, ſi quilibet ſtatus, & quodlibet vitæ genus ſuas habet gratias, ut ſe ſanctificet, ac Deo ſerviat: aſſerere, ſe virum bonum eſſe non poſſe, neque in hac, vel illa conditione ſalutem ſuam poſſe operari, hoc eſt Deum injuſtitiæ nomine inſimulare, quaſi a nobis ea exigat officia, quæ illi præſtare minime poſſemus; hoc eſt velle ordinem Sapientiæ ipſius cauſam eſſe criminum, & delictorum noſtrorum; hoc eſt illum auctorem conſtituere noſtrorum peccatorum, & excidii noſtri, eo quod eo nos conſtituerit in ſtatu, ubi fieri non poſſet, ut ſanctificaremur: hoc eſt denique deſtruere illius Providentiam, quæ cum hoc diſcrimen inter homines collocaverit, conditiones partitus fuerit, & cuilibet locum, & ordinem aſſignaverit in Mundo, nequaquam illis ſuppeditaverit adminicula, ut officiis ſuis defungantur. Quod ſi inficias ire non poſſumus, nobis non deeſſe hæc adminicula, & gratias, ſequitur ergo futilem eſſe excuſationem, & prætextum omni fundamento deſtitutum, negligentiæ ſuæ cauſam in Dei ſervitutem, & modicam ſalutis ſuæ curam in ſtatum, & conditionem ſuam rejicere. *Idem*.

Nullus eſt ſtatus vel conditio, quæ proprias non habeat gratias, & unde inſignes ſanctitate viri exſiſtere poſſunt.

Satis non eſt Auditores, quod ſingulis conditionibus ſuæ ſint gratiæ, & adminicula; nam ſingulæ propria, & ſingularia habent præ cæteris ſubſidia ad finem, propter quem creati ſumus. Quapropter dico etiam, nullum eſſe ſtatum, in quo nemo queat ad inſignem pervenire Sanctitatem; quod arguo ex præcepto, quod nobis Deus irrogavit. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra*. Hinc enim poſito quod Deus exigat a nobis, ut ad ſublimem contendamus ſanctitatem, atque propoſuerit locupletiſſimas coronas, & prima Regni ſubſellia iis, qui illis meriti fuerint; inde vero non liceat ambigere peculiari ſapientiæ ſuæ diſpoſitione ab eo inſtitutas tot varias conditiones fuiſſe, quod ſemper præſuppono, quis cito non arguet quemadmodum ejus Sapientia hanc ſtatuum varietatem inſtituit, bonitatem ejuſdem hanc ad æternam ſalutem retuliſſe, tanquam media ad finem ſuum, & in ſingulis eorum aliqua adeſſe ſubſidia, quorum ope ad illam perveniamus: alioquin in hac diſtributione, in qua videmus tantum inæqualitatis, licet Deus nihil cuipiam debeat, homines tamen ſe læſos rati aliquam haberent cauſam invidendi aliorum ſorti, & conquerenda ſibi inſigi pondus, cui ferendo vires deeſſent, vel ſaltem putandi ſe a Deo quodammodo neglectos fuiſſe inſtituta cum aliis comparatione. *Idem*.

Divitiæ mundi ſectatoribus, ſunt tanti omnium ſcelerum, cũ ad illorum ſanctificationem conferre deberent. Luc. 6.

Conditio divitum ſatis improbatur in Evangelio, quia divitiæ latiſſimam pandunt viam omnibus vitiis; ſuppeditant nobis, unde noſtris deſideriis ſatisfacere debeamus, ac faciliorem nobis ad illa aditum præbent. Hac de cauſa toties objectum ſunt maledictionum, & anathematum Filii Dei: *Væ vobis divitibus*. Attamen hæ ipſæ divitiæ, ſi illis uti vellemus, quemadmodum utendum eſt illis, quam nobis opem afferrent ad noſtram ſanctificationem? Redimere poſſemus peccata eleemoſynis; omnia charitatis opera, quibus Cælum promittitur, quomodo: aut a quibus melius exerceri poſſunt quam opibus, & a poſſidentibus illas? Non ne dicere poſſumus, ſi divites recte uti vellent divitiis ſuis, illos obtenturos citra laborem quidquid alii per vim, validoſque conatus rapiunt? Hinc ſequitur, hunc errorem eſſe, & illuſionem ab inimico noſtræ ſalutis profectam credere, ſi eſſemus in alio quolibet ſtatu ab eo, in quo Deus nos eſſe vult, & in quo nos conſtituit per providentiam ſuam, nos eidem melius famulaturos eſſe, cum interim præſentia contemnamus adminicula, & gratias præſentes, quas præ manibus habemus, ut alias commentitias optemus, quas neque habemus, neque ſumus habituri. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Inanis prætextus eſt dicere ſe eo dem in Claustro ſanctificari potuiſſe, ſed non poſſe in mundo, in quem Deus nos evocavit.

Mulier illa, quæ inutilibus conficitur querimoniis eo quod ingreſſa non ſit Religionem, ad quam ſe credebat evocari; & quæ inter importuna impedimenta œconomicæ adminiſtrationis cogitat quam beatam viveret vitam, ſi procul a familiæ curis, ac moroſo viri ſui ingenio de uno Deo, ac ſalute ſua eſſet ſollicita; huic uni magno, ac neceſſario negotio vacarem, ait, ſi me prorſus inter clauſtra devoviſſem Domino; & mihi non ſuppetit ultra tempus de hac re cogitandi. Sed quid prodeſt hæc querela? Non ne captum eſt tuum vitæ inſtitutum? Non ne delecta fuit vitæ tuæ ratio; hæc non eſt ultra niſi tentatio, quæ prohibet, ne facias quæ debes, dum mentem occupas tuam cogitando ea, quæ faceres, ſi alio eſſes in ſtatu. *Idem*.

Status, in quo Deus nos conſtituit ſemper eſt melior, & ille quem nobis congruere melius judicavit.

Quod vero ſolatio mortalibus omnibus eſſe debet in re hac, illud eſt, quod præterquam ſingulis conditionibus ſuæ adſunt adminicula, & gratiæ particulares, aſſerere audeo, illam, in qua nos eſſe vult Deus, & in qua nos ipſius providentia conſtituit, omnium optimam eſse, & ad noſtram ſanctificationem aptiſſimam, & ex iiſdem principiis argumentor. Si enim Deus omnia hæc vitæ genera inſtituit, & varias haſce conditiones, quæ componunt Civitates, & Regna, & ſi in hoc Dei elucet Providentia, & Sapientia, quæ diverſa hæc impertiit ſtudia, talenta, & ſecretos inſtinctus hominibus, quorum alii aliud inquirunt ad civilem ſocietatem hoc pacto ſuſtinendam: *Unicuique ſicut diviſit Dominus*, ut

1. Ad Cor.

Apoſto-

Apoſtolus loquitur; igitur Deus eſt, qui diverſas has perſonas applicuit, & ad varia vitæ genere peculiari vocatione appellavit. Quicunque enim vult finem, vult etiam media per neceſſariam illationem; alioquin ſi hæc Dei Providentia non tendit ſolum ad bonum commune, & univerſale magni hujus mundi, verum etiam ad bonum cujuslibet ſingillatim, qua in re ab humana diſtinguitur, qui particulare bonum publico ſacrificat; ſequitur, ubi nos Deus ad aliquam conditionem aut aliquod vitæ genus vocavit, haud hæſitanter poſſe affirmari, hunc illum ſtatum eſſe quem optimum nobis cenſuit, & in quo per æternam præſcientiam ſuam vidit, nos facilius, ac utilius ſanctificationi noſtræ cooperaturos eſſe, ſi illius conſiliis obtemperaverimus. *Idem*.

Contendendum eſt, ut noſmet ſanctificemus in ſtatu, in quem nos Deus evocavit, neque obvie mutandum eſt cõtra illius Sapientiam quod non alium nobis ſtatum tribuerit.

Quin contra divinam hanc obmurmuretis ſapientiam, quæ vos hoc in loco conſtituit; quin inutilia foveatis deſideria ejus rei, quam vobis nequaquam utilem cenſuit cur non exeritis conatus veſtros, ut illius de vobis conſilia expleatis? Videlicet cur eidem obſequi non ſatagitis, ſimulque voſmet ſanctificare conamini eo in ſtatu, in quo vos eſſe voluit? Hic adſcititius aſt color, quem homines affingunt negligentiæ ſuæ, cum afferunt & negotia ſua, & dignitates, & curas, & conditiones, ut ſe diſpenſent ab officiis hominis Chriſtiani, & ut ſalutis ſuæ curam abjiciant: *Quod ipſi gerunt*; S. Ambroſius inquit, *officiis ſuis adſcribunt*. Perſonalia vitia ſua in ſtatum ſuum rejiciunt; non profeſſio tua prohibet ne ſervias Deo, ſed unice prava voluntas tua. Hi omnes prætextus fallaces ſunt, atque inutiles, quoniam poſſumus non ſolum noſmet ſanctificare; ſed etiam ſummum perfectionis apicem in omni conditionum genere attingere. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Ambroſ. ſerm. 7. de mis.

Quo magis ad noſtram ſanctificationem incumbimus eo magis noſtra conditionis officiis defungimur.

Hæc, Auditores, propoſitio priori minus conſtans non eſt: nunquam melius ſatisfacimus noſtræ conditionis muneribus, quam cum melius Deo obſequimur, & fidelius ſanctificationi noſtræ vacamus; ideoque tantum abeſt, ut hæc duo ſimul eſſe non poſſint, ut ſibi mutuo dent manum, & alterum alterius alternis firmetur ſubſidiis. Ut hoc liqueat, non eſt cur longius argumenta petamus: afferam ſolum rationes aliquot probatiſſimas, & quas rudis quiſque facile intelligere valeat; videlicet Chriſtianiſmum, & Dei cultum nullam cum ſtatu noſtro habere oppoſitionem; ſed e contra ſe accommodare omnibus conditionibus, ac ſtatibus: immo auxilium nobis præbere, ut eorum perſungamur officiis: & præterea conditionem noſtram nobis re ipſa media ſuppeditare præſtandi Deo quæcunque a nobis expetere poteſt; ac tandem omnem ſanctitatem noſtram in eo poſitam eſſe, ut adipiſcamur perfectionem propriam ſtatus, & conditionis, in qua nos divina providentia conſtituit; *Idem*.

Nullus ſtatus eſt, vel conditio quæ non ſuppeditet media apta ad acquirendam ſanctitatẽ.

Nemo inficias ire poteſt media præſtandi Deo quæcunque a nobis exigit, abunde nobis in quavis conditione ſuppetere; & ſine recenti laboris acceſſione, eadem facientes, quæ facimus, eademque negotia pertractantes, quæ tractamus, poſſe nos ſanctificari, & inſignes ſanctos evadere, quia nulla eſt actio tam abjecta, & humilis in quolibet ſtatu, quæ rectis rationibus nequeat animari, & ſuam in Cælo mercedem mereri. Ita ut ſalutem veſtram operemini, ac Deo ſerviatis, nequaquam jubemini mundo vale dicere, negotia veſtra deſerere, bonis, ac prædiis veſtris abrenuntiare, quæ tamen vobis eſſent facienda, niſi alioquin ſanctificationi veſtræ animum poſſetis appellere. Sed Deus, ut ita dicam, vobiſcum paciſcitur: non exigit vos, ut ſtatum, & conditionem mutetis, ſed ut recte in illo vivatis, omniaque illius obeatis officia. *Idem*.

In omnibus ſtatibus & conditionibus [illegible] nihil efficere poteſt ſanctificationi noſtræ ſed non niſi aliquem in iis obicem comminiſcimur.

Omnibus fatendum eſt, id quod ſingulis muneribus, vel conditionibus eſt eſſentiale, ſaluti noſtræ obeſſe non poſſe, & id unum, quod ipſi adjicimus ex nobiſmet, ad unum officere. Quærere enim unde victum nobis comparemus, in quo noſmet occupemus, & publico utiles ſimus, id in quolibet ſtatu eſſentiale eſt; & donec in eo morabimini, audeo dicere virtutem perfecturam eſſe ſtatum veſtrum, & hunc viciſſim ad virtutis exercitationem non nihil eſſe collaturum. Sed dæmon, quem Tertullianus appellat corruptorem operum Dei, illis admiſcens ſua; dæmon inquam abutitur illis, ſuiſque inſervire facit conſiliis prorſus oppoſitis naturæ illorum, ac inſtitutioni, cum ſequimur placita, quæ ſuggerit nobis; quæ res omnem parit civilis, ac moralis Mundi perturbationem. In hoc munere, & ſtatu, quem ob id unice amplexus es fortunas tuas augere quæris: & hoc omnes has parit injuſtitias, fraudes, & illicita locupletandi media. Hac arte cupis eniteſcere, ac inter alios ordinis ejuſdem fulgere: hinc luxus, ſervorum caterva, inanes ſumptus; non aliud quæris niſi ut tempus fallas; hinc ludi, convivia, ſodalitates, frequentia compotationum, & commeſſationum, qui totidem ſunt obices & muneri ſtatus tui explendo, & ſimul ſanctificationi tuæ procurandæ. Sed diligenter inſpice ea omnia, quæ te in peccatum impellunt, eſſe quemadmodum aliena a ſtatu, & munere tuo, & quidquid aliquid confert, ut tuis perfungaris officiis ſimul efficere, ut ſanctior fias, ac virtute cumulatior; ideoque duo hæc ſibi mutuo ſunt ſubſidio, & auxilio; verum etiam hoc illud eſt, quod a nobis expetit Deus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Vult Deus in omnibus ſtatibus & conditionibus ſanctos homines.

Si præceptum, quod irrogat Deus hominibus univerſis, ſe ſe in quocunque tandem ſtatu, vel conditione ſint, ſanctificandi, jungis ſimul cum hoc adeo certo principio, quod ipſi ſtatuimus, videlicet Deum velle ut in omnibus ſtatibus, & conditionibus homines ſancti fiant, facilis eſt argumentatio; menſuram perfectionis, quam exigit a nobis, comprehendi in peopria perfectione ſtatus, in quo nos providentia conſtituit. Itaque tanquam conſtantem ſupponimus veritatem, tantum abeſſe, quod noſtra conditio ſit obex ſaluti noſtræ, ut immo melius, tutiuſque hanc operari nequeamus, niſi utrumque ſimul nectentes, quandoquidem mutuis ſe ſe juvant auxiliis. Nunquam Deo melius ſerviemus, neque facilius ſanctificabimur, quam perfungentes conditionis noſtræ muneribus; neque his melius perfungemur quam omnem navantes operam, ut Deo in conditione noſtra ſerviamus, ibique ſanctificemur. Quam frigida ergo iſthæc eſt excuſatio noſtra, Sanctus Chryſoſtomus in hoc exclamat argumento! *Nequaquam frigida illa verba proferas, mundanus ſum, uxorem habeo, filiorum curam gero*: Quaſi nemo unquam ſanctus, & perfectus extiterit inter curas frequentioris familiæ, & inter negotia longe noſtris graviora & impeditiora. *Idem*.

Serm. 9. contra Judæos.

Non licet ambigere. Prætextus qui afferuntur ut homines ſe diſpenſent a cura ſemet ſanctificandi futiles ſunt, & ſine fundamento.

Nobis igitur modo dubitandum non eſt, quominus in omnibus conditionibus noſmet ſanctificare valeamus; verum quo dolore aliquando torquebimur videntes tot inter vias, ac ſubſidia ſanctitatis indipiſcendæ in nullam reditus ſpem interiiſſe? Quid reprobo huic non exprobrabit Deus! Te eo conſtitueram in loco; ubi commode poteras Cælum acquirere, ergo te in eo ſtatu collocaveram, qui cæli aditum reddebat tibi faciliorem memet tuo ingenio, ſtudiiſque tuis aptaveram vocans te in hunc ſtatum, & nihilominus omnia hæc neglexiſti ſubſidia, & periiſti! *Perditio tua ex te, Iſrael*. Tu te perdere voluiſti, & ob tuam voluntatem æternum miſer eris? Noſtrum eſt hæc mala prævertere, obſequendo conſiliis Dei; & ſerie vacando ſanctificationi noſtræ eo in ſtatu, & conditione, ubi nos collocavit; quoniam cauſæ, quaſcunque prætexere poſſumus, futiles ſunt, & fundamentis laborant. Si nondum certum aliquem ſtatum ſumus ingreſſi, mature deliberandum eſt; neque cæcorum more ſtatuendum inconſulto Deo, & inexplorata numinis voluntate in optione tanti momenti ad noſtram ſanctificationem. Sin autem electio facta eſt, & vitæ ſtatus ſuſceptus, in hoc omnino ſerviendum eſt Deo; & ex hoc faciendum eſt medium tutum ad noſtram ſanctificationem. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Oſee 13.

In mundo civili conciliari poſſunt ſtatus officia cum officiis Religionis.

Liquet mundum corruptum, & inſpectum tanquam tenebrarum imperium, nimis oppoſitum eſſe ſpiritui veritatis, ut impia illius placita cum ſanctis Evangelii dogmatibus concilientur. Abſit, me imminuere velle anathemata, quæ Jeſus Chriſtus optimo jure protulit, & conciliare cultum Baal cum illo Dei Iſrael. Sed ſi conſideraverimus mundum tanquam ſocietatem mortalium varias conditiones conſtituentium, vel acervum profeſſionum, quarum aliæ aliis præſtant ubi homines vel ortu, vel talentis ſuis impliciti mutua ſibi præſtant ſubſidia, ſinguli in ſtatu ſuo ſecuritati ſuæ proſpicientes, commodatati, gloriæ, & Patriæ ſuæ bono, commercium hoc, hoc vinculum & reciproca utilitas, quæ mores format, rationem excolit, & nos aliis viciſſim efficit neceſſarios; procuidubio in ordine naturali eſt præſtantiſſimum opus divinæ ſapientiæ; peculiaris character, & glorioſa naturæ humanæ proprietas. Et hoc in ſenſu error eſt affirmare, Evangelii dogmata, & moralis ejuſdem diſciplinæ puritatem ab officiis cujuslibet profeſſionis abhorrere. *In Collectione Orationum oblatarum Gallica Academia anno 1703. Sermo primus*.

Perfecta ſimilitudo hominis honeſti cum vero Chriſtiano.

Vir honeſtus etiam ſecundum mundi ſenſum, & perfectus Chriſtianus adeo ſimiles ſunt, ut qui utrumque confundat, non admodum decipiatur. Tandem enim quænam eſt imago hominis honeſti quam in mundo concipimus? Hæc profecto congeries eſt qualitatum, quæ potiſſimum in Chriſtiano requiruntur. Vir honeſtus cor bonum habet, rectas intentiones; ſpiritus illius illuſtratus eſt ad bonum ſecernendum, & voluntas ejus ſequitur illud: nobiles, ac ſublimes ſunt ſenſus illius, juſtitiæ potius, qusm propriæ intentus utilitati ſeveriſſimus eſt in ſeipſum judex. Si de Reipublicæ bonis agitur, bona illius publici fiunt theſauri; ejus opera non ex aliis manant principiis, quam ex animi magnitudine, neque ad alium finem, quam ad gloriam referuntur. Ejus obedientia eſt effectus rationis ſuæ, non metus ſervilis. Sed ſi hæc imago eſt honeſti viri juxta Mundi ſenſum, ubi eſt igitur hominis Chriſtiani imago? Non ne Jeſu Chriſti morum diſciplina miniſtravit mihi colores, quibus utrumque ſimul deſcripſi? Quæ vitæ conformitas, quæ ſenſuum ſimilitudo inter virum honeſtum, perfectumque Chriſtianum, in hiſce eſſentialibus vitæ circumſtantiis, ex quibus probitas pendet, & Religio? At enim, quinam conciliari poſſunt ſeveræ Chriſtianiſmi leges, cum officiis, quæ mundus ab hone-

Digitized by Google

honeſto viro requirit, cum hac ratione, complacendi ſtudio, aſſiduitate, lepore, alacritate? Chriſtianus ad hæc minuta, quæ ars aliis placendi requirit, demitti non poteſt. Falleris. Charitas in uno efficit, quod in altero morum elegantia. Perfectus Chriſtianus admodum facilis eſt commercii; mores illius ſuaves ſunt, & officioſi. Non ambit dominari in ſocietatibus. Ejus alloquium abhorret ab acrimonia, & amaritudine: cor ejus ignorat invidiæ motus, & expers eſt improbæ lætitiæ, quam aliena calamitas in hominum faciem, ac ſermonem effundit. Ergo nequicquam conaris non ferendum interſerere vallum inter hominem, quem Mundus honeſtum appellat, & verum Chriſtianum; utrumque inſpicere ſatis eſt; eadem utrobique tranquillitas, idem ſermo, eadem vitæ ratio. *In eadem collectione ſermo primus.*

In quovis ſtatu, & conditione ſine labore, ac ſumptu noſmet ſanctificare non poſſumus.

Hoc quidem re adhuc integra conſtat, in variis mundi conditionibus magnos ad ſalutem obices inveniri; abſit enim ut arctam Evangelii viam latiorem velim efficere; virtutis ſemitæ ſemper aſperæ ſunt, ac ſpinis ſeptæ quovis in ſtatu. Sed quinam ſine labore, & ſine ſumptibus ſemet ſanctificare contendit? Nunquid Cælum nihil meretur, & mundus ſolus meretur, ut pro illo fiant omnia? Ita cum dicimus, nos in mundo ſanctificari poſſe, non aſſerimus in mundo facilius, quam inter clauſtra hominem ſanctificari poſſe, neque illud dicimus jucundius eſſe laborem impendere pro mundo, quam pro Deo, & noſtra ſalute. Immo ipſa experientia docet oppoſitum mundi ſectatores. Etenim qui vult ditari, & Principum virorum aucupari gratiam, quot labores ſuſtinendi ſunt? quæ ſervitus ferenda? quæ aſſiduitas adhibenda? Quot competitores ſemovendi? quot evitandæ libidines? quot tædia voranda? Nunquid cuperes, ut bonorum omnium præſtantiſſimum, & unum quod beatos nos efficere valeat, citra labores, & ſumptus acquiri poſſet; cum interim minima mortalis, breviſque vitæ hujus bona non niſi cura, conſtantia, patientia, labore quærantur? Verum igitur eſt in mundo hominem ſanctificari poſſe, ſed haud ægre, & ſine labore ibi ſanctificari poſſe, hoc falſum eſt. *In eadem collectione, eodemque Sermone.*

Multorum Sanctorum exempla perſuadent nos poſſe in mundo ſanctitatem indipiſci.

Memoria repetamus vitæ rationem tot inſignium virorum, qui nos præceſſerunt; evolvamus annalia, in quibus deſcripta ſunt facta inſignium fidelium, quos Religio nobis tamquam prototypos ad imitandum proponit. De ſæculo in ſæculum aſcendamus, & conſideremus ingentem hanc copiam Sanctorum utriuſque ſexus, ætatum, & conditionum omnium; & ex nobiſmetipſis percontemur, cur in eodem ſtadio, ac illi currentes, eadem obtinentes officia noſmet nequeimus in ſæculo ſanctificare, quemadmodum illi ſanctificati ſunt? *Idem.*

In ipſa celſitudine, & in mundi ipſius luce Sancti eſſe poſſumus.

Pompas, & luxum mundi contemnere non eſt donum ita clauſtris, deſertiſque adnexum, ut illius exempla in editioribus etiam conditionibus inveniri minime poſſint. In ipſo Aulæ meditullio, quod ut ita dicam, centrum eſt mundanæ vanitatis, ubi hæc mundi figura majori in luce coruſcat, & exhibet objecta ad cor fallendum, & ciendam cupiditatum acrimoniam aptiora, David, Eſther, S. Ludovicus vim habuere ſemet attollendi ad cogitationes æternitatis, incundi ſecretum cum Deo commercium; erigendi eidem thronum in corde ſuo, ut ſolus imperii ſummam teneret, ubi in ſpiritu, & veritate coleretur; & ubi, licet fallaces mundi conceptus, & ſollicitationes rerum omnium, quæ majoribus illecebris pollent, aliter ſuaderent, ratio ſemper audiretur, & lex æterni Regis ſemper obſervaretur. *Idem.*

Character honeſti Hominis Chriſtiani.

Ut manum extremam, ac ultima addamus lineamenta prototypo, quem Chriſtianus homo ſibi proponere debet; Chriſtianus eſt homo abſolutum exercens imperium in omnes motus animæ ſuæ. In proſperis modeſtus eſt, in adverſis conſtans, datæ fidei religioſus obſervator; ſincerus in amicitiis, affabilis in colloquiis, zelator publicæ felicitatis; fidelis Regi ſuo, ab omni cupiditate vacuus, & humanorum reſpectuum expers; charitate plenus ſine ſuperbia, pius ſine hypocriſi, ſemper ſibi conſentiens, ſemper paratus ad reparandum, ſi quid offenderit; erga omnes officioſus, & tantæ bonitatis, ut aliorum felicitatem conſtituere, aliorum miſeriam valeat recreare. *Idem.*

Non omnes tenentur initum cum mundo commercium infringere.

Si ſecundum generalem regulam judicium ferendum eſt, dubio locus eſſe non poteſt, quominus æternum cum mundo divortium tutiſſimus ſit ſtatus ad ſalutem. Animam ſublimius attollit ad Deum, illam arctioribus vinculis eidem conjungit; illam, ut ita dicam, a ſenſibilibus expedit objectis; ejus cupiditates emundat, eamque in ſuperiori collocat regione, ubi nulla turba, aut tumultus ejus tranquillitatem valeant perturbare. Hinc divinus Sponſus edicit, ſe ducturum illam in ſolitudinem, ut eidem loquatur ad cor. Tamen ex his principiis arguendum non eſt, omnia mortalium genera ad innocentiam tuendam debere initum cum mundo commercium infringere. Hoc enim conſilii eſt, & ad perfectionem ſpectat; non autem eſt neceſſitatis. *In collectione Orationum Pariſienſi Academiæ oblatarum anno 1703. Sermone tertio.*

Character Chriſtiani fidelis Deo in Mundo.

Conſideremus Chriſtianum ſemper officii ſui regulis inhærentem, medium in ſæculi corruptione; ſequamur hunc ſemper attentum officiis ſuis, a quibus nulla obtineri diſpenſatio valet; huic ſatis non erit evitare ſtatus ſui vitia; pro virili etiam virtutes omnes adipiſci conabitur; haud ignarus, teporem relaxationis, relaxationem vero flagitiorum omnium originem eſſe. Aſſiduo labore omnes ſuperabit obices, quos in perfectione offendet; cumque ejus pericula ſint perennia, perennis quoque erit ejus vigilantia, ut ex illis victor evadat. Ita Chriſtianus hic gratiæ ope in ipſa mundi luce fidelis erit Deo, quin exteriores occupationes illum avertant ab officio, quin vanis ambitionis, ac fortunæ ideis repleatur; quin prava exempla illum in vitium trahant; quoniam flagitia ab homine proficiſcuntur, non autem ab illius ſtatu, & conditione. Quin adhæreſcat perfunctoriis bonis, quæ poſſidet, vel æternorum obliviſcatur, quæ illi Religio promittit, non quærit in dignitate, vel opibus ſuis inanes relaxationis prætextus; invenit etiam in ſua proſperitate virtutis argumenta, quibus revocatur ad Deum per animi grati ſenſum, & quibus cogitur fidem ſervare Deo, quibuſcumque illiciis urgeatur, ut ab illius cultu recedat. *Idem ſermone quarto.*

In mundo ſancta vita duci poteſt.

Omnes fere virtutes in mundo poſſunt exerceri æque ac in remotioribus ſaltuum latebris; poſſumus enim inter homines vivere, quin in partem accedamus corruptionis, & vitiorum eorum, per gratiam ſupra naturam aſſurgentes, & ſecuti leges vitæ communis, cum ad ſublimiorem vitæ rationem non evocamur. Verum eſt Scripturam deplorare mala eorum, qui viam latiorem ſequuntur; verum ſimul hortatur illos, ut arctiorem ingrediantur. Malum non eſt publicam exercere dignitatem, eminentem honoris gradum tenere, præeſſe exercitui, ſed ſe præbet nocentem, qui his abutitur locis ad explendam ſuam ambitionem, & cupiditatem; ad opes congerendas ſumptibus miſerorum, qui ſub injuſtæ poteſtatis pondere conteruntur. *Idem Sermone 4.*

Satisfieri poteſt ſimul & Religioni, & urbanitatis officiis.

Quin abrenuntiandum ſit hominum commercio, haberi poteſt pietas nullis ſæculi tentationibus labefactanda, conciliari poſſunt vitæ civilis officia cum illis conſcientiæ, noſmet poſſumus attollere ad Deum per fidem, noſmet proximo communicare per charitatem, & ſi quid peccaverimus, expiare per pœnitentiam. Poſſumus etiam in imis cordis noſtri adytis quamdam ſolitudinis ſpeciem concinnare, ut a mentis evagatione noſmet tueamur, quam negotiorum pariunt impedimenta. Si harum animarum hiſce privilegiis præditarum numerus minus frequens eſt, inveniuntur adhuc fideles, qui in mundo vivunt quin mundi ſpiritum aſſumant, & jugiter contra concupiſcentiæ motus dimicant. *Idem Sermone 4.*

Vera virtus eſt rite defungi omnibus ſtatus & conditionis ſuæ officiis.

Vera virtus noſtras cogitationes, & conſilia, motus, & greſſus inter ſtatus noſtri cancellos coarctat. In actionum noſtrarum œconomia ea obtruncat omnia, quæ extra ordinem ſunt, atque in omnibus occupationibus nos continet tanquam ſub manu Dei. Efficit, ut ad beatam progrediamur æternitatem ſecus viam, quam nobis Providentia indigitavit, quin ad dexteram, vel ad ſiniſtram deflectamus. Sapiens ex D. Auguſtino innuit, ne vel in ſuperbiam, vel in ignaviam incidamus. Viventes, agentes, & hoc pacto noſmet gerentes meritorum theſauros congerimus; occupationes noſtræ ſeu magnæ, ſeu modicæ, conſuetæ, vel inſuetæ, nitentes, vel caliginoſæ; actiones noſtræ magis ſimplices, magis communes, & familiares, magis abjectæ & contemptibiles in hominum oculis, in oculis Dei meritum habent, ac ſpeciem, quæ divinæ miſericordiæ obtutum in nos convertit, & figit. *Auctor recens, & Anonymus.*

Neceſſitudo quæ inter honeſtũ virum, & vere Chriſtianum intercedit.

Pleriſque mortalium videtur nihil magis inter ſe differre, quam honeſtum eſſe hominem juxta Mundi ſenſum, & verum eſſe Chriſtianum, religionis amatorem. Diceres profecto primo intuitu inter hæc duo nihil eſſe commune. Probitas ſecundum mundum opus eſt naturæ, & rationis. Natura illam imprimit in corde, ac ſpiritu, & ratio illam fovet, ac perficit. Sed Religio non aliud habet principium, niſi Deum. Probitas, qualis a mundo concipitur, ad naturalia tantum fertur officia, & nonniſi quamdam reſpicit naturalem felicitatem, quam inter homines conſtituit, quæ ſæpe per eorum excidit improbitatem, & quæ unum cum illis finem eſt habitura. Fatendum eſt tamen, quoſdam inter utramque nexus inveniri, ut vix, & ne vix quidem fieri poſſit, ut ſeorſim ſubſiſtere valeant. Neceſſe eſt aliquid Religionis habere, ut aliquid habeas probitatis; & viciſſim neceſſe eſt aliquid probitatis habere, ut aliquid habeas Religionis. Quænam regula, quod fundamentum eſſe poſſet nobis ad ſtatuendam probitatem noſtram, niſi in ipſa Religione eſſet conſtituta? Religionem conſiderare debemus tanquam catenam, quæ nos Deo adnectit & cum illo conjungit. Quomodo autem fieri poſſet, nos Deo conjunctos eſſe, niſi ſimul eſſemus conjuncti? Conjunctio quippe cum Deo ſupponit conjunctionem cum hominibus, & complectitur officia omnia, quæ illi a nobis exigunt. *Liber cui titulus; Vita civilis officia.*

Religio, & lex Chriſtiana approbat, & non condemnat vitæ civilis officia.

Credendum non eſt ad hoc ut in mundo vivamus neceſſe eſſe, ut ſaluti noſtræ abrenuntiemus. Religio non deſtruit ſocietatem; e contra approbat, quod amicos habeamus, quod illis hæreamus, & ſunt occaſiones quædam, ubi aſſentitur, ut vitam ipſam ſacrificemus, no-

ſtram

Digitized by Google

ſtram erga illos benevolentiam teſtaturi. Si etiam ultra amicitiam extendit; præcipit ut omnes diligamus, & alii alios mutuis viſitationum officiis excipiamus. Illa tandem ſocietati parum adeo oppoſita eſt, ut velit quidem ut per intervalla aliquot horas innocuis voluptatibus impendamus, neque ægre fert convivia, & ſolatia inter amicos honeſta; hæc enim adminicula ſunt ad roborandam mutuam inter nos conjunctionem, & ſocietatem fovendam. Illud vero efficit, ut nobis perſuadeamus, mundum cum Religione non ita facile conſentire quia alteri adhærere non poſſumus, quin ab altero diſſentiamus, quia civilis, urbanæque vitæ non ſervantur officia. *Idem.*

Sanctiſſimus quiſque melius novit vitæ civilis officia cum pietatis officiis conciliare.

Illi, qui optime norunt quidquid ſolidum, & magnum eſt in Religione, id norunt etiam melius eum mundo conciliare. In mundo, ubi ſequi videntur vitæ rationem honeſtam, facilem, quæ neminem exaſperat, & quæ jucunda eſt æque ac irreprehenſibilis; etenim ne cuipiam diſpliceant non minor in illis deprehenditur cura. In Religione videntur ordinem ſervare, ſubjecti, ſeveri in ſemet, faciles erga omnes in iis, quæ eorum non adverſantur officio; in iis vero, quæ lædunt ea dogmata, quæ ab ipſis exercentur, magis adhuc diſcreti ſunt, ac magis verecundi. Ita qui conciliare norunt ſimul mundum, & Religionem ex mundi placitis abſcindunt quidquid ipſis vitioſum, atque corruptum videtur; & retinentes in Religione quidquid ſolidius eſt, & rejicientes omnino quidquid plerumque hypocriſim ſapit, & quod aptius eſt ad illam, in hominum mentibus contemptibilem efficiendam, quam ad augendam reverentiam noſtram, & zelum: In Religione inviolabiliter adhærent morum diſciplinæ, quæ coaleſcit ex præceptis a Dei filio nobis relictis: & in mundo eas ſequuntur conſuetudines, quæ nulla in re Evangelio repugnant: ita ut tota eorum vivendi ratio præſeferat quemdam characterem probitatis, juſtitiæ, & pacis, qui ſeſe effundit in omnes actiones eorum, quin aliquid in illis coactum, vel erga alios nimis auſterum videatur. *Idem.*

Ut ſalutem noſtram operemur in mundo, ſatis eſt, quod ſideliter ſtatus noſtri officiis perfungamur.

Ne arbitremur ad hoc, ut ſalvi ſimus, Deum a nobis exigere magnas auſteritates, vel quidquam extra communem, vulgatumque ordinem poſitum; veſtrum ſinguli intra ſtatus ſui cancellos facile ſalutem poſſunt invenire. Officia, quæ illis obeunda ſunt, munia, quibus perfungi debent, ſufficiunt, ut in viam Sanctorum ambulent. Negotia veſtra, cura familiarum veſtrarum, filiorum veſtrorum educatio, bonus ordo, quem domi conſtituere debetis ad pacem ſervandam; fortuita conſiliorum veſtrorum perturbatio, inopinatus rerum eventus, qui ſubdeque veſtra evertit negotia, vobis occaſiones abunde ſuppeditant Deum glorificandi, & voſmet ſanctificandi. Sed quoniam nihil horum facimus niſi Ethnicorum more, videlicet, quia illa Dei intuitu animemus; & aliunde ſequimur propenſionem naturæ corruptæ, & rapi permittimus torrente exemplorum, ac flagitiorum ſæculi; hoc illud eſt, quod parit difficultatem ſalutis in mundo. *Sermo Manuſcriptus.*

Sanctitas ſimul eſſe poteſt cum pleriſque urbanitatis officiis.

Noſtræ religionis laus eſt multiplici via ad Jeſum Chriſtum ſervos adducere. Verum nihilominus eſt, chriſtianam virtutem in ſe conſideratam, ut plurimum, non labi in hos exceſſus, qui a commercio proſcribunt partem eorum officiorum, quæ ad eamdem ſervandam conducunt. Hæc ſtatibus omnibus præſcribit leges, quæ illis ſunt propriæ; hæc omnes homines ad ſalutem adducit per obſervantiam mandatorum Dei, per terrenarum rerum contemptum, per bellum, quod indicit cupiditatibus. Verum cum non obliget fideles omnes, ut in ſolitudine vivant, & ſequantur praxim eorum, qui a ſæculo penitus receſſerunt; non prohibet quidem aliis mores, quos bona edocet inſtitutio, & quos vitæ elegantia, & honeſtas poſtulant. Elegantia, exempli cauſa, affectata, mollis, magnifica minime deceret Jeſu Chriſti diſcipulum, & læderet humilitatem, & modeſtiam, quam ille profitetur. vero ſequitur ne, illi in lucem prodeundum eſſe inculto, ſordido amictu quaſi ruſticus eſſet, & agreſtis? Nullo pacto. Hic eſſet fortaſſe effectus libidinis inordinatæ, & turpis avaritiæ. Honeſti homines poſſunt, & debent Sancti eſſe. Fortaſſe triſtis, & ferox ſanctitas non ſemper ædificabit: ſanctitas vero

Epiſt. 11.

nonne ſemper debet ædificare? *Nec affectata ſordes, nec exquiſita munditia conveniunt Chriſtiano.* S. Hieronymus ait. *In libro cui titulus: Animadverſiones in varia Religionis, et Moralis argumenta.*

In mundo poſſumus ſanctificari.

Poſt hæc dicisne aliquando tecum, quomodo conciliari ſanctitas poteſt cum mundi impedimentis? Quomodo Sanctum eſſe, & in quibuſdam mundi ſtatibus vivere? Quomodo? Mirum eſt, te adhuc neſcire, cum tua tantum interſit id ſcire; & maxime decet te ignorare quod tibi diſcendum, & meditandum erat diebus omnibus vitæ tuæ. Igitur ſtudendum tibi eſt. Reris ſtatum tuum adverſari ſanctitati, & cum ea ſimul eſſe non poſſe. Vehementer erras. Si hoc verum eſſet, quod ſtatum vocas, tibi fieret peccatum & ſine alia ratione de præcepto, ille tibi eſſet relinquendus. Sed quoniam eſt ſtatus tuus, ſicuti ſtatus eſt, ad quem te Dominus vocavit, lædis Providentiam illius, & infers Sapientiæ ejus contumeliam, reſpiciens illum tanquam obicem tuæ ſanctificationi. Nullus in mundo ſtatus eſt, qui non ſit, & eſſe non debeat ſtatus Sanctitatis. *P. Giroust in Adventu.*

Ineptæ excuſationes eorum, qui putant ſe non poſſe vivere in Mundo ut decet Chriſtianum.

Fruſtra ignaviæ noſtræ certi ejus cauſam rejicimus in difficultatem chriſtiano ritu vivendi in hac mundi corruptione, ſine ulla religione ſinentes nos trahi hoc torrente iniquitatis, qui omnes feræ mortales rapit, & mendoſe aſſerentes, nobis deeſſe vires, quibus reſiſtere valeamus. Si enim accurate nobiſmetipſis invigilaverimus, non Parentum flagitia, non prava educatio, non locus, in quo vivimus, non omnes illæ rationes, quas vulgo prætexímus, ut noſmet excuſemus, nobis officere poterunt. Abraham Patrem habebat impium, & idolorum cultorem, tamen paternæ impietatis hæres non fuit. Ezechias filius fuit execrabilis Regis Achaz; hoc tamen non prohibuit, quin fieret amicus Dei. Moyſes vixit in Ægypto, & tot Sancti in tot terræ locis, quin virtus eorum minus eſſet perfecta, eo quod illi cum improbis ſemper conſuevere. Inepta igitur, neque unquam a Deo admittenda excuſatio eſt, aſſerere hominem eſſe non poſſe bonum, neque ſe præſervare a ſæculi corruptione, ubi vivat, & jugiter cum illis agat, qui ejuſdem placita ſequuntur, & non aliam habent vitæ ſuæ regulam. *Abbas de Montmorel. Homilia pro ſeptima poſt Pentecoſten Dominica.*

Qui in mundo vivunt Evangelii præcepta ſervare tenentur.

Una ex magnis artibus dæmonis ad eos corrumpendos, qui propter conditionem ſuam vivere tenentur in mundo, eſt fallax perſuaſio, quam aiunt, Evangelii præcepta pro illis eſſe tantum, qui religioſam vitam amplexi ſunt, vel qui in ſolitudines conceſſerunt, inquiunt enim, qui publicis fulgent honoribus, vel qui ingenti præſunt familiæ, ac terrenis impediti curis inceſſanter occupati ſunt, quomodo vacare Deo poſſunt: uti oporteret? Curam filiis ſuis conſulendi juxta eorum genus, & conditionem, neceſſitatem eſſe, qua a plurimis diſpenſantur officia, ad quæ alii tenentur; & hoc pacto ſibi perſuadent, plurima peccata, quæ inter hæc impedimenta committunt, ſibi non eſſe imputanda. Mira illuſio! perinde ac mortales ſeu per conjugium, ſeu aliam ob cauſam mundo impliciti, minime tenerentur chriſtianam vitam ducere, & Evangelii præcepta obſervare; & perinde ac verum eſſet; aliquem per latiorem viam ambulantem ſanctificari poſſe; vel arctam viam Religioſis dumtaxat, ac Eremitis reſervari! *Ex Morali in Pater Noſter.*

De neceſſitate ſugiendi occaſiones peccandi in mundo.

Hæc moralis eſt, & maxime neceſſaria, & naturæ corruptæ difficillima. Quot occaſiones in vita, ubi nihilominus eam ſequi omnino neceſſe eſt! Patronum habes, cujus gratia nitea, ac fulges: patrocinium cujus novis aſſentationibus tibi comparis: hic oculus eſt eruendus. Famulum habes tibi neceſſarium, conſanguineum tibi in neceſſitatibus opitulantem, amicum quo nullum habes in vita chariorem; ſed ſi eorum ſervitus, conſuetudo, mores afflant cordi tuo contagionem, jam tot manus ſunt tibi abſcindendæ. Implicitus es in eo munere, profeſſione, magiſtratu, ex quo omnia tibi ſuppetit alendæ familiæ tuæ ratio, & ſine quo in mundo verſari non vales. Verum muneris hujus exercitatio, hujus profeſſionis officia, hujus magiſtratus functiones ſimul eſſe non poſſunt cum ſalute tua; hic omnino pes eſt, quem obtruncari jubet Evangelium. Bone Deus! quænam vis nobiſmet inferenda! quot ſuſtinendi dolores! quot obices ſuperandi! homo tot conatibus parne eſt? Haudequaquam, Domine, ſine ope gratiæ tuæ; quam tamen negas nemini ſincere petenti, ac ferventer inquirenti. *P. la Neuville in Morali novi Teſtamenti Tomo 3.*

Idem ſequitur argumentum.

De mundo ea, inquis. Heu! hoc fortaſſe crimen tuum eſt, & in excuſationem affers. Patria tua eſt in cælo; tu autem terræ vis inhærere! Concivis Sanctorum es, & in corruptione habitas! Chriſtiano, qui cælo deſtinatus eſt, quocumque in ſtatu, qualibet in profeſſione verſetur, nonniſi propter Cælum vivendum eſt. Corpus ejus ſequi debet motus animæ ipſius; & ibi eſſe oportet cor, ubi ſpiritus eſt. In mundo quidem eſt, ſed vivere non debet propter mundum. Ne dixeris quod olim S. Chryſoſtomo dicebatur: Igitur ut quis ſe ſanctificet, inter clauſtra confugiendum eſt. Quid? Num ſui ipſius abnegatio, injuriarum oblivio, temperantia, modeſtia, humilitas, animus a terrenarum rerum affectu alienus, virtutes ſunt tantum Clauſtrorum? Si ut quis in mundo vivat, ab illis diſpenſandus eſt, dicendum eſt, viventem in mundo chriſtiani qualitatem exuere. *Sermo Manuſcriptus.*

Quid ſit honeſtus vir ex mundi ſenſu.

Quid eſt honeſtus homo ex mundi ſententia? Ille eſt, qui cum honore fortunam tueri novit, qui ſuo perfungitur munere; qui conditioni ſuæ decentes ſumptus erogat; qui amicis ſuis gratificatur, qui in iis, quæ ad Religionem pertinent, ſedulus, & fidelis eſt: modeſtus in verbis, ſincerus in factis; amicus bonus, & commodus in ſocietatibus; præſertim vero expers avaritiæ, pertinaciæ, levitatis, & infidelitatis. Hæc enim, præter propter, vitia ſunt honeſto viro magis oppoſita; & virtutes, quæ ad illum efformandum quamplurimum conferunt Hæ qualitates omnes Chriſtiano viro minime adverſantur. Licet in honeſto homine duas tantum qualitates admitteres, ſinceritatem, & generoſitatem, hoc mihi ſatis eſſet ad refutanda, & damnanda vitia omnia, de quibus homines mundi hujus (æquo liberiores, & impios intelligo) gloriantur; quæ tamen in aliis condemnant,

ac in

ac in corde ſuo vituperant, & quæ pati nullo pacto poſſunt iis, in quibus ſenſus viget, & ratio. *P. Rnaus.*

Difficile quidem in mundo ſanctificari poſſumus, ſed nullibi poſſumus ſanctificari quin nobiſmet vim faciamus.

At enim, quæ crux, quis labor eſt, regularem eſſe Chriſtianum in mundo! Quæ difficultas placere Deo, & hominibus, ac ita ſuæ profeſſionis officia cum illis Religionis componere, ut in neutris deficias! Difficile ſane, & arduum eſt: Sed quoniam ſtatum hunc elegiſti, & ad hunc te Providentia evocavit, & ſuppetunt tibi gratiæ ad hæc obeunda officia neceſſariæ: quæcunque adſit difficultas tibi ſuperanda eſt, & omnes humanæ rationes vincendæ. Sed iterum dicam, ſi hoc eſt difficile, putaſne, te ſanctificatum iri, quin ullam tibimet vim afferas? Ubinam hæc crux eſt tibi in Mundo æque ac in Religioſo ſtatu ferenda? Hæc eſt ut te ad hanc vim inferendam tibi redigas. Crux iſta tibi dura videtur, ſed ſi contuleris hanc cum illa, qua onerat Deus tot Eccleſiaſticos, tot mortificatos cœnobitas illam patienter geſtantes, fateberis tuam longe ſuaviorem eſſe. Quæ enim tandem hæc eſt comparatio crucis tuæ cum cruce illorum? Tua abſcondita eſt; Deus unus videbit illam: Deus unus teſtis erit illius: beati, qui cælum tam vili pretio mercari poſſunt; beati, qui in cælo, & in terra eſſe poſſunt beati. Verum ſi ſalutaribus his animadverſionibus uti recuſas: ſcias nullam tibi in die noviſſimo excuſationem futuram. Quæreris de ſalutis tuæ difficulate: quid vis a Deo fieri, ut eam tibi præbeat faciliorem? Non ne tibi longe difficilius eſſet illam in miſeria, & paupertate operari? Ad hanc te redigere noluit Deus, & nolles ipſe tibi vim facere eo in ſtatu, in quo te ille conſtituit. *P. de la Rue.*

Ratio propter quam plerique Chriſtiani ſalutẽ ſuam non operantur permanentes in mundo.

Cauſa propter quam Chriſtianorum plerique non explent ſuæ profeſſionis officia, neque ſe ipſos ſanctificant eo in ſtatu, in quo illos Providentia conſtituit; hæc eſt quod non ſolum mundi corruptionem non fugiunt, ſed quod ſollicite ſe ſe in eandem immergunt magis, quam illis permittat Deus. Hac mente illi ſibi comparant honores, ambiunt magiſtratus, quin ad examen vocent, utrum ad illos vocentur a Deo, & utrum ipſi iis polleant viribus, quæ ad onus illud digne ferendum ſufficiant; & quin aliquem conſulant, niſi homines cupidos, & ſuis conſiliis faventes. Tanto huic malo non alia ſupereſt medicina, quam, ſi fas eſt, abdicare ſtatum, quem injuſſu Dei ingreſſus es, tunc vero præcipue, ubi in eo lapſuum occaſiones inveniuntur. Nam ſi malum eſt ſe ſe illi implicuiſſe, multo pejus eſt in eo velle perſiſtere; & niſi te velis periculo objicere interitus: ſola ratio reparandi noxam, eſt ex eodem ſtatu quam primum emergere. Quod tamen intelligendum non eſt de quibuſdam ſtatibus laborioſis ac licitis; ubi optime cum agendæ potientiæ neceſſitate conſentiunt. *De Sancta Martha Tomo 2. Tractatu primo de Mundi fuga.*

Quid faciendum illis, qui implicati ſunt in periculoſa conditione nec illam relinquere poſſunt?

Quoad illos qui in periculoſa quapiam conditione impliciti ſunt, ex qua ſe ſe neſciunt expedire, hi ſibi perſuadere non debent, ſe verſari in abſoluta impotentia ſalutem ſuam operandi, aut vivendi, ut veros decet Chriſtianos. Lacrymis eluendus eſt error, in quem lapſi ſunt, ſemet implicantes in tale vitæ genus temporalem dumtaxat utilitatem ſuam conſulentes; orandusque Deus eo magis, ut ipſos liberet ab iis, quibus ſepti ſunt tentationibus, quod cum illas evitare non poſſint fuga, redactos ſe vident ad neceſſitatem illas vincendi, vel ut vincantur ab illis: ſperandi locum habent fore ut cum illis miſericordia ſua utatur Deus, ſi nihil prætermiſerint, ut illius obſequantur imperiis. *Idem.*

In mundo vivere poſſumus ut decet Chriſti fideles.

Utile quidem eſt, non autem omnino neceſſarium, ut Chriſtiano ritu vivamus, & noſmet ſanctificemus in deſertum confugere, aut ſe intra clauſtra concludere. Quemadmodum Iſraelitæ vixerunt inter Ægyptios, quin idola colerent, vivere poſſumus in mundo, quin mundani ſimus. In hoc Dei Providentia eſt æque amabilis & adorabilis, quod in quolibet ſtatu, & in qualibet conditione dederit nobis tot ideas ſanctitatis, quot opus erat, ut componeretur hæc myſtica varietas, qua Jeſu Chriſti Sponſa, Eccleſia nempe, juxta Prophetam, amicta eſt. Ideo oblectatus eſt Deus efformare Sanctos in iiſdem ſtatibus, in quibus plures difficultates ſanctitati ſuperandæ fuiſſe videntur; prodigia humilitatis in ipſo Regni ſolio; auſteritatis in ipſis deliciis, collectionis, & vigilantiæ in ſemet uſque inter negotiorum impedimenta, & temporalium curarum tumultus; & denique per ſecretum prædeſtinationis, quod ſatis nunquam admirari poſſumus, nunquam voluit vel unam eſſe in mundo profeſſionem, earum videlicet, quæ per leges licitæ ſunt, & quæ bonis moribus non adverſantur, quæ non haberet Sanctos in cælo, & in terris tanquam tales ab Eccleſia recognitos, & probatos. *P. Giroust Sermone de Sanctitate.*

Error eſt putare non in mundo ſanctificari non poſſe.

Vehementer errat, qui credit, in mundo inveniri conditiones, & ſtates ex illis, quos Providentia pro ſocietate conſtituit, quorum officia cum Chriſtiani hominis officiis ſimul eſſe non poſſint. Mortalium illuſio, qui ignorant Chriſtiani hominis officia, & officia hominis in mundi luce viventis; & qui duplex ſibi comminiſcuntur phantaſma earum rerum, quas ab altero quidem Chriſtiana religio, ab altero vero mundus requirit. Tantum abeſt, quod Chriſtiana religio aliquid petat ab homine, quod ejus profeſſioni adverſetur, ut ſingulis perfungi officiis profeſſionis ſuæ, ſemper primum illud ſit, quod ſingulis vera Jeſu Chriſti religio perſcribat. Ita cum nobis perſuaſum eſt, nos nobiſmet confingere aliquod phantaſma earum rerum, quas poſtulat Chriſtianiſmus; nobiſmet perſuademus, nos ſaltem nobis fingere ideam æque fallacem rerum earum, quas poſtulat mundus. Quæſo enim, cui grata ſunt pleraque eorum, quæ facitis mundo placituri? Laudat ne mundus ſumptus veſtros inſanos? Mundus probat ne immenſos ludos veſtros? Per commercia veſtra in mundo conſtitutum eſt meritum veſtrum? Mundus ita cæcus non eſt, ut laudet ſumptum; qui domum veſtram evertit. Deus quidem, & mundus non ſemper conſentiunt; & avertat Deus, quod utriuſque placita conciliare audeas. Sed quin ille concilies, ſcias, ſe vivere poſſe, ut honeſtum hominem decet, & in mundo optime audire: ſcias te in hujuſmodi placitis, poſſe, non ſecus ac multi fecerunt, mundi rationem redarguere, & mundi approbationem mereri; damnare mundi flagitia, & mundi benevolentiam edipiſci; mundum contemptibilem reddere, & illius obſequia tibi conciliare. *P. Aurelianenſis in Sermone Sanctorum omnium.*

Quid faciendi ſit illis, qui in mundo, implicati ſunt, neque uſquam pacto ſe inde explicare poſſunt, ut ibi Chriſtiane vivant?

Sunt, qui licet inviti, in mundo permanere debent per inevitabilem neceſſitatem, veluti uxores, quarum viri vel propter dignitates ſuas vel propter negotia ſua, mundo inhærent, vel alii per ſuam conditionem; quæ illos adnectit operibus, artibuſque, unde familiæ ſuæ neceſſitatibus proſpiciant. Si mortales hujuſmodi pie vivere volunt, in ipſo mundo quærere debent arctam viam, extra quam nulla ſalus, & ſperare fore ut Dei ope illam inveniant, dummodo ſibi in gemitus cauſam convertant, quod aliorum gaudia conſtituit; & reſpicientes oculis fidei veritates, & pompas ſæculi, has contemnant, oderint, exhorreant. Opus eſt, ut in ipſa mundi luce ſolitudinem ſibi ædificent, quam ſibi re ipſa ædificabunt, cum aliter vivent a ſectatoribus mundi, & cum alias habebunt exercitationes, atque conſilia eorum conſiliis oppoſite. Quod ſi labori vacabunt, cum alii otiantur, ſi cupiditates ſuas impugnabunt, ſi mentem admovebunt, ut Deum precentur, & audiant, cum alii tempus traducunt in inutilibus converſationibus, vel obtrectationibus: denique ſi nihil intentatum reliquerint, ne fiant iniquitatum ſæculi participes: Deus, qui omnipotens eſt, divinis luminibus ſuis illos illuſtrabit; illi in infelici Ægypto hac ſemet ſanctificabunt, ibique ſuam ſervabunt integritatem. *De Sancta Martha Tomo 2. tractatu primo de mundi fuga.*

Bona fovere deſideria ſatis non eſt ad Chriſtiane vivendum.

Mundus plenus eſt optimis deſideriis; & pauci mortales inveniuntur, qui in peccatis ita occalluerint, ut aliquando ſe, ut Chriſtianos decet vivere velle non profiteantur. Sed ſi cum hujuſmodi deſideriis mollem, laxamque vitam ducunt, quin aliquid conentur illinc evaſuri, argumento eſt, illos intus & in corde Chriſtianos non eſſe, neque pares bonis effectibus proferendis. Sed cum miſericors Deus illis vera injicit deſideria vitæ recentis, ſemper vires etiam ſuppeditat ad illa adimplenda. At cum his deſideriis permanere in pernicioſis, vel ſaluti ſuæ periculoſis nexibus, vel ſemper in tempus differre viam melius inſtrutam; hoc ſane non eſt ſincere ſuam quærere ſanctificationem; ſed qui hoc fecerit ſeipſum fallere, & inania illius eſſe vota, ac deſideria. *Idem.*

Non eſt impoſſibile illis, qui in mundo implicati ſunt ſervire Deo, eique fideles eſſe.

Igitur eſtne impoſſibile illis, qui in mundo implicati ſunt, ſeſe convertere ad Deum? Haud ita profecto, modo in mundo manentes utantur rebus hujus mundi, quaſi non uterentur; modo ſine affectu iiſdem utantur tanquam ſolatiis præſentis miſeriæ, quibus utendum eſt, non autem perfruendum, & quæ ingentia male ſunt abutentibus. Vobis mente repetenda ſunt ea, quæ dicit Apoſtolus; mundi hujus figuram præterire. Si enim illis aliter uſi fueritis, in perditionis ſtatum incidetis: & quantumvis tuta in ſpeciem videatur via, quam ſequemini ad Deum profecturi, illam lubricam, ac tenebris coopertam experiemini. *Via illorum tenebræ, & lubricum. Sermones Chriſtiani pro Dominica quarta poſt Paſcha.*

Sanctus N. jam ætate provectior vivendi licentiam deſeruit, quæ in nobilibus adoleſcentibus communis eſt.

Magnus iſte Sanctus manifeſta præbuit fidei ſuæ documenta jam provectior ætate: ætate, qua omnes illi ferme, qui nobile genus cum opibus ſortiti ſunt, ruunt in magna flagitia, & obſcœnas voluptates: ætate, qua vix excuſſo magiſtrorum, & Collegiorum jugo, quod ſervitutem putant, ſe ſe abdunt flagitioſæ licentiæ ſub ſpeciem honeſtæ libertatis: ætate, qua cupiditatum æſtu inflammati, præſentia objectorum, quibus plurimæ inſunt illecebræ, irritati, rapti torrente pravæ conſuetudinis, pravorumque exemplorum ſe ſe præcipites agunt in horrentem ſcelerum omnium colluviem: ætate nihilo ſecius, qua N. ſurſum illuſtratus, & ſalutari timore perculſus in id operam intendit, ut voluptatum, & vitiorum diluvio arcam minime perviam ædificaret: *Aptavit arcam in ſalutem domus ſuæ*: ætate demum, qua pietate, & vigilantia damnavit impietatem, & evagationem; temperantia, & mortificatione mollitiem, & luxuriam: humilitate, & eleemoſynis ſuperbiam, & avaritiam mundi: *Per quam damnavit mundum*. Unice intentus pretioſæ hæreditati comparandæ, juſtitiæ videlicet juxta S. Pauli locutionem, quæ oritur ex fide.

*Hebr. 11.*

*Ibidem.*

*Ibidem.*

*Et juſtitiæ, quæ per fidem eſt hæres inſtitutus. Elogia hiſtorica Sanctorum, Tom. 1.*

Laici æque ac Eccleſiaſtici, & Religioſi contendendum eſt, ut ſemet ſanctificent.

Generalis neceſſitas non Eccleſiaſticos, & Regulares tantum, verum etiam laicos urget, ſemet ſanctificandi, relinquendi ſpiritum mundi, Deum ita amandi, ut præſto ſint ad ſacrificandum illi quidquid bonorum eſt, conſanguineorum, amicorum, ac ſemetipſos, perinde ac hæ res vel nullo habendæ in diſcrimine eſſent, vel in odio etiam habendæ. Sed quotuſquiſque in ſæculo hanc intelligit veritatem, vel ad eam advertit animum, ne dum in praxim redigat? Vix in Religione, & Clero videntur, qui ad hanc a rebus omnibus abalienationem perveniant. Quid igitur erit de mercatoribus, opificibus, & plebe univerſa? Apoſtolorum ævo non deerant in Eccleſia multi infirmi, & imperfecti, qui nutriendi erant lacte velut infantes, & quibus ſolidum præbere cibum non audebant. Veſcebantur tamen quotidie pane vitæ, & jugiter illis ob oculos magna obverſabantur virtutum exempla. Quinam fervor, quinam zelus Chriſtianæ perfectionis! Ergo ſperamus ne in hac corrupti ſæculi lue, ubi rara ſunt exempla, & ubi plerique ſemel in anno communicant, laicos perfectionis ſtudioſos inventum iri? *Ex Opuſculis Bellarmini, Tomo 3.*

Sectatorum mundi vita Evangelicis placitis oppoſita.

Ad quid quærenda ſunt argumenta, ut oſtendamus nihil magis Evangelicis placitis adverſari, quam vita ſectatorum mundi? Nonne videmus cædes, latrocinia, furta, ſacrilegia, adulteria, perjuria, calumnias, fraudes, injuſtitias, quæ ubique graſſantur, quin loquar de luxu, vanitatibus, aliiſque dæmonum operibus, quibus quilibet Chriſtianus ſolemniter in baptiſmate ſuſcipiendo abrenuntiat? Eccleſia celebrat memoriam plurimorum Sanctorum Epiſcoporum, Sacerdotum, Regularium; ſed admodum pauci ex laicis ſunt, quos in Sanctorum albo recenſeat; & exceptis Martyribus, hiſtoria ſingulos, aut binos in qualibet inſigni Provincia memorat. Hoc ipſo tempore complures memoramus Præſules, ac Religioſos Sanctorum Catalogo adſcriptos; & plures adhuc ſunt, qui virtutibus, & miraculis inclaruere eodem honore digni, ſed de Sanctis laicis, nullibi fit ſermo, *Idem,*

Sanctus N. ſanctificatus fuit in aula, & in magna mundi luce.

Licet Sanctus N. hoc præſtitiſſet unum, quod ſeipſum in magna mundi luce, & ipſa Aula ſanctificaſſet, ſemper ſatis operatus fuiſſet, ut noſtra mereretur elogia, & omnibus afficiendus eſſet honoribus, quibus eum colimus. Spiritus Sanctus non poſtular tantum, ut ore proprio hominis celebret laudes. Date mihi, ait ille, hominem, qui legem violare potuerit, & illam non violaverit; qui peccare cum poſſet, non peccaverit; hunc ego laudibus proſequar, quippe magna miracula operatus eſt: *Quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua.* Hoc poſito, quibus laudibus cumulandus fuit a Spiritu Sancto inſignis ille Sanctus, quem colimus, cum noverit in mundo omnem clauſtrorum ſanctimoniam tueri, & in Aulæ fulgore nihil de Monaſterii amiſerit innocentia! Mundi hujus aer ſemper periculoſus eſt, verum dicere poſſumus, nullibi magis tabeſcere, quam in Aula. *Sermo P. Aurelianenſis, Tomo 2.*

*Eccli. 31*

Sanctus N. ſemper ſanctificavit geſtans Domini jugum ab adoleſcentia.

Si honor parentum eſt filios ad virtutem, ac Dei timorem informare; bonum quoque Filiorum eſt ſequi ſalutaria præcepta, quibus a Parentibus ſuis imbuuntur: *Bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua. Bonum eſt.* Magnum proculdubio bonum eſt; quippe innocentiæ jacturi malum eſt irreparabile. *Bonum eſt.* Magnum profecto bonum eſt, nam pravus habitus ab adoleſcentia contractus, malum eſt vix, & ne vix quidem curabile. *Bonum eſt.* Intereſt enim, quam diluculo manum admovere negotio tanti momenti, quale eſt ſalutis noſtræ negotium. Quantumvis parum viator initio ſui itineris aberret, error illius in infinitum ſemper augetur. *Bonum eſt.* Magnum eſt bonum, ſi enim juvenis adhuc diem obit extremum, brevi ſeipſum ſanctificaſſe gaudebit, ſi diutius vixerit, virtus illi erit facilior, vita ſanctior, & mors pretioſior. *Bonum eſt.* Magnum bonum eſt ſi illum ſervaſti, benedic Deo, ut Sanctus N. cujus hodierna die memoriam colimus; at ſi illius jacturam paſſus es, elue præteritas noxas, eaſque per pœnitentiam reparare contende: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas, ne memineris Domine. Meditatio P. Nevet, Tomo 7.*

*Pſalm. 24*

Sanctitas non in eo ſita eſt ut ea facias, quæ alieni, ſed communia regulariter.

Æternitatis noſtræ felicitas ex vitæ noſtræ ſanctitate pendet; ſanctitas vitæ noſtræ pendet ex vitæ noſtræ regimine; & regimen vitæ noſtræ a regimine dierum ſingulorum. Cum enim vita noſtra non ſit aliud, quam ſeries ſingulorum dierum illam componentium, dicere poſſumus, quod ſingulos dies ritu Chriſtiano dirigere, ſit dirigere, & ſanctificare totam vitam ſuam, & beatam æternitatem certam facere. Non ſatis eſt bonum facere, ſed bonum bene faciendum eſt. Bonum fieri poteſt oſcitanter, ex mero ingenii impetu, ex conſuetudine, ex neceſſitate, & ob humanas cauſas. Hoc pacto bonum operari, idem eſt ac non operari illud; quia hoc non eſt illud facere eo modo, quo faciendum eſt. Vitæ ſanctitas plerumque ſita non eſt in eo, ut ea, quæ extra ordinem ſunt, & mira facias. Sanctificari potes communia tantum faciendo, ſed non faciendo illa modo communi. Hæc una eſt inter ſolidiſſimas Chriſtianæ praxeos rationes: hoc magnum eſt aſceticæ vitæ ſecretum, ſed ſecretum, quod non aperit Deus niſi animabus humilibus, & fidelibus. Quid eſt hoc communia modo non communi facere? Eſt facere illa intentione pura, ferventer, & ordinate. Plures plura faciunt opera bona; ſed inordinate, & ſine regula; ipſum autem bonum, cum inordinatum eſt, eſtne verum bonum? Vitium vulgatiſſimum eſt devotorum, ex mero ingenio operari? Hodie bonum faciunt, quia ſeſe ad illud ferri ſuopte ingenio ſentiunt; cras illud minime faciunt, quia illius faciendi libidine non aguntur. Quadam die nimis; alia vero non ſatis operabuntur; & hoc pacto dies una ut plurimum deſtruit multarum hebdomadarum laborem. Si manu altera diruatur, quod altera ædificat, Sapiens ait, quomodo conſurget ædificium? Hæc agendi ratio levea, & inconſtantes prodit nonnullos pios viros, qui pietati ipſi labem inferunt, & ab eadem avertunt eos, qui illam vellent amplecti. Nihil magis veræ pietati adverſatur, quam inæqualis vitæ ratio ſibimet minime conſtans; nihil autem magis ad illam conducit, quam vita ſemper ſibi conſtans, & ſimilis: quia hæc iis fulcitur principiis, quæ nunquam nutant, ratione videlicet, & fide. Noſtra in pietate inconſtantia nonne inde proficiſcitur, quia non agimus ſecundum hæc eadem principia? *Pater Nepveu, in Chriſtianis Animadverſionibus.*

Ut cadinate vivamus, ſequitur Dei voluntas nobis eſt inſpicienda.

Attentio ad Dei voluntatem nos in vita frugi, æquali, & uniformi continet, & efficit, ut cum fide eadem exercitia, iiſdem temporibus peragamus. Cum enim pro ſcopo habeat ſequi Deum; merito judicat ſe futuram magis illius voluntati conformem inſtitutum ordinem ſequendo in rebus, quæ nullo ſunt in diſcrimine, quam ſi illum ex animi ſtudio, ac libidine derelinqueret. Quo minorem in rebus partem habemus, eas facientes credendi locum habemus, nos Deum ſequi; & ea quæ per ſe æqualia ſunt ac neutra fiunt inæqualia, & bona, cum illis accedit quædam ratio uniformitatis in iiſdem exercitiis. *Ex Specimine Moralium.*

Sanctus N. ſemper ſanctam duxit vitam in mundo.

Nunquam Sanctus hic vir otiari videbatur, nunquam ſolatiis indulgere ea ætate, qua viri nobiles ſeſe reficere conſueverunt; & ſicuti de Jeſu Chriſto narratur, qui ſæpe lugere viſus eſt, ridere vero nunquam, (licet non deſint riſus innocui,) ita in hoc Diſcipulo, veroque Jeſu Chriſti imitatore notatum fuit, nullum unquam ludum licet innocuum luſiſſe. Parum eſt dicere illum a voluptatibus abſtinuiſſe; pœnas, doloreſque amplectebatur, & præter communes pœnitentias, alias omnibus in occaſionibus exercebat. Cupiebat enim cum oratione mortificationes conjungere, & huic inhærebat principio, quemadmodum per crucem omnia ſumus adepti, ita per illam, & cum illa nobis omnia eſſe obtinenda. Attamen in illius faciem non prodibat auſtera hæc ſeveritas, quæ efficit, ut homines non ſine terrore videant devotionem, quæ nonniſi ægre quidquam Deo dare videtur. Aſpectus ejus ſuavis erat, & gratioſus, ſermo autem Dei ſpiritu repletus, ſed eo Spiritu, qui ſecum affert pacem, & ſuavitatem: atque inter majeſtatem, quæ in illius facie nitebat, dulcedo Angelica emicabat, quæ quadam non carebat illecebra, & quæ divinis rebus amorem æque ac reverentiam conciliabat. *Ex vita Cardinalis de Berulle, Lib. 1.*

Nihil potuit Sanctum N. a J. Chriſto ſeparare.

Licet Sanctus hic vir pluribus afflictatus fuerit morbis, licet ei plura ingredienda fuerint itinera, licet aliquando mari diutius iter illi fuerit obeundum: nunquam vel corporis infirmitas, vel in negotiis agendis diligentia, vel itineris labor illum divina hac gloria privare valuerunt, neque unquam illum ſeparare potuerunt non dicam a Charitate, & gratia Jeſu Chriſti, ſed neque a charitatis actibus, qui matutinas horas abſumebant omnes, videbatque ſe redactum inter illecebras Dei ſui ipſum vocantis, & inter minas hominum vetantium, ne tandiu jejunus fatigaretur. Sed quæcunque illi impenderent, vel re ipſa illum urgerent incommoda, fames animæ, quæ in ardoribus ſuis eſcam flagitabat, ſemper corporis neceſſitatem ſuperabat. Licet tot premeretur infirmitatibus, audebat, & poterat omnia in eo, a quo confortabatur. *Ex vita Cardinalis de Berulle.*

Nobiles, qui ſe ad Deum convertũt majorem habẽt præ ceteris ad cælum acquirendum facultatem.

Cum nobiles ſe convertunt ad Deum, ea habent privilegia, quæ reliquis deſunt. Plus habent rationis, plus cordis, plus pietatis, plus magnitudinis animi; ſenſus habent digniores de Chriſtianæ Religionis majeſtate, & melius dignoſcere callent regulas officii ſui. Quid magis ædificat, quam pietas quarumdam Fidelium Matronarum. Nonne in aula quoſdam Principes viros ſuſpicimus, qui zelotes Eremitas ipſos rubore ſuffunderent? In exercitu videntur imperatores, & duces Centurioni illi ſimiles, de quo Jeſus loquens teſtabatur, ſe non vidiſſe tantam fidem in Iſrael? Si laborioſæ vitæ vocabulo illam intelligimus, in qua ad virtutem exercemur, inutile eſſet aſſerere, nos in illa Cælum poſſe promereri; hoc enim eſſet dicere, nos merendo mereri poſſe. Sed ſi illam intelligimus, quam plebeji, & pauperes ſuſtinent in aſſiduis laboribus, fatendum eſt in illis pauciora vitia, quam apud Nobiles inveniri. Domine, unus tu ſcrutaris hominum renes, & corda: ſed dicere audeo, in ſingulos, qui in magna mundi

luce

Digitized by Google

luce ſalvantur, centenos eſſe in imis, obſcuriſque conditionibus, quorum miſereris. Hi vitæ huic non adhærent affectu; hi ſe falli non ſinunt illecebris inertiæ, quæ non vacat periculis; hi bona fide Evangelii credunt veritates; hi ad audiendam Evangelicam prædicationem accedunt, ex ſola proficiendi cupiditate. Ec cum S. Auguſtino dicam, dum eruditi cum præclaris ſuis eruditionibus damnantur, pauperes, & plebs eum ignorantia ſua Cælum rapiunt. Hoc pacto Sanctus iſte Cæli coronam adeptus eſt, poſtquam fideliter Jeſu Chriſti mandata ſervavit. Cælum erat hæreditas illius, domus ejus erat, quemadmodum erit & noſtra, ſi legere voluerimus ejus veſtigis, & ſequi exempla. *Dictionarium Morale, Tomo* 1.

De communium actionum perfectione.

Noſtra ſecundum Deum perfectio nequaquam in eo poſita eſt, ut multa faciamus. Hic error fuit Marthæ, quam Jeſus Chriſtus corripuit. Neque in eo ſita eſt, ut magna facias. Non deſunt Sancti coram Deo maximi, qui nihil magnum fecerunt unquam propter Deum: Sancti, vita quorum obſcura fuit, & abſcondita, quorum actiones nihil fulgoris, ac lucis habebant, & de quibus Mundus locutus non eſt. Magni erant per ſanctitatem; ſed tota eorum ſanctitas in modicis rebus continebatur; & Deus efficiebat ut in ea fidelitate, qua hæc modica operabantur, infinitos gratiarum theſauros invenirent. Magni erant per humilitatem; & humilitas impellebat eos, ut ſibi abjectiſſima quævis depoſcerent munia, & aliis relinquerent illa, quæ magis nitebant, cenſentes ſe minime pares, ac dignos eſſe, quibus hæc mandarentur. Denique perfectio noſtra non flagitat, ut mira, & ſingularia faciamus. Ex quo ſunt ſingularia, & admirabilia, rara ſunt, & eorum occaſionea non ſunt adeo frequentes. Attamen in eo eſſe debet perfectio noſtra, quod nobis magis eſt habituale, & quod ſæpius nos obligat: in eo quod jugiter nobis præ manibua eſt, in eo quod replet dies, & annos vitæ noſtræ. Hinc ſequitur eam perfectionem, ad quam nos Deus vocat, in vulgatiſſimis actionibus noſtris conſiſtere. Quia hæ ſunt actiones propriæ profeſſionis noſtræ noſtrique ſtatus, ideoque illæ ſunt, quas peculiariter a nobis exigit Deus; neque enim per gratiam ſuam in hunc ſtatum, & profeſſionem nos adduxit, niſi ut ibi viveremua, & ageremus ſecundum ordinem ibi conſtitutum ab ipſo. Alioquin certum eſt voluntatem Dei, cauſam eſſe effectricem noſtræ ſanctificationis; ſine qua Dei voluntate præcipuæ actiones noſtræ nihil ſunt, & cum qua actiones etiam minimæ maximum meritum habent. Hinc igitur inferendum eſt Sanctum hunc virum coram Deo ad ſummum perfectionis apicem evaſiſſe per maxime communium officiorum ſuorum complementum. Quid egit Jeſus Chriſtus annos triginta? Nihil inſigne in Mundi æſtimatione; & nihil non humile, & abjectum in oculis hominum; ſed eo quod faciebat voluntatem Patris ſui, quia in omnibus ſe gerebat, ut ipſe ait, ſecundum Patris ſui beneplacitum: actiones illæ humiles, & abjectæ in oculis hominum erant objectum, in quo Deus ſibi complacebat. Ita Sanctus N. nactus eſt perfectionem ſuam in quotidianis exercitationibus, officiiſque, ita ut vere affirmare poſſimus, totam illius vitam vitæ Jeſu Chriſti fuiſſe conformem, quam videlicet geſſit per annos triginta, quibus abſconditua erat hominibus. *Receſſus Spiritualis P. Bourdalove.*

Benedictiones quibus Deus ſanctū hunc hominem cumulavit ut illum attrahetet ad ſe.

Prævenit Deus Sanctum hunc virum in benedictionibus dulcedinis, quas nonnunquam effundit in animas Electorum ſuorum, ut eorum exemplo alios ad pietatem perducat. Hæc animæ bonitas, qui fructus eſt feliciſſimi hortus; hæc monita charitatis, quæ ſuggerit gratia, ubi cor docile nanciſcitur, hi labores propter Deum ſublati, fidelitas hæc in miniſterio ſuo, hæc patientia in injuriis hauriendis, hic ſpiritus paupertatis in divitiarum poſſeſſione, hæc puritas in hominum commercio, humilitas ejus inter delatos ſibi honores, ejus abalienatio a mundo in mundi ipſius luce, in illo non ſolidas tantum, ſed nitentes virtutes affinxerunt. Vixit, ut fideles antiqui in ſublimium virtutum praxi; docuit horum temporum fideles vitam communium virtutum praxi traducere; prioribus illis comparandus, imitandus vero poſterioribus ſe ſe extulit ad illorum virtutem, & ſe horum infirmitati ſubjecit, & ope Spiritus hujus Omnipotentis, qui aliter in ſæculis aliis operatur; nobis reliquit imaginem vitæ, cum veteris, tum novæ, & ſuo docuit exemplo, vitam traduci poſſe ſecundum ſæculi præſentis conſuetudinem, ſimulque integram ſervari poſſe primorum Eccleſiæ ſæculorum ſanctimoniam, & perfectionem. *Ex Specimine Panegyricorum. Tomo* 1.

Sancti hujus viri Sanctitas omnibus in rebus fulgebat.

Magnus hic Sanctus quamdam univerſalis ſanctitatis ſpeciem invenit, & viſus eſt habere Spiritum pœnitentium, Religioſorum, & Apoſtolorum; ſemper admirabilis in ordine communi vitæ ſuæ, ſemper perfectus in hoc, quod nullam peculiarem perfectionem affectavit, ſemper ſingularis, quod nullam amavit ſingularitatem; & quod in communi vita nunquam prætermiſit exercere maximas, maximeque ſublimes Chriſtianæ Religionis virtutes. Plures quidem puritate vitæ illum exæquarunt, quamvia ſemper integerrime ſervarit Baptiſmi ſui innocentiam. Alii zeli ardore pares illi fuerant, quamvis prope infinitum animarum numerum Deo fuerit lucratus; alii in patientia, quamvis ſcientiæ hominis perfecti pueri docilitatem adjecerit. Sunt qui illum in divitiarum contemptu æquarunt, licet omnes reditus ſuos in pauperum ſinum effuderit; ſed quis unquam par illi inventus eſt in hac conſtanti, & uniformi praxi officiorum Chriſtianorum; licet in jugi occaſione diſtractionum uſus fuerit ſæculo in ſæculi centro, quaſi non uteretur juxta S. Pauli conſilium. In ſpectatiſſimis honoribus ac oneribus ſe ſe collegit, & delituit: interiorem & ſpiritualem ſecum geſſit ſolitudinem, in ipſas converſationes, & cœtus: & fecit ea omnia, quæ facimus, ſed modo longe alio ab eo, quo ipſi ea facimus. *Ex Specimine Panegyricorum Orationum. Tomo* 1.

Vita primorum fidelium, quam Sanctus N. in tertiis imitatus eſt.

Primorum Chriſtifidelium ævo inventi ſunt, qui inter cæteros eximium gradum ſervarunt, de illis loquor, qui ut Deo perfectius adhærerent, ſervarunt continentiam, ſive in conjugali ſtatu, ſive in ſeparatæ vitæ libertate. Plures ab ortu Chriſtianæ Religionis inveniuntur, qui puritatis ſuæ fulgore inter fideles ceteros renidebant. Vivebant ſemper ſeorſim ab aliis in Mundi contemptu, & oblivione; urbes illis erant ſolitudines, & domus ſepulcra. Sacra Scriptura tota erat mentis eorum occupatio, & jejunium ſuæ ſanctitatis præſidium. Plures ex illis poſtquam ita in receſſu ſe ſe roboraverant, palam exercebant privatæ profeſſionis ſuæ miniſteria. Quæret fortaſſe quiſpiam, utrum inter primos fidelea vitia invenirentur, & utrum eſſent aliqui, vita quorum contumeliam inſerret nomini, quod gerebant. Fatendum eſt non defuiſſe tunc temporis peccatores; ſed adfuiſſe quoque ſeveriſſimas pœnas, rigidaſque pœnitentias, quarum memoria ſaltem nobis eſt retinenda in præſcoa illius relaxatione. *Auctor Recens.*

Vera media cælum ſibi comparandi pauperibus opem ferendo.

Opes ſunt inſtar pecuniæ, cum qua Cælum comparari poteſt per eleemoſynas. Paupertas titulus eſt ad ſalutem; honores, & proſperitas inſignes ſuppeditare poſſunt occaſiones magnis Sacrificiis; calamitates, & adverſa latam pandunt viam ad gloriam. Si bona valetudo Donum eſt Dei; valetudo mala non eſt deterius. Multa propter Deum pati, majus adhuc meritum eſt, quam propter illum multa operari. Denique Spiritus talentum eſt, ſimplicitas virtus. Oblectatur Deus ſe ſe ſimplicibus animabus communicans. Verbo, dicere poſſumus, omnia haberi poſſe tanquam talenta. Ipſa etiam vitia noſtra nobis eſſe poſſunt utilia. Nullum habemus graviorem ſalutis noſtræ inimicum, quam dæmonem: Tamen illius verſutiæ, ac tentationes ipſæ aliquid ad ſalutem noſtram conferre poſſunt. Quæ mediorum copia! quæ ſanctarum induſtriarum multitudo! Omnia, inquit Apoſtolus, omnia cooperantur in bonum eorum, qui diligunt Deum. *P. Creſſet in Aſceticis.*

Gratia Dei indigemus, ut ſanctificemur.

Neceſſario Dei gratia requiritur, ut ſancti fiamus; ſine qua conatus omnes in irritum cedunt; Itaque certi ſumus, non quidem gratiæ deeſſe poſſe; ſed gratiam nobis non defuturam; & ne unum quidem inter damnatos eſſe, qui culpa ſua damnatus non fuerit: & qui non ideo damnatus fuerit, quia uti noluit ſubſidiis, quæ illi præſto erant, ut ſalutem ſuam operaretur. Quis dolor! Infirmi ſumus, verum eſt, vehementes ſunt tentationes, & hoc verum eſt; ſed invenimus robur, virtutemque ſinguiarem in Sacramentis: in Sacramentis inquam, in quibus Jeſu Chriſti merita nobis applicantur; in Sacramentis, quæ ut ita dicam, præſtant nobis balneum ſanguinis illius, & per quæ anima tot tantaque nanciſcitur in omnibus neceſſitatibus noſtris ſubſidia; in Sacramentis, quæ ſaluberrima ſunt remedia pro omnibus malorum generibus, & totidem gratiarum fontes inexhauſti. In æternum benedicaris, glorificeris, lauderis, Salvator mi; eo quod adeo valida mihi contuliſti adminicula ad ſalutem comparandam; fac Domine, ut illa mihi reddam utilia imitatus Sancti N. exemplum, qui ut ita dicam largitatibus ſuis erga pauperes, tuorumque Sacramentorum uſu coronam a te ſibi conceſſam comparavit. *Idem.*

Sedulo nobis adimplenda ſunt noſtri ſtatus officia.

Omnes vitæ hujus ſtatus multiplices viæ ſunt, quæ ſecundum divinæ Providentiæ ordinem, omnes ad extremum noſtrum finem adducunt. Tentatio eſt arbitrari, nos melius alibi, quam in eo ſtatu, quem ſumus amplexi, operaturos. Quiſnam error eſt mente ea perſcrutari, quæ eſſent futura, ſi in alio eſſemus loco ab eo, in quo ſumus; & negligere illius, in quo ſumus, officia! Paucæ artes ita benevertunt ſalutis noſtræ inimico, ſicut hæc inquieta animi ſollicitudo. Deus modo non videt te, niſi in eo vitæ ſtatu, in quo es; id unum cura, ut omnibus muneribus tuis rite defungaris. Reſpice tanquam pernicioſam illuſionem omnem hanc mentis, & cordis mobilitatem, quæ exhaurit animum inanibus doloribus, futilibuſque deſideriis, poſtquam vitæ ratio delecta jam fuit. Igitur id unum cogita, ut quam ſedulo omnia expleas ejus ſtatus officia, quem delegiſti. Conſidera quænam ſint illius munia, & quæ a te negligantur. Uteris ne omnibus adminiculis, quæ tibi in ſtatu hoc tuo ſuppetunt, ut te ipſum ſanctifices? Nullus vitæ ſtatus ſine crucibus: nulla ſine ſpinis roſa. Florentis fortunæ dulcedines, obæratæ familiæ amaritudines, tumultuoſæ conditionis impedimenta; œconomiæ domeſticæ curæ; gaudia, ploratus vitæ hujus, omnia ad ſalutem conferre poſſunt; cogita, quem in uſum hactenus hæc omnia converteris. *Idem.*

*Ut noſmet in mundo ſanctificemus nô ſuſficit evitare malum, bonum quoque efficiendum eſt.*

Putare ſatis eſſe evitare malum, quin bonum fiat, hæc nunquam habita fuit vita Chriſtiana. Quinam hero ſervus placeret, cui ſatis eſſet nullam domino inferre contumeliam, ejuſque pretioſa non frangere vaſa, quin ullam illi præſtare vellet operam, neque in re ulla eidem utilem eſſe. In religione noſtra ſatis non eſt, non eſſe pravum, bonum eſſe opus eſt. Semper magnum eſt malum nequaquam facere bonum, quod eſt faciendum. Servus iners, de quo in Evangelio ſermo eſt, nequaquam damnatus fuit eo quod creditum ſibi talentum in pravum uſum converterit; ſed tantum, eo quod ex eo lucrum non perceperit, & non dederit illud ad menſam; & Virgines fatuæ, licet ſemper Virgines, nonne a divino Sponſo ex aula convivali ejectæ fuerunt, eo quod ſopore captæ fuerunt, quin oleum ſibi compararent? Quot fidelibus hoc ipſum continget, eo quod laboribus pepercerunt! eo quod nihilo ſapientiores fuerunt! Vitium inundat, verum eſt; licentia ætatum omnium eſt, omnium ſexuum, ſtatuum omnium; ſed tandem iniquitas univerſalis non eſt. Non deſunt veri Iſraelitæ in medio Babylonis, at inter fideles raræ ne ſunt Virgines fatuæ, & Servi ignavi? Malum vitatur; ſecretum etiam habetur teſtimonium, quod nemini infertur injuria. Conſcientia neque injuſtitias exprobrat, neque impudicitias, neque calumnias; ſed iſta conſcientia adeo tranquilla propter malum, quod non agit, ſatis ne ſolatium invenit in bono quod illi faciendum eſt? In hoc confidimus, quod non ita nequam ſumus, ut plurimi; at confidendum nobis eſt in numero, meritiſque bonorum operum, quæ a nobis facta non fuerint? Peccatum conſcientiæ ſtimulos acuit, & meretur ſupplicia; ſed virtutis defectus minus peccatum eſt illi, cui omnia juſtitiæ officia ſunt obeunda? Hæreticus, Ethnicus etiam malum evitare poteſt; ſed Chriſtianus poteſt ne ſalvus eſſe ſine operibus bonis? Servus Fidelis æternæ beatitudinis mercedem obtinet, quia accurate minima etiam ſua officia adimplevit: *Quia ſuper pauca fuiſti fidelis*; & titulus, qui electis omnibus jus tribuit ad cæleſtis Patris hæreditatem, eſt viſitaſſe pauperes, infirmos, & in carcere detentos, nec non exercitatione operum miſericordiæ dies ſuos ſanctificaſſe. Bone Deus! quinam error eſt arbitrari, quod ſufficiat evitare malum, quin fiat bonum! & quot ſæculares, & forſitan etiam Eccleſiaſtici, & Religioſi a Beatorum ſede prohibebuntur, eo quod non fecerint bonum, quod ab illis Deus expetebat? *P. Croiſet in Aſceticis, Tomo 5.*

*Humilitas eſt virtus, quæ potiſſimû eſt neceſſaria.*

S. Paulus fuſius explicat præcipuas virtutes, quas vocatio ad fidem in nobis requirit. Jure Chriſtianis virtutibus præfert humilitatem tanquam fundamentum totius ſpiritualis ædificii, & perfectionis chriſtianæ. Virtus hæc ignota Philoſophis, Sanctus Auguſtinus ait, parum cognita Judæis, a mundi ſectatoribus contempta, adeo eſt ad ſalutem neceſſaria, ut ſine hac virtutes ipſæ fiant vitia. Norat Apoſtolus illum, qui humilis eſt, eſſe mitem, affabilem, patientem. Humiles vicíſſim ſemet ſuſtinent, mutua charitate ſibi ultro citroque compatiuntur, quæ quidem charitas, cum ſuperbia ſimul eſſe non poteſt: *Solliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis*; Hoc potiſſimum curantes, ut ſpiritus veſtri conjuncti maneant in vinculo pacis: vivite inter vos, o mortales, quaſi vobis eſſet *cor unum, & anima una*. Hæc unio regnare deberet inter veros fideles. Spiritus Dei, qui fideles omnes animare debet, eſt vinculum pacis. Hoc ſpiritu animemur; nulla unquam inter nos erit diſſenſio, nulla acrimonia, nulla ſimultas. Amor proprius, avaritia, mundi ſpiritus, & ambitio ſunt omnium ſchiſmatum cauſæ. Spiritus Dei anima eſt, & vinculum pacis: *Unum corpus, & unus Spiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ, Idem.*

*Epheſ. 4.* *Actor. 4.* *Epheſ. 4.*

# PRO COMMUNI CONFESSORUM
## REGUM, PRINCIPUM, ET OPTIMATUM MUNDI, ſexus utriuſque.

## M O N I T U M.

*SCire ſatis eſt, Regem, vel Principem ab Eccleſia in Sanctorum numerum relatum eſſe, ut inferri ſtatim poſſit, hunc eximium Sanctum eſſe; oportet enim virtutes omnes, ſanctas actiones, cupiditatum victoriam, magna opera, quibus de Deo, deque Eccleſia optime eſt meritus, verbo, inſigne bonum, quod exemplo ſuo peperit, & malum, quod ſua auſteritate cohibuit, totidem ſint argumenta eminentis Sanctitatis, quæ in hominum oculis enituit, & coram Deo ſingularis extitit meriti; eo magis, quod infinite infrequentius, ac difficilius eſt ſeſe in ſublimi fortuna ſanctificare, quam in conditione privata, in qua non reperiuntur iidem obices ad virtutem, & ſanctitatem indipiſcendam.*

*Hinc facilis patet concluſio ad exornandum Sancti alicujus Regis elogium in particulari non inquirendam eſſe aliunde dicendi copiam præter ſanctas illius actiones, atque virtutes, quæ in illius perſona enituerunt. Sed, cum ut plurimum, hæ ſint cum Monarchis aliis communes, qui ſanctitatem adepti ſunt; fere totum id quod dici poteſt de uno dici quoque poteſt de illo, quem colimus. Omnes enim eandem ſecuti ſunt viam; Itaque quin latius [illegible] habeatur de ſublimi gradu, ad quem Deus Principem extulit ut eſſet vivens divinæ Majeſtatis imago [illegible] de revere [illegible], quæ illi debetur, in eo, cujus elogium nobis exornandum erit, unice conſiderabimus [illegible]ctitatem, quæ illum magnum reddidit in cælo; & qua ratione illuc pervenit, præſertim vero per pietatem, [illegible] ſubjectus fuerit Deo, quantum habuit auctoritatis, & poteſtatis ſuper cæteros homines; [illegible] dumtaxat in Panegyrico, qui de Sancto quopiam Rege, vel ſupremo Principe inſtituitur, ne [illegible] de ejuſdem officiis diſſeramus, ut non fiat deſcenſus peculiariter ad ea, quæ propria ſint illius, cujus [illegible]jus dies celebratur, & ad circumſtantiam, quæ propius characterem illius poteſt connotare.*

---

# PRO COMMUNI CONFESSORUM,
## Regum, Principum, Optimatum utriuſque ſexus.

*Magnificentia in ſanctificatione ejus*, Pſalm. 45.

*Sanctitas magis enitet in Regibus quam in aliis hominibus.*

QUemadmodum Deus nunquam melius oſtendit virtutem, ac potentiam brachii ſui, quam cum mundi hujus Optimates Evangelii jugo ſubjecit: ita dicere poſſumus ſanctitatem nunquam melius enituiſſe quam cum in throno fuit collocata, & felix percuſſit fœdus cum ſanguinis claritate, Regum potentia, & orbis Domitorum fortitudine. Neque alia hujus rei cauſa inquirenda eſt, præter hanc. Cum enim nemini majores perfringendi ſint obices, quam terræ hujus beatis, ut ſanctitatem indipiſcantur, ubi hi ſatis roboris, ac fortitudinis habent, ut hoc opus aggrediantur, & illis benevertat: audacter dicere poſſumus eos mereri ceterorum hominum admirationem, ſeu quod virtutum ſuarum fulgor longius emicet, ac utilius colluceat; ſeu quod nihil eſt, quod melius oſtendat meritum, & pretium ſanctitatis, quam intueri inde ipſi quoque Regum majeſtati lucis fieri acceſſionem. Hoc erit, Auditores, elogium incomparabilis Sancti N. cujus diem feſtum celebramus, ubi vobis meridiana luce clarius apparebit magnificentiam nullibi magis, quam in magno hoc Monarca enituiſſe: *Magnificentia in ſanctificatione ejus. Ex Panegyriſtarum Orationum Specimine Tomo 2.*

*Quid ſit magnitudo.*

Cum homo magnus vocari poſſit propter plures laudabiles qualitates, quarum ſingulæ magni nomen eas poſſidenti conciliare poſſunt; dari nequit notio communis, & definitio, quæ ſimul omnibus conveniat. Magnus aliquis eſſe poteſt coram hominibus vel propter virtutem, & meritum, vel propter genus, & nobilitatem, vel propter ſcientiam, auctoritatem, denique propter egregie facta. Dici ergo ſolum generaliter poteſt, quod magnum eſſe propter aliquam ex hujuſmodi eximiis qualitatibus, eſt illam non ſine aliquo excellentiæ gradu poſſidere, qui poſſidentem ab aliis vulgo mortalibus ſecernat. Sed cum hoc in loco ſpectemus magnitudinem propter generis, & fortunæ bona, quæ reverentiam, & peculiariter dignitates, honores, auctoritatem,

& po-

& poteſtatem prometentur: Ecce quid hae in re morum diſciplina, & religio nos doceant. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Optimates ſemper Deo ſubjecti eſſe debent.

Difficils non eſt animadvertere, veram magnitudinem ſemper eſſe debere conjunctam cum ſubmiſſione, & obedientia erga Deum, propterea quod legitima magnitudo, ea Divo Paulo, ſpecies eſt emanationis ex ipſius Dei magnitudine; ideoque talem eſſe defineret, ſi Deo ſubjectam eſſe ceſſaret. Fallax magnitudo effectum habet prorſus oppoſitum: eum illa ſuam ducat originem ab humana ſuperbia, nihil ſuadet niſi ſuperbas cogitationes, ab homine tantum pendere. Teſtis eſto calamitoſus ille Princeps, qui nullum præter ſe Deum habere dignabatur, & qui per impotentiam dicebat: *Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus? Idem.*

Exod. 5.

Nobiles viri agnun quà cæteri omnes ſanctificantur.

Semper manus Dei opus eſt, & ejuſdem potentiæ effectus hominum ſanctificatio, cujuſcunque ſtatus illi ſint; ſed ubi ille vult potiri corde Regum, atque nobilium; ac in illis ſinceram conſtantemque ſanctitatem affingere, hoc opus eſt manus dexteræ ejuſdem, uti loquitur Scriptura: *hæc mutatio dexteræ Excelſi.* Opus eſt, ut agat cum omni robore, ac vi gratiæ ſuæ, ad infringendam fatalem hanc oppoſitionem, quæ intereſt magnitudinem inter & pietatem, ad cohibendum totum cupiditatis pondus, quod ultro ruit in illos, & ad evertendos obices, quos aſtruit mundus, ut illos vi trahat, & efficiat, ut intrinſecus ſaltem conditionem, & naturam immutent. *Idem.*

Reges, & Principes ſunt viventes Dei imagines.

Nunquam ſatis iterare, ac repetere dicendo poſſumus ad ſubditos in officio continendos, Reges ac Principes eſſe Dei imagines, & in eorum perſona Deum eſſe reſpiciendum; ideoque eos, qui poteſtatem ejus exercent, & Magni appellantur, aliquem hujus magnitudinis characterem geſtare in dignitate ſua; ſed etiam oportere, ut ipſi Reges hac utantur cogitatione, ſe videlicet eſſe Dei imagines, & hoc non in eo tantum ſitum eſſe, ut vim illius, ac poteſtatem præſeferant; verum etiam bonitatem, ebatitatem, providentiam, aliaſque perfectiones, quæ in magni orbis hujus regimine collucent. *Idem.*

Certa principia a Principibus non ignoranda.

En aliquot principia, quæ ſcire tenentur illi qui in dignitate conſtituti ſunt, & qui in alios auctoritatem exercent. 1. Dignitas omnis a legitima auctoritate manare debet; quælibet enim dignitas ſuas habet facultates, & onera; & legitimæ dumtaxat auctoritatis eſt, alicui facultates concedere, & onera imponere. 2. Nulla in mundo legitima poteſtas eſt, quæ non ſit ordinata; omnis enim legitima poteſtas a Deo eſt, & omnis poteſtas, quæ a Deo eſt, ſemper eſt ordinata. *Non eſt poteſtas niſi a Deo, quæ autem ſunt a Deo, ordinata ſunt.* 3. Facultates, quæ tribuuntur ab ordinata poteſtate, ſemper juſtæ, & æquæ ſunt. Onera, quæ præſcripta, & impoſita ſunt ab ordinata poteſtate ſemper juſta ſunt, & rationabilia. Nulla dignitas eſt, & eſſe nequit, cujus onera non ſint impoſita ab ordinata potentia. Igitur nulla eſt dignitas, neque eſſe poteſt in republica, cujus facultates, & onera juſta non ſint, & rationabilis. 4. Dignitatis alicujus munera eſſe nequeunt juſta, & rationabilia, niſi quatenus ſubordinata ſunt magno, ac primo oneri, quod nobis impoſitum eſt ſerviendi Deo, & ſalutem noſtram operandi. Ex quo cum hoc onere, quod nobis potiſſimum, & ineluctabile, non conſentiunt, deſinunt eſſe onera, & officia. Ita quamcunque dignitatem aliquis habeat, & quæcunque hæc illi imponet officia, non debet ſe totum impendere vel dignitati, vel officiis. Non eſt Charitatis, nec juſtitiæ, quod illis totum ſuum tempus impendat. Immo e contra Charitatis eſt, & juſtitiæ, ut illud tribuat Deo, & ſibimetipſi, ut cum Deo agat de ſuæ ſalutis negotio. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

ad Rom. 13

Si principiſ eſt ſtatus magis obnoxius eſt periculis in ſe, quæ ad ſalutem pertinent, magna etiam habet bona.

Magis quidem optimatum ſalus obnoxia periculis eſt: ſed illi præ manibus habent magna ſubſidia. Vitium callide adrepit in ſtatum opibus affluentem; ſed virtus etiam nunquam ibi niſi imperioſius dominatur. Magnorum virorum mores exempla ſunt. Beati ſi eorum facta ad imitandum proponi poſſent. Hoc certum eſt, in ipſis poſitum eſſe, ut conditio ſua minoribus periculis pateat, & illa etiam effugiat, quæ illi quodammodo inhærent. Eorum, qui per genus ſuum, vel per electionem ſe ſe in aliquo vitæ genere, quodcunque tandem illud ſit, eſt, uti bonis, qui in eo reperiuntur, difficultates autem ſuperare. *Idem.*

Quid conferat ad veram principis felicitatem.

Felix eſt Princeps, qui omnes ditionis ſuæ partes amat, ut partes corporis ſui; qui ſuavis, & ad lenitatem pronus eſt, qui non niſi invitus ſeveria utitur remedus; cui nihil eſt ferox in animo; qui eum juſtitia ſuam poteſtatem exercet, qui in iis omnibus, quæ operatur, a ſubditis ſuis probari cupit; qui non niſi æquiſſima fovens conſilia, ab omnibus amatur, defenditur, & colitur, qui ſcire geſtit in privatorum penetralibus clam ea de ſe dici, quæ palam in ſocietatibus, & in paucorum colloquiis, eaſdem ſibi tribui laudes, quæ in publicis concionibus ſibi tribuuntur. *Eadem de illo homines ſecreto loquuntur, quæ palam. P. Senault in Panegyrico Sanctorum Simonis, & Judæ.*

Clemens. L. 1. c. 3.

De terribilibus effe-

Quamvis odium, & ira duo ſint affectus in hominibus admodum pertimeſcendi, fatendum eſt eos in Principibus viris multo magis eſſe reformidandos. Cum enim poſſint quidquid volunt, eorumque potentia non aliis ſit finibus circumſcripta, quam illis voluntatis ipſorum; ubi illi iraſcantur, omnes illorum ſubditi trepidant; & fulminis inſtar, quod in unum hominem dumtaxat illapſum terret omnes; Regis ira omnes ſtupore percellit, licet in unum ſæviat. *Non potes iraſci*, dicebat Seneca Principi, *niſi omnia tremant; ut fulmina paucorum periculo, omnium metu cadunt; ita Regum animadverſiones.* Et ratio, quam affert, excellens eſt. Quia cum irritati ſunt, non tam conſideratur quod faciunt, quam quod poſſunt; & metientes eorum furorem ab eorum potentia, omnia timemus a Rege, qui omnia poteſt. Scriptura Sancta, quæ nullibi eloquentior eſt, quam cum de Regibus loquitur, duabus uſa eſt admirabilibus locutionibus, ut aſtrueret ideam magnitudinis iracundiæ illorum, nobiſque terrorem incuteret effectuum ejuſdem. Quodam enim in loco ait, *Indignatio Regis nuntium mortis*; quaſi vellet innuere; ſubditis metuendas eſſe cruces, & rotas, cum in illos irritatus eſt Rex; nulla enim in terris poteſtas eſt, quæ illos contra regiam potentiam valeat tueri. Alibi vero inquit: *Sicut fremitus Leonis, ita & ira Regis*; quemadmodum enim nobile hoc animal rugitu ſuo omnes nemorum terret bellua; ita Princeps efficit, ut omnes ditionis ſuæ ſubditi contremiſcant, ubi aliquem percutit, vel illi minas intentat. Sed illius iracundia nunquam truculentior eſt, quam cum amori ſuccedit, & cum iraſcitur in eum, quem amore proſequebatur, & qui ſe eodem præbuit indignum per ejuſdem contemptum. Tunc enim arbitratus affectum hunc juſtum eſſe, ac ſe juſtitiæ partes tueri, nihil intentatum relinquit, ut ultionem repoſcat, & cenſet illatam ſibi contumeliam nullis unquam ſuppliciis eſſe reparandam. *P. Senault in Panegyrico S. Catharinæ.*

ctibus iracundiæ Regum.

in de Clementia. c. 8.

Prov. 6.

Prov. 14.

Principes & Nobiles poſiti ſunt, ut aliis benefaciant & quomodo illis benefacere debeant?

Cum Deus in lucem edit Principes, ac Nobiles viros, non magis eorum habet rationem, quam populorum, illis aliquando ſubjiciendorum; ideoque nequaquam ad ſe illis referenda ſunt omnia conditionis ſuæ bona, quandoquidem illa cum aliis ſunt communicanda. Ex omnibus bonis, quibus perfruuntur, unica voluptas iiſdem æquabiliter utendi in gratiam aliorum, tota ipſorum eſt, & eos perfecte beatos poteſt efficere. Ratio benefaciendi illis jucundior eſſe debet ipſo beneficio, ut dici queat, ipſos plures ſemper gratias concedere cum illa, quæ ab iis petitur; & ne imitari videantur illos; qui oris habitu, ſane illiberali, ac moroſo artem inveniunt homines beatos efficiendi cum illis gratificantur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Princeps per ſe judicare debet de meritis eorum, quibus ſuam communicat auctoritatem.

Opus eſt, ut Princeps propriis luminibus judicium ferre aſſueſcat, de juſto hominum pretio, præſertim vero illorum, quos conſtituit ſuæ auctoritatis ſequeſtres, ut omnes illum revereri teneantur in delectu ſuo, & ſentiant meritum ejus in regimine eorum, quos præficit aliis. Conſenſus, & requies populorum, rectus ordo in Regno ſuo inſtitutus; regularitas omnium corporum illud componentium; leges in earum rigore obſervatæ; militum moderatio, ac diſciplina; Religio florens, & protecta; hæc ſimul omnia nihil aliud eſſe debent, quam character mentis, & ſenſuum illius, qui præſidet, & ſe omnibus ditionis ſuæ ſtatibus communicat. *Idem.*

Ratio, quā ſecutus eſt Deus novā legem inſtituens.

Deus, lectiſſimi Auditores, in Chriſtianiſmi, & Evangelii progreſſu non ſemper eandem ſecutus eſt rationem, quam illius Sapientia re adhuc integra, in prima ejuſdem inſtitutione ſervaverat; ſi enim ad illam advertitis animum, cum nova hæc lex publicanda fuit, eique nationes omnes ſubjiciendæ: ut palam innoteſceret, hoc unice opus eſſe manus ſuæ, non uſus eſt ſapientibus mundi, neque principibus terræ. Uti noluit armis Imperatorum, neque Regum potentia, ſed ut doctos, ſapienteſque confunderet, ut Populos, Regeſque ſubjiceret, & ut univerſorum faciem mutaret, adhibuit pauperes Piſcatores, illitteratos, inermes, & omni auctoritate deſtitutos; & his uſus inſtrumentis in mundo univerſo Religionem inſtituit, & Crucem in ipſo etiam Regum diademate collocavit. Hinc dixit S. Paulus: *Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt, deſtrueret.* Sed poſtquam hoc Evangelium receptum fuit, ac in univerſam terram effuſum, viſum Deo fuit rationem immutare, & uti prorſus oppoſito conſilio; quoniam ut hos eoſdem Chriſtianos adduceret ad ſanctitatem, & praxim ſublimium Evangelii hujus dogmatum, adhibuit ſapientiſſima mundi capita, potentiſſimos Reges, & glorioſiſſimos orbis Domitores, quorum exemplum modo validius eſſe videtur ad reliquos homines animandos, & aptius ad confundendam eorum ignaviam, quibus deeſt animus illos imitandi. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

1. ad Cor. cap. 1.

Deus in ſancti hujus Regis perſona magnificentiſſimum ſanctitatis prototypum.

Quapropter ut hodierna die vobis oſtendam in perſona Sanctiſſimi Regum noſtrorum magnificentiſſimum ſanctitatis prototypum, quem hic prodire voluerit Deus; per vos mihi liceat invertere S. Pauli oraculum, quod non niſi in ipſa Religionis inſtitutione locum habuit: & quin dicam, uſum fuiſſe Deum iis, quæ abjectiſſima erant, & maxime contemptibilia, ut ea quæ erant maxima confunderet, dicam ipſum uſum fuiſſe præclariſſi-

tiſſima nobilitate, & majeſtate præſtantiſſimi Regis, ut chriſtiana regnaret humilitas, ut inter opes, ac delicias Aulæ, omnium maxima eniteſceret mortificatio; & quin eum eodem Apoſtolo adjiciam, & quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus ut confundat ſapientes, oſtendam in ſapientiſſimi hujus Regis exemplo, ſapientiam Evangelii, quam ſibi normam propoſuit in regimine ditionis ſuæ unum illud eſſe, quod Regna efficit felicia, & florentia; ac tandem, quin alteram infirma mundi elegiſſe Deum, ut confundat fortia; ajo, Deum uſum eſſe fortitudine Sancti hujus Regis, ut tueretur, & augeret imperium Filii Dei; hunc Regem humilem & mortificatum fuiſſe inter opes, ac delicias; Sapientem, qui non niſi Evangelica lumina mutuatus eſt, ut regnum gubernaret; ſtrenuum imperatorem, qui ſua uſus eſt virtute ad Domini gloriam propugnandam. *Idem.*

*Placita, quæ ante oculos habere debent Principes.*

Si qua in terris difficilis eſt, & periculoſa conditio, hæc ſane eorum eſt, qui ad alios regendos vocati ſunt, Principes, qui ſupremam habent auctoritatem; Domini peculiarium locorum, habent ſubalternam; Magiſtratus, publicique Miniſtri, delegatam. Si ergo per conditionem tuam, vel aliquam aliam cauſam vides te aliorum regimini præpoſitum, temet ſedulo præmunire debes contra magnas difficultates, & hujus ſtatus pericula placitis Chriſtianis, & ſalutaribus, quorum hæc præcipua ſunt, ad quæ ſerio animum advertas quæſo. 1. Cave, ne te ſuperbia inflari ſinas, quia te ſuper alios ſublatum videas, memento quo magis attolleris a tibi eo majorem eſſe occaſionem metuendi ſecundum illud Scripturæ adagium: *Quanto major es, humilia te in omnibus. Rectorem poſuerunt te? noli extolli; eſto in illis, quaſi unus ex illis.* 2. Ne putes ſtatum tuum, privilegium eſſe, vel felicitatem tuam, ſed onus grave; nec tanquam aliquod, quod tibi collatum ſit in beneficium, ſed in aliorum utilitatem. Scito eos, quibus imperitas, non tibi factos eſſe, ſed ſibi, tibi reverentiam, obedientiam, fidelitatem debent; ſed tu illis plura debes, ac difficiliora: curam, vigilantiam, præſidium, juſtitiam. 3. Tibi perſuaſum ſit, quidquid habes, hoc te a Deo accepiſſe, ac te non niſi Miniſtrum eſſe, ut qui tibi ſubditi ſunt, moderens. Unde ſequitur, tibi ſecundum Dei voluntatem regnandum eſſe, & a te diſtrictam rationem regiminis tui Deo eſſe reddendam. 4. Eis, qui præſunt aliis, imperium ſuum primum exercendum eſſe in ſemet, ſuis affectibus imperitando; & conſiderandum eſt turpe eſſe, aliis moderari, ſibi autem moderari neſcire; imperare hominibus, & ſuis inſervire cupiditatibus. 5. Scias exemplum tuum omnia poſſe in inferioribus tuis. Si bonus vir fueris, virtutem tuam illos imitaturos, ſi nequam, illos ſe ſe in omnem nequitiam tradituros, juxta illud Sapientis effatum: *Secundum judicem populi, sic & miniſtri ejus: & qualis rector eſt civitatis, tales & inhabitantes in ea. Idem.*

*Eccl. 3. Eccli 30. Eccli. 10. 2.*

*Vitia a Principibus vitanda.*

1. Permittendum non eſt, ſe adulationibus falli, quæ Principum ſpiritum pervertunt, quorum conditio hac in re ita infelix eſt, ut nunquam fere illis oſtendi veritas poſſit in iis, quæ ſcire tenentur. Procul a vobis ajicite, o Principes, ſordidum aſſentantium pecus, & credite, hos nequiſſimos eſſe inimicos veſtros, ut reipſa ſunt; e contra vero diligite eos, qui vobis veritatem aperiunt. Eligite unum, & alterum vobis familiares, quibus onus committatis vos cenſores efficiendi, monendique, ſi quid peccaveritis, & non celandi, quidquid vos noſſe operæ pretium cenſuerint. Hac in re deneiunt omnes Principes, & magiſtratus. 2. Caveant ſibi opus eſt ab avaritia, & inexplebili divitiarum cupiditate; quæ Principum terræ lues eſt, quæ illis populorum odia conciliat, eoſque in plurima ſcelera compellit. Hinc enim proficiſcuntur injuſtitiæ, violentiæ, oppreſſiones innocentium, iniquæ extorſiones, & ſexcenta id genus mala, quæ efficiunt, ut populi conquerantur de optimatum injuſtitia, & tyrannide, quam Deus per Prophetas tantopere execratur. 3. Ultio quoque ingens malum eſt, ad quod eo facilius ſe trahi ſummi viri ſinunt, quia ulciſcendi poteſtatem præ manibus habent; & quia ſæpe ſub juſtitiæ ſpecie exercent illam, cum oriatur ex mero animi affectu, in quo falluntur. Juſtitia enim bonum publicum, vel correctionem illius, qui punitur, ſpectare debet; non ultro cupiditati ſuæ ſatisfacere quærat. 4. Sed ultionem, & affectum fugientes, opus eſt, ut ab alio ſibi caveant extremo, nimia videlicet indulgentia, quæ in ignaviam degeneret, in criminibus perſequendis. Hac in re debent eſſe diligentes, tunc vero potiſſimum cum contra publicam utilitatem, & multo magis contra Religionem peccatum eſt. *Auctor Recens.*

*Sancti N. Sanctitas in pompis mundi longe magnifica apparuit.*

Ut liqueat, magnificentiam in Sancto N. enituiſſe, ne vereamur Sancti Pauli invertere oraculum, & aſſerere Deum, qui uti noluit nobilibus, ſummiſque viris, in prima Eccleſiæ Inſtitutione; deinceps nequaquam utilius inveniſſe conſilium ad eam amplificandam, quam reliquos homines Principum, Regumque exemplo excitare. Exemplo quidem proculdubio, quod ſub alio prorſus intuitu virtutem, & ſanctitatem proponit reſpiciendam. Nam licet non egeat infirma hac luce ad illius magnitudinem oſtendendam, verum eſt tamen fœdus hoc cum nobilitate, atque amplitudine eam efficere admirabiliorem, ut Sanctus Hieronymus inquit: *Non quod habentibus magna ſint, ſed quod contemptibus mirabilia.* Quorſum illud? quia optimates videntur ex ipſo ortu duos maximos afferre ſecum obices ad Sanctitatem, ſuperbiam mentis, & propenſionem ad ſenſuum voluptates, ita ut cum videtur Princeps non ſolum de duobus hiſce vitiis triumphare, ſed etiam inter ſanctiſſimos emineſcere per profundam humilitatem, & auſteriſſimam mortificationem, tunc virtus in ſumma magnificentia ſua, ut ita dicam, refulget. Hac in re Sanctus N. eſſe poteſt exemplo non ſolum Principibus terræ ſimilibus ſibi, ſed etiam vulgo mortalium, quorum imbecillitas exemplis tantæ auctoritatis ſuſtinenda eſt, & excitanda. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

*Inſignis humilitas Regis hujus in elatione ſua.*

Et ſane quiſnam altius ſublatus fuit hoc magno Rege? Et quiſnam in tanta elatione verius humilis fuit, & perfectius exinanitus in oculis ſuis? Magnus erat genere, nobilis regia dignitate; ſed inde ſanctitas illius glorioſa, & magnifica, ut cum Propheta loquar, effecta eſt; quia cum altiſſimo magnitudinis ſuæ faſtigio altiſſimam conjunxit humilitatem. Vitium eſt, nemo ignorat, quod ſecum mortales ab utero deferunt, ſuper ceteros eminere velle per inordinatam ambitionem; per ſuperbiam noſtræ naturæ quodammodo inhærentem. & quæ in humillimis etiam conditionibus, & abjectiſſimis mortalibus invenitur; ſed quæ a Principibus viris ſeparari non poſſe, eique dupliciter naturalis eſſe videtur; nam quatenus homines ſunt, illis eſt communis cum ceteris, quaſi hæreditatis jure illam a protoparentibus hauſerint; ſed quatenus Reges, quaſi alteram hæreditatem acceperunt illam a tot Principibus, quot in majorum ſuorum faſtis numerantur. Diceres, illuſtrem ſanguinem in ipſorum venis fluentem nonniſi ambitioſos ſpiritus alere; & fulgorem generis, qui illos perſtringit, in illis parere meritorum ſuorum conceptum; & pompam, qua ſepti ſunt, efficere, ut ſuimet ipſorum obliti, nunquam ſe aliis pares cenſeant, quos tanquam toto cælo infra ſe poſitos deſpiciunt; ideoque ſi ex Sancti Chryſoſtomi ſententia prodigii loco eſt videre hominem, qui omnino naturalem hanc propenſionem in ſe jugulaverit; duplex prodigium ſit regem videre de ſe humiliter ſentientem; quia nihil ſummis viris tam difficile eſt, quam flocci facere ea, propter quæ inter ceteros eniteſcunt. *Idem.*

*Contemptio pompæ & fulgoris.*

Hinc factum eſt, ut ne minima quidem ſuperbiæ, vel ambitionis umbra, neque ulla oſtentatio deprehenſa fuerit in actionibus, verbis, moribus ejus; ut non erubeſceret prodire in lucem, ſimplici amictus veſte, cum omni mortalium genere colloqui; imbecillioribus ſumma cum bonitate indulgere, & ſeſe humiliandi locum ex his ipſis rebus deſumere, ex quibus alii majoris vanitatis argumentum percipere conſueverunt. Verum eſt, Auditores, non defuiſſe Reges, & Principes, qui omnibus Aulæ divitiis abrenuntiarunt, ut latentem inter clauſtra vitam ducerent, & inter Sancti N. Majores extitiſſe, qui Regni poſſeſſionem, vel ſpem abdicaverunt, veluti nonnulli, qui in hac re videntur chriſtianam humilitatem exercuiſſe modo perfectiori, & in ſublimi gradu: fateor equidem eximiam magnorum horum Principum gloriam fuiſſe, omnia propter Deum reliquiſſe; ſed præterquam quod Sanctus noſter centies hoc ingreſſus eſt conſilium, quin illud unquam complere poſſet, & quoteſcunque ſuos exeruit conatus, ut latentem vitam in ſolitudine amplecteretur. Deus ſemper palam ſignificavit, ſe eum velle Regem; id egit, quod ex Sancti Bernardi ſententia laudabilius, ac difficilius eſt; quippe Religioſi humilitatem cum pompa, & majeſtate Regis conjunxit: & ſi minus exuit ſe dignitate, quam genus ſuum tueri jubebat, ſaltem illam detrectavit, quæ electionis jure ad ipſum deferebatur: cum noluerit unquam Imperium accipere, niſi prius Deum conſuluiſſet de iis officiis, quæ ipſi erant contrahenda. *Idem.*

*Quanam in re Chriſtiana generoſitas magis niteat.*

Qua in re præclarum vobis problema propoſiturus ſum, quod vobis ſimul diſputandum relinquo; videlicet quanam in re chriſtiani generoſitas, quæ ab humilitate ſeparari non poteſt, effulgeat magis, in detrectando ne honore, qui offertur, an in ſervanda moderatione in illo, qui poſſidetur, ne quid fiat extra eos fines, quos conſtituit Deus, & te inter officii tui cancellos contineas. Plurima utrinque dicenda ſuppeterent. Opus eſt alii dicunt pluſquam humano conſilio, ut detrectes bonum, quod alii vitæ ipſi cenſent anteferendum; ſed virtute prorſus divina opus eſt, addunt alii, ne te evertat ventus ambitionis, qui in Principum virorum animis tot procellas ciet. Videre gloriam dignitati regiæ inhærentem, & nihilominus illam fugere, idem eſt ac habere cor pluſquam regium; & oſtendere, non deeſſe quamdam ſpiritus nobilitatem glorioſiorem, quam ſanguinis; ſed jugiter vivere cum hoc hoſte adeo blando, jucundo, & fallaci, & nunquam falli, decipi, ſuperari: probatiſſimæ virtutis opus eſt, quæ, ne in cæleſtibus quidem Angelis inventa fuit. Sola humilitas Chriſtiana tantam fundere poteſt modeſtiam. Quamcunque partem in propoſita quæſtione amplectamini, lectiſſimi Auditores, hæc cedet in laudem Sancti N. & judicium veſtrum præſtolatus utriuſque partis gloriam illi

deſe-

deferam. Nihil inauſum, & intentatum reliquit, ut ſuam abdicaret magnitudinem, quam ab ipſis uſque incunabulis natura illi contulerat, & conſtanter primam mundi dignitatem ſibi oblatam, cujus digniſſimus habebatur, detrectavit; ſed chriſtianæ humilitatis triumphus in magno hoc Rege eſt, quod poſtquam alteram quidem repulit, alteri nuntium mittere non potuit, ſervavit cor Regis, & Chriſtiani, quod ſimul eſſe non poſſe cenſebat Tertullianus, videlicet humile in ea ſtatus ſublimitate, ad quam genus, & meritum mortalem attollere poſſunt, hac in re ſimile arboribus, quæ altius in terram radices ſuas jaciunt, dum caudex ſublimius cælum verſus aſſurgit. Hunc appellare poſſum ipſius humilitatis triumphum, quæ non ita quidem vulgo niteſcere conſuevit, ſed quæ, ut jam dixi, nitet cum magnificentia, ut univerſo mundo ſit exemplum æque raræ virtutis, ac neceſſariæ in omni ſtatu, & conditione. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

*Reverentia quæ debetur Regibus, eo quod illorum potentia a Deo eſt. Rom. 13.*

Sanctus Paulus Apoſtolus docet, nullam eſſe potentiam, quæ non ſit a Deo, a quo omnis potentia, quæ in terris eſt, ordinata fuit. Omnes igitur ſubditos eſſe debere ſuperioribus poteſtatibus non ſolum propter metum pœnarum, verum etiam propter officium conſcientiæ: *Non ſolum propter iram, ſed propter conſcientiam.* Principes ſunt imagines Dei, & ejuſdem miniſtri ut in pravos homines animadvertant, ſed ut illorum opera boni tuto vivant: *Dei enim miniſter eſt in bonum, vindex in iram ei, qui malum agit.* Hanc ob cauſam illos colere debes, de illis cum obſequio loquendum eſt tibi, neque in eos injuriæ inferendæ, neque illi contumelioſe dictis proſcindendi, neque gaudendum, ubi eorum agendi, regendique rationem corripi, damnarique audis. Nihil tibi accidit, niſi Deo permittente, & Providentia illius diſponente. Si qui ſunt, qui Principum auctoritate abutuntur, & te onerant tributis, & vectigalibus; hoc permittit Deus ad juſtitiam ſuam exercendam, ad pœnas de peccatis tuis ſumendas, & corrigendum pravum uſum pecuniarum tuarum. Niſi fœnerator eſſes, avarus, fur, non permitteret, ut publicani tua tibi eriperent; verum cum nihil tibi religionis ſit, & conſcientiæ, utraque manu colligis, vel bona tua in libidines, ac impudicitias obliguris; mirum ne eſt, ſi ingruunt mortales, qui bona tua auferant adinventionibus injuſtis, & violentis? In omne nefas ruis, nihil tibi ſanctum, & ſacrum eſt; fanda, infandaque omnia audes. Non Dei, non Regni legibus pares; mirum ne eſt ſi vapulas, ac durius tecum agitur? *Vis non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa: Dei enim miniſter eſt tibi in bonum.* Neque ſatis eſt Regem verbo tenus colere, colendus eſt & effectu, hoc eſt quantum in te eſt, illi ſerviendum eſt. Æquo animo illi tributa perſolvenda ſunt, *cui tributum tributum*; neque fraudandus eſt jure ſuo. Illi vero rationes reddendæ erunt Deo, niſi juſte illa erogaverit; ſed interea tibi non ægre, neque invito ſolvenda ſunt. Etenim obedientia, quam Chriſti fideles ſuis Principibus præſtant, ſimilis eſſe debet illi, quam præſtant Deo. Ex corde proficiſci debet, & pro principio charitatem habere: *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. Homilia Gedeon.*

*Sancti hujus innocentia, & mortificatio illum conſtituerunt exemplum Principum.*

Hinc Sanctus iſte Rex factus eſt Regum, omniumque vulgo mortalium exemplum, quod Regum omnium integerrimus fuit, & auſteriſſimorum Pœnitentium mortificationem æquavit; utrum enim admirabilius eſt, ſervaſſe ne inter Aulæ delicias innocentiam, quod Sanctus Ambroſius tanquam inſignius miraculum habendum putat, quam videre tres pueros in Babylonis fornace inter flammas incombuſtos, an mortificationem, & vitæ auſteritatem exercuiſſe, quod ex ejuſdem Doctoris ſententia non eſt minus mirandum? Sed nonne hoc eſt oſtendere ſanctitatem in magnificentia, innocentiam, & mortificationem cum Regum gloria conjungere, in quibus poteſtatis menſura ſæpius tota eſt officiorum ſuorum norma? Ego quidem alterum tanquam alterius cauſam conſidero. Auſteritas pœnitentiæ, qua alii reperire contendunt amiſſam innocentiam, in Sancto N. illam tuetur. Cum ſancta educatione hauſerat ille pietatis principia, quæ cum molli, ac voluptuoſa vita non conſentiebant; ſed arduum fuit ſervare illa inter mundi impedimenta ſine mortificationis præſidio. Si ex me quæritis quam pœnitentiam, & mortificationem, ille exercere potuerit; dicite mihi, quid Regis potentia ſibi permittere valeat, & dicam vobis Sanctum hunc id ſibi propoſuiſſe, tanquam aſſiduæ mortificationis argumentum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

*Ejuſdem argumenti continuatio.*

Nonne Auditores, hoc pacto mortificatio æque ac humilitas fulget in ſolio, quandoquidem ab eo Rege exercetur, qui pluris fecit Salvatoris coronam, quam eam, quam ipſe gerebat, & qui non ſolum pietatem ſuam conſtituit in redimenda, & colenda Sancta hac Reliquia, cum parte veræ Crucis, ſed in imitando illo, qui geſſit utramque propter hominum ſalutem; ſed nonne ſimul hæc noſtra damnatio eſt, a Sancti hujus Regis ſolio profecta! Rex iſte Deo fidelis in Aulæ corruptela, ac licentia, eo uſque, ut pro certo habeatur, nunquam baptiſmi ſui gratiam, & integritatem amiſiſſe; ſed Rex, qui ob inviolabiliter ſervandam fidelitatem hanc chriſtianam mortificationem ſumma cum ſeveritate exercet; & poſt hæc videre mortales fortaſſe tam longe abhorrentes

*Hoc dici poteſt de S. Ludovico Rege Galliæ.*

a Sancti N. innocentia quam abſunt ab illius genere, & dignitate, genus, & nobilitatem ſuam prætexere, ut ſe diſpenſent ab omnibus Chriſtianæ Religionis auſteritatibus, ne minimam quidem ſibimet vim inferre poſſe, ut divinæ ſatisfaciant juſtitiæ, & Eccleſiæ præceptis; credere dignitatem ſuam ſibi juſtum conferre jus omnia vitæ commoda inquirendi, & fruendi omnibus conditionis ſuæ bonis; mollem ac deliciis affluentem vitam ducere, & arbitrari, præceptum deferendæ crucis, & ſemet abnegandi, ad ſe nequaquam pertinere; vel ad ſummum hoc merum eſſe conſilium, quod ſequi integrum ſit, & a ſua pendeat voluntate. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

*Deus poſtquam rudes elegit homines ad Chriſtianam Religionem inſtituendam, elegit etiam ſapientes mundi, ut Evangelii placita confirmet.*

Magnum hoc eſt Apoſtoli oraculum, carnis ſapientiam, & prudentiam mundi Dei eſſe inimicam; quamobrem in Chriſtianiſmo rejecit hos ſæculi ſapientes, quorum prudentia in ipſis primordiis maxime videbatur neceſſaria; ſed pauperibus uti voluit piſcatoribus, rudibus, atque ignaris, & adhibuit etiam ea media, quæ tanto huic conſilio magis videbantur oppoſita: *Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes.* Sed temporum decurſu Deus conſilium invertit; elegitque ſapientiſſima mundi capita, quæ omnia lumina, omnemque ſapientiam ſuam Evangelio ſubmiſerunt, ut docerent homines reliquos hanc unicam eſſe debere regulam vitæ, & actionum ſuarum. Quodnam autem illuſtrius, & magnificentius exemplum ſapientis hujus rationis nobis ob oculos ſubjicere poterat, quam admirabilem Sanctum N. quem vocare poſſum Religioſum politicum, ſed ſapientiſſimum omnium mundi hujus Regum; qui regnum ſuum gubernavit, ac tutatus eſt juxta ſola Evangelii placita: ita ut de hoc Rege dici poſſit, quod de Joas narrat Scriptura, cujus capiti ſummus Sacerdos illum in Regem Iſrael inungens impoſuit cum regio diademate librum Scripturarum: *Poſuit ſuper eum Diadema, & teſtimonium.* Videlicet, ſtatim ac ille per ætatem ſumere potuit regimen ditionis ſuæ, propoſuit ſibi Evangelium tanquam legem fundamentalem, ac normam omnium conſiliorum ſuorum, quin unquam conſuleret hanc mundi ſapientiam, atque placita, quæ illam Dei inimicam conſtituunt. Quod ſi vos tenet libido cognoſcendi qua ratione uſus ſit, Religio, & juſtitia totum fuit politicæ ejuſdem ſecretum; altera quippe fecit, ut regnaret Deus, altera autem populorum ſuorum felicitatem procuravit. Hæ ſunt, veluti manus duæ, quæ Salomonis ſolium fulciebant, & illud Regis noſtri confirmarunt, contra vim alienigenarum, contra propinquorum ſuorum rebelliones, & contra internos, externoſque tumultus, qui illud poterant labefactare. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

*I. 4. Reg. c. 12.*

*Religio, & Dei gloria ſemper extiterunt cauſæ propter quas Sanctus hic Rex bella geſſit.*

Religio, quam mundi politica propriis ſubjicit commodis, eaque per impium ſcelus abutitur in ſuam utilitatem; Religio, inquam, & Dei gloria unica extitit cauſa bellorum, quæ geſſit, & unicus Regiminis ſui ſcopus, cujus primos annos in delendis omnibus de Regno hæreſibus conſecravit, quæ rurſus conſurgere videbantur favore adoleſcentiæ ipſius: ſed Princeps hic, qui ſemper hoſtes ſuos cenſuit inimicos Dei ſui, nunquam ceſſavit, quominus illos perſequeretur, & penitus exterminaret, nulla re ſe flecti paſſus, non precibus, nec alia quacumque ratione. *Idem.*

*Quam operoſum ſit humilitatem cum honore conjungere.*

Quam operoſum eſt, Auditores, eſſe ſimul & Regem, & Dei ſervum; hominibus imperare & illis imperare obedientem Deo! Quam arduum eſt ſupremam auctoritatem cum vera obedientia conſociare, magnitudinem cum exilitate, majeſtatem cum humilitate! Quam difficile eſt Regem eſſe ſine ſuperbia, & ſervum ſine ſordibus. Regnum deſtruit ſervitutis humilitatem; ſervitus Throni majeſtatem humiliat; ita ut perrarum ſit videre ſervum vere ſervientem in perſona Regis vere regnantis. Difficile autem eſt invenire humilitatem cum magnitudine animæ Chriſtianæ, potiſſimum vero apud Optimates: Hanc tamen reperimus in Sancto N. Deus illum extulit ad dignitatum omnium faſtigium; collocavit eum in præcipuo Terrarum ſolio; & Sanctus N. ſuam abjicit majeſtatem coram illo, a quo illam mutuatus eſt, ita ut in illius perſona ſimul invenietis Regem ſeſe Throni majeſtate exuentem, ut ſerviat Deo; & ut eidem ſerviat, omni utentem Throni ſui auctoritate. *Auctor recens.*

*Ille Sanctus Rex non, quam ceſſavit quin mundi Deo ſerviret. Eccleſ. 12. Jerem. Lament. 3.*

Sanctus N. oritur inter funeſtas has pompas, & periculoſos honores, qui tam ſæpe Principes viros a Dei ſervitio detorquent; ſed tot licet obices urgeant, ſciet ille Dei ſervum eſſe, quin ceſſet eſſe Regem. Poſſidebit ille omnia Throni bona, quaſi non poſſideret illa; propria utetur dignitate, quaſi non uteretur. Meminit *Creatoris ſui in diebus juventutis* ſuæ; & didicit, quam *bonum ſit viro cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua*; videlicet cum obedierit ſupremis legibus ſuis, generoſum arripit conſilium millies potius moriendi quam eum lædat, quem omnibus terrenis rebus antefert. Hinc orta eſt diligens illa ſibi præcavendi ſedulitas, qua Davide ipſo ſapientior ſemper cuſtodivit cor, oculoſque ſuos, eiſque interdixit vel minimam impudicitiæ impreſſionem recipere eo tempore, loco, & ſtatu, ubi omnia conferunt ad præclaræ hujus virtutis jacturam. *Idem.*

Sancto huic Regi ſatis non fuit exterminare e regno

*Glorioſus hic monarcha magnificus erat in eleemoſynis ſuis.*

ſuo vitium, & impietatem, fecit etiam ut ibi floreret Religio, ita ut magnus, & magnificus videretur in eleemoſynis, quas erogabat, ac in tot pietatis operibus. Quærebat autem, in quo Regum opes & magnificentia melius impendi poſſet, quam in cultu Dei. Quæ res tot de cælo benedictiones in ingentem ditionem illam detraxit, ut nunquam antea fuerit locupletior, beatior, florentior; & de Sancto illius Rege dici poteſt, quod Scriptura de Salomone: *Magnificavit Dominus Salomonem ſuper omnem Iſrael: & dedit illi gloriam regni, qualem ante nullus habuit eum*; Nullum Regem hoc fuiſſe glorioſiorem, & hoſtibus ſuis terribiliorem, ſubditis vero jucundiorem, & chariorem Deo, & hominibus, quam incomparabilis Sanctus N. *Auctor ſermonum in omnia argumenta.*

*1 Paral. 29.*

*S. hic Rex per ſe cognoſcere voluit quomodo jus diceretur ſubditis ſuis.*

In juſtitiæ adminiſtratione illi ſatis non erat eligere ſemper integerrimos Judices, & ab illis rationem expetere judiciorum, quæ ab illis ferebantur; ſed quin aliis haberet fidem, ſeipſum judicem conſtituebat in cauſis pauperum, quas ille ſæpiſſime audiebat, veritus ne nimis differrentur, & narrant Hiſtorici, neminem unquam apud illum conqueſtum fuiſſe de injuriis, vel oppreſſionibus, quibus affligebatur, quin Rex ſtatim in arena illi jus diceret, arceſſitis in cubiculum ſuum partibus, ut per otium utramque audiret, & decretorio judicio litem dirimeret; & quaſi natus eſſet tantummodo ad ſubditorum ſuorum commodum, & tranquillitatem, ſtudebat, ut ſolatia ſua, ac ipſum quietis tempus aliquid ad publicam requiem conferrent; & cum olim priſci in lucos concedebant Oracula conſulturi, audiebantur Sancti hujus Regis reſponſa, qui partibus interrogatis, & ad examen vocatis rationibus, ac teſtibus ſententias ferebat, quæ ita juſtitiæ conformes ab omnibus habebantur, quaſi eſſent de Cælo dilapſæ. Quod erat in cauſa, ut finitimi Principes non alium optarent arbitrum in controverſiis ſuis; fama enim, & opinio ſapientiæ ipſius ſeſe effundebat ut fama Salomonis per univerſam terram, ita ut Provinciæ, & integræ nationes, quæ illi tanquam Regi minime parebant, eum ſibi in judicem eligerent impetrata a ſuis Principibus facultate, & tandem undequaque confluerent advenæ ad excipiendam recentis hujus Salomonis ſapientiam. Quapropter de utroque dici poteſt, quod illorum Throni juſtitia ſolidati eſſent, & roborati: *Firmabitur juſtitia thronus ejus.* Quod ſi quando cogebatur in ſontes animadvertere, & juſtitiæ gladium ſtringere, quem in illius manu Deus collocarat, ſola Evangelii ſapientia ducebatur, utebatur quippe clementia proprias dimittens injurias, & ſevere perſequebatur eas, quæ vel Deo, vel proximo inferebantur. Ita contra fallacia Politicæ placita pepercit pluribus rebellibus Principibus, qui in perſonam illius arma converterant. *Idem.*

*Prov. 25.*

*Juvenis hujus Regis vita mundi hominibus condemnat.*

Sanctus N. juvenis eſt, Rex eſt, vitaque illius ſemper pura fuit, & innocens; & Sanctus N. juvenis macerat carnem ſuam, vivit in auſtera pœnitentia: Hodierna vero die quotuſquiſque in mundo eſt, qui non horreat auſteritates? Ætas, conditio, valetudo, negotia, temperamenti mollities, omnia diſpenſationem requirunt. Religio minime conſenuit; moralis J. C. immutata non eſt: ſenſus nequaquam minus inimici facti ſunt: Tentator fatigatus non eſt; cupiditates non ſunt extinctæ: Numquid aliquod ipſi obtinuimus privilegium? Numquid Cæli vis latior facta eſt? Dicamus melius; multine ſalvabuntur? *P. Croiſet in Aſcetiques Tome 3.*

*Quot adſint in aula pericula, & quomodo ibi ſe geſſerit Sanctus N.*

Regum aula mare eſt, quod ſuam habet malaciam, ſuaſque procellas, ſuas ſyrenes, & ſcopulos. Malacia favor eſt, procellæ calamitates; Syrenes ſunt formoſi vultus, qui ibi videntur; ſcopuli vero, infortunia quæ ibi occurrunt. Ut ſanum feratur judicium, malacia non minus periculoſa eſt, quam procella; & Syrenes non pauciora pariunt naufragia, quam ſcopuli. Favor enim & Principis gratia ſæpe ſuperbos, ac impotentes facit, qui fortunæ vento tumidi, ſe deos, vel Reges eſſe putant, quoniam thura illis adolentur, ut Deo, eiſque deferuntur obſequia, ut Regibus. Inter tot honores admirabilis requiritur animi fortitudo, ad modeſtiam ſartam tectam tuendam, Forma ibi ſæpe impudica eſt, & plurimum requireretur caſtitatis; ut quis contra tot artes, & dolos invictus reſiſteret. Attamen Sanctus, cujus laudes prædico, ſummi Regis intimus extitit familiaris, neque fuit inſolens. Aliquot traduxit annos inter aulæ delicias, & ſemper ſervavit caſtitatem; qua in re veram conſtituo magnitudinem, quæ in vobis ciere debet admirationem. Principis fuit familiaris, & illi gratioſus beatior eſt Principe. Princeps enim ſuam non ſentit magnitudinem, quippe quæ cum ipſo orta eſt; ſed Amicus Principis qui fortunam ſuam debet arbitrio fortunæ, eam majori cum voluptate guſtat, & majori libertate eadem fruitur, quam ipſe Princeps. Ille reipſa regnat, ipſe gerit ſceptrum, ipſe ad gubernaculum ſedet, ipſe gratias, favoreſque diſpenſat, diſtribuit dignitates, & honores, & ipſi aguntur gratiæ, quia ab ipſo beneficia omnia expectantur. *Ex Panegyrico S. Sulpicii P. Senault.*

*Sanctum [illegible] aulicus,*

Regis affectus Sanctum noſtrum ita extulit, ut nemo eſſet in aula, qui non faceret plurimi illius neceſſitudinem. Omnes Regni magiſtratus diſtribuebat, provinciis præficiebat, diſponebat officia, & nemo magnus eſſe poterat, qui Sancti N. amicus non eſſet. Rex nonniſi per ejus oculos videbat, nonniſi per ejus manus agebat, & per aures ejus audiebat. Denique hic illius familiaris ita regnum, & Regem Dominum ſuum regebat, ut nunquam viſa fuerit fortuna magis elata, & melius confirmata, quam fortuna illius. Creditis fortaſſe, Auditores, me hac in ſe conſtituere velle magnitudinem illius, & me ſatis oſtendiſſe vobis illum in Aula fuiſſe potentem, quia Regis familiaris erat, & charus? Sed a me illuſtri huic Sancto viro injuria fieri videretur, ſi magnitudinem ejus non ex meritis, ſed ex fortuna metirer. *P. Senault in Panegyrico S. Sulpicii.*

*Sanctus major erat virtute, quâ gratia. & nunquâ ſua poteſtate abuſus eſt.*

Sanctus hic profecto magnus erat genere, & gratia, ſed major adhuc virtute. Nunquam enim abuſus eſt potentia ſua, donec poſſedit Principis ſui amicitiam; diſtribuebat magiſtratus, ſed illis, qui illos recte poſſent exercere: provinciis præficiebat, ſed eos, quorum exploratа erat illi fidelitas; diſponebat de officiis, ſed in favorem illorum; qui honorem cupiditati anteferebant; Verbo, Regis erat amicus, ſed non inſolens; tantum valebat apud Regem gratia, quantum fieri poterat, ſed eadem nunquam abutebatur. Regebat Principem, non indigne illi imperitabat; laudabat illum, non aſſentabatur ei; quotieſcunque illi conſilia præbebit, ejus perſonam potius quam reliquis; hoc eſt Principi ſuo ſerviſſe, quam eidem placere quærebat. Cum felix hoc regnum floreret, nulla audiebatur vel doli alicujus, vel impotentiæ querela: homines non tradebantur in carcerem niſi primum habita quæſtio fuiſſet; nemo indicta cauſa damnabatur, & ſontes dumtaxat Regem, & Regis familiarem pertimeſcebant. *Idem.*

*Sanctus N. agnoſcebat incon[illegible] tiam & fragilitatē honorum hujus mundi.*

Magnus hic Princeps norat eos honores, qui a fortuna pendent fragiles eſſe, & ſexcentis caſibus, qui nequeunt prævideri, auferri poſſe, quo altiores ſunt, eo facilius fulminibus patere; nihil in illis niteре, quod periculis obnoxium non ſit; & memoria tenens egregia illa S. Auguſtini verba, ea ſæpe repetebat, & in penetralibus ſuis ſibimetipſi dicebat: *Et ibi, quid non fragile, quid non plenum periculis? & per quot pericula pervenitur ad grandius periculum, & quandiu iſtud erit?* Conſidera fortunam tuam, & videbis nihil eſſe, quod ſexcentis non ſubjaceat periculis; & quod in te ciere non debeat timorem lapſus adeo gravis, quantum ſublimis eſt favor tuus. Principum affectus nutat, & ſicut locum, quem tenes in corde Principis tui, omnes ejuſdem ſubditi invident tibi, eripi ille tibi ab aliquo poteſt. Neque te fallat ſpes inanis, & fallax, quæ in omnibus Regum familiaribus ſublinit: eripi tibi poteſt, quod poſſides, & quodcunque admiraris, ut ſerves illud per fidelitatem operæ tuæ, ſemper eſſe debes præſto, ut illius jacturam patiaris. *Idem.*

*Sunt ſtatus, qui plus virtutis flagitent quā reliqui.*

Neceſſe quoque eſt vobis oſtendere, non deeſſe ſtatus quoſdam, qui plus virtutis exigant, & virtutis eminentioris, quam ſtatus alii. Principes, ſummi viri, maximis fulgentes honoribus, divites, & opulenti non aſſequentur ſalutem, neque eam communi, ac mediocri pietate, audeo dicere, aſſequentur. Pericula, occaſiones, auctoritas, illecebræ quæ ab eorum conditione ſeparari nequeunt, illos cogunt actiones nobiles, atque difficiles aggredi; ſi Deo fideles eſſe volunt, indigent conſequenter majori diligentia, conſtanti fortitudine, generoſo conſilio, ut muneribus ſuis perfungantur. Et plerumque hi ſunt illi, qui ſibi fas, & jus eſſe credunt ſeſe in pluribus laxandi, ac minus ſibi præcavendi in Dei ſervitio; quaſi illis eſſet ſatis non eſſe ita nequam, ut eſſe poſſent; perinde ac poſſent illi non ita virtutibus præditos eſſe, ut eſſe debent. Sed ſufficit, inquit Scriptura, non quærere Dominum, ut tradantur iræ Dei: *Ira Domini gentes, quæ non exquiſierunt eum, hæreditabit.* Nationes, quæ per idololatriam, intemperantiam, injuſtitiam Deum lædent, interibunt. Ut quis intereat, ſatis eſt non agat bonum, quod faciendum eſt. *Sermo Patris la Peſſe. Tome 1.*

*Eccl. 39. 28.*

*Cur Deus gravius minitetur Regibus & Principibus, quam privatis.*

Cur minitatur Deus judicium adeo terribile, ac ſeverum Regibus, atque Principibus? ideo potiſſimum, quod eorum peccata, ut plurimum, ſunt graviora, & majoribus ſupplicitis digna quam privatorum. Privati delitеſcunt, ut noctu furentur aliquid parum; ſed Principes non metuunt invadere Civitates, Provincias, & Regna; & ſi bellum injuſtum eſt, quis dicendo numerare poteſt quorum ſcelerum cauſa eſt? Tot furta, tot cædes, urbium depopulationes, domorum incendia, Templorum profanationes, horribilia ſacrilegia, impotentiæ, aliaque infamia ſcelera, quæ ſunt effectus bellorum injuſte ſuſceptorum, recidunt in eos, qui ſuſceperunt illa, in quos animadvertet Deus eo terribilius, quod in eorum poteſtate non eſt infinita ſeparare mala, quæ ubique paris effrænis militum licentia. Mirum igitur non eſt, *ſi judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet.* Immo admirari potius deberemus videntes perſonas, quæ præeſſe cupiunt. Ergo ſi Deus tanta cum ſeveritate punit Principum temporalium peccata, ſeveriſſime profecto puniet illa Principum Eccleſiaſticorum; pro ratione diſcriminis, quod intercedit ſpirituale inter ac temporale, ſacrum atque profanum. Quicunque oculis Fr-

*Sap. 6. 6.*

Digitized by Google

lis Fidei reſpiciet pericula quæ vix. & ne vix quidem ſeparari poſſunt a vita Principum terræ, hunc miſeratio tenebit, & per charitatem pro illis preces effundet. Cæterum quod dicimus deplorandam magis eſſe conditionem eorum, qui præſunt, quam qui obediunt, id a S. Auguſtino palam confirmatur, cum ait facilius eſſe famulis obtemperare bene, quam dominis bene imperare. *Ex Opuſculis Bellarmini. Tomo 3.*

Sanctus hic Rex fidelis fuit Dei ſervus, qui animum appulit ut cognoſceret & exequeretur Dei voluntatem. 2. *Cor.* 13. 10

Cur Sanctus, cujus feſtum diem colimus, fidelis fuit ſervus? Quia legem Dei meditatus eſt, & illius voluntatem cognoſcere ſtuduit: uſus eſt ſecundum intentionem ſupremi Domini ſui creditis ſibi talentis. In quem vero uſum convenit potentiam ſuam? Optime tenens illud S. Pauli principium, omnem poteſtatem *dari ad ædificationem, & non ad deſtructionem*: Nunquam uſus eſt ſua, niſi ut æquitatem probaret, injuſtitiam proſcriberet, virtutem foveret, vitio bellum inferret, non ſolum ſubditis ſuis, ſed aliis etiam quam plurimis gratificaretur. Sanctis leges tulit, ut ubique Supremus Regum dominator, & dominus coleretur. Vera ductus miſericordia erga illos, qui de arca egreſſi in pereundi verſantur diſcrimine; nihil intentatum reliquit, ut cogeret Hæreticos ad aperiendos oculos, & agnoſcendam veritatem, ut in Eccleſiæ ſinum redirent. Voluit, ut Eccleſiaſtici modeſtiam, quæ ſtatum eorum decet, ſervarent; ab Aula proſcripſit blaſphemiam, & libidinem; infirmioribus contra potentes patrocinatus eſt, & ut ſatis accurate pauperibus reddatur, quod ſuum eſt, facilem illis aditum præbet, & eorum cauſam probat. *Annus Evangelicus. Tomo 7.*

Bonus uſus, in quem Sanctus N. ſuam poteſtatem, & opes impendit.

Quid illi profuerunt opes immenſæ, quarum ſe Dominum nactus eſt? Ut aleret innumeram pauperum multitudinem, Xenodochia ædificaret, extrueret Cœnobia, Aras locaret. Sanctus hic Rex ſumptibus parcit; ſe ſe a ſubditis ſuis, non quidem nitore, & pompa, ſed zelo, virtutibuſque ſecernit. Avarus eſt, ut ita dicam, ſibi, ut pauperibus opituletur. Quot miſerationis, amoris, & benevolentiæ argumenta non præbet membris Jeſu Chriſti patientis? Cum illis accumbit menſæ, regiæ manus illis miniſtrant; nec ſatis. Quis credat? Sæpe viſum eſt ſacrum os illius infirmorum ulcera deoſculari. Ejus miſericordia nullis finibus circumſcripta extendit ſe uſque ad Fideles, qui in remotiſſimis locis ſub tyrannide Barbarorum, & Infidelium jacebant. Quid inauſum reliquit, ut ferrea illorum compedes confringeret? Merus Religionis zelus fecit, ut mare tranaret, ferre non valens, ut S. Bernardi verbis utar, inimicos Sanctæ Crucis ſacrilegum caput attollere ea in regione, ubi completum fuit opus Religionis noſtræ, neque ea polluere loca, quæ Agni immaculati cruore fuerant irrigata. Hæc magna illa ſunt documenta zeli, & amoris ſui erga pauperes, quæ nobis reliquit. Cur Sanctus hic tantopere dilexit eos totius vitæ tempore? quis conſiderabat Jeſum Chriſtum in eorum perſonis. Quia illi perſuaſum erat Jeſum Chriſtum reſpicere tanquam factum ſibi, quidquid per Charitatem fit in ſolatium pauperum. *Annus Evangelicus. Tomo 7.*

Reges non alium ſupra ſe habent, niſi Deum. *Tertull. in Apol.*

Utatur licet omnibus artibus ſuis eloquentia, ut perſuadeat nobis, Reges, non aliud eſſe, quam homines; fateatur tamen neceſſe eſt, unum Deum eſſe ſuper illos, & eos ſubditis ſuis legem irrogantes, hanc ab uno eodem recipere: *Omni homine majores, ſolo Deo minores.* Peccatum, quo gratiæ jacturam patiuntur, non adimit illis potentiam, & tunc cum inimici ſunt illius, a quo Coronas obtinuerunt, tamen imagines ejus eſſe non deſinunt. Quæcumque committant ſcelera, non alium habent Judicem, niſi Deum, & quamvis, ut David, adulterio cædem adjeciſſent, ſemper poſſent cum eodem ad Dei tribunal provocare. Attamen nonnunquam Deus illis dominos imponit, & in Regnis eorum monales conſtituit, qui ſuper illos habeant auctoritatem. Licet Pharao toti imperaret Ægypto, tamen ſubjectus erat Moyſi; & Propheta hic ſuam miſſionem recipiens. Deus potius Pharaonis, quam Rex fuit appellatus: *Conſtitui te Deum Pharaonis*. Ad hunc puniendum anni tempora, & elementa ſubvertit, armavit ciniphes, & locuſtas contra illum; acceſſivit ranas ex paludibus, eaſque coegit Regem hunc in ædibus ſuis obſidere: Et quaſi arbiter eſſet illius, in regno ipſius exprobratum, objurgatumque erythræi maris fluctibus illum tumulavit. *P. Senault in Panegyrico Sancti Franciſci Pauloni. Tomo 3.*

*Exod.* 7.

Homo ſuapte natura cupit honores, & opes.

Maxima voluptas, cui humana mens par ſit, honor eſt, & potentia. Naturaliter quippe cupit nihil habere ſuper ſe, & omnia ſubtus ſe intueri. Cogitat ſe eo magis dominaturum, quo Deo erit ſimilior; & ſi id aſſequi poſſet, ut a nullo penderet, ſe proculdubio divinitatem aſſecuturum. Hæc eſt periculoſiſſima tentatio, qua dæmon Sanctos laceſſit, & poſtquam illi voluptatum illecebras ſuperarunt, vel contempſerunt divitias, tormentum extremum, quo ad illos perdendos utitur, vanitas eſt. Hac arte de Adæ libertate egit triumphum. Videns quippe illum neque vitæ deſiderio, neque ſcientiæ cupiditate ſuperari poſſe; fefellit eum, illi magnitudinem, ac dominium promittens: *Eritis ſicut dii*, Eumdem retinet ordinem cum illius filios aggreditur, & noviſſimus ad eos perdendos conatus eſt, eoſdem tentare ambitionis. *Idem in Panegyrico S. Ludovici. Tomo 2.*

Videtur illi facile fuiſſe hac arte Regem noſtrum ſuperare, & corrumpere, per aſſentationem, dicenti illum a nemine pendere, quippe hæc Regno qualitas inhæret. Nihil enim in terris majus eſt Regibus, neque Regibus aſſentamur, cum dicimus poſt Tertullianum, illos *omni homine majores, ſolo Deo minores eſſe*. Nulla in terris dignitas eſt, quæ non ſit infra Regum dignitatem, & jure S. Auguſtinus regnum *ſupremum magnitudinis faſtigium* nuncupavit. Attamen omnia hæc magnalia non prohibuerunt quominus eſſet Regum omnium, & fortaſſe Sanctorum omnium humillimus. Nullus enim Rex magis adamavit, pluriſque fecit humilitatem, quam ille. Et videtur tota illius vita tranſacta fuiſſe in hujus virtutis exercitatione. Humilis erat in veſtibus, & quoniam aliquid conferunt ad nitorem Principum, eas contemnebat, & non niſi communibus, ſimplicibuſque utebatur. *Idem.*

Dæmon Sancti hunc Regem ſeducere conatus eſt, ei eadem ipſum potentiſſimum eſſe mortalium, & Deum ſolũ illo majorẽ eſſe. *Tertull. ad Scapulam. Auguſt. in Pſalmos.*

Quantacumque ſint pericula magnitudini inhærentia, qui Dei juſſu hac onerati ſunt, animum non debent deſpondere. Deus poteſt eadem cum facilitate efficere, ut majores obices, ac minores ſuperentur. Salvos facit, ut inquit Scriptura, æque, cum exiguis viribus, ac cum innumerabilibus copiis, & in infinito gratiarum ſuarum theſauro, habet noſtris neceſſitatibus pares. Sed ut & hæ congruæ pareſque neceſſitatibus gratiæ obtineantur, opus eſt viri Principes noverint ſuarum neceſſitatum magnitudinem, & ſciant gratias communes non ſufficere. Regi noſtro de hac veritate perſuaſum erat, ideoque ſingulis diebus Dominum orabat, ut ſibi pares ſtatui, & magnitudini ſuæ gratias concederet. *Ex Specimine Ethico. Tomo 2.*

Magnus hic Princeps petebat a Domino gratias ſuæ magnitudini pares.

Juvenis Princeps eſt Dei filius, divinitus deſtinatus officiis maximi quidem momenti, ſed periculoſiſſimis, & quæ eſſe poſſunt magnum miſericordiæ, vel iræ Dei in homines argumentum. Hac de cauſa magnus iſte princeps non alio ſpectabat, niſi ut ſe parem præberet omnibus muneribus ſuis adimplendis, & ut ſe præpararet omnibus periculis, quibus illum ſua objiciebat conditio. *Ibid. T.* 2.

Qua cura hic Rex admittebatur ut digne ſuæ conditionis munere perfungeretur.

Reges magnitudinis ſuæ pompam commendant, ac ſe a ſubditis ſuis veſtium luxu ſecernunt, quaſi hæc certiſſima eſſet Regni ſui nota, purpuram ſibi reſervant, & in inſignibus cæremoniis, ciere conantur in populo admirationem, & obſequium pretioſis lapillis, & margaritis, quibus ſuas veſtes exornant. Sed Sanctus Noſter, qui ex Chriſtiana Religione didicerat, veſtes eſſe amiſſæ innocentiæ ſubſidia, non niſi communibus utebatur, ut Divinam revereretur juſtitiam, & præferens pannum craſſiore lana contextum purpuræ, quærebat potius pœnitenti ſimilem coram Deo videri, quam coram ſubditis ſuis Regem. Indumentorum ſuorum ſimplicitati cilicii auſteritatem adjiciebat, & ut ſimul carnis ſuperbiam, atque mentis vanitatem ſubigeret, ſæpe induebatur ſacco, qui in domeſticis ipſius horrorem ſimul cieret, & miſerationem. *P. Senault in S. Ludovici Panegyrico. Tomo 2.*

Sanctus hic Rex non eſt imitatus vanitatem Regum aliorum in veſtibus.

Si humilis erat in veſtibus, nihilo minus erat in actionibus; præcipuum enim Magni hujus Principis opus erat converſari cum pauperibus, illis in menſa miniſtrare, & in neceſſitatibus eorum opitulari. Quamvis pauperes ſanctiſſimæ ſint Jeſu Chriſti imagines, & nobis illius perſonam magis ad vivum exhibeant; habent tamen aliquid, quod animum noſtrum avertit, noſtramque confundit vanitatem. Filius Dei in cæteris imaginibus ſuis nitet, & ſicut in illis potentiam, vel gloriam ſuam effundit, quaſdam habent illecebras, quibus eas colere, vel amare cogimur. *Idem.*

Quænam eſſet Sancti hujus Regis humilitas in actionibus æque ac in veſtibus.

Sanctus N. intellexit, Chriſtiani Regis finem eſſe Domini gloriam. Itaque omni poteſtate ſua uſus eſt ad Chriſtianæ Religionis ſanctitatem inter ſubditos ſuos reparandam, & tuendam fidem contra hoſtes Eccleſiæ. Nationes vi domitæ, vel ſuavitate revocatæ; Belli ſacri opus primum quidem Deo favente ſuſceptum, mox vero infortuniis perturbatum, blaſphemia in Regno ipſo punita, impietas exterminata, proſcripta licentia, ſpectacula in exilium ejecta, uſura in commercio interdicta, Templa vel ex fundamentis excitata, vel reparata &c. Denique virtutes, & exemplum Principis, magis quam ejuſdem curæ, & edicta oſtendunt ſatis duplicem illius Religionis zelum; ſed hæc omnia admirabilibus conjuncta animadverſionibus, de fœdere virtutis cum ſanctitate, de magnitudine, & humilitate viri Chriſtiani, & Herois; quæ animadverſiones Sancti N. meritum celebrantes aſtruunt magnificum Chriſtianæ Religionis conceptum, & oſtendunt per illud, Heroiſmum in Sancto rege, quam in Heroe profano eſſe anguſtiorem. *Ex monumentis Ephemeridum Trevoltianarum pro Menſe Majo* 1722.

Sanctus hic Rex omnũ impẽdit auctoritatem ſuam ad Eccleſiæ tuendam, & hoſtes illius evertendos.

Animi ſuavitas, quæ in Sancto N. illuxit per generoſam clementiam, & prodigam charitatem docuit illum religionis, non vanitatis cauſa parcere; ſecernere contumelias, quibus Rex ab iis, quibus Chriſtianus tantum lædebatur; nullo, vel modico in diſcrimine habere illas, quibus flocci fieret virtus illius, dummodo auctoritatis ſuæ ratio haberetur: Inhærens pietati, non ut honorem apud homines aucuparetur, ſed ut placeret Deo; ex hoc eodem ſpiritu hauſit charitatem humilem, generoſam, univerſalem. Homo durus ac ſuperbus ipſis etiam pollens invaſus eſt...

Principis hujus ſuavitas, efficiebat, ut ſuis parceret hoſtibus.

Sed

Sed homo affabilis, miſericors, pacificus in populorum amore ſuam nanciſcitur magnitudinem, gloriam, requiem; præcipit ſemper cum auctoritate, quia ſibi cum amore obtemperatur. Nihil illi reſiſtit, quia illi corda ipſa non reſiſtunt .... Beatam ducit vitam, quia alii per ipſum beati ſunt. Populò eſt tanquam theſaurus, quem tueri ſinguli ſua putant intereſſe, & charus hominibus, quorum amorem poſſidet, charus etiam eſt Deo, cujus voluntatem adimplet, & repræſentat bonitatem. *Idem.*

*Quam neceſſaria ſit Principi optima inſtitutio ut ſuis perfungatur muneribus.* Multa profectò bona conceſſa fuerunt Sancto illi, cujus memoriam colimus, & contulit illi Deus plurima talenta, quæ Sancta inſtitutio matris ſapientiſſimæ, quæ omnem curam, ac ſolertiam impendit ut Chriſtianum Principem fingeret, mirum in modum auxit. Spiritus acer, & perſpicax, quem fallax nitor fallere nequit, & qui primo ſtatim aſpectu veram dignoſcit magnitudinem; abſoluta potentia, quæ ſuperbiſſimos hoſtes frangit; oris habitus compoſitus, modeſtus, & gravis, qui reverentiam etiam apud ferociſſimum quemlibet, ac barbarum ſibi conciliat; heroica fortitudo, quam nullum periculum terret: cor veræ gloriæ cupidum, afflictorum miſeriis compatiens, & ſubditorum ſuorum amorem omnibus præferens rationibus, quæ ex cupiditate, vel metu proficiſcuntur; quidquid poteſt magnus Rex, qui ab omnibus paſſim diligitur, qui nullum conſiliis ſuis obicem invenit, penes quem eſt arbitrium felicitatis ſubditorum ſuorum, qui exemplis, actibus, auctoritate ſapientiſſimis inſtitutis plurimum conferre poteſt, ut verus regnet Deus, & cultus illius refloreſcat; hæc ea ſunt talenta, quæ poſuit Deus in manibus Sancti N. Quo magis quis evehitur, eo majoribus ditatur talentis, ut bona operetur. Rex, Princeps, vir potens, qui magnam obtinet auctoritatem, & qui illis uti poteſt, ut graviſſima inde bona operetur, hi ſunt illi, qui pluribus talentis donati fuerunt. *In anno Evangelico Lambert Tomo 9.*

*Quam rara ſit in Principibus humilitas.* Arduum eſt in Principibus humilitatem invenire; quoniam ſe ſua magnitudine excæcari patiuntur, ac in omnibus occaſionibus oſtentare quærunt potentiam ſuam, ac ſe non hoſtibus tantum, verum etiam ſubditis terrorem immittere, quos tanquam mancipia deſpiciunt, & qui ut plurimum obediunt, magis propterea quod metuunt, ut ſibi concilient odium regium, quam propter ſincerum amorem, ac reverentiam. Tamen videmus quænam in Regia poteſtate fuerit Sancti Ludovici humilitas; Quænam humilitas Eliſabeth utriuſque, quarum altera Hungariæ, altera vero Luſitaniæ Reginæ extiterunt; quænam humilitas tot illuſtrium Reginarum, tot piarum Viduarum, tot Virginum miſericordiæ devotarum. Sublimibus gradibus diſtinctæ fuerunt, & in gradibus illis magna habuerunt imperia, magnas hæreditates, ingentia bona, ſed illis uti viſæ ne ſunt aliquando? In tanta hac affluentia, noſti Domine, cur ſe beatas vocarent, ſibique in animæ ſuæ ſecreto plauderent, cur tibi benedicerent: nempe quia electæ fuerant miniſtræ Providentiæ tuæ in ſolatium pauperum. *P. Bourdaloue in Chriſtianis adhortationibus Tomo* 1.

*Deus ab incunabulis Principem hunc ad magna res deſtinabat.* Deus, qui Principem hunc ad magnas res deſtinabat, eumque dabit mundo, ut plurimos illuminaret, noluit huic, ubi in lucem editus fuit, aliquem deeſſe radium, qui majorem fulgorem, & poteſtatem virtuti ejus poſſet conferre. Prodiit ille ex ſpectatiſſima familia tam paterna, quam materna, & illa ex domo, quæ meritis, & honoribus claruiſſet, etiamſi ab illo tantum lucis, ac fulgoris mutuata non eſſet. Sed quantacumque nobilitate ſpectabiles eſſent parentes illius, vix, & ægre de illis verba facerem, niſi eorum amplitudo fuiſſet cum omni virtutum genere conjuncta; vel ſi de illis loquerer, hoc facerem, ut Parentibus a filio laudis fieret acceſſio, non ut filium a parentibus commendarem. Nam in hoc etiam, non ſecus ac in ceteris electis Jeſu Chriſto ſimiles mihi videntur eſſe; & ſicuti Evangelium de ſacra illius nativitate loquens inter majores illius Reges, Principeſque recenſet, non tam ut huic licet pauperi deferat honorem, quam ut illos licet alioquin glorioſos, & nobiles, recenti cumulet laude: ſimili ratione Sanctorum genitores majorem ex filiorum ſuorum virtutibus gloriam recipiant, quam ipſi filiis ſuis propria dignitate valeant impertire. Sed in hac familia, in qua pietas non minus, quam nobilitas eſt hæreditaria, dicere poſſumus, utrumque per ſe, & dare, & viciſſim accipere. Gloriæ lumina confunduntur, ſimulque ex ſuperiori, & inferiori parte proficiſcuntur, *Ex Vita Cardinalis de Berulle Lib.* 1.

*Inſignes Regi hujus eleemoſynæ efficiebant, ut a ſubditis ſuis recenſeretur.* Sanctus hic Rex non ſinebat ſe ſubditis ſuis majorem cenſeri poſſe, niſi ex magnitudine eleemoſynarum, ac largitatum ſanctarum. Quemadmodum Sol non dividitur, ſed omnibus totus lucet, quin aliquem relinquat locum quem ſuo fulgore non illuſtret; charitas illius mundum totum complectebatur, & ſeſe in eos effundebat omnes, qui aliqua laborarent neceſſitate. Sed antequam admirabilem hunc Virum ſpectemus tanquam regem, & illum cogitemus in privatis virtutibus ejus, illum domui ſuæ intuentes omittere non poſſumus id, quod de Sancto Job narratur, qui cum domeſticis ſuis agens, tantum aberat, quod aliquid ſuperbius, vel imperioſius faceret, ut diceret, ſe nunquam ægre paſſum fuiſſe, ſubire judicium cum quopiam ex ſervis ſuis cum ipſo diſceptantibus: *Si contempſi ſubire judicium cum ſervo meo, & ancilla mea, cum diſceptarent mecum.* *Job 31.* Admirabilis hic Princeps, qui æquiſſime jus dicebat populo ſuo, non detrectabat tamen ſemet judicum ſententiis ſubjicere, ut domeſticis ſuis jus redderet; & Rex videbatur quodammodo de ſolio deſcendere auditurus judicium, quo dirimebantur lites, ſi quæ cum famulis ſuis ſuborirentur. Quandonam hoc viſum fuit, niſi ſub optimis Principibus: & cum tales ſunt, ut non credatur aliquis inveniri poſſe, qui de illis conqueratur? *Ex vita Patriarcharum Tomo* 1.

*Animæ magnitudo lenitate hujus Principis.* In hac moderatione Princeps hic didicit veram animæ magnitudinem ſitam eſſe; nobis oſtendit, ſummis viris, qui propter ſupremam auctoritatem poſſunt omnia, nihil eſſe glorioſius, quam ita aſſueſcere rationem inire cum ſubditis ſuis, & calculos præ manibus accipere ad omnia ſupputanda, nihilque illis abſcindendum eorum, quæ propter juſtos ipſorum labores debetur, ac teſtandum, ſibi perſuaſum eſſe inter homines omnia vi eſſe dijudicanda, quod inter belluas uſuvenit. Similiter moderationis hujus effectus erat erga domeſticos ſuos, ut cautius ageret cum reddituum ſuorum exactoribus. Non exigebat ab illis ea, quæ dare non poterant, & benignis auribus excipiebat, quæ illi de jacturis ſuis, & modico agrorum, quos colebant, fructu comminiſcebantur. *Idem.*

*Aſſerta multorum pietas eſt [illegible] privare, ut pauperibus conferant eleemoſynam.* Nemo dicere auderet, hanc eſſe aſſertam plurimorum pietatem, & colorem majores effundendi pauperibus eleemoſynas illos impellere, ut ad extremam redigant egeſtatem illos, qui primi experiri deberent eorumdem charitatis effectus. Volunt liberales in pauperes videri, ideoque injuſti ſunt, & violenti; & integras familias ad excidium vocant, ut ex earum miſeria extorqueant, unde opulentur aliis, quorum ſtatus fortaſſe minus lugendus eſt. Magni hujus Principis pietas horribili hac illuſione falli non potuit. Ipſe enim teſtatus eſt, *ſe non afflixiſſe animam Agricolarum ſuorum, & eorum, qui redditus ſuos exigebant, & ſe nunquam luctu cooperuiſſe faciem arvorum, quæ ab illis colebantur. Se nunquam coegiſſe terras eorum, ut ultionem contra duritiam ſuam experirent, & ſulcos illorum nunquam effudiſſe lacrymas, propter tyrannidem ipſius. Ex Vita Patriarcharum, Tomo* 1.

*Moderatio Regis hujus erga redditu[um] exactores.* Cum Sanctus hic Rex sciret, eos, per quorum manus Principum pecuniæ tranſeunt, ut plurimum magnas exercere crudelitates, & abutentes nomine, & moderatione eorum, quibus ſerviunt, torquere inferiores, & eos in quos aliquam habent auctoritatem; volebat exemplo illis præire, & moderationem, qua ipſe utebatur erga illos normam eſſe modeſtiæ, quam ab illis ſervari cupiebat, erga eos, qui ipſis erant ſubordinati. Exemplum rarum Principibus, qui hac in re multifariam peccant, quin ſæpe ad id animum advertant, & qui aliquando ab hoc Sancto Rege erunt judicandi, quod illius exemplum ſecuti non fuerint, qui ita operabatur ſine exemplo, & ſine alia doctrina præter eam, quam illi pietas ſua ſuggerebat. *Idem.*

*In quo ſita ſit felicitas Regum, & Principum juxta S. Auguſtini ſententiam.* Felices vocamus Reges, S. Auguſtinus ait, cum regnant juſte. Cum inter ſummos honores ſibi delatos, & infima, quæ illis præſtantur obſequia, reminiſcuntur ſe homines aliis ſimillimos eſſe. Cum potiſſimum omni potentia, & robore utuntur ad latius proferendum divini cultus imperium. Cum Deum timent, cum illum amant, & ſerviunt illi. Cum præferunt poſſeſſioni Regni ſui alterum illud Regnum æternum, in quo non verebuntur alios ſuæ poteſtatis conſortes. Cum lenti ſunt ad pœnas, & faciles ad veniam. Cum pœnas non expetunt niſi pro bono, & ſalute ditionis ſuæ, non ut propriis ultionibus ſatisfaciant. Cum non indulgent, ut vitiorum faveant impunitati; ſed quia ſperant, ut improbi reſipiſcant. Cum iis in occaſionibus, ubi ſeverius agere tenentur, rigorem temperant actibus ſuavitatis, & clementiæ, & liberali beneficiorum profuſione. Cum verecundius voluptatibus perfruuntur, dum majori cum licentia ſe ſe illis poſſunt ingurgitare. Cum malunt ſuis imperitare cupiditatibus, quam populis. Cum in omnium horum officiorum exercitatione non agunt per inanis gloriæ cupiditatem, ſed ſolum æternæ felicitatis amorem. Cum non negligunt ſæpe immolare Deo propter crimina ſua humilitatis, miſericordiæ, & orationis ſacrificium. Ecce ad quid conferre debent auctoritas, potentia, & Regum magnitudo, ceteraque interiora, atque exteriora bona, quibus a Deo cumulantur. Validas habent cauſas, quibus efficiant, ut Deus regnet in ipſis, & in corde ſubditorum ſuorum; ſed ſæpe etiam ſibi præcavere debent ab illis, quibus ſepti ſunt; quia propriam præferentes utilitatem utilitati dominorum ſuorum, quæ a Jeſu Chriſti gloria abhorrere minime debet, illis abſcondunt, vel aliam veritati induunt perſonam, & hoc pacto in cauſa ſunt infinitorum malorum, quæ ſub Principis nomine, & auctoritate patrantur; ſibi quidem miſeri, Principibus vero pernicioſi, quia abutuntur talento gratiæ, qua gaudent, & qua uti poſſent, ut Cæli ſibi viam aperirent; & prohibent, ne Principes utantur illis, quæ receperunt a Deo pro ſalute ſua, & ſalute populorum ſuorum. Beati Reges illi, Domine, qui exemplum ſecuti Sancti N.

cujus

cujus diem feſtum colimus, talentis, quibus a te ornati fuerunt, utuntur effectuti, ut populi ſui pacatam, atque tranquillam vitam ducant, legeſque tuas obſervent, & colant. Beati Reges, qui duplum referunt fructum ex donis tuis per laborem, quem exercent titulo Charitatis, ut animas lucrentur, & adducant ad te. Reges id genus, Domine, ſunt munera, & effectus tuarum in nos miſericordiarum; vices enim gerunt amoris tui, & dum abes a nobis, curam habent nobis invigilandi, efficiendique, ut in lucro ponamus ea, quæ nobis dediſti talenta. Ignavia noſtra, Domine, hujuſmodi eget ſubſidiis. Gratia tua id genus Principes formet, ut ubique bonorum, fideliumque ſervorum tuorum numerus magis, magiſque augeatur. *Ex Anno Chriſtiano, Tomo 10.*

Commendabiles Charitates magis conſpicit Princeps in aula, & Regis, qui magis imperitabat.

Non ne jucundum ſpectaculum eſt videre virum, qui plurimum pollebat gratia apud Regem, qui amabatur a Principibus, qui ab alienis habebatur in pretio, illum inquam, ex regiis ædibus egredientem pedem inferre in Noſocomium, ut ibi pauperibus ferat opem, & ægrotantes conſoletur; in carcerem ſe conjicere ut inde captivos emittat, opellam ſuam collocare in omnibus locis, ubi aderant miſeri, ad eorum neceſſitates ſublevandas? Tamen tunc in aula vivebat, cujus aer non admodum piis ejuſdem exercitationibus proderat. Vulgo non in opulentioribus domibus, majores fiunt eleemoſynæ, & miſericordia licet ſit locuples, aulæ tamen virtus, ut plurimum, non eſt. Principum felicitas plerumque illis aufert alienarum miſeriarum ſenſum, cumque mentem habent refertam ideis magnitudinis, & Majeſtatis, non ita facile agnoſcunt Jeſum Chriſtum in perſona pauperis, cum ſeſe illis offert non Regali indutum purpura, ſed ſcrutis tectum ſtipem flagitantis. Ad hæc eorum temporum aula non erat ſimilis Regum noſtrorum aulæ; vel qualis fuit deinceps regnante Sancto N. cum Sanctus hic Monarcha videbatur pauperes arceſſere illos liberalitatibus, ac beneficiis cumulaturus. Nihilominus eo tempore Sanctus hic Princeps oſtendit ſuæ charitatis exempla non ſolum erga ſingulos, ſed toto terrarum orbe inſpectante tanta cum pompa, & fulgore, ut vulgo diceretur ad cognoſcendam hujus Principis domum ſatis eſſe illam intueri, ubi plures pauperes ſimul coacti cernebantur. *Biroat in Panegyrico Sanctorum, Tomo 1.*

Sancta hæc Regina bona, laboreſque ſuos in Pauperum ſolatium devovit.

Sancta N. cujus diem feſtum hodie colit Eccleſia, nequaquam ſatis eſſe duxit omnia fortunæ bona ad ſublevandas proximi ſui neceſſitates conferre; ſed ſemet ipſam impendit, & quæ erat Regina, facta eſt pauperum ancilla. Pro illis fortis hæc mulier, (quandoquidem omnia ſuperavit ſexus ſui ſtudia, & triumphum retulit de hac mollitie, & inordinato amore ſui ipſius, qui paſſim in mulieribus, potiſſimum vero in iis, quæ locupletes, ac nobiles ſunt, dominatur:) Pro pauperibus, inquam, fortis hæc mulier in ædibus ſuis labori

Prov. 31. vacabat; *digiti ejus apprehenderunt fuſum.* Illa omnia officiorum genera obibat, & cibos ægrotantibus præparabat. De regiis ædibus pedem efferamus, & ſequamur illam cum omnibus puellis ſuis in maximum Noſocomium, ubi quotidie ingens pauperum numerus ſumptibus ſuis alebatur, Certe vos admiratio capiet, ubi videbitis hanc Regis filiam, hanc Cæſarum cognatam, hanc tot populorum dominam abjectiſſimis quibuſque obeundis ſe devovere ad pauperum ſolatium. *P. Texier in Panegyricis Tomo 2.*

Deus plurimos Reges ſanctos effecit, ut per veſtes ſuas major eluceret.

Non ſine magnis rationibus ſæpe Deus Reges ſanctos fecit, & voluit præſtantiſſimas virtutes, quæ cultum noſtrum promeritæ ſunt, in ſoliis Regum eniteſcere. Novi equidem hoc accidiſſe, ut fieret palam omnia conditionum genera ſanctitati eſſe idonea, Regnum cælorum non pauperibus tantum eſſe propoſitum; & ad gloriam viam ſtratam eſſe præ foribus regalium ædium non ſecus ac Cœnobii alicujus, vel Xenodochii; novi etiam hoc Providentiæ conſilium fuiſſe, ut virtus potentior evaderet per Regnum, atque ut in præſtantibus his dignitatibus, illa illuſtria præbere poſſet exempla, atque ita Reges forent veluti inſtrumenta potentiæ ſuæ in populos; & uti loquitur Scriptura, tanquam annuli in manu Dei, qui ſanctitatis ſuæ characterem imprimere poſſent in mentibus ſubditorum ſuorum. Hoc nomine in Bibliis ma-

Jerem. 22. gnus quidam veteris Teſtamenti Rex appellatur: *Annulus in manu dextera mea.* Verumtamen confitendum eſt unam ex potiſſimis cauſis, propter quam voluit Deus ſanctitatem cum Regia dignitate conſociare, fuiſſe, ut videlicet coronaret in illuſtri occaſione hac Sanctitatem, & ut ipſe in Regum virtutibus exhiberetur; ſive in eo, quod oſtendit potentiam gratiæ ſuæ ſuper Principes, & dignitates, eos jubens Sanctos eſſe inter eaſdem dignitates, & pompam; ſive quia Reges Deo ſua deferentes obſequia, faterentur, ſe ab illo regna ſua obtinuiſſe, ideoque ille novo jure acquireret qualitatem, quam aſſumit in Apo-

Apoc. 19. calypſi tanquam *Rex Regum.* Nequaquam, Non ſolum Rex ſum pauperum, vel peccatorum; non ſolum tuguriis, & mapalibus impero; ſed Reges ipſos inter ſubditos meos recenſeo, qui mihi potentiam, ſuamque coronam ſubjiciunt; & quod neceſſario poſſideo per creationis privilegium, hoc ea voluntaria eorum obedientia, & obſequiis recipio. Quod ſi Deus unquam hanc poſſedit qualitatem, nonne hoc contigit in perſona Sancti N. vel Sanctæ N. quem, vel quam illius coronam vocare poſſumus, quæ nobis oſtendit Jeſu Chriſti regnum in imperia, & mundi dignitates? Non ideo tamen, o Sancte, vel Sancta, te producere cupio in ea magnitudine, quam contempſiſti, vel in ſermone meo oſtentare coronas, quas in Religionis obſcuritate abſcondiſti. Si de Regno tuo loquor, ideo loquor, ut dicam te effeciſſe, ut regnaret Jeſus Chriſtus; & ſi profero coronas tuas, non ſolum profero, ut tuum caput exornem, ſed ut coronem ſanctitatem, quam illis ſervaſti. Sed quia ſanctitas ſua duplici eluxit in ſtatu, in mundo videlicet, & Religione, relinquens in Religione coronas, quas in mundo poſſederat, videbimus quandonam has coronas poſſederit, & quando eaſdem reliquerit. *Biroat in Panegyricis Sanctorum Tomo 3.*

Magnus hic Princeps primum ſe ipſum cognoſcere voluit, deinde quam alios gubernaret.

Moralis eſt hominum ſcientia, præſertim vero Principum, quoniam non ſolum homines ſunt, verum etiam hominibus imperare debent, quod facere neſcirent, niſi ſemet ipſos, & alios cognoſcerent in defectibus, & affectibus ſuis, & niſi omnia ſua callerent officia. In hac igitur potiſſimum ſcientia formandi ſunt. Quemadmodum illius uſus eſſe debet aſſiduus, ſtudium quoque juge eſſe debet. Nimis cito huic operi dari nequit; quia nemo nimis cito poteſt ſe ipſum cognoſcere; ea vero tanto commodior eſt, quanto omnia ad illam aliquid conferre poſſunt. Ubique enim homines, eorumque vitia inveniuntur. Talis fuit aſſidua hujus Principis occupatio, toto vitæ ejus curriculo. *Ex Ethicorum ſpecimine Tomo 2.*

Periculum qui obnoxii ſunt divites, & Principes mundi, media quæ illi habent ad Cælum lucrandum.

Aliquiſne in nitenti vita Cælum promereri poteſt? Nihil eadem magis damnatur in Evangelio, Dei Filius in divites maledicta contorquet. Sanctus Paulus illos idolis ſimiles facit, & Sancti Patres nullibi fuerunt, quam in hoc argumento eloquentiores. Hæ conditiones alunt vitium, virtutem exterminant, mentem veneno inficiunt, & replent cor iniquitate. Sed quin loquamur de divitibus, nonne viri nobiles ut plurimum ſanctiſſima quæque negligunt officia? Sibi fortaſſe honori vertunt morales virtutes, ſed chriſtianas contemnunt, habent animi magnitudinem, ſed hæc faſtum, & ſuperbiam redolet; fidem hominibus præſtant, ſed infideles ſunt Deo: peramanter amicis gratificantur, ſed crudeliter inimicos perſequuntur; in hujus vitæ negotiis ſolliciti, ſed in alterius ignavi; erga divites officioſi, erga pauperes ruſtici, pro temporalibus fortunis ad agendum parati, pro æterna ſalute otioſi. Hoc ſignificat, auditores, in nitentibus conditionibus ingentes difficultates ſuperandas eſſe; ſed per hos ipſum Sanctum N. æterna ſibi præmia fuiſſe promeritum. Mirum ſane videretur, ſi divites ſalvari non poſſent, & Deus tanta illis contuliſſet bona, ut eos in æternum miſeros faceret; & illi eidem gratias agere ob adeo funeſtum beneficium tenerentur. In divitiis plurimos ad ſalutem obices inveniri, non dubito. Evangelium hoc aſſerit: ſed ab ipſo etiam Evangelio diſco, poſſe nos nobiſmet amicos conciliare, ut recipiamur in æterna tabernacula; & cum divitiis pulcherrimas, ac præſtantiſſimas virtutes poſſe exerceri. Hoc toto vitæ ſuæ ſpatio præſtitit Sanctus ille, cujus hodierna die feſtum recolit Eccleſia. *Dictionarium morale Tomo 1.*

Mundo perſuaſum eſt, raro virtutem in aulam perducere, zelum paucos, & Dei Spiritum nullos; ac ſemper primo quidem intuitu ſupponuntur illi qui ibi videntur, licet eſſent Apoſtoli, alias fovere cogitationes ab illis, quas Religio, & charitas inſpirant. Fallacia judicia, quæ improbitas, & invidia ſuadent! Paucæ ſunt aulæ, ubi Providentia non ſuſcitet identidem & per intervalla, Danieles, & Joannes Baptiſtas, qui opportune loqui norunt, cum agitur de iis corrigendis, quæ Dei lex vetat, & cenſoria nota moribus ſuis perſtringendis iis, quæ prudentia ſilentio præteriri cogit. Profecto zelus Danielis, & Joannis Baptiſtæ fortitudo requiritur ad diutius ſervandum in aula Iſraelitæ fidelitatem, & integritatem Chriſtiani, ut uni Deo Iſrael nuncupent vota, ubi tot alii dii habent delubra, & ne unquam laxent perfectionis ſuæ curam, ubi adeo pauci chriſtianam colunt Religionem. Attamen hoc opus fuit inſigne Sancti illius, cujus laudes prædico, ita ibi vixiſſe; Hoc illud eſt ex omnibus ejuſdem miraculis, quod præ ceteris in eodem admiror. *Sermo P. Aurelianenſis Tomo 2.*

Sanctus hic ſolitariam vitam duxit in mundi luce, & omnes ſuperavit tentationes.

Si laudare poſſem Sanctum N. eo quod conſtanter reſtitiſſet in penitioribus Solitudinum latebris, iis infirmitatibus, a quibus ſtatus noſtri non ſemper immunes nos præſtant: quibus illum encomiis non celebrarem, eo quod has vicit tentationes in ipſa mundi, aulæque luce; eo quod ſæculum contempſit eo in loco, in quo ſeſe oſtentit per ea quæ ad oculos perſtringendos, & ad fallendum ſunt aptiſſima; quod humilis fuit inter honores; quod per inane ſibi complacendi ſtudium ne unicum proprii thuris granum addiderit illi, quod ſibi adolebatur ab aliis; quod paupertatem ſervarit coram immenſis magni Regis theſauris, quos oculis ſuis apertos videt, & quibus Pius Rex, nunquam crediderit, ſe poſſe perſolvere aliquid ſatis dignum meritis, & virtutibus ejus. *Idem.*

Quem in uſum ſuas opes convertit.

Cum dico, Sanctum hunc pauperem permanſiſſe in conſpectu omnium theſaurorum ſuorum; non aſſero, illum iiſdem uſum non eſſe. Immo uſus eſt, non tamen ſibi; uſus eſt, non tamen ut ditior fieret, vel melioribus commodis uteretur; uſus eſt, non ut ſibi

exiſti-

exiſtimationem conciliaret, vel gratiam; uſus eſt ut aleret pauperes; uſus eſt, ut de captivitate captivos redimeret; uſus eſt, ut familiis inopia laborantibus opem ferret; uſus eſt, ut ædificaret publicas charitatis ædes; uſus eſt, ut omnia verbo complectar, æque pro ſalute Principis, & pro populi ſolatio: & dum eorum plurimis, qui propius ad Reges accedunt, ſunt veluti valla, quæ prohibent, ne publica beneficia ad populos uſque perveniant, nacti quo pacto illa in uſus proprios derivent, Sanctus N. fuit tanquam rivus fidelis, qui nihil retinens ſibi, illa ceteris diſtribuebat. *Idem*.

# PRO COMMUNI SANCTORUM
## QUI IN ECCLESIASTICO STATU SANCTIFICATI SUNT.
## M O N I T U M.

*Eccleſiaſticorum nomine, qui per gratias, & ſtatus hujus privilegia ad eximium Sanctitatis gradum pervenerunt, illos tantum complectimur, qui vocati fuerunt ad miniſterium Sanctuarii, quin ullam habeamus rationem graduum, dignitatum, ſuperioritatum, aliorumque officiorum, quibus in Eccleſia perfuncti ſunt. Per hanc præciſionem conſideremus tantummodo qualitatem Sacerdotum, vel ſimplicium Eccleſiaſticorum, qui altari inſerviendo deſtinati ſunt, & qui iiſdem gaudent prærogativis, quibus Levitæ in lege veteri olim perfruebantur.*

*Verum eſt horum Miniſtrorum multitudinem, mores aliquorum ex illis parum moderatos, & graves; otium & deſiderium commodam vitam ducendi in contemptionem adduxiſſe ſtatum hunc, & omnem ferme fidem apud viros bonos abrogaſſe: ſed cum vitia perſonarum ſint propria, non ſtatuum, quos illa ingreſſa fuerunt, hoc nihil imminuere debet de pretio, in quo habendus eſt propter media, & occaſiones plurimas ſeſe in illo ſanctificandi: quæ res ſtatum hunc ſecernit, & toto cælo extollit ſuper alium quemlibet ſtatum ſæcularem: ita ut dici poſſit, eos omnes qui ad illum evocantur Sanctos futuros, ſi ſatis digne iis defungerentur officiis, quæ ſtatui eidem inhærent, & proficerent ex occaſionibus, & mediis ſexcenta opera bona faciendi. Quapropter ſi in hac innumerabili multitudine eorum, qui ibi ſancti effecti ſunt, Eccleſia nonnullos potiſſimum colit, eo quod inter cæteros enituerunt, ſatis eſt ad eorum elogium exornandum exponere ſtatus adeo ſublimis officia, & oſtendere Sanctum, qui colitur, ad unguem eadem expleſſe. Hoc autem efficere fert animus in hoc Supplemento pro Communi Sanctorum Eccleſiaſticorum.*

# P R O C O M M U N I S A N C T O R U M,
## qui in Eccleſiaſtico Statu ſanctificati ſunt.

*Quid ſit Eccleſiaſticus?* Ecce paucis Eccleſiaſtici definitionem. Homo eſt, qui dat operam ſanctificationi ſui ipſius, & aliorum. Sed uſque quo procedere debet cura hæc ſeipſum ſanctificandi? Talis eſſe debet, ut nunquam contentus ſit vel ſui ipſius, vel operum ſuorum. Sibimet proponere debet novos progreſſus in via virtutis efficiendos. Hoc axioma eſt, quod Eccleſiaſticus neceſſario ſequi debet, eo perventurus, quo vocatur a Deo. Væ illi, qui ſui contentus ſiſtit repente gradum; & credit ſibi longius procedendum non eſſe! Idcirco S. Gregorius Nazianzenus ait, ſicut peccatum eſt hominis privati ea facere, quæ lege prohibentur; ita magnum eſſe vitium in Sacerdote in via virtutis non procedere; Sacerdos enim contentus eſſe non debet communi Sanctitate; ſed eo ſemper ſpectare debet, ut excellat, & ut ad nobilem hunc finem perveniat quæcumque via illi tentanda eſt. *Lambert de Officiis Eccleſiaſtici c. 1.*

*Tres qualitates in Eccleſiaſtico requiſitæ. Epiſt. 45.* Cardinalis Petrus Damiani verba faciens de Eccleſiaſtico, cui animarum cura demandata eſt, ait tres magnas eſſe qualitates: illam Paſtoris in Eccleſia particulari, cui præeſt: *Paſtor in Eccleſia*, alteram Judicis pro Tribunali, ex quo reddit oracula, ac ſententias veritatis; *Judex in Cathedra*, ac tertiam; *Interceſſoris ad aram*, ubi fungitur officio mediatoris inter homines, & Deum. Sed quantum honoris illi hæ qualitates procurant, tantum oneris eidem imponunt. Prima requirit vitam Sanctam & irreprehenſibilem; altera ſcientiam, & experientiam; tertia charitatem, & zelum. Non eſt Paſtor in Eccleſia, quam regit, niſi ad pietatem erudiat, & ædificet populos, quibus præpoſitus eſt: *Paſtor in Eccleſia ut ſancte erudiat*. Hoc primum illius officium eſt, quo ſatis digne perfungi non poteſt, niſi integer vitæ ſit, ſceleriſque purus. Judex non eſt in Cathedra, ac Tribunali pœnitentiæ, niſi *ut juſte definiat*; quod alterum ejus eſt officium, quo defungi non poteſt, niſi ea calleat, quæ ad ſuum pertinent miniſterium. Non eſt hominum mediator ad aram, niſi ut illos revocet ad Deum, & pro illis deprecetur: *Interceſſor, ut pie ſubveniat*. Hoc tertium eſt ejus officium, quod nequit adimplere niſi ſit charitate ſuccenſus, & ab omni cupiditate vacuus in vita ſua. *Sermones Morales Tomo* 2.

*Eccleſiaſtici vita eſt ſervire proximo.* Principium eſt in dubium non revocandum, Eccleſiaſticum ſtatum ideo ingrediendum eſſe, ut proximo ſerviamus. Eccleſiaſticus iners, quam longiſſime ab hoc fine recedit; proximo enim minime ſerviens minime adimplet unum ex præcipuis officiis ſuis. Magnum Eccleſiaſtico crimen eſt eſſe inutilem proximo, & illi non deſervire: Eccleſiaſticus enim non eſt amplius juris ſui. Miſſus eſt a Deo, ut inſerviat Eccleſiæ. Oportet, ut Eccleſiaſticus ſe doctum præbeat & ſtudium amet, futurus utilis & ſibimet, & illis, quibus præeſt; & nihil contra veritatem aſſerimus, cum populi mala accepta referimus inſcitiæ docentium. Plures ſancti juſto zelo ſuccenſi, gemuerunt, laboraverunt, & pro virili parte nihil intentatum reliquerunt, ut Eccleſiaſticos ex tali ſopore excuterent; tamen non ideo prorſus ex Clero exterminata fuit ignorantia. Plures ignavi, ac penitus rudes per audaciam ſeſe inferunt, & putant ſatis eſſe ſi bimeſtri ſpatio memoriam ſuam torquere paſſi ſunt, ut pares fierent animabus regundis, quo in officio doctiſſimus quiſque in inſignes errores labitur. Ut igitur ſit utilis populo, vacet opus eſt ſcientiæ, quæ ſtatus ſui propria eſt, non quidem per inanem curioſitatem, & ut ſibi faciat ſatis, non ut hominum plauſus captet, non ut lucretur, ſed hac mente ſolum, ut Jeſu Chriſti gloriam, regnumque promoveat. Hoc ſemper ſpectare debet Eccleſiaſticus cupidus rite obeundi munus ſuum. *Lambert, Tractatu de ſcientia Eccleſiaſticorum.*

Fateor equidem me totis artubus contremiſcere, ubi ſtatus hujus magnitudinem mecum reputo, & video pleroſque procul abeſſe ab ea ſanctitate, quam illa requirit. Hac de re S. Franciſcus Aſſiſinas nonnihil ab Angelo admonitus, nunquam ſe Sacerdotibus inſeri paſſus eſt. Magnus hic Sanctus vivens imago Jeſu Chriſti crucifixi, reſpicit hanc dignitatem tanquam Angelis ipſis reformidandam. Credere poſſumus Deum dignitatis hujus malle magnitudinem abſcondere, ne illi, quos vocat, non audeant ad illam accedere. Non ſecus ac e contra, ſecundum magni cujuſdam viri ſententiam, dæmon ad eam plures impellit, vel qui vocati non ſunt, vel quorum mores ſunt ab eadem abnormes. Et id ea nobis fremitum elicere debet, malus enim Sacerdos committet plures divinorum Myſteriorum profanationes uno tantum anno, ſæpe celebrans, quam ſæculares æquo liberiores, qui perraro in toto vitæ ſuæ ſpatio ad eadem accedunt. Sacerdotibus potiſſimum diriguntur illa Scripturæ verba: *Eſtote Sancti, quoniam ego ſanctus ſum*. Divinum eorum miniſterium, propter quod infinitæ Majeſtati appropinquant, non ſinit, in eis labem aliquam eſſe. Deſtruere debent peccata populorum, debent igitur immunes eſſe a peccatis. Sunt in loco Sancto Dominum precaturi, ut peccantium miſereatur: poſſunt ne hoc perfungi munere, cum ipſi peccent? Participes ſunt tituli, & officii mediatoris, quæ non niſi ad Dei Filium pertinent: Quænam eſſe debet eorum ſanctitas, ut hac mediatione fungantur? Magna quæritur perfectio in quotidie communicantibus; heu! Quænam eſſe par eſt in Sacerdotibus quotidie divinum offerentibus ſacrificium, & accedentibus ad aras ad mulcendam iram Dei hoſtia immaculata, non pro ſuis ſolum, verum etiam pro totius Mundi ſceleribus? *Etudes in Chriſtiano incognito.*

*De Sacerdotibus. Quænam eſſe debeat ſanctitas eorum?* *Lev. 11. 44*

*Solitudo Eccleſiaſticis neceſſaria.* Si non vivis in ſolitudine, ſi in mundo evagaris, habebis nexus, & ſocietates, quæ tibi magis erunt periculo-

riculoſæ, quam eas, quas cum tuis conſanguineis habere vales. Fovebis conſuetudinem cum hominibus plenis ſpiritu Mundi, quibus dominatur ambitio, qui ſunt voluptatis mancipia, quibus turpiſſimæ quælibet affectiones imperitant. Quænam hæc Eccleſiaſtico viro ſocietas eſt! Excæcari ne quiſquam poſſet, ita ut ſibi perſuadeat adeo periculoſa commercia nequaquam prorſus non Eccleſiaſticæ ſolum, verum etiam Chriſtianæ vitæ adverſari? Neceſſitudinem fovebis cum filiabus ſæculi, cum illis prolixas, inutileſque converſationes protrahes? & particeps fies voluptatum earum? certe jacturam facies nobilis, & neceſſariæ hujus gravitatis, ut fias homo facetus, & qui gloriæ ſibi vertit occupare inutilia momenta mulierum ſæculi. Poteſt ne deterius de gradu ſuo ſemet dejicere Eccleſiaſticus? Poteſt ne hanc tenere vitæ rationem adeo ſanctitati ſui ſtatus oppoſitam? *Lambert.*

De renuntiatione rerum omnium abnegatione.

Ubi Eccleſiaſticus perituris, fluxiſque hujus Mundi rebus omnibus abrenuntiaverit, bona, quæ in illius manibus ſunt, diſpenſare tenetur juxta Jeſu Chriſti placita. Cum facile ſit ſe ipſum fallere, & ſibimet aſſentari putantes nobis eos ſenſus eſſe, qui in corde non ſunt, palam videmus, ubi arguuntur, nimis ſollicite vitæ hujus commoda conſectari, audacter reſpondere; cor ſuum ab illis longiſſime abhorrere. Huic innixi principio mollem vitam ducunt, ſibique perſuadent, ſe Filii Dei diſcipulos eſſe, neque exiſtimant ulla teneri rerum abnegatione, & audent affirmare ſe mundo eſſe mortuos. Facile eſt oſtendere illuſionem eorum eſſe graviſſimam. Cordis abrenuntiatio vera eſſe non poteſt, niſi Chriſtianus paratus ſit ad relinquenda omnia bona ſua, ſi Jeſu Chriſtus juſſerit; atque inde inferendum eſt, omnes homines, qui non utuntur bonis Mundi hujus ſecundum Evangelii præcepta, hos mundanis rebus nuntium nequaquam miſiſſe, & non eſſe Jeſu Chriſti Diſcipulos. Altius in cordibus veſtris hanc veritatem imprimite, & quamprimum ſummo cum rubore veſtro intelligetis, vos Diſcipulos ejus non eſſe. Religionis inſtituta ſunt, Chriſtiano in humilitate vivendum eſſe; illi mortificatum vivendi genus eſſe amplectendum: ita illi aſſueſcendum, ut patiatur, inordinata deſideria inceſſanter illi eſſe oppugnanda, illum redigendum eſſe ad id, quod neceſſarium dumtaxat eſt, ut ſuppetat illi, unde pauperibus opituletur. Obſervate igitur quem in uſum bona veſtra erogetis, & videbitis vos illis abuſos fuiſſe ad irritandas cupiditates veſtras, ad fovendam ſuperbiam, & inflammandam cupiditatem, ad removendas occaſiones omnes, quæ ſe ſe vobis offerunt ſuſtinendi, exercendique mortificationes. Videbitis voſmet ſuperfluis inſaniſque ſumptibus veſtris, adductos illuc, ubi pauperibus opem ferre nequeatis, & quod cum illis dividendum erat, ne vobis quidem ſufficere. Igitur bonis mundi hujus utimini ſecundum cordis veſtri deſideria; quid magis oppoſitum præcepto Salvatoris, quo perfecte, atque corde omnibus poſſeſſionibus veſtris abrenuntiare jubemini? *Lambert.*

De omnimoda abnegatione eorum omnium, quæ nobis ſunt antiquiſſima.

Præcipuum axioma de creatis rebus eſt, illas cum actione gratiarum a Dei manu recipere; illis uti juxta Domini mandata; eas non amare, niſi quatenus ad eum referunt; ita affectos eſſe, ut ſincere ab iis ſejungamur, ubi Deo placuerit ſeparationis hujus proferre ſententiam. Abraham amat filium ſuum ea benevolentia, qua Pater poteſt maxima. Abraham præſto eſt, ut ad nutum Dei immolet filium. Ecce regulam, & menſuram amoris, qui ſecundum Deum eſt, & cujus principium eſt Charitas. Audite S. Paulum Apoſtolum

1.Cor.7.31.

dicentem? *Tempus breve eſt ..... & qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi.* Quæ omnia oſtendunt omnimodam a Mundi hujus rebus ſeparationem, diſpoſitionem eſſe omnino in quolibet Chriſtiano requirendam. Egregiam rationem affert Apoſtolus: *Tempus breve eſt.* Igitur illud amandum unice, quod eſt æternum: *Præterit figura hujus Mundi:* quæ igitur eſt inſania diligere ea, quæ prætereunt, dum ille qui nunquam præterit, nos ad ſe vocat, & expetit cor noſtrum a nobis? *Idem.*

De obligatione miniſtrorum Eccleſiæ.

Cum omnes illi, qui Apoſtolis ſuccedunt, vocentur non ſecus ac illi, lux Mundi; tenentur omnes pro virili parte, & talentorum ſuorum ratione, atque officio pro Eccleſia operari. Quid lux eſt, quæ non lucet? Quid miniſter inutilis, qui ſibi tantum vacat? Quid miniſtet, qui nullo habet in diſcrimine utrum fideles verbi pane nutriantur, qui nihil confert in opus Dei, & ſalutem proximi, vel laboribus, vel curis, vel exemplo, vel eleemoſynis? Væ mihi, dicebat S. Paulus,

Ad Cor.9.

niſi prædicavero Evangelium. Cum Apoſtolus idem deſcribit qualitates, quæ convenire debent Epiſcopo, & Sacerdoti: vult præſertim hunc parem eſſe docendo. Satis difficile eſt intelligere, quomodo homines decorati Sacerdotio Jeſu Chriſti, incolumi conſcientia exiſtimare valeant ſe poſſe otiari, & tranquillos eſſe, dum populi Deum minime norunt, vel norunt ſolum, ut laceſſant; dum tot Chriſtiani æque rudes in iis, quæ ad Religionem pertinent, ac barbari, prima fidei ignorant rudimenta; dum tot alii panem petunt, & nemo eſt, qui illis panem frangere, ac illis poſſit diſtribuere. *Lambert. Tom. 7.*

Quomodo Eccleſiaſtica perfungi debeat muneribus ſtatui ſuo inhærentibus.

Dei Miniſtri debent duplici hoc modo erudire. Annuntiare debent Evangelii dogmata, eaque fideliter obſervare. Nihil fortius verbo quod bono exemplo fulcitur. Ille, vita cujus abnormis eſt a veritatibus quas annuntiat, non ita facile auditores ſuos permovebit, & modicum afferet fructum. Longe aliter permoveri ſinit, cui perſuaſum eſt, docentem intrinſecus penetratum eſſe iis, quæ docet. Sanctitas morum annuntiantis Evangelium ſolidior eſt eloquentia, & habet, quidquid potentius eſt ad veritatem in hominum cordibus imprimendam. Cum igitur dicebat Chriſtus Appoſtolis ſuis, & omnibus, qui in eorum locum ſucceſſerunt, illos eſſe mundi lumen, innuebat illis & doctrinæ puritate, & morum ſanctitate Eccleſiam eſſe illuſtrandam. *Idem.*

De magnitudine Eccleſiaſticarum dignitatum, & illarum ſacerdotalis.

Nullum gravius onus eſt, quam eſſe ex eorum numero, quibus Dei Filius dixit: Vos eſtis Mundi lumen. Mirum eſt adeſſe mortales adeo præfidentes ſibi, ut ultro hanc ſarcinam ſubire velint. Sancti, qui cæleſtibus donis affluebant, & qui ſublimi in gradu virtutes omnes poſſidebant, contremuerunt: & ſæculi hujus homines, quos Deus donis ſuis cenſet indignos, qui nondum laboraverunt, ut chriſtianas virtutes acquirant, non contremiſcunt? Cur quæris Eccleſiaſticas dignitates? Numquid propter zelum gloriæ Dei? Hoc eſſe nequit; ſi tibi vel minima eſſet ſcintilla divini illius ignis, quo Sancti conflagrarunt, facile intelligeres opus eſſe, ut temet Jeſu Chriſti intentionibus conformes; ut temet indignum putes, qui inter Miniſtros illius annumereris; ut ſcias tuum non eſſe te proferre, & offerre. Scitus e Jeſu Chriſto miniſtros ſuos quæri, & illum ſibi reſervaſſe jus illos vocandi. Qui Sacerdotii pondus agnoſcit, arripit fugam: beatum ſe putat, quod aliorum dirigendorum provincia ſibi demandata non fuerit. Si illam acceptat, non ſine trepidatione acceptat; & quia ſibi legem irrogavit in omnibus obediendi voluntati Dei. *Idem, Tomo 7.*

Quid Eccleſiaſticorum plerique requirant ambientes beneficia.

Sciſcitari per vos mihi liceat, quid quæritis cum ad curata beneficia concurritis. Quid non timetis aliorum curam ſuſcipere, cum adeo parum vobis ſit ſcientiæ, ut voſmet regere neſciatis? Video, quid vos agit. Honorem quæritis, temporalia quæritis emolumenta. Eheu! ſi ut olim, labor & gloria ſanguinem ſuum effundendi ſola eſſent privilegia Paſtoris dignitati inhærentia, quæ moderatio, quæ verecundia non elucerent in his ambitioſis, in his avidis Parentibus, qui tanta ſollicitudine Eccleſiaſticas ambiunt dignitates? Qui tenentur dare Paſtores Eccleſiæ non adeo importune ſollicitarentur, ut tot indignis conferrent beneficia, non aliud ſæpe meritum obtinentibus, quam indignam pertinaciam, qua illorum Collatores obſident. Hæc ergo abjicite præjudicia, ac ſerio attendite, ut omnia cognoſcatis Eccleſiaſticarum dignitatum onera. Si in cordibus veſtris poſſetis imprimere ſalutaria præcepta, quæ Sancti Patres tradiderunt, voſmet condemnaretis, & confiteremini, nullam eſſe temeritatem parem illi homini, qui amplectitur provinciam hanc, quin noverit, vel qui jam eruditus, credit ſibi ſatis eſſe virium ad ferendum onus æque grave, ac onus Paſtoris. *Idem.*

Quinam eſſe debeat Eccleſiaſtici ſpiritus.

Indigent Eccleſiaſtici præſtantiſſimis donis ad dignitatem ſuam, & ſtatus ſui difficultates ſuſtinendas. Opus eſt, ut non ſecus ac Apoſtoli habeant primitias Spiritus; opus eſt, ut Dei Spiritus illis uberius, quam cæteris Chriſtianis communicetur, non ſolum quod eorum functiones ſunt ſublimiores; ſed etiam quod per illos Fideles Dei Spiritum recipiant. Prudentia maxime neceſſaria eſt huic ſtatui, ubi ſit cum humilitate, & charitate conjuncta. Prudentia neceſſaria eſt ad malum e bono ſecernendum, verum a falſo, vel bonum ipſum ab eo, quod melius eſt. Humilitas ibi omnino eſt neceſſaria ut noſmet crebro colligamus in meditatione nihili noſtri, & hoc pacto mereamur Spiritum Domini, qui nos de officiis noſtris erudiat, & ardorem noſtrum inſtauret; & fruſtra Eccleſiaſticus Director, Paſtor ſemet paſcerent verbis illis S. Petri, Gens ſancta, Regale Sacerdotium, Genus electum: quæ magnifica nomina, licet vera, ſine humilitate ad eorum damnationem conferrent. Eccleſiaſticus inflammatus eſſe debet ardenti Charitate, ut præſto ſit opem ferendo proximo in omnibus ejus ſeu corporis, ſeu ſpiritualibus neceſſitatibus, & dicere poſſumus, ſi Eliſeus in hæreditatem obtinuit duplicem Eliæ Prophetæ Spiritum, hunc triplicem eſſe Spiritum Salvatoris. *Auctor recens.*

De integritate in Eccleſiaſtico requiſita.

Generoſus Miniſter primum operam navat, ut ſe ab omni avaritiæ ſuſpicione præbeat immunem. Illi perſuaſum eſſe debet turpem ſuſpicionem hanc efficere poſſe, ut ille omnem laborum ſuorum fructum amittat, & non ſolum ſuſpicionem hanc evitare debet, ſed re ipſa ab omni cupiditate abhorrere. Debet ille potius in extrema paupertate vivere, quam polluere honorem miniſterii ſui abjecta, & ſordida affectione. Dare libentius debet, quam accipere, ſecundum Salvatoris conſilium. Cum recipit id, quod Eccleſia patitur illum recipere, hoc illi faciendum eſt tanta integritate, ut omnibus perſuaſum ſit, illum ſecundum S. Pauli verbum, animam quidem, & fidelium ſalutem inquirere, non autem eorum divitias. O nos beatos, ſi tali pacto

eſſe-

eſſemus affecti erga mundi hujus bona: ut Eugenius Pontifex cui S. Bernardus ampliſſimum hoc perhibet teſtimonium: Nihil eſt quod de avaritia dicam; audio enim te non pluris pecunias facere, quam paleas. Hic nobis habendus eſt bonorum Mundi hujus conceptus. Bona hæc caduca ſunt, indigna amore, & adhæſione Fidelis, Eccleſiaſtici vero indigniſſima. *Lambert, Tome* 1.

Superbia a regione non ſinit eſt Eccleſiaſticus.

Salvatoris verba ad Phariſæos ambientes primos recubitus in conviviis, primaſque Cathedas in Synagogis, in publicis plateis ſalutari cupientes, & magiſtros nuncupari, ſatis oſtendunt, miſeris illis ingentem fuiſſe de ſemetipſis opinionem; quod ſane in Jeſu Chriſti miniſtro ferendum non eſt. Cum enim cupis hunc locum, qui te ſuper alios extollit, ac te eorum regimini præficit, vel credis omnia tibi ineſſe talenta ad provinciam hanc ſuſtinendam neceſſaria, vel dubitas. Si dubitas, nulla temeritas eſt tuæ par, & magis damnanda. Sin putas te parem eſſe ſuſtinendo munus illud, quod cupis, bona, quam de te foves, opinio, te præbet indignum; ſuperbia quippe, cujus reus es, ſimul conciliari non poteſt cum dignitate Miniſtri Jeſu Chriſti. Sin autem vere aptus es ad onus ferendum, quod optas tunc eodem te dignum præbebis, ſi nihil feſtinanter egeris, ſi ad hoc præſtolatus fueris imperio divinæ Providentiæ, quæ non deerit, quominus tibi locum præbeat exercendi talenta tua ad majorem Dei gloriam, ad Eccleſiæ ſuæ utilitatem, & ad animarum ſalutem. *Lambert, Tome* 1.

Contra avidus ... beneficiorum.

Quot ſunt quos, beneficiorum ambitus indignos efficiunt ſtatu Eccleſiaſtico! Plurimi enim inveniuntur, qui contenti parte ſua pacate otiantur in ea conditione, ubi Divina Providentia illos conſtituit; vel potius quid vulgatius, quam videre homines, ſemper ſollicitos, & nunquam ſua ſorte contentos, & quos juge habendi urget deſiderium? Qui beneficiis auctus non eſt intelligere nequit, felicitatem eſſe nulla premi adminiſtratione difficili, & periculoſa. Inceſſanter laborat, neque ullam ſibi requiem permittit; nihilque relinquit intentatum, ut id obtineat, quod ferventer exoptat. *Idem*.

Ejuſdem argumenti.

Beneficium petis: Cur petis? Ut commodam vitam ducas, ut locum habeas unde eniteſcas. Hæ cauſæ ſunt illis oppoſitæ, propter quas ſtatus Eccleſiaſticus ingrediendus eſt. Si beneficium quod cupis, cum animarum cura conjunctum eſt, quot exeris conatus, ut illud aſſequare, totidem ſunt documenta indignitatis tuæ. Qui pingue obtinet beneficium, alterum longe opulentius ambit. Quicumque deſideriis anguntur, ſunt ne quæ cupiunt? Norunt ne inconſtantiam, & injuſtitiam ſollicitudinum ſuarum? Si curatum poſtulas beneficium, majus illo, quod obtines, & quod onus eſt viribus tuis non ferendum, alterum gravius quæris cujus pondere opprimaris. Et ſi te Deus voti reum conſtituit, non ne tibi metuendum eſt, ut Deus hac aviditate irritatus neceſſarias tibi deneget gratias ad tantum pondus ferendum, & ut te prorſus derelinquat; *Lambert, Tome* 1.

Quo mente Eccleſiaſticus ſtatus ingrediendus ſit.

Paſſim inveniuntur in mundo mortales, qui ſtatum amplecti cupiunt, quia ſibi commodus eſt, ſed qui illius officia obire nolunt, quia illa obituri vim ſibi debent inferre; quod hominibus jugum videtur non ferendum. Ita plurimi Eccleſiaſticum ſtatum amplectuntur, ſed quid illi ſperant, cum ſanctam hanc conditionem amplectuntur? Quidquid hoc in ſtatu commodum eſt, Dignitas, gradus, bona temporalia, quies, tranquillitas; hæc omnia apud illos magnas habent illecebras, & hoc illud unum eſt, quod conſiderant. Officia vero ſtatus Eccleſiaſtici pauci norunt, vel ſi quis novit, non ſatis habet zeli, ut omnibus illis ſatisfaciat? Sed quid ſibi vult Eccleſiaſticum ſtatum amplecti, & officiis illius non perfungi? Nonne hoc vivere eſt in jugi rebellione? Nonne eſt irritare Deum? Profecto ſi liqueret quantum horreat Deus Eccleſiaſticos, qui ſua obire negligunt miniſteria; plurimos ſane metus ſubeundi teterrima iræ divinæ ſupplicia deterret. *Idem*.

De Sacerdotis ſupereminentia.

Sacerdotis dignitas ab eo, qui eadem decoratus eſt, exigit, ut ſtet in Monte tanquam alter Moyſes, donec populus in ima valle ſubſiſtit. Videlicet exigit, ut Sacerdotes prorſus ſecreti ſint a populo per vitæ ſanctitatem, & morum gravitatem. Sacerdotis dignitas pondus eſt; magna ſecum trahit munera. Qui hac inſignitus eſt, ſibimet debet invigilare, efficere debet, ut vitæ ſanctitas dignitatis ſuæ ſublimitati reſpondeat. Quomodo nam populus Sacerdotem revereatur, in quo nihil videt, quod illi reverentiam conciliet? Ergo ſuarum nitore virtutum Sacerdos præſertim ſupra cæteros, debet eniteſcere: Magnum quidem Paſtori probrum eſt, videre in grege ſuo oves diligentiores ſe, majori zelo ſuccenſas, ac magis ſuis officiis attentas, *Lambert, Tome* 1.

De Sacerdotibus indignis miniſterio ſuo.

Miniſtri Dei viventis, Sacerdotes Domini, qui ad Aram tales videntur tantum ob ſacros ornatus, quibus amicti fulgent; & qui videntur offerre ſanctiſſimum, atque auguſtiſſimum omnium ſacrificiorum adeo modica pietate, & ſæpe etiam ſine eo oris habitu, qui Chriſtianum virum decet: Hi Sacerdotes adeo parum a populo diſſimiles moribus, & ſæpe etiam minus de ſacris myſteriis noſtris ſolliciti, quam populus: Hi inquam ſciunt cujus pretii ſit victima illa quam offerunt, & credere profitentur pretioſam hanc victimam eſſe Jeſum Chriſtum, nulla profecto videntur affecti reverentia Jeſu Chriſti, ubi Sanctum hoc celebrant Sacrificium præcipiti feſtinatione, quæ ſcandalum creat. Quam citius fieri poteſt, ea ſe re expediunt, quaſi eam faſtidirent; talis victima illi ne gravis eſt, & moleſta? *P. Croiſet in ſpirituali receſſu pro unico ſingulorum menſium die, Tom.* 1.

Levitæ ſejuncti erant a populo.

Cum quæſitum fuit, quinam a Deo electi fuiſſent & ad Levitarum gradum ſublati, eoſque declaraſſet Deus, en quid dixerit illis, qui per ambitum ſe ſe cupiebant attollere ad gradum, & dignitatem Sacerdotum Domini: Deus Iſrael ſecrevit hos ab omni populo; vos ſibi adjunxit, ut ſerviſtis ſibi in cultu Tabernaculi ſui, & ſitis ejus Miniſtri. Hinc Eccleſiaſticus eſſe debet a mundo quidem ſeparatus; Deo autem adhærere debet. Non ſumus amplius de Mundo: inde nos retraxit Dei Filius: ultro illi nuntium miſimus, cum ordinibus initiati ſumus. Ordinatio noſtra myſterium eſt conſecrationis ſimul & ſeparationis; nos ibi recipimus characterem, qui nos Deo conſecrat; divortium facimus, quo a Mundo ſeparamur; eumque character, quem a Deo recipimus nequeat deleri, divortium quod cum mundo facimus, nullum eſt finem habiturum. *Recens Auctor*.

A Deo ad Sacerdotiũ vocandi ſumus.

Exemplum Aaron palam probat, Dei eſſe vocare ad Eccleſiaſticum ſtatum, & neminem ſe ſe ingerere debere in Sacerdotium, & hujus ſtatus miniſterium ſine peculiari vocatione, quam nobis oſtendit Deus. Primus hic antiquæ legis Sacerdos conſecratus fuit non ſine explicito Dei imperio: Deus enim Moyſi dixit: Sume Aaronem, & filios ejus, & indues illos veſtibus Sacerdotalibus, & oleum ſacrum ſuper illorum caput effunde. En igitur Lex Generalis, a qua nemo diſpenſari poteſt, quo eodem exemplo utitur S. Paulus ad oſtendendam hujus vocationis neceſſitatem: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem; ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*. *Recens Auctor*. *Levit.* 8. *Ad Hebr.* 5.

Sacerdotum peccata graviora ſunt quam aliorum.

In Levitici libro ſcriptum eſt, quod cum Deus in lege veteri inſtituiſſet diverſa ſacrificiorum genera pro variis generibus peccatorum; unum addidiſſe, quod publica appellabatur victima pro peccatis totius populi generatim; & quod animadvertendum eſt, illud Sacrificium pro populi totius peccatis inſtitutum pro uno unius Sacerdotis peccato eſſe offerendum. Animadverſio, quæ terrorem incutere debet illis, qui in hoc ſtatu impliciti ſunt, videndo eorum peccata in Dei judicio eſſe tantum enormia, ut eadem in ſtatera unum unius Sacerdotis peccatum omnia populi peccata, & una ejuſdem prævaricatio omnes infinitæ multitudinis prævaricationes exæquet. *Idem*.

Sanctitas, quæ in Sacerdotibus & miniſtris Domini requiritur.

*Sacerdotes ſine macula, voluntatem habentes in lege Dei*. 2. Machab. 4. Optandum eſſet, ut Sacerdotes poteſtatem habentes moraliter producendi in animabus, & realiter in ara eumdem Jeſum Chriſtum, quem Sanctiſſima Virgo creatarum rerum omnium puriſſima peperit in tempore, & quem Pater Cæleſtis, qui eadem puritas eſt, genuit ab æterno, ſimilem, & prorſus Cæleſtem haberent puritatem. Verum ſi hoc in eorum non eſt poteſtate, ſaltem ſimiles eſſe debent Sacerdotibus, quos olim elegit Judas Machabæus, homines ſine macula, Dei legem amantes, deferentes illam in cordibus ſuis, eamque religioſe obſervantes, qui ne tranſverſum quidem unguem ab ea recedant, nihilque antiquius habeant, quam illam caſte, integreque ſervare: *Sacerdotes ſine macula, voluntatem habentes in lege Dei*. *Idem*.

Prava Eccleſiaſticorum exempla corrumpunt populi mores.

*Propter peccata Prophetarum ejus, & iniquitates Sacerdotum ejus erraverunt cæci in plateis*. Thren. 4. Populus, ait Jeremias, in publicis plateis erravit; lapſus eſt in viis ſtratis, directiſque; abdidit ſe in ea ſcelera, in quæ incidere minime poterat; excæcatus eſt; nihil videt amplius vel in articulis fidei, de quibus nunquam dubitaverat, neque in iis quæ pertinent ad morum diſciplinam: *Erraverunt cæci in plateis*. Et quorſum hoc? *Propter peccata Prophetarum ejus, & iniquitates Sacerdotum ejus*. Peccata Prophetarum, & ſcandala Sacerdotum populum in omnia mala hæc impulerunt. *Auctor Recens*.

Sacerdotes in noviſſimo judicio rationẽ reddituri ſunt de ſcandalis, quæ dederunt. Oſea 5.

*Audite hoc Sacerdotes, & attendite, quia vobis judicium eſt, quoniam laqueus facti eſtis, & rete expanſum ſuper Thabor*. Oſeas Propheta ait, Sacerdotes audite quæ dicturus ſum, eaque attentius meditamini: *Quia vobis judicium eſt, quoniam laqueus facti eſtis, & rete expanſum ſuper Thabor*. Vos eſtis ſcandalum populo Dei; Expoſiti eſtis in Thabor, & in Monte Sancto, in elatione, & Sacerdotali dignitate, tanquam retis expanſa, ad involvendos fideles, ad illos in peccatum, erroremque pertrahendos, ut illos ibi retineatis, atque perdatis; ex hac die vos Deus ad univerſale vocat judicium, & vos expectat. Propter vos, & potiſſimum propter vos terribilem illam præparat diem: *Vobis judicium eſt*. *Idem*.

In Sacerdotibus requiritur Sanctitas.

*Conſecrati ſunt Sacerdotes Deo ſuo, & panes propoſitionis offerunt; ſint ergo Sancti, quia & ego Sanctus ſum Dominus, qui ſanctifico eos*. Levit. 27. Singula hæc verba notanda ſunt, hæc autem potiſſimum: *Conſecrati ſunt Deo ſuo*. Imperat Deus Sacerdotibus, ut Sancti ſint, quia illi conſecrati ſunt. Quod Deo ſacrum eſt, ſanctum eſt; non debet ultra in ſequiorem uſum converti; Immo neque in communes Mundi uſus convertendum

eſt,

eſt, immo inutile non eſſe debet; hoc utendum eſt; ſed non niſi in honorem Dei, & uſus ſanctos. Conſecrati eſſe debetis Deo per ordinationem veſtram; ergo Sancti eſſe debetis, non debetis voſmet in uſus profanos impendere, neque mentibus, cordibus, linguis, manibus uti debetis in re aliqua, quæ ſancta non ſit. Sanctæ eſſe debent cogitationes veſtræ, affectus, verba, facta. Omnia redolere debent Sanctitatem, eamque mundo inſpirare. *Idem.*

Eccleſiaſtici mundani inutiliter Deo, & mundo ſervire volunt.

*Nemo poteſt duobus dominis ſervire.* Matth. 6. Licet hæc verba ad Chriſtianos omnes generatim pertineant; dici tamen poteſt peculiariter ad Eccleſiaſticos referri, qui, quatenus Miniſtri Domini illius ſervituti ſpeciatim devoti ſunt. Quamobrem cum in mundi commercium ingrediuntur, & vivunt non ſecus ac illi, qui mundo ſeſe devoverunt, de his dici poteſt, quod duobus ſerviant dominis, quorum alter eos abjicit, & ſuos eſſe negat, alter vero contemnit, & horret, itant neutri ſerviant. Et ſane fidei ne conſonum eſt ſimul conciliari poſſe ſpiritum ſæculi, & ſpiritum Sacerdotii? Poſſe aliquem eſſe mundi mancipium, & Jeſu Chriſti miniſtrum? Quinam duobus dominis adeo ſibi invicem oppoſitis ſervire poteſt? Quis poteſt ſimul bibere calicem Domini, & calicem dæmoniorum? Quis ſimul particeps eſſe menſæ Domini, & menſæ dæmoniorum, ut loquitur Sanctus Paulus? *Auctor idem.*

1. ad Cor. 10

Eccleſiaſtici incumbere debent in divinæ legis ſtudio.

Primum Eccleſiaſtici officium eſt, ſeriam dare operam ſtudio divinæ legis tam pro ſe, ut de muneribus ſuis erudiatur, quam pro aliis, ut illis erudiendis ſe parem exhibeat; nam ex ignorantia Eccleſiaſtici duo ingentia mala procedunt, ipſorum nequitia, & nequitia populorum, quos ineruditos relinquit. Profecto omnia peccata, quæ dominantur in terra, proficiſcuntur ex ignorantia quæ habetur de Deo, legum cujus ſtudium negligitur. Ita populi eam non audientes, & Eccleſiaſtici, quorum eſt eos docere, docendo cum pares non ſint, vel ſint alienis curis impliciti, utique pereunt vitam abnormem ducentes. Hi quidem errant in viis ſalutis, quia duces non habent; alii vero quia cæci ſunt duces cæcorum juxta illud Evangelii; *Cæci ſunt, & duces cæcorum. Idem.*

Matth. 15.

Semper colendi & in honore habendi ſunt Sacerdotes licet vitioſi.

Magnum in Eccleſia malum eſt, cum Eccleſiaſtici, præſertim vero Sacerdotes, vitam ducunt flagitioſam, quæ non nunquam ſcandalo eſt fidelibus. Frequens hæc auditur querela, ipſos contumelia afficere characterem ſuum moribus pravis. Hoc in loco illorum flagitia conſecrare non fert animus, immo neque excuſare; ſed Doctores omnes aſſerunt, illis ſemper honorem eſſe deferendum. Et ratio conſtat; quia Sacerdotum crimina nihil officiunt magnitudini characteris illorum; injuſtitiæ ipſorum nullam eis adimunt facultatem validæ adminiſtrandi Sacramenta, quæ ſemper valide adminiſtrantur quocunque ſcelere fœdata ſit eorum conſcientia, quidquid ſentiant hæretici nonnulli, quos damnavit Eccleſia. Deus non adnectit eorum poteſtatem, atque auctoritatem vitæ ſanctitati; ex quo ingens rerum exiſteret perturbatio: non enim poſſumus ſemper bonos a malis ſecernere, ſed voluit poteſtatem hanc ſejungi non poſſe ab illorum charactere, & officii ipſorum juriſdictione. *Auctor Recens.*

Sacerdotum peccata graviora ſunt quam ſecularis, & quare.

Peccata mutant ſpeciem ſecundum varietatem objecti, vel principii. Ita irriſio facta contra honorem proximi, licet in re gravi, retinet nomen irriſionis cum obtrectatione conjunctæ: ſed irriſio contra reverentiam Deo debitam rerum ſanctarum, blaſphemia eſt. Hoc ipſum dicendum eſt ratione principii. Homo, qui ratione ſtatus ſui, profeſſionis, vel characteris tenetur bene vivere, committit majus peccatum, ubi polluit characterem ſuum, & dedecorat profeſſionem ſuam, quomodo faciunt Sacerdotes, & Eccleſiaſtici, & hoc in ſenſu S. Bernardus ait, *Nugæ in ore laici, ſunt nugæ; in ore Sacerdotis, blaſphemia. Idem.*

Eccleſiaſtici ſe negotiis mundi implicare non debent. 2. Tim. 2.

Quemadmodum ſtatus hic a laicorum ſtatu diſtinctus peculiari conſecratione Eccleſiaſticos adigit ut ſerviant Deo, & opem ferant animabus, & pauperibus, ab omnibus ſæcularibus curis illis eſt abſtinendum, teſte S. Paulo, *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus.* Hoc eſt, debent procul eſſe ab impedimentis ſæculi, expediti a curis familiæ, fugere mundi oblectamenta, & quidquid illos amovere poteſt a miniſterio ſuo, & functionibus propriis ſtatus ſui. Hac de cauſa Concilia illis mercaturam interdicunt; & ſecundum Sancti Joannis Chryſoſtomi interpretationem, aliquid emere, illud charius venditurος; profiteri artem mecanicam, quod tamen facere poſſunt ſolatii cauſa, vel ad otium fallendum. Hac de cauſa Sancti Canones illis vetant theatrorum ſpectacula, choreas, & ipſam etiam venationem, ubi fit cum canibus, equis, & apparatu ad hanc exercendam neceſſario; non quod Concilia ignorarent, venatum per ſe vacare culpa, ſed quia dedecet ſtatum divino cultui devotum, & qui ſimul eſſe non poteſt cum evagatione mentis, quam hoc pareret exercitium. *Idem.*

De bonis Eccleſiaſticis.

Eccleſiaſtica bona vulgo fidelium vota appellantur, pretium peccatorum, patrimonium pauperum. Sunt vota fidelium, quia fideles obtulerunt Eccleſiæ bona hæc tanquam ſanctam oblationem ad promerendas Cæli benedictiones. Sunt pretium peccatorum, quippe crediderunt ſe bonorum ſuorum hæredem ſcribendo Eccleſiam facilius conſecuturos miſericordiam, & veniam peccatorum ſuorum: Sunt patrimonium pauperum; voluerunt quippe bona hæc in pauperum commodum eſſe impendenda, & quia Eccleſiaſtica bona, ſunt pauperum patrimonia; hinc ſequitur, Eccleſiaſtico viro ſemper eſſe parcendum, ac a ſumptibus temperandum, ut pauperibus conferre valeat, quod pertinet ad illos. Sequitur præterea, quod Eccleſiaſtica diſſipare bona, eſt diſſipare patrimonium pauperum; & vehementer errant, qui putant ſe poſſe illa ſecundum cordis ſui deſideria diſpenſare. *Idem.*

Auribus quotidie accidit ſæcularium querela de pravo reddituum Eccleſiaſticorum uſu. Nunquam ſunt eloquentiores, quam cum luxum, mollemque Eccleſiaſticorum vitam exaggerant. Haud equidem paratus ſum, ut probare velim, quod jure damnatur: dico ſolum, non ſecus ac ſæculares de ſuorum reddituum uſu conqueruntur, ita illis cavendum eſſe ne ſacros hos redditus ponant in manibus eorum, a quibus diſſipantur. Pater Beneficium ambit, ac ſollicitat pro filio, & filius hic erit ex numero infidelium œconomorum, qui diſſipant opes Eccleſiæ. Homo hic quin eligat digniorem, & eum, qui par ſit explendis neceſſariis hujus beneficii muneribus, humanis rationibus actus animarum curam committet lupis, qui in ovile ingreſſuri ſunt, ut oves diſperdant? Quis ergo inficias ire poteſt, chriſtianorum omnium intereſſe cognoſcere, quid ſit beneficium, cui conferendum ſit, & in quos uſus Sancti redditus iſti ſint convertendi? En quid dicere debent Chriſtiani. Revereri Eccleſiaſticum characterem; non introducere in Eccleſiam indignos miniſtros, non procurare beneficia iis, qui Eccleſiæ ſcandalum ingerunt propter redditum ſacrorum abuſum. *Ex monito libri, cui titulus: Sermones Lambert de vita Eccleſiaſtica, Tomo 1.*

Mundi querela de pravo uſu redituum Eccleſiaſticorum; & de electione eorum, qui iidem ſunt indigni.

Noſmet conſideramus tanquam ſervos veſtros, S. Paulus ait. Hæc vera eſt idea miniſterii Eccleſiaſtici. Miniſterium eſt, quod nos ſubjicit, ut proximo deſerviamus, & noſmet fratrum noſtrorum ſervos cogitemus. Sed ne putemus noſtro hoc miniſterio nos dedecorari. Cum fratribus noſtris ſervimus, ſervimus Jeſu Chriſto. Ipſe etiam Jeſus Chriſtus vitam ſuam mortalium ſervitio conſecravit. Servitis Jeſu Chriſto, S. Auguſtinus inquit, eo modo, qui acceptus eſt illi, cum ſervitis illis omnibus, cujus ſervum ſe eſſe profeſſus eſt. Idem S. Paulus alibi dicit: *Græcis ac barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum.* Evangelicum miniſterium nos facit fratribus noſtris debitores. Quid debemus illis? curas, labores, tempus. Hæc omnia noſtra non ſunt; bonum eſt, quod ad illos pertinet, & quo ad eorum utilitatem nobis utendum eſt. *Idem.*

S. Paulus reſpiciebat ſe tanquam ſervum omnium fidelium.

En præclaram, inſignemque ſententiam ab Epiſcopis expreſſam, & altius in omnium Eccleſiaſticorum cordibus imprimendam. Nos conſecrati ſumus Epiſcopi, ut populo Chriſtiano ſerviamus. Hoc ipſum dico de omnibus Sacerdotibus, Paſtoribus, Eccleſiaſticis. Quicunque Eccleſiaſticus factus eſt, Deo in hoc ſtatu conſecratus eſt, ut ſerviat proximo ſuo. Uſquequo Apoſtoli, qui nobis velut exemplaria propoſiti ſunt, pertulerunt curam hanc, quam character noſter nos habere cogit pro fratribus noſtris? Sanctus Paulus aſſerit, ſe premi *inſtantia quotidiana, ſollicitudine omnium Eccleſiarum.* Sanctus hic Apoſtolus omnibus fratrum ſuorum neceſſitatibus attentus eſt, ut infirmetur, infirmos roboraturus: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Nullum in Eccleſia ſuboritur ſcandalum, quod illum intus in corde non torqueat. Fortes ab infirmis ſecernit ut aliis quidem lac, aliis ſolidas carnes præbeat. Jugiter fert *in corde ſuo* fideles, quos genuit in Jeſu Chriſto. Amor illius comparabilis eſt cum amore matris nutrientis, & diligentis filios ſuos. Sed comparatio hæc non eſt ſatis valida. Tantus eſt amor illius, ut poſtquam Evangelium fidelibus prædicaviſſet, illis etiam vitam ſuam impendere optaret. *Lambert in ſermonibus de vita Eccleſiaſtica, Tomo 1.*

Sententia Epiſcoporum, quæ Eccleſiaſticis aperit eorum officia.

2. Cor. 11.

2. Cor. 11. 29.

2. Cor. 7. 3.

1. Theſſ. 2.

Nullus eſt Eccleſiaſticus, cui aliquo in ſenſu non incumbant eadem onera, quæ Paſtoribus. Olim nullus conſecrabatur Sacerdos, qui non affigeretur Eccleſiæ alicui ad ibi exercendas functiones miniſterii ſui. Nemo inutilis otiabatur, omnes de proximo benemerebantur. Hic primus erat ordo, ideoque magis uniformis intentionibus Jeſu Chriſti. Si Eccleſiaſtica diſciplina immutata eſt, Spiritus Jeſu Chriſti ſemper eſt idem. Vult, omnes Eccleſiaſticos ſemet conſiderare tanquam debitores fratribus ſuis. Vos eſtis Sacerdotes, ergo inſigniti eſtis eo charactere, quem Jeſus Chriſtus inſtituit, ut qui eodem inſignitus eſſet, ſaluti proximi vacaret. Credidiſne vos impune ordinem Dei ſubvertere poſſe? Credidiſne vos ibi poſſe vitam ab omni cura vacuam ducere, donec eo eſtis in loco, in quo nemo poſitus eſt, niſi ut proximi ſaluti ſeſe devoveat? *Idem.*

Eccleſiaſticis eadem incumbunt onera, quæ paſtoribus.

Non eſtis quidem Paſtores, ſed eundem habetis characterem ac Paſtores; ideoque eorundem officiorum participes. Dei, & Eccleſiæ ordo eſt, characterem hunc illis tantum committi, qui ad laborandum ſunt diſpoſiti. Verum eſt Paſtoris qualitatem nova adjicere officia, & peculiares curas flagitare; ſed contenderem, eo quod Paſtor

Ejuſdem argumenti.

Digitized by Google

ſtor non ea, te ab omni cura eſſe expeditum, ac tranquille frui poſſe quietis dulcedine; hoc eſt abuti Sacerdotio; hoc eſt ignorare omnino illius inſtitutionem, naturam, atque præſtantiam; hoc eſt velle perturbare ordinem, qui conſtans uſque in ſæculorum finem debet permanere; quoniam Deus illum conſtituit. *Ibidem.*

Quo oculo Deus inertes Eccleſiaſticos reſpiciat?

Quonam oculo putatiſne Deum reſpicere inertes Eccleſiaſticos, qui proximo ſuo non præſtant eam curam, quam debent? Audiſtis, proculdubio fici Parabolam, quæ in Evangelio narratur. Qui ficum plantaverat, venit in ea fructum quæſiturus, cumque in ea nullum invenerit; Dominus illam jubet ſuccidi: *Ut quid etiam terram occupat?* Ita Deus reſpicit inertes Eccleſiaſticos; conſiderat illos tanquam homines non obeuntes munus illud, cui deſtinati ſunt; ideoque ſuccidendos, & in ignem mittendos. *Idem.*

Luc. 13. 7.

Tria, quæ Eccleſiaſtico facienda ſunt erga populum.

Tria facere debet Eccleſiaſticus erga populum. Vitam innocentem, & irreprehenſibilem vivere debet, ut illum exemplorum ſanctitate ædificet; hoc primum eſt. Opus eſt, ut ſe doctum, & ad illum erudiendum aptum efficiat; hoc alterum; ut ſe præbeat vigilantem, & minime cupidum, ut per charitatem, & zelum illum perducat ad Deum; hoc tertium eſt. Incipiendum eſt a Sanctitate, ex quo ad miniſterium vocatus eſt, & altaribus inſerviendo deſtinatus, inde ex ſtatu ſuo habere debet Dominum in partem ſuam, S. Hieronymus inquit; ideoque debet ſemet ſeparare non ſolum a noxiis mundi oblectamentis, ſed ab iis etiam, quæ vel minimam habeant peccati ſuſpicionem; ſe totum devovere profeſſioni, quam amplectitur, & ſemet exercere in praxi virtutum, quarum indiget ad obeundum rite munus ſuum. Heu! quibus non indiget virtutibus? Dicere ſatis ſit, id quod alios in aliis conditionibus ſalvos faceret, ſolum ad illius ſalutem ſatis non eſſe; illi adlaborandum eſſe ad propriam, & fratrum ſuorum ſanctificationem; omnibus chriſtianæ pietatis officiis vacandum; & negligere ſalutem eorum qui eidem crediti ſunt, idem eſſe ex dimidiata dumtaxat parte velle ſalvari; vel ut melius dicam, ſalvari nolle; & ut verbo me expediam, ut ſibi æquam ſanctitatis ſuæ ideam concipiat, illam regere debet ſecundum vocationem, & gratias eidem inhærentes. *Idem, Tomo 3.*

De vocatione interiori, atque exteriori Eccleſiaſtici.

Diſtinguenda eſt interna vocatio ab externa. Qui recipit ordinationem ſecundum Eccleſiæ Canones; & qui ut illuc perveniat, nulla utitur fraude, vel via prava, exteriorem habet vocationem; miſſionem habet ſufficientem quoad homines, cujus vi poteſt ducere, & docere fideles. Qui per avaritiam, & ambitum, ſine virtute, ſine captu petit ordinem, beneficium, eccleſiaſticam dignitatem, non habet vocationem interiorem; hoc eſt non vocatur a Deo, & licet homines, nihil habeant, quod reprehendant in miſſione exteriori, quam legitimam eſſe ſuppono; Deus tamen damnabit illum tanquam hominem, qui non miſſus vadit, qui injuſſus loqui, loquitur; & quamvis diceret veritatem, eam dicere ſolum pro ſalute eorum qui ſe ſe illi ſubjicerent; tum illi non aliud expectandum ſit niſi æquiſſima pœna uſurpationis pravæ, qua ſe illi immiſcuit miniſterio, quod ipſi non credidit Deus. *Anni Chriſtiani, Tomo 8.*

Sanctus hic prætulit ſtatum Eccleſiaſticum militari, & alii cuilibet ſtatui.

Ex quo Sanctus N. per ætatem ſibi in mundo ſtatum eligere potuit, omnes ſibi patere vidit aditus ad gloriam, & honorem. Generis ſui ratio eidem militiam ſequi ſuadebat, & animus ejus pollicebatur fore ut nomini ſuo magnam celebritatem compararet, & ſi timuiſſet audacem hanc militiæ ingrediendæ rationem ſequi; ſpes non deerat, ut in Eccleſiaſtico ſtatu floreret, ubi inſtitutio, & ſcientiæ, quas adeptus erat, ſperandi locum præbebant, nihil futurum ſupra meritum ejus ex iis, quæ favor, & virtus illi hoc in genere poterant promereri. *Sermo P. Aurelianenſis, Tomo 2.*

Sanctus N. omnino a mundo ſeceſſit.

Talis erat Mundus Sancto huic, cum illum reliquit. Aliane requiruntur argumenta, quibus oſtendamus receſſum illius fuiſſe effectum prudentiæ; & ſupernaturalia illius ſapientiæ, quæ ea cogitans, quæ rationem, & cupiditatem humanam excedunt, ſuppeditat cognitiones ſuperiores, quas ſanguis, & caro non ſuggerunt? Nemo unquam potiori jure, quam ille dicere potuit cum Apoſtolo: *Hæc eſt victoria, quæ vincit Mundum, fides noſtra*: ſe non alio armorum genere uſurum fuiſſe ad Mundum vincendum, quam fide. Non Philoſophia neceſſaria, non cupiditas indignabunda, non irritata patientia exitum hunc illi ſuaſit. Sæculum per ſe nihil contulit ad hoc divortium. Fruſtra ſe illi oſtendit ex ea parte, qua placere novit; fruſtra oculis ejus oſtentavit fulgorem gloriæ, & honorum, illecebras opum, & voluptatum, ſuavitatem neceſſitudinum, & ſocietatum; ad aſpectum fallacium illiciorum ſe fide ſua ſatis illuminatum eſſe dicebat: ita eſt, mundana gloria, nites quidem; ſed hic nitor celeriter deficit in umbras triſtis, æternæque oblivionis. Ita eſt, voluptates, ſenſus palpatis, ſed ſomniorum inſtar evaneſcitis, ita eſt, divites, multis fruimini commodis; ſed cum his vos efferri non videmur; ita eſt, commercia, molleſque neceſſitudines, ſcio, vos a mundi ſectatoribus haberi inter maxima vitæ oblectamenta; ſed vel per mobilitatem deſinitis, vel denique ſemper per mortem; honores, opes, voluptates, commercia, humanæ amicitiæ quam periculoſæ eſtis ſaluti; & cupiditates, quæ vos concomitantur, quam multos in præceps ferunt? *Idem.*

Idem ſequitur argumentum.

Non fuit ex hoc numero Sanctus N. Mundi mendacium cognoſcere, animumque ab eodem divellere unum, idemque fuit; & velox ſeparatio, quæ ſubſecuta eſt, ejuſdem ſinceritatem oſtendit. Sanctus enim hic non fuit ex illis, qui arbitrantur, juventutem virtutis eſſe vacuam & qui illam reſpiciunt tanquam ætatem, quam per neceſſariam indulgentiam Deus tradit cupiditatibus. Æquioribus inſtitutis imbutus Sanctus N. ſuam reſpexit adoleſcentiam, tanquam optimam ſacrificii ſui partem, & crediſſet ſe labi in eorum crimen, quibus Scriptura exprobrat rapinam in holocauſto, ſi vitam ſuam devovens Deo, ſibi florem reſervaſſet, ut illi vitiorum, & concupiſcentiæ dumtaxat reliquias daret. Hac cogitatione præventus ſimulac Sanctus iſte iniit conſilium mundum relinquendi, illud executus eſt; ita ut dicere poſſit cum S. Paulo, ex quo placuit illi, qui eum a ſæculo avocare quærebat, ſuas aperire voluntates, non audiviſſe ultra nec carnem, nec ſanguinem. Fruſtra Pater, qui reſpiciebat illum tanquam ſuæ familiæ columen, dicit, illum ſeſe devovere debere conſervationi nominis ſui. Fruſtra mater plorans tendit brachia, ut illum retineat. Fruſtra ſeductores amici ſpecioſas rationes afferunt, ut illi perſuadeant, maturo opus eſſe conſilio ea in re, ubi adoleſcentia levitatis ſuſpicionem ingerere poterat. Fruſtra validis hiſce conatibus, qui melius vocandi eſſent periculoſæ tentationes, ejus conſtantiam labefactare contendunt; immobilis ſanguinis exprobrationibus, inconcuſſus neceſſitudine, ac precibus amicorum, invictus adverſus artes, & conatus tentationis, omnia deſerit ſine dolore Deo vocanti obſecuturus. Heu! quid intereſt mea, utrum nomen meum in terris ſervetur, necne, dummodo ſcribatur in cælo? Quid refert me levitatis ab hominibus argui, dummodo me fidelem inveniat Deus? Cum his ſenſibus, & hac conſtantia a mundo ſecedebat Sanctus N. neque vobiſmet fingatis ſeparationem illis ſimilem, quæ nihil auferunt a mundo, niſi quod in eo eſt incommodum, & quæ a pietate mutuantur ea, quæ lenia ſunt, & facilia... *Ex Sermone Patris Aurelianenſis, Tomo 2.*

Cauſſæ propter quas Sanctus N. a mundo ſeceſſit.

Per effectum Evangelicæ hujus Sapientiæ, quæ ſemper moderata eſt vitam, & conſilia Sancti N. hanc ille vivendi rationem elegit. Satis cognoſcebat mundum, ut judicaret arduum eſſe, in mundo eſſe, & non conformari cum mundo; ſemper abnormem eſſe ab illis, cum quibus vivendum eſt; habere mores ſemper oppoſitos moribus eorum, cum quibus communia interſunt officia; nunquam participem eſſe operum illorum, cum quibus ex conſenſu agendum eſt, opus eſſe audaciſſimum; & quod pauciſſimis benevertit. Hac mente Sanctus N. reſpexit ſtatum Eccleſiaſticum, qui jam in Eccleſia celebrabatur, tanquam portus contra Sæculi corruptionem tutiſſimus. *Idem, Tomo 2.*

Eccleſiaſticæ dignitates nõ ſunt requirendæ ob iis, qui ſibi aliqua exteriora talenta eſſe gloriantur.

Satis non eſt exteriora quædam habere talenta, ut quis ſemet proferat, atque in honores, & Eccleſiaſticas dignitates injiciat. Cum omnibus talentis, quæ excogitari poſſunt, duo requiruntur adhuc, vocatio, & virtus. Non deerant Jeſu Chriſto omnia dona, omneſque Spiritus Sancti gratiæ; tamen ille nunquam per ſe Pontificis qualitatem ſibi vindicavit; & nemo, inquit Apoſtolus, hunc ſibi honorem vindicare poteſt, niſi a Deo fuerit vocatus. *Annus Chriſtianus Tomo 6.*

Oportet ut Eccleſiaſticus primum ſeipſum ſanctificet antequam alios ſanctificare aggrediatur.

Qui ad Eccleſiaſticum miniſterium aſſumuntur, nequeunt utiliter aliorum Sanctificationi operam navare, antequam ſeipſos per receſſum, ſilentium, & mortificationes ſanctificaverint. S. Joannes illos docet quæcunque talenta illi ſe habere putent, nunquam tamen præcipiti feſtinatione ingrediendum adeo terribile miniſterium; ſed opus eſt expectare donec illos appellet Deus, eoſque mittat in vineam ſuam. *Annus Evangelicus Lamberte Tomo 1.*

Leproſi, quos mundaverat J. C. præcipit, ut ſeſe oſtẽdant Sacerdotibus.

Poſtquam Jeſus oculos conjecit in decem leproſos, dixit illis, ite, oſtendite vos Sacerdotibus. Miſit illos ad Sacerdotes, ut pareret legi. Lex præcipiebat, ut leproſi ſeſe oſtenderent Sacerdotibus: quibus jus erat de eorum ſtatu judicium ferendi. Leproſi ea privilegia, ex quibus ceciderant, reparare non poterant, niſi Sacerdotes judicium ſuum protuliſſent. Ubi nullum morbi ſupererat veſtigium, illos expiabant, vel potius mundos, & ſanos eſſe declarabant. Tunc pro illis offerebant ſacrificia, & leproſis in caſtra reverti licebat. Cum Jeſus Chriſtus leproſis inquit, ite, oſtendite vos Sacerdotibus, nobis præbet longe majoris momenti documentum, & docet peccatores neceſſitatem ad miniſtros ſuos confugiendi ut peccatorum ſuorum veniam obtineant. Cum enim lepra non aliud eſſet, quam peccati figura, poteſtas quam antiquæ legis miniſtri receperunt expiandi peccatores, longe inferior fuit illa, quam mundi Salvator conferre dignatus eſt Sacerdotibus novæ legis. *Annus Evangelicus, Tomo 4.*

Deus illis, quos ad Eccleſiaſticum ſtatum vocat, tribuit neceſſaria talenta.

Deus illis, quos ad Eccleſiaſticum ſtatum appellat, mentem injicit ſtatum hunc amplectendi, unice, ut ipſi ſerviant, non autem, ut temporalia lucra aucupentur. Deus illis omnibus, quos ad hunc evocat ſtatum, tribuit neceſſaria talenta, quibus ſuis perfungi valeant officiis, præ-

*…ea ad illos officia obeunda.*

præterea que præcipit ne noſmet ipſos judicemus, ne propriam ſententiam amplectamur; ſed noſmet Superioribus noſtris ſubjiciamus, per quorum vocem voluntatem ſuam explicare conſuevit. Hæc igitur diligentius ad examen revocanda ſunt illi, qui cognoſcere cupit, utrum vocatus fuerit ad ſtatum Eccleſiaſticum. Primum cogitare debet finem, quem ſibi proponit; deinde ſerio debet expendere talenta, quæ Deus ipſi conceſſit. Denique aperire cor ſuum legitimis Superioribus, & conſulere illos, quorum lumen, & pietas talia ſunt, ut fidei conſonum videatur, Deum ſeſe per illos explicaturum. Qui ſeipſum judicat, fallitur, præſertim vero cum de re agitur tanti momenti, qualis eſt ſtatus Eccleſiaſticus. *Annus Evangelicus Lambert Tom. 6.*

*Eccleſiaſticus bene agit, cum amplectitur hunc ſtatum recta intentione.*

Bonitas actionis pendet peculiariter ab intentione. Cum recta eſt intentio, paſſim actio tota bona eſt; cum prava eſt intentio, certum eſt univerſum actionis corpus infici, & male ſapere. Vultis ingredi in ſtatum Eccleſiaſticum, quinam eſt finis veſter? Vivere commode, beneficium obtinere, nullo premi labore, vitam in inertia tranſigere. Finis veſter eſt ex nihilo emergere; vosmet in lucem proferre, diteſcere, ambitionem veſtram fovere, ad Eccleſiæ dignitates pervenire. Hic profecto ſordidus eſt finis pro ſtatu adeo ſublimi, ad quem anhelatis. Nihil ultra requiritur, ut innoteſcat, vos a Deo nequaquam vocari: *Oculus tuus nequam eſt*. Prava eſt intentio veſtra, ideoque tenebris eſtis involuti. *Idem.*

*Bonæ qualitates Sancti Eccleſiaſtici.*

Eccleſiaſticus zelotes eſt vir conſtans; quia Eccleſiaſticus zelotes vir eſt unum duntaxat metuens, ut Jeſu Chriſti gratiam amittat. Omnes humanæ rationes nullam in illius mente vim obtinent, niſi ad Jeſum Chriſtum referantur. Nihil eſt, quod illum a recta via deterrere valeat. Officia ſua ſunt lex. Hæc regula eſt, a qua nunquam oculos amovet. Conſilium exequendi officia ſua firmum eſt principium, quod ducit eum in omnibus actionibus ejus, & a quo nunquam recedit. Heu! quam fortis eſt Jeſu Chriſti miniſter; cum rationes humanæ nihil poſſunt in ipſum, & unum habet deſiderium placendi Jeſu Chriſto, ubi Eccleſiaſticus ita affectus eſt, illum non terrent minæ, illum præmia, & terræ bona non movent. *Lambert in ſermonibus de vita Eccleſiaſtica. Tom. 2.*

*Eccleſiaſticus immobilis eſſe debet in conſiliis ſuis.*

Quid eſt Eccleſiaſticus timidus, vel ambitioſus? Timor, vel ſpes conſtantiſſima illius labefactabunt conſilia. Times hujus hominis minas, qui te perterrefacere contendit. Quid ergo? Cur times, itane eris ignavus, ut tuum deſeras officium? Si ita eſt, dicit S. Cyprianus, ſi expaveſcimus, cum nobis improbi minitantur, ſi juſtitia ſuccumbit ſub temerariis eorum conatibus, qui nos opprimere tentant, ubi ergo eſt conſtantia, quæ apparere debet in Jeſu Chriſti miniſtris? Sacerdos habens in manibus Evangelium, & qui eſt fidelis Jeſu Chriſto, occidi quidem poteſt, vinci & ſuperari non poteſt. *Idem.*

*Eccleſiaſticus utilem ſe præbere debet proximo ſuo.*

Si inutiles eſtis fratribus veſtris, quid fiet de omni illa poteſtate, quam accepiſtis, cum Sacerdotio inſigniti fuiſtis? Omnis poteſtas miniſtrorum Eccleſiæ eo tendit, ut illos pares efficiat, ut proximo proſint. Eccleſia, quæ illis ſuam committit auctoritatem, ſupponit illos uſuros eſſe poteſtate ipſis collata, ad filiorum ſuorum utilitatem. Recipitis poteſtatem conſecrandi corpus Domini, & ſacrificium offerendi. Vos non pro vobis tantum offertis ſacrificium, ſed offertis illud Eccleſiæ nomine, & pro tota ſimul Eccleſia. Offertis illud nomine populi, qui huic intereſt ſacrificio. Fruſtra recipitis facultatem redimendi peccata, ſi nullum habetis zelum pro ſalute peccantium, & ſi nullo habetis in diſcrimine fratrem veſtrum, qui perit, & obdormit in ſcelere. Quid vobis prodeſt facultas annuntiandi Evangelium, ſi vos pudet annuntiare Jeſum Chriſtum? ſi non laboratis, ut peccatores intelligant quam miſeri ſunt, cum ab Evangelicis dogmatibus recedunt? Ecce facultates veſtræ; ecce talenta, quibus donati eſtis, de quibus rationem repoſcet Deus in die iræ ſuæ. *Idem.*

*Quomodo a Eccleſiaſticus ſeſe gerere debeat erga pœnitentes.*

Licet certo innotuerit Sanctum hunc Eccleſiaſticum nullum unquam commiſiſſe crimen prorſus voluntarium licet exiguum: agebat tamen cum peccatoribus, qui ad pedes ipſius procumbebant, perinde ac ipſe fuiſſet omnibus ſimul nocentior. Qui humilem, modeſtumque oris ejus habitum vidiſſet, dixiſſet illum potius adeſſe veniam percepturum, quam daturum; & diſtillabat ſuper peccatores Sanguinem Jeſu Chriſti eum ea charitate, ac ſuavitate, qua illum Jeſus Chriſtus effudit. Ipſe ſemet coram illis accuſabat, ut illi facilius ſeipſos accuſarent, & ejus humilitas erat tanquam ſuavis, & ſancta ratio, qua utebatur, ut nocentes animas torqueret ſumptibus verecundiæ ſuæ, non autem doloris eorum. Sed quamvis omnino dulcis eſſet pœnitentibus, dulcedini ſuæ quamdam aſpergebat ſeveritatem, quæ illos in obſequio continebat. Se ipſum abjiciebat, quin tamen abjiceret Deum, quem repræſentabat; ſervabatque ſemper in hoc judicio majeſtatem, quæ ciebat in illis memoriam Dei, ubi veniet ad univerſale Judicium. Non poterat parcere illis, qui nolentes penitus abrenuntiare placitis ſæculi, mundum cum Deo conciliare conantur; & qui ſententia

*Matth. 6. 24.*

ſua Jeſu Chriſto ſapientiores, credunt unum eumdemque hominem poſſe duobus ſimul dominis deſervire. Cum aliquos inveniebat hac in re pertinaces, palam dicebat illis, melius eſſe, ut alium ſibi quærerent confeſſarium; illos in ea neceſſitate, in qua eſſe credebat dicendi ſemper veritatem, haud ita facile in eandem ſententiam conventuros; & ſe haud ita facile eam taciturum, quam ipſi eandem eſſent paſſuri. Ita Sanctus hic Vir teſtabatur exemplo ſuo omnibus Confeſſariis, quod licet humanus reſpectus aliter ſuaderet, ſi tamen ſincere, & ſecundum Deum loquendum eſſe, licet nihil inde proficerent niſi quod ſuo munere perfungerentur, & oſtenderent, nobis non eſſe prætermittendum; quominus veritati teſtimonium perhibeamus, etiam ſi alii ſubmiſſione ſua illud perhibere detrectent. *Ex vita Cardinalis de Berulle lib. 1.*

*Plurimi ſunt Eccleſiaſtici, ſed pauci, qui atque ac Sanctus N. in vinea J. C. laborent.*

Jeſus Chriſtus curam prorſus ſingularem gerit animarum; modo illas reſpicit tanquam gregem; cujus eſt Paſtor; modo tanquam uberem meſſem, cujus eſt Dominus; modo illi diſplicet magnam quidem eſſe meſſem, paucos autem operarios. Mundus plenus eſt Eccleſiaſticis, dicit S. Gregorius hoc malum deplorans, & nihilominus pauci inveniuntur operarii in meſſe Domini, quia accipimus quidem characterem, & officium ſacerdotale, ſed non replemus opera miniſterii noſtri, neque noſtræ dignitatis officia. Quotuſquiſque eſt, qui cum S. Paulo dicere valeat: *bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi?* Quidquid de aliis ſit, tu conare ſecundum Sancti noſtri exemplum gratiæ vocationis tuæ reſpondere: *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ: miniſterium tuum imple*; Deum precare ut tuis ſuppleat defectibus, & mittat operarios in meſſem ſuam. Hæc enim meſſis ab illo procedere debet; hoc illius opus eſt. Vult operarios, non inertes homines vult a Domino meſſis mitti; vult orari. Nubes quæ ubertatem afferunt ubicunque agros irrigantes, non alium habent motum, niſi quem ab illo recipiunt. Ex ſe ultro non feruntur hac potius, quam illac; imbrem effundunt æque ſuper terram alienam, ac in illam, quæ produxit eas; præſto ſunt, ut imperata faciant, & morentur, & procedant ad nutum miſericordiæ ipſius. Ita Sanctus N. obedit voci Dei, qui illum ad munus hoc evocaverat; acceperat illud de manu Dei, qui erat robur, & præſidium ejus; quapropter Dominus benedixit omnibus laboribus ejus. *Meditationes P. Nouet Tomo 6.*

*Quod ſit diſcrimen inter eos qui ad Eccleſiaſticum ſtatum vocati ſunt ab iis qui ſecus.*

Qui legitime vocatus eſt, & qui ſecus; uterque Sanctuarium ingrediuntur, ſed non ſine diſcrimine. Priori patet janua; alteri vero non item. Videlicet, prior ille ingreditur Paſtore ſummo conſentiente; hic illum inter miniſtrorum ſuorum numerum gaudens admittit; Angeli gaudium ſuum teſtantur Canticis laudum; oves, videlicet Sancti feſtinant audituri vocem Paſtoris ſui. Qui non vocatus venit, invito Patrefamilias ingreditur, qui eum ægre ſuſtinet. Angeli irritantur impotentia, qua polluitur quidquid ſanctiſſimum eſt in Religione; Sancti dolent cogitantes, eos qui mittuntur ad annuntianda Domini mirabilia, os aperire, ut profana loquantur. *Lambert in anno Evangelico, Tom. 6.*

*Quantæ ſint Eccleſiaſticorum obligationes, & quomodo illis abutantur.*

Coram Deo munere noſtro perfuncti non ſumus, eo quod divinum Officium recitavimus, vel aliquot exercuimus functiones, quæ ſatis magnum præmium nactæ fuiſſent, ſi qui poſſident beneficia omnia munera ſua adimpleviſſent, cum adeo levibus obligationibus feciſſent ſatis. Quo ampliora ſunt beneficia ſive per dignitatem, vel emolumentum, eo majores ſunt obligationes. Illi in quorum manibus hos ſacros redditus depoſuit Deus, falluntur, ſi putant, penes ſe arbitrium eſſe illos pro libidine diſpenſandi, Jeſu Chriſti intentio eſt, miniſtros ſuos contentos eſſe illius, quod ipſis eſt neceſſarium juxta regulas chriſtianæ & Eccleſiaſticæ mediocritatis. Quod ſupereſt conſecrandum eſt in proximi utilitatem. Si redditus Eccleſiaſtici fideliter adminiſtrarentur, ignari eruditi eſſent, afflicti ſolatium invenirent; Evangelium pauperibus annuntiaretur; qui derelicti ſunt, & ſqualent in miſeria tutum haberent ſolatium, nunquam in urgentibus eorum neceſſitatibus defuturum. *Idem.*

*Conceptus quem habere debemus de ſtatu Eccleſiaſticorum.*

Quid exiſtimandum eſt de Eccleſiaſtico tranquillam vitam ducere quærente? Creditiſne illum ſalvari poſſe? dicere poſſumus terribilia illi onera impendere, & vereor, ne plurimi ſuis perfungantur officiis. Contremiſco pro tot Beneficia obtinentibus, ne Jeſu Chriſti hæreditatem depopulentur. Ulline ſunt Sacerdotes, qui poſtquam obtulerunt Sacrificium, facti fuerint ſacrificium juſtitiæ Dei, cujus imploraverunt miſericordiam? Ulline ſunt Præſules, qui poſtquam peccatoribus aperuerunt cæli januam eam ſibi obſtruxerunt? Ulline Paſtores, qui cum alios Jeſu Chriſto reconciliaverint, ab eodem receſſerunt? Verum quid eſſet, Domine, ſi animæ ſanctæ, quæ omnibus abrenuntiant, ut te ſequantur, quæ tibi omnia bona, ſpeſque ſuas ſacrificant, ſi electus hic grex hi viſibiles Angeli nullum apud te perfugium invenirent. *Dictionarium morale, Tomo 1.*

*Licet Eccleſiaſticum miniſterium ſit omnium elatiſſimum, qui in eodem conſtituti ſunt, multum habere debent humilitatis.*

Nihil majus, nihil ſublimius eſt, quam Evangelicum miniſterium. Quid inde inferre debent illi, quos Deus ad miniſtrorum ſuorum ordinem dignatur evehere? Hoc debent inferre, debere ſe ſe humiliare, expiare, laborare. Quo magis Eccleſiaſticus elatus eſt, eo magis ſe ipſum humiliare tenetur: Eccleſiaſticus ſuſtinere nequit gradum, in quo ſitus eſt, niſi accuratiſſimam, puriſſimamque ducat vitam. Miniſterium Eccleſiaſticum honor eſt,



Digitized by Google

cui graviſſimæ adhærent obligationes, quæ expleri nequeunt niſi jugis labor adhibeatur. Multum elati fuiſtis per honorem, quem vobis contulit Jeſus Chriſtus vos inter ſuos miniſtros recenſens. Profunde igitur voſmet humiliate: Si enim tantum voſmet humiliare debetis, quantum elevati fuiſtis, quouſque tandem vobis deſcendendum eſt, ut aliqua ratio adſit inter gloriæ gradum, ad quem vos extulit Deus, & veſtram deſcenſionem.

Eccli 3, 20.

*Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* Nemo eſt, qui magis teneatur hoc Sapientis placitum ſequi, quam Eccleſiaſtici. Magni ſunt, neque ulla eſt magnitudo cum hac miniſtrorum Domini comparanda: Hæc igitur eximia cauſa eſt, propter quam omnibus in rebus humiliari debent. Debent igitur in omnibus vitæ actionibus ſeſe humiliare. Ad quid enim tota eorum magnitudo prodeſſet, niſi inde proficerent coram Deo gratiam inventuri? Cum magnitudo non eſt cum humilitate conjuncta, cum non habetur tanquam urgens cauſa, quæ noſmet humiliare cogit, nos in ſpeciem attollit, ſed re ipſa lapſus noſtri cauſa eſt. Magnitudo omnis, per quam non invenitur gratia apud Deum, vanitas eſt. Ergo tantum abeſt, quod magnitudo nobis injiciat oblivionem obligationis noſmet humiliandi, ut immo in nobis ciere debeat memoriam, Etenim quantuſcumque es, omnia perdis, niſi Deo places, & Sapiens pollicetur fore ut te in omnibus humilians gratiam invenias apud Deum? *Lambert in ſermonibus de vita Eccleſiaſtica. Tom. 1.*

Eccleſiæ ſanctificatio finis eſt ſtatus Eccleſiaſtici.

Finis ſtatus Eccleſiaſtici eſt Eccleſiæ ſanctificatio, & hæc Eccleſiæ Sanctificatio ſita eſt in vitiis prohibendis, ſcandalis tollendis, moribus reformandis, legibus obſervandis, & diſciplina reparanda. Finis eſt medicinam afferre jacturæ tot animarum quotidie pereuntium ſeu per ignorantiam veritatum fidei, & officiorum ſuorum oblivionem, ſeu per contagionem vitiorum, quæ impune graſſantur, ſecumque ferunt quocumque licentiam, & corruptionem. Damnum infinitum, & jactura inæſtimabilis! O abyſſus conſiliorum, & judiciorum Dei! Poſſumuſne tot lapſus, & tot mala intueri, quin ut olim Propheta præ dolore ingemiſcamus? *Tabeſcere me fecit zelus meus.* Finis eſt efficere, ut ceſſet rerum ſanctarum profanatio, ſacramentorum abuſus, pœnitentiæ relaxatio, & in Communionis uſu Sacrilegia. Finis eſt reparare Domini cultum, inſpirare populis reverentiam erga terribilia myſteria, illos prædicationibus noſtris audiendis, & ſacris officiis, & ceremoniis promptiores efficere; rurſus inflammare ardorem jam jam fere extinctum pietatis, & hoc pacto totum Jeſu Chriſti gregem inſtaurare. Denique, ut me verbo expediam, vobis fingite auditores quidquid perfectiſſimum, & diviniſſimum eſt in miniſterio Apoſtolico; hoc illud eſt, quod ſpectarunt homines Dei, ferventes gloriæ ipſius zelatores, & digni miniſtri verbi illius; & hoc etiam illud eſt, quod fideliter præſtitit Sanctus N. cujus memoriam hodie recolimus. *P. Bourdaloue in Chriſtianis Exhortationibus. Tom. 1.*

Efficaciſſima ratio Eccleſiam ſancti ficandi eſt bonos Sacerdotes ſtatuere.

Parum tamen profuiſſet finis adeo nobilis, niſi Deus ſapienter de mediis cogitaſſet. Credidit autem breviſſimum, efficaciſſimum, certiſſimumque medium ad pietatem fovendam eſſe, bonos efformare Sacerdotes, qui tanquam ſal terræ, ſecundum Jeſu Chriſti figuram, & tanquam mundi lumen illuſtrarent Eccleſiam, ejuſque ſervarent integritatem. Conſideravit, ubi ſal terræ ſemel corrumperetur, & lux mundi caligine aſpergeretur, futurum eſſe ut ſpiritus denſiſſimis tenebris obruerentur, & corda perverterentur. Chriſtianiſmi vaſtitatem quovis tempore minus obortam eſſe a populis, quam ab eorumdem ductoribus, atque ut mali cauſa cognoſceretur, habendos eſſe Sacerdotes eruditos, vigilantes, laborioſos, attentos; frugi, & irreprehenſibiles; eruditos Concionatores, ſapientes Confeſſarios, Paſtores fideles, atque zelo ſuccenſos. Ad id neceſſe eſſe domos, ubi educarentur, & perficerentur; domos, in quibus Eccleſiaſtici ponerent tyrocinium, quale habent Regulares, & hæc ſeminaria longe magis utilia futura Eccleſiaſticis, quam ſimplicibus Religioſis; quia ſimplices Religioſi ſeſe relaxantes ſibi ipſis nocent dumtaxat, cum Eccleſiaſticorum, & Sacerdotum relaxatio, officiat toti orbi Chriſtiano, cujus duces eſſe debent, & directores. In hujuſmodi Seminariis Sanctus Eccleſiaſticus noſter ſe ad veram pietatem effinxit, qua ſanctus effectus eſt. *Exhortationes Chriſtianæ P. Bourdaloue, Tom. 2.*

Quomodo [illegible] Eccleſiaſtici laborent ut ſuſtineant Eccleſiam.

Jeſus Chriſtus in Evangelio ait; *Meſſis multa, operarii pauci*; vel ſi mavis, multi ſunt operarii, ſed ratione operum, & curarum, quas flagitat, pauci. Operarii multi, ſed pauci, qui in ſe complectantur omnes qualitates, quæ requiruntur, doctrinam, pietatem, zelum, prudentiam, patientiam, laboris amorem. Multi operarii, ſed pauci, qui neceſſariis talentis ornati ſuſtinere velint Sacerdotii labores, ibi vitam ſuam conſumere, ſeſe devovere, ac ſacrificare. Multi operarii ad quædam replenda ſubſellia, ad poſſidendas quaſdam dignitates, ad obtinendum honorem, privilegia, redditus; pauci vero ad ſarcinam, ac onus ferendum. Multi operarii pro nitentibus miniſteriis, ſed pauci pro obſcuris officiis; multi pro civitatibus, ſed pro agris pauci. Neque miror, ut enim quis ablegetur in rura, & provinciis, præſertim vero ut in agris operetur, conſilium capiendum eſt, ſeſe ſubjiciendi iis omnibus, quæ ſunt moleſtiſſima; & quæ animos noſtros avertunt. Paratus eſſe debet ad triſtiſſimam ſolitudinem perferendam, ad vivendum cum hominibus, in quibus præter formam nihil humanum videtur, cum illis neceſſitudo, ac familiaritas eſt ineunda; aſſueſcendum eſt barbaris eorum moribus; illorum ruſticitas perferenda eſt; centies eadem ſunt illis repetenda, ut intelligant; vox eſt exhaurienda, ut aliquibus Religionis rudimentis imbuantur. Huic vivendi rationi Eccleſiaſticus noſter ſeſe conſecravit. *Idem.*

Non deſunt in prædicatorum viri Apoſtolici, ſeu ſeculares, ſeu regulares.

Seminariorum inſtitutio reſpicit æque agros, & urbes; obſcura æque miniſteria, & fulgentia, Dei ſolum gloria, & proximi ſalus ſpectatur. Ubique alterutrum inveniri poteſt; indiſcriminatim labor quærendus eſt. Senſus hujuſmodi adoleſcentibus Chriſtianis inſpirantur; qui poſtquam aliquantiſper exerciti ſunt in domo Domini, quo illos zelus non adigit? Hoc ipſe intuitus ſum, auditores, & teſtari poſſum. Sed quanam cum conſolatione id ſum intuitus? qua cum admiratione? Memini adhuc, neque obliviſcar, Vidi viros indefeſſos; ſemper alacres ubi de animarum progreſſu agebatur; homines ſemper occupatos ſine requie excolendis ſiccis, aridiſque terris; videlicet intentos ad revocandos illos, qui aberraverant, ad errorem ab illis extorquendum, qui in illum inciderant, ad flectendos ſpiritus pertinaces, ad illuminandos cæcos, eoſque ſibi conciliandos, ut illos cum Eccleſia reconciliarent. Illos vidi, ac millies benedixi domui, unde egreſſi ſunt, non ſecus ac ex Cœnaculo Apoſtoli. Millies optavi, ut multiplicari poſſent, ut Europa univerſa particeps fieret laborum illorum. Quanam inde ſequeretur reformatio & in clero, & in omni fidelium corpore? Si igitur Auditores vos movet Dei honor, ac bonum ſpirituale fratrum veſtrorum; ſi vos afficit ſenſus bonorum veſtrorum; ſi vultis ſolide, ac plene reparare ſcandala omnia, quæ fortaſſe præbuiſtis; alii quidem non ſine cognitione; alii vero imprudentes, & neſcientes, nihilne eſt, cui parcere debeatis, nihil, quod vobiſmet ſubtrahere valeatis ad alimoniam Sancti hujus loci, ubi tales miniſtri efformantur? Quot animas lucrabimini J. C. eleemoſynis veſtris, procurantes illis adeo eruditos præceptores, & Prædicatores tanto zelo ſuccenſos? *P. Bourdaloue T. 1. Exhortationum Chriſtianarum.*

Multum terrarum eſt, etiam in illis partibus ubi Chriſtiana viget Religio, ubi [illegible] imperfecte tantum cognoſcitur.

Quantum terrarum eſt, non dico ſolum apud Idololatras, ſylveſtreſque homines, verum ibi etiam, ubi Chriſtiana viget Religio, in quibus Deus vel non cognoſcitur, vel obſcuriſſime tantum, & imperfectiſſime cognoſcitur? Quot pagi, ubi nulla eſt idea articulorum maxime eſſentialium noſtræ Religionis? O me beatum, ſi hic in anteceſſum humiles gratiarum actiones referre poſſem Deo, eique benedicere eo quod huic malo medicinam ettis allaturi, & eo quod odor charitatis veſtræ in incultas, deſertaſque terras penetrabit! *Deo autem gratias, qui odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco.* Hac in re imitabimini zelum primorum fidelium quorum fidem profitemini. Quemadmodum Apoſtolis univerſus terrarum orbis peragrandus erat, & omnes populi erudiendi, ita fideles ſe teneri putabant, ut eorum neceſſitatibus providerent, donec illi ad Eccleſiæ incrementum locarent operam. Legite Epiſtolas S. Pauli; & videbitis, quomodo ad id colligebantur quotidie eleemoſynæ & quonam ardore ſuo putabant intereſſe Chriſtianæ fidei dilatationem. *Idem.*

Magni progreſſus, dum fecit Sanctus N. in amore Caſtitatis. *Quia Angelus Domini vere creatus eſt. Matth. 15. Qui paſcitur inter lilia Cant. Cant. 2. Ego enim ſum Dominus Deus tuus, & æmulator, Deut. 5.*

Caſtitatis amor, quem Sanctus hic Eccleſiaſticus habuit, ut vidimus, ab ipſis pueritiæ ſuæ annis, non ſecus ac aliæ virtutes, magnum nactus eſt incrementum. Voluit eſſe Angelus per puritatem, antequam eſſet per miniſterium, & expectans recipere ſæpe ſinu ſuo Agnellum immaculatum maximam adhibuit curam, ut candorem; & ſpeciem liliorum tueretur, inter quæ paſci, & quieſcere oblectabatur. Ejus in colloquiis, quæ cum mulieribus habere tenebatur, tanta erat verecundia, ut plerumque oculis in terram defixis loqueretur; volebatque, ut ne intuitus quidem ſui negotium faceſſere poſſent Deo, qui zelotypus eſt. Neceſſe non erat illi, ut mulieres faciem ſuam velarent, juxta S. Pauli præceptum, ne ſcandalum ſacris Miniſtris inferrent; modeſtia hujus viri oculis ſuis aliud objiciebat velamen, quo illas intueri prohibebatur. Videbatur pietas, quæ illum Mundo mortuum effecerat, clauſiſſe oculos ejus omnibus Mundi vanitatibus; eratque ita collectus in ſe, & Deo plenus, ut ſolus ejuſdem intuitus in cordibus Jeſum Chriſtum imprimeret; & cum e contra non deſint oculi impuri, qui laſciviam inſpirent, & injiciant virulentos ſpiritus in corpora, oculi ejus injiciebant puritatem, & divini amoris ſcintillas uſque in penitiores animarum receſſus, & quidquid manabat ab illo, ita erat ab omni alienum immunditia, ut plurimi ex tentationibus incolumes evaſerint; alii quidem per verba, alii per facta, quidam per preces, nonnulli per Epiſtolas. *Ex vita Cardinalis de Berulle, lib. 1.*

Quomodo ſeſe gereret Sanctus hic Eccleſiaſticus in converſationibus, quibus intereſſe debebat cum hominibus.

Facies ejus, & ſermo non erat auſterus. Jeſus Chriſtus in illo ſuavitatem ſuam collocaverat, & cæleſtes veritates, quas hic Dei ſervus effundebat in animas ſermonibus ſuis, non deſcendebant, ut olim de Monte Sinai inter fulmina, atque tonitrua. E contra ejus converſatio hilaris erat & elegans, licet ſeria eſſet, & ſancta, nunquam loquebatur cum tædio, licet ſemper

loque-

loqueretur cum ædificatione, & lepide verba proferebat, licet nulla unquam proferret otioſa. Illa vero quæ neutra videbantur, & quæ ad recreandos animos efferebat, ſecum afferebant utilitatem. Ut plurimum ad contemptum, ac terrenarum rerum vanitatem referebantur. Et innocenti dolo divini luminis ſenſim, ac ſine ſenſu in animas illabebantur, cum ad oblectationem, & animi relaxationem dicta viderentur. Quod ſi quis ex comitatu inutilem Sermonem ingereret, vel in ipſo ortu jugulabat, vel ſi minus hoc poſſet, ſe ſe intrinſecus cum Deo colligebat, ne ſemet illi immiſceret; ac interea ſpiritu verſabatur in Cælo, ita ut ſæpe confeſſus fuerit, ſenſus ſuos nullam habere partem cum ſenſibus hominum. Verbo, qualis eſſe decreverat in oratione ſua in ſocietatibus, cum ibi adeſſe teneretur; talis reipſa erat; licet in pleriſque animabus id accidat de bonis propoſitis, de meditatione, & receſſu, quod de floribus arborum, quorum præclara quidem eſt ſpecies, & magna in copia naſcuntur, ſed qui ubi ventus afflaverit, decidunt, & minima tantum pars perficitur. *Ex vita Cardinalis de Berulle Libro primo.*

*Sanctus hic fugiebat Eccleſiaſticas dignitates, quoniam ut plurimum magnis periculis ſepte ſunt.*

Si Sanctus N. fugiebat humilitate ſua nitorem honorum; non huic tantum virtuti accepta referenda eſt rota hujus contemptus gloria; quippe generoſum hoc ſe ſe in abjectione continendi conſilium duabus aliis rationibus innitebatur; quarum prima timor erat pereundi, & cognitio, quam tenebat dignitates omnes etiam Eccleſiaſticas graviſſimis conjunctas eſſe periculis, & quo ſanctiores ſunt per ſe, eo magis metuendum eſſe poſſidentibus illas, ne ſanctitatem ſuam in diſcrimen adducant. Dicebat, Jeſum Chriſtum præcipere, ut qui per auctoritatem ſunt omnium primi, humilitate fiant omnium noviſſimi, & dignitatem a perſona ſejungentes, caveant ne ſibi vindicent magnitudinem, quæ ad dignitatem tantummodo pertinet. *Idem.*

*Sanctus hic Eccleſiaſticus ſingularem habebat in confeſſionibus gratiam, ut qui apud illum confiterentur, non mediocrem fructum perciperent.*

Deus, ut S. Paulus Apoſtolus loquitur, erat in hoc J. C. Miniſtro, ſibi Mundum, & peccatores reconcilians. Docebat imperitos, confirmabat infirmos, pacabat animas perturbatas, molliebat eos, quorum corda erant indurata; avellebat eos, qui mundo inhærebant, & quidquid illis diceret, verba ejus, ut plurimum, in mentes eorum penetrabant, quemadmodum proficiſcebantur ex ſpiritu ipſius inflammata, & ardentia. Potiſſimum vero validiſſima habebat verba, ut aperiret quanti momenti ſit, non pati, ut quis trahatur communibus imperfectionibus ſuis, poſtquam inſignibus gratiis cumulatus fuerit a Deo, & ne quis contaminet Salvatorem, & Sabbatum Domini polluens animam, in qua ille ſemel quieverat. Loquebatur ad ſingulos juxta captum eorum, & omnibus omnia ſe ſe præbebat, ut Jeſus Chriſtus eſſet in omnibus omnia. Sæpe ſe ſe attollebat ad Deum pro pœnitentibus ſuis tanto zelo, ut ſimul illos ſecum attolleret, & ſimilis aquilæ pullos ſuos volare edocenti circum illos volabat. Imponebat illos alis ſuis, & ut ita dicam ſuper humeros accipiens, eos in cælum uſque rapiebat. Id præſertim ei erat curæ, ut ab illis Contritionis actus eliceret, ut eos a veteri homine avulſos, novo adnecteret. Volebat ut ſe ſibimet eripientes, ſe totos Deo manciparent; ut in ſe morerentur, in illo victuri; & ſanctum odium, quod peccator concipiebat in ſe, principium eſſet amoris perfecti pro Filio Dei. Ita licet nihil ſit Naturæ gravius, atque acerbius, quam anceps hic gladius, qui ſeparat hominem a ſe ipſo, & dividit animam a ſpiritu, vulnera tamen mirum in modum leniebantur oblectatione recentis affectus, quem illis in Deum inſpirabat. Evellebat cor ſine ſenſu, ac mortem amori propalo inferebat ſine dolore, quoniam illum alterius amoris jaculis confodiebat. *Ex vita Cardinalis de Berulle Lib. 1.*

*Sacerdos tenetur orare pro populo & illi Domini gratiam promereri.*

Tenetur Sacerdos Domini gratias non ſolum ſibi, ſed etiam populo promereri. Quid eſt Sacerdos? Homo eſt, qui per ſtatum, & conditionem ſuam debet ſemper præſto eſſe, ut loquatur pro populo. Si Deus iratus eſt, Sacerdotis eſt illum mulcere. Si populus eget auxilio, Sacerdotis eſt illud flagitare: Sacerdotes ſunt Mediatores inter Deum, & populum. Quomodo vero ampliſſimo, & maxime neceſſario hoc munere perfungentur, niſi preces obtulerint Deo, quæ exaudiri mereantur? Sæpe mementote Sacerdotes Domini muneris, quod vobis impoſitum eſt loquendi apud Deum pro populo. Sanctus quidam Propheta aſſerit, cum Deus irritatus eſt contra populum ſuum, Sacerdotum officium eſſe ſe ſe

*Joel. 2.* *proſternere*, *plorare*, *clamare*, & humiliter veniam precari pro populo ingrato, & rebelli adverſus Dominum ſuum. Munus hoc adeo neceſſarium eſt, ut alius Propheta affirmet, ſi illud obire neglexerit Sacerdos, Deum hoc

*Ezech. 13.* illi exprobraturum. Quid? inquiet illis, Miniſtri indigni, & prævaricatores, expectabam a vobis, ut voſmet objiceretis inter me, & populum meum, neque hoc feciſti: credebam vos ſimiles futuros mœnibus præaltis, & fortibus, quæ ab hoſtium incurſu populum tuentur, & nihil feciſtis eorum, quæ vos facturos ſperabam. Verba terribilia, & quæ palam oſtendunt grave illud onus, quod Sacerdotibus impoſitum eſt. *Lambert in Sermonibus de vita Eccleſiaſtica.* Tom. 2.

*Eccleſia Sacerdotibus præſcribit*

Eccleſia huic muneri interna officia ſua ita diſpoſuit, ut Sacerdotes ſæpe cum Deo loquantur pro populo. Ingerit in os eorum eximia verba, quibus a Deo miſericordiam petunt pro populo, & in quibus Deum deprecantur, ut peccata populi obliviſcatur. Hæc omnia ſatis oſtendunt, quanti Sacerdotum interſit ſæpe preces effundere; quanti referat illos placere Deo, ubi eidem ſua nuncupant vota. Hæc omnia palam oſtendunt, officii recitationem eximium eſſe medium ad explendam obligationem, quam contrahit Sacerdos, ubi Mediator conſtitutus eſt Deum inter, & populum. Sacerdotes Domini, attente orate, quia hæc prima eſt conditio, ut in oratione placeatis Deo. Sacerdotes Domini, novos adhuc conatus exerite, conſiderantes onus, quod geritis, cum arcta adeo neceſſitate fovere teneamini precibus, & bonis operibus veſtris ſanctam unionem, quæ eſſe debet Deum inter, & populum. *Idem.* *medium orandi pro populo.*

*Prima diſpoſitio, quam Deus exigit ab Eccleſiaſtico eſt caſtitas.*

Prima ex illis diſpoſitionibus, in quibus Dei Filius adveniens invenire cupit Eccleſiaſticum, eſt caſtitas ſine macula, & ſine labe. Cingulum quo jubet renes noſtros præcingi, S. Gregorius ait, eſt figura ſalutaris, & conſtantis hujus violentiæ, quam inferre debemus carni ad compeſcendos omnes inordinatos motus illius, ad minimos etiam impetus ejuſdem cohibendos. Hoc Salvatoris imperium generatim ad omnes homines pertinet: ſed potiſſimum ad Aræ Miniſtros, & eos omnes, qui frequentius, & propius accedunt ad illum. Docet Scriptura Deum zelotem eſſe ſanctitatis Templi, & Altaris, ubi ipſi ſacrificia offeruntur. Sacerdos non ne & ipſe eſt hoc Templum, & Altare? Non ne in manibus ejus immolatur, & in ejus corde conſumitur puriſſima victima? Quænam igitur eſſe debet puritas harum manuum, & ſanctitas hujus cordis? Religioſa uſque ad ſcrupulum puritas, quam Dominus olim a Sacerdotibus, & Levitis exigebat, umbra tantum erat illius, quam hodie aequisit a nobis. Noſtra tantum illam ſuperare debet, quantum veritas figuram. Maria licet puriſſima, nimis pura non erat pro miniſterio, ad quod evehebatur. Noſtrum vero neque minus ſanctum eſt, neque terribile minus illo: noſtra igitur puritas illius puritatem æquare deberet. De his principiis apud omnes conſtat, ſed hinc ea quæ debemus, inferimus? Sancte Spiritus ea nobis tuis luminibus explica. *Ex Chriſtiana morum diſciplina Patris la Neuville. Tom. 4.*

*Puritati accedere oportet bonorum operum praxis, ſine qua ſit inutilis.*

Puritas eſt diſpoſitio neceſſaria, ſed ſola non eſt; addenda eſt praxis bonorum operum, quæ S. Gregorius ait, per *ardentes lampades* ſignificantur. Caſtitas æque ac fides, inutilis eſt cum ſejuncta eſt ab operibus ſanctificantibus. Virgines fatuæ erant puræ, ſed lampades earum erant extinctæ; quod ſatis fuit, ut a Sponſo excluderentur. Non igitur ſatis eſt, manus noſtras puras eſſe, laborioſas, & ad agendum paratas eſſe decet. Væ illi, qui ſatis eſſe putans cor ſuum a corruptione præſervaſſe audet *fatuarum Virginum* exemplo indulgere ſomno, otio, inertiæ! Convivalis aula illi in æternum obſtruetur. Arguamus igitur cum Patribus, caſtitatem ſine aliis virtutibus parum eſſe, licet ſine illa in Chriſtiano neque virtus, neque meritum poſſit inveniri. Quodnam meditationis argumentum, quod documentum pro omni ætate, ſexu, ſtatu! Eccleſiaſticus ſobrius, ac temperans eſt; inceſſanter in vinea Domini operatur, zelum habet pro ſalute fratrum ſuorum, large effundit eleemoſynas ſuas in ſinum pauperum; ſed in ſinu ſuo aliquas retinet ſordes? omnia illius opera interierunt. E contra religioſe cuſtodit cor ſuum ab omnibus ſordibus vacuum: ſed nulla in eo Deus invenit opera bona; jam in ſervorum inutilium ordinem rejiciendus eſt, & in æternas tenebras conjiciendus. *Ex libro cui titulus; Moralis Chriſtiana Patris la Neuville. Tom. 4.*

*Eccleſiaſticus qui habet ſpiritum J. C. ſemper mundi conventus evitat.*

Jeſu Chriſti Miniſter, qui repletus eſt ſpiritu ſtatus ſui, non invenitur crebro in Mundi conventibus. Libenter inviſit pauperes, afflictos, ægrotos, & raro videtur præ foribus Principum, atque Optimatum. Eo pergit: cum neceſſitas, vel zelus gloriæ Dei adducunt illum; nunquam vero ob animi voluptatem, ſtudium, vanitatem; neque ut in partem accedat inanium ſolatiorum, vel ut eorum gratiam, favoremque aucupetur. Hæc morum diſciplina ſola non eſt regula, quam ex hoc Evangelio haurire debetis per occaſionem convivii, cui Dei Filius intereſſe dignatus eſt apud Phariſæum; mementote divini illius convivii, quod hodierna die vobis præparat in domo ſua, ad quod vos invitat. Accurate voſmet diſponite, honorem hunc tanti facite, quanti faciendus eſt; contendite, ut quam ſæpiſſime eodem dignos voſmet præbeatis. Phariſæi ideo Salvatorem coegerunt cum illis manducare, ut illi necterent inſidias. Religioſus, & Sacerdos vulgo, & ſine temeritate ſuſpicari poteſt, parem intentionem in laicis illum invitantibus, ut voluptuariis illorum cœtibus interſit. Quamcumque ſollicitudinem illi vobis oſtenrent, ſemper vobiſmetipſis cavete, neque exiſtimetis, homines, qui ſtatum noſtrum profitentur, poſſe aliquid conferre ad eorum lætitiam. Scitote vos ab illis eodem ferme oculo reſpici, quo Jeſus a Phariſæis ſpectabatur. Vos propius cenſoria trutina ſcrutabuntur, & fortaſſe etiam improbe notabunt. Difficile eſt, ut coram illis omnem ſervetis modeſtiam, omnem gravitatem, quæ ſtatum veſtrum decet, quin illis graves ſitis; ſed ſi vel tantillum a veſtro charactere aberrabitis, contemptus eorum pretium erit veſtri er-

ga illos obſequi. Quomodonam Jeruſalem particeps fieri poteſt feſtivitatum Babylonis? Quantum profana illius gaudia pariunt amaritudinis vero Iſraelitæ. *Ex eodem Tom. 4.*

*Quibus ſe ſe objiciunt periculis illi, qui vel conſanguineis, eorumque amicis beneficia procurant.*

Sanctus hic Eccleſiaſticus non imitabatur aliorum exemplum, qui conſanguineis, amiciſque beneficia procurant. Poſtulas pro conſanguineo, amico aliquod beneficium; agnoſcis ne tu illius qualitates, talenta, virtutes? Sciſne quid ſit ſtatus Eccleſiaſticus? Nunquid calles illius officia, & conditiones, quæ requiſiuntur ad illa recte, & rite obeunda? Sciſne Deum abs te rationem expetiturum vitæ hujus hominis, qui debet ſollicitationibus tuis locum, quem tenet in Eccleſia? Utique illius talenta cognoſcis, & noſti illi deeſſe ea, quæ ſufficere valeant; virtutem eſſe mediocrem, captum non ſatis magnum; illum neque docendo, neque ædificando parem eſſe. Trahitus ille carnalibus cauſis, & minus te afficit ſalus animarum, quam cæca cupiditas provehendi conſanguineum, vel amicum? Quot congeris crimina? quandoquidem conſtat, omnem hominem, qui quomodocumque contulerit ad indigni electionem, participem fieri peccatorum, quæ indignus committit in exercitatione ſui miniſterii. *Lambert in Anno Evangelico. Tom. 6.*

*Ejuſdem argumenti.*

Fatentur quidem, eos, qui Eccleſiaſticum ſtatum ingreſſi vitam ſanctam minime vixerint graviſſimis obſtringi criminibus; ſed negligunt ſcelus patratum ab illis, a quibus implicantur in hoc ſtatu ad quem vocati non ſunt. Nihilominus hæ duæ veritates inter ſe arctiſſimis vinculis cohærent. Homo hic ſcandalo eſt; tu autem te putas innocuum licet ille per electionem tuam, ſollicitationes, ambitum ad hoc munus fuerit evectus. Scito, illum nullum crimen committere, quod non recidat in te, & quod tibi imputandum non ſit. Secundum hæc principia conſcientiam ſuam debent excutere illi, qui collatione beneficiorum non alium canonem ſequuntur, niſi libidinem, & cupiditatem ſuam; illi qui ſuis affectibus præventi, citra examen morum affinium, vel amicorum ſuorum ardentes requirunt beneficia pro indignis; illi, qui auctoritate ſua, & inconſulto Deo, volunt filios ſuos Eccleſiaſticum ſtatum amplecti; illi, qui filios onerant beneficiis, quin cogitent ea tot eſſe vincula, quibus retinentur in eo ſtatu, qui illos non decet, & in quo fortaſſe poſtea quam alios plures perdiderint, interibunt. *Annus Evangelicus Lambert. Tom. 6.*

*Sancti hujus Eccleſiaſtici exemplũ confundit miniſtros hujus temporis, qui ſe ſe immiſcent Sacerdotio non vocati.*

Heu! cur mihi non licet ad tanti hujus exempli conſpectum rubore ſuffundere tot indignos Miniſtros, qui Sacerdotio ſe immiſcent non ullius vocationis illecebra, ſed ob cauſas carnis, & ſanguinis, ob humanas, politicaſque rationes, & ſolam ambitionem, & vanitatem? Conſilium hoc ſuſcipitur, ut extra domum collabentem inveniri perfugium poſſit, ut adverſitatibus ſolatium quæratur, ut honeſtum otium foveatur ſub ſpecioſo prætextu conditionis, quæ aſſumitur, & ſub habitu ſacro vita prorſus profana ducatur. Cælum, ac terra ſus deque movetus, ut in iis, quæ ad honorem, ad utilitatem pertinent, ibi conſulatur, ſed nihil intentatum relinquitur, ut abjiciatur ſarcina, & onus, quo gravamus. Hoc non accidit Sancto N. qui non niſi trepidans ingreditur in officium miniſterii ſui; & licet ille ſe ſe non immiſcuerit in illud, ſed ſingulari divinæ Providentiæ juſſu fuerit vocatus; jugi timore agitatur, videns ſe ſublatum ad ſublime hoc miniſterium, quo ſibi Dominici gregis cura demandatur. *In Specimine Orationum Panegyricarum pro feſto die Sancti Joſeph.*

*Quid faciendu Eccleſiaſtico, ut ſe preparet miniſterio cui deſtinatur eſt.*

Vir ſacro deſtinatus miniſterio, ad illud ſerio, & conſtanti ſtudio ſe præparare debet, ſed laborem hunc lenire debet eumque ſanctificare rectitudine intentionis ſuæ; debet ſcientias amare, non propter ipſas, ſed propter gloriam, quam Domino poſſunt procurare. Vetus eſt ars pſeudodoctorum ſimplicem popellum impellere, ut ſe ſe diſputationibus de Religione commiſceat. Veritas tua, Domine, laico non eget ſuffragio, cum auctoritate non reſidet niſi in ſacris Miniſtrorum tuorum labiis, quorum eſt Oracula tua pronuntiare. Cæterorum Fidelium pars humilitas eſt, & ſubmiſſio. *Moralis Novi Teſtamenti Patris la Neuville.*

*Eccleſiaſticus eſſe debet vir orationis ſi vult aliis inſpirare ſenſus pietatis.*

Jeſus nunquam fere viſus eſt Judæorum populo dignior reverentia, & admiratione, quam cum viderunt illum de Thabor deſcendere. Dei famulus qui eum ipſo habet intimas, prolixas, ferventeſque communicationes, ut plurimum facile inſpirat aliis ſenſus, quibus ipſe primum repletus fuit in Monte Sancto. Vultis ne reverentiam conciliare miniſterio veſtro, & robur addere verbis veſtris? Eſtote viri orationis: per frequens Domini commercium æque ac Moyſes acquiretis hunc auctoritatis habitum adeo neceſſarium ad animos permovendos, gravem hunc ſanctitatis characterem adeo aptum ad animos conciliandos: hæc exteriora gratiarum genera non cedunt in gloriam eorum, qui illa recipiunt, ſed in honorem eadem concedentis. Si ergo voluerit Omnipotens illa vobis conferre, ne illis utamini, niſi ut prævaricatores magis, magiſque contremiſcant. Aliter uti idem eſt, ac prævaricari. Dignare Domine hoc a me prorſus avertere. *Idem.*

*Virtutes Eccleſiaſtico neceſſariæ.*

Si Charitas fraterna, patientia, lenitas ſunt virtutes, quarum praxis generatim Chriſtianis omnibus præſcriptæ ſunt, quam neceſſariæ videntur eſſe in Eccleſiaſtico, qui adeo frequenter veſcitur carnibus Agni, qui figura, & prototypus eſt Chriſtianæ manſuetudinis? Panis hic Eccleſiaſticus, qui, S. Auguſtino teſte, ſymbolum eſt perfectiſſimum unionis cordium, nunquid poteſt non mutari in mortale virus in anima, quæ ex felle, & amaritudine coaluit? Serio igitur voſmet colligite: conamini detegere, ſimulque exhaurire fontes diſſenſionis, iracundiæ, acrimoniæ. Pax cum fratribus veſtris diſpoſitio eſt ad Jeſum Chriſtum recipiendum non minus neceſſaria, quam pax cum ipſo Deo. *P. la Neuville, Tom. 5. Moralis novi Teſtamenti.*

PRO

# PRO COMMUNI SANCTORUM, CONFESSORUM, QUI SE SANCTIFICARUNT in Statu Religioſo, Abbatum, Inſtitutorum Ordinis &c.

## M O N I T U M.

*Trecenti, vel quadringenti ſunt anni, ex quo Eccleſia in Sanctorum Album tantum Religioſorum ſexus utriuſque numerum retulit, ut deleviſſe videatur memoriam eorum, qui præceſſerunt; quorum multitudo tanta eſt, ut in ſolo S. Benedicti Ordine numerus fere infinitus recenſeatur, eo uſque, ut neceſſe fuerit ab aliorum Canonizatione ceſſare. Quapropter non eſt, cur nobis probandum ſit, quod Sancti Patres ſcripſerunt pro Religioſis generatim; videlicet hanc electam eſſe partem hereditatis Filii Dei, in quam ille plures effuderat benedictiones, & cui plura ad acquirendam ſanctitatem contulerat adjumenta: ita illi peculiarem habent neceſſitatem ad altiorem perfectionis gradum contendendi, præcepta, & Conſilia Evangelica obſervantes.*

*In hac autem Sanctorum Multitudine, qui in Ordine quiſque ſuo, & in regionibus aliquot ſatis cogniti ſunt; ſed in aliis parum noti, fieri poteſt, ut nihil ſuppetat dicendum de horum quopiam, de quo tamen elogium habendum eſt, niſi de obſervantia exacta, regulari, & conſtanti regularum communitatis Religioſæ, quæ cum per ſe Sancta ſint, conſequenter eos ſanctificarunt, qui religioſius illas obſervarunt, eoſque deinceps ad tantum perfectionis apicem elevarunt, ut digni fuerint, qui in Sanctorum catalogo adſcriberentur.*

---

## PRO COMMUNI SANCTORUM CONFESSORUM, qui ſemet ſanctificarunt in Statu Religioſo, Abbatum, Inſtitutorum Ordinis &c.

Status Religioſus eſt ſtatus perfectionis.

NEmo unus ignorat, Statum Religioſum ſtatum eſſe perfectionis, non quidem acquiſitæ, ſed acquirendæ; & ſicut opera naturæ nihil perfectum habent ſine artis ſubſidio, quæ expolit, & perficit illa; ita virtus ſua habet principia, ſuos progreſſua, & præceptis, ac regulis indiget, quæ viam monſtrent, & ad altiorem perfectionis gradum attollant. At ſi vultis ſcire, quænam ſit hæc ſanctitas, in qua ſublimia hæc virtus ſita eſt, & quænam via ſit ad eam perveniendi: iterum dico, Deum ipſum eam connotaſſe omnibus Religioſis Ordinibus cuilibet in regulis ſuis, quæ dubitari nequit, quominus cælitus fuerint inſpiratæ eorum Inſtitutoribus, quos ideo replevit ſpiritu ſuo, ſuiſque luminibus illuſtravit, ut oſtenderent viam, per quam ambulare debebant illi omnes, qui eoſdem erant ſecuturi. Hoc in dubium vocari non poteſt; quandoquidem tenet S. Thomas leges etiam politicas, ubi juſtæ ſint, & inſtitutæ ad ſervandum rectum ordinem ditionis alicujus eſſe divinæ, æternæque legis quamdam emanationem, & Deum quodammodo reflectere ſuam auctoritatem, atque ſapientiam in illos, quos conſtituit Legiſlatores. Quamobrem S. Paulus ait, omnem poteſtatem eſſe a Deo; ex quo argumentatur idem Apoſtolus: ergo illorum præcepta recipienda eſſe, eiſque tanquam ipſi Deo eſſe parendum. Sed hoc potiori jure, majorique cum certitudine dici poteſt de his legibus adeo ſanctis, atque perfectis, quarum finis eſt ſanctitas ipſa, videlicet de regulis cujuslibet Ordinis Religioſi propriis, quæ quidem variæ ſunt; quippe voluit Deus multiplices eſſe vias, quibus ad hanc beatitudinem perveniremus, ſed omnes certas, tutaſque eſſe, ut illos qui eas ſequerentur ad ſtatus ſui perfectionem adducerent; & quæ vocari poſſent idea, & menſura hujus perfectionis, quam ab illis exigit; ita ut ſicut homo vere hominis vitam ducit, cum ſequitur lumina rectæ rationis, & vere Chriſtiani, cum Dei mandata ſervat, & ſequitur Evangelii dogmata, ſecundum quæ vitam ſuam debet inſtituere; ſimiliter Religioſus perfectus ſit, & ſtatus ſui munera adimpleat, cum ad unguem ſuas Regulas ſervat, & vota. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

Quæcumque opera bona Religioſus facere queat, Deum placere ſoli quæ ſint ut ſint regulæ conformes.

Licet Religioſus omnia bona opera faceret, quæ zelus ardens illi ſuadere poteſt; licet omnes excogitabiles auſteritates exerceret; licet dies noctesque in jugi, ferventique Oratione traduceret; ſi hæc omnia minime fuerint regulæ ſuæ conformia, minime ſunt in ordine officiorum ejus; neque hoc exigit ab illo Deus: cum e contra vulgatiora, & communiora opera Deo non placere non poſſunt, quia in illis Dei voluntatem adimplet. Et ecce, quid parere debeat gaudium, conſolationem, & pacem cordis ipſius; hæc nempe certitudo, qua ſcit ſe eſſe in eo ſtatu, in quo illum vult Deus, & ſe facere omnia, quæ placent Deo. Hoc hujus nomine Regius Propheta pollicetur: *Pax multa diligentibus legem tuam.* (*Pſalm. 118.*) Alioquin ſemper anceps, incertuſque eſſem, utrum opera mea Deo eſſent accepta, & utrum oculo benigno me ſupremus rerum Dominus intueretur. Sed nihil jam eſt, quod mihi figat crucem: omnes actiones meæ, greſſus, officia ſingillatim in regula connotata ſunt, qua doceor ſingularum rerum tempus, locum, diuturnitatem, omneſque circumſtantias. Regula præſcribit, quibus veſtimentis induendus ſum, quibus cibis utendum, quo in loco habitandum; imperat quandonsm mihi loquendum, quando tacendum, qua hora preces fundendæ, labori vacandum, quieti indulgendum: & per ſingula erudit quomodo in omnibus memet gerere debeam. Mihi igitur in id eſt incumbendum, ut rite illam obſervem; & jam ea in parte pacem conſecutus ſum; jam ſcio quid a me velit Deus; ſum in hac recta via, per quam juſtos ad editiſſimum ſanctitatis gradum adducit. Hæc enim regula, quæ mihi monſtrat viam, menſura eſt, idea, & exemplar, quod mihi proponendum eſt: ita ut ſicuti opus perfectum eſt, cum ſecundum omnes artis regulas elaboratum eſt: ita de Religioſo viro fideliter obſervante regulas, & ideam perfectionis ad quam vocatur a Deo, replente, dicere poſſim, eum talem eſſe, qualem vult Deus; hac in re tandem judicatum iri a Domino, qui conſtituet gloriæ menſuram, & præmium, quod meritus fuerit; non autem ſecundum magna opera, quæ fecerit, neque ſecundum magnifica officia, quæ exercuerit, neque ſecundum numerum animarum, quas converterit, neque demum ſecundum magnos labores, quos hauſerit, niſi hi conformes fuerint regulis ſuis, quæ prima ſunt ejus officia, & veræ obligationes. *Idem.*

Regulæ non ſolum certiſſima ſunt Religioſo media ad vota ſervanda, ſed ſtatuunt etiam quomodo ſervanda ſint.

At enim, inquiet fortaſſe quiſpiam, cum vota ſint in Religione maxime neceſſaria, Religioſum illis potiſſimum curam præcipuam impendere debere, & ex illis ſalutem, ac perfectionem ejus pendere. Sed hoc eſt id confirmare quod dixi; nam præterquam quod regulæ certiſſima ſunt media ad vota integerrime ſervanda; modum etiam determinant; docent, quo uſque extendenda ſint, & illa accommodant ſingillatim cuilibet Ordini Religioſo, quemadmodum Sanctus Bernardus animadvertit: *Qui profitetur, ſpondet obedientiam, non omnimodam, ſed determinate ſecundum regulam.* Quo poſito dicere peculiariter poteſtis de illis, quas glorioſus Inſtitutor vobis præſcripſit, eas ſimul eſſe ideam altiſſimæ perfectionis, æque ac medium ad eam perveniendi propter admirabilia placita, quæ complectuntur, & eas res, quas præcipiunt, quæ ad maximam ſui abnegationem, ad cæcam uſque obedientiam, ad ſummam rebus in omnibus mortificationem, ad virtutes omnes in ſublimi gradu exercendas procedunt. Itaque regulæ veſtræ non ſolum ſunt vobis via recta, per quam vos Deus ad perfectionem adducit; ſed via illa admirabilis, de qua loquitur Sapiens: *Deduxit illos in via mirabili.* (*Sap. 10*) Quia nulla via tutior, breviorque eſt, per quam citius, ac tutius perveniatur ad Sanctitatem. Verum igitur eſt vos nihil melius, ſanctius, atque perfectius efficere poſſe, quam ad unguem ſervare regulas veſtras, quibus continetur quidquid ex vobis Deus poteſt exigere. *Idem.*

Qua in re conſiſtat obligatio qua Religioſi tenentur præ ceteris ad ſanctitatem contendere.

Quandoquidem Sanctus Thomas, aliique Doctores cum illo docent, Religioſum ſtatus ſui teneri ad perfectionem contendere, quæritur, utrum illi qui manent in mundo, eadem obligatione teneantur; quoniam Dei Filius omnibus, cujuſcumque tandem ſtatus, & conditionis illi ſint, ait: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Reſponderi poteſt utriſque admitendum eſſe, ut propriam ſtatus ſui perfectionem aſſequantur; ſed in Chriſtianiſmo duplex eſſe perfectionis genus, quorum alterutrum ſuos habet gradus, alterum quidem ad eos ſpectat, qui in mundo vivunt, & quod



Digitized by Google

in eo ſitum eſt, accurate obſerverit præcepta: alteram vero, quod a Religioſis exigitur, ut videlicet præcepta cum conſiliis obſervent; & ita primi perfecti eſſe debent priori modo, & ſemper contendere, ut in dies progrediantur; ſecundi vero præceptis conſiliorum obſervantiam adjiciant; quoniam hæc illa perfectio eſt, quam ſe ſecuturos profeſſi ſunt. Cum autem iſta perfectio in Chriſtianiſmo ſit cæterarum maxima, cum dicimus Religioſis ad perfectionem eſſe contendendum, intelligimus de altiſſima ſtatus ſui, juxta regulam D. Thomæ, attribuendi ſpeciei excellentiſſimæ nomen, quod omnibus eſt commune. *Auctor Recens.*

*Ad quid Religioſus teneatur, ut ea adimpleat, quæ in hac re debet?*

Quemadmodum Religioſus per ſtatum ſuum tenetur ad perfectionem charitatis, intimæque cum Deo unionis contendere, quæritur quibus mediis ad finem hunc debeat pervenire? & cum Sancto Thoma Doctores reſpondent, per vota, regulaſque ſuas. Hæc media ſunt illi neceſſario utenda, ut ad hunc finem perveniat, & debet velle perfectum eſſe, & per hanc viam ad terminum hunc anhelare. Qua in re ſi deſit, ſibi perſuadere debet, ſe peccare; quod ſi quæratur quodnam peccatum ſit, & in quo ſit poſitum; inquiunt Theologi eſſe mortale, ſi Religioſo mens non eſt ad hanc ſtatus ſui perfectionem perveniendi, neque viam ingreditur, qua illuc aſſequatur, nam licet re ipſa perfectus eſſe non teneatur, tenetur tamen non habere oppoſitam voluntatem, & ſeſe non profiteri perfectionis inimicum. Peccatum vero veniale tantum eſt; ſi Religioſo vere mens eſt ad Religioſam perfectionem contendendi ea adimplenti omnia, quæ ſecum ferunt obligationem mortalis peccati, ſed per quamdam ignaviam, & negligentiam ſpiritus nolenti tantum laborem ſubire, quantus ad ſui perfectionem requiritur, ſecluſo tamen formali contemptu. *Idem.*

*Privilegia, quibus gaudent Religioſi, ut ſe ad eminentem perfectionem attollant.*

Docet S. Thomas per tria vota, quæ Religioſus elicit, hunc pro virili parte fugere peccatum, & occaſiones quæ in illud poſſent adducere, namque ut idem S. Doctor animadvertit, ille procul abeſt a deſiderandis, vel uſurpandis alienis bonis, qui ne ſua quidem ſervare vult; neque ita facile illicitas conſectatur voluptates, qui a legitimis quoque abſtinere decrevit; neque audet voluntatem ſuam divinæ anteferre, quandoquidem propter Dei amorem vovit ſe voluntatem ſuam hominis voluntati ſubjecturum. Per hæc eadem vota ſe in beata neceſſitate conſtituit ſerviendi Deo, ideoque æterna felicitate gaudendi; ſibique imponit ineluctabilem neceſſitatem exercendi virtutes, ſeu Theologales, ſeu Morales, pœnitentiam, charitatem erga proximum, humilitatem, ſenſuum, & cupiditatum mortificationem, & ea omnia, quæ fidelem poſſunt ad eminentem ſanctitatem attollere. *Auctor Recens.*

*Per religioſam profeſſionem obtinetur remiſſio omnium peccatorum patratorum in ſeculo.*

Inter Religioſi ſtatus, quem amplectimur privilegia, omnes poſt Sanctum Thomam Doctores aſſerunt ingreſſum Religionis alterum eſſe Baptiſmum, qui remittit peccata in ſæculo commiſſa non ſolum per viam Indulgentiæ, ſed etiam per viam meriti, continet enim actum, cujus pretium ſatis æſtimari non poteſt. Hanc rationem aſſerunt Theologi; quia hæc indulgentia, & remiſſio non procedit ex conceſſione a Summo data Pontifice, quæ plures requirit conditiones, quæ non ſemper inveniuntur in illis, quibus conceduntur Indulgentiæ. Sed ex ipſa natura actionis, quæ fit; quæ talis eſt, ut omni tempore, omni in loco, & in omni perſonarum genere eumdem pariat effectum. Hoc innititur auctoritati Sancti Hieronymi, qui ratione convictus ait, hac in re vitæ Religioſæ profeſſionem non admodum a Baptiſmo differre. Et Sanctus Bernardus, cui non minus perſuaſum eſt de hac veritate, duas alias rationes affert; primam propter magnam pœnitentiam, cui noſmet ſubjicimus, & quam ſecum gerit hæc actio; alteram vero propter excellentiam vitæ ſpiritualis, quam ingredimur. *Idem.*

*Religioſa vita ſpecies eſt Martyrii.*

Quod præſtantius, ac nobilius in Religioſo ſtatu invenitur, eſt hæc omnimoda traditio ſui ipſius in manibus Dei per tria vota, quæ nuncupantur; quæ quidem actio eſt adeo excellens, & heroica, ut Sancti comparent hunc ſtatum cum ſtatu Martyrii. Et ſane hoc eſt juge martyrium, quod quidem, S. Bernardus ait, minus horroris habet, quam illud, quo cruciatibus membra torquentur, ſed quod eſt ipſa diuturnitate moleſtius; illud enim, quod Tyranni fidelibus inferebant, unico enſis ictu terminabatur, ſed illud Religioſorum non uno ictu perficitur, prolixum eſt martyrium, quod quotidie innovatur in nobis, modo per ſuperbiæ noſtræ abjectionem, modo per noſtræ voluntatis & noſtrorum luminum exinanitionem, ita ut cum Pſalmiſta dicere valeamus: *Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.* Tamen noſtra ſubmiſſio hoc in ſtatu talis eſſe debet, ut ſicut Martyres ſibi non eligebant ſupplicii, mortiſque genus, & ſemper erant parati ad illud recipiendum, quod ſibi inferebatur: ita Religioſus ſemper eſſe debet præſto ſubeundis mortificationibus, quæ ſibi inferuntur. *Idem.* — *Pſalm. 43.*

*Dolores illorum qui, in ſtatu Religioſo ſuſe non ſatisfecerunt.*

Fides, & fortaſſe ratio ſola nonnunquam ſatis eſt ad omnes invidiæ motus cohibendos. Homo, qui ſolide Chriſtianus eſt, aut vere Philoſophus, videt ſæpe ſumma cum animi tranquillitate prælationes quæ conceduntur non ſine detrimento ſuo competitoribus, quos contemnit; ſed quis poterit conſolari hunc Cœnobitam, hunc Solitarium, qui hic in terris acceperant primitias ſpiritus, & pretioſa gloriæ cæleſtis pignora, cum juſtitiæ coronam, cujus ſe certos eſſe opinabantur, repente evaneſceret alteri concedenda. Primum tenuerant locum in domo Dei; nonniſi noviſſimum in Regno illius obtinebunt; fortaſſis etiam inde penitus prohibebuntur, & cogentur locos ſuos cedere Laicis, quos erudierant, impudicis mulieribus, quas converterant, publicis peccatoribus, quos in Cælum perduxerant, quo ipſi nunquam ingredientur. O Deus, quomodo non exprimi, vel intelligi poterunt gemitus, dolores, querimoniæ horum prævaricatorum ad conſpectum graviſſimæ hujus prælationis? *Ex libro cui titulus: Moralis Novi Teſtamenti P. la Neuville. Tom. 4.*

*Religioſus ſua officia neque obire, niſi regulas Religionis obſervans.*

Conſtat, regulas Religioſorum veram eſſe viam, quam Deus ipſe illis indigitavit, ut ad veram perfectionem perveniant: quandoquidem per illas his ſuam voluntatem aperuit. Igitur errare, eſt aliam viam ſequi, & illuſio mera eſt ſinere oculos ſuos perſtringi actionibus nitentibus, præclare geſtis rebus pro gloria Dei, nihil a nobis tale petentis, per auſteritates, & virtutes, quæ ſtatus noſtri non ſunt; nam quod in ſe bonum eſt, & quod etiam eſt optimum, ſanctiſſimum, & glorioſiſſimum, ubi juxta ordinem fiat, tale amplius non eſt, cum ab ordine recedit; vel ſaltem non eſt aliud, quam bonum arbitrarium, de quo dici poteſt, quod Sanctus Auguſtinus ait de virtutibus infidelium: *Magni paſſus, ſed extra viam.* Magna ſunt opera, magni conatus, ſed qui minime proſunt, quia ſunt extra viam. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

*Ejuſdem argumenti.*

Spiritus Dei inſpirare nequit zelum hunc, & illi ſuadere, ut ea faciat, quæ regulis prohibentur; & prolixis his precibus vacet, quæ illum a munere ſuo obeundo prorſus avertunt; ut extra ordinem ſe implicet auſteritatibus quibus ſibi crucem figit, ut ſibi benevertat opus, in quo agi putat de gloria Dei. Non ita; Dei ſpiritus ſuadere nequit hæc negotia, quibus ſe immiſcet ſub colore charitatis, & cætera, in quibus regula non obſervatur, ac de iis illud dicendum eſt, quod olim Deus reſpondit populo ſuo conquerenti, quod ille rationem non habuiſſet jejuniorum, & mortificationum ſuarum. *Iſ. 58.* *In jejuniis veſtris reperitur voluntas veſtra.* Veſtram, non Dei voluntatem facitis, pro vobis, non pro illo laboratis. Hæ igitur actiones ſunt a regula abnormes; bona ſunt opera, mentis carentia, zelus & charitas Phariſaica, quæ ſua deſerit munera, & officia, ut ad arbitrium agat quærens fortaſſe occaſiones ſemet liberandi ab ea cruce, quam illius ingenio illudiſque regula figit. Ita inanem ſanctitatis, & perfectionis conceptum aſtruit ſibi, qui illum conſtituit in aliis actionibus, quam in iis, quas regula preſcribit. In hoc enim ſita eſt mortificatio, vera ſui ipſius abnegatio, vera violentia, quam quiſque ſibi debet inferre; ita ut licet aliunde fierent prodigia, totus converteretur orbis, & fieret totus ille fructus, quem magnus quidem zelus, ſed inordinatus, & ex adhæſione proprii ſenſus procedens, ſuaderet, hæc omnia eſſent nauci facienda. Cum enim de virtute agitur; hoc ineluctabile principium eſt, primum ea eſſe facienda quæ ſunt de neceſſitate, antequam de illis cogitetur, quæ ſunt ſupererogationis; primum ea eſſe adimplenda, quæ præcepti ſunt, & mox ea, quæ conſilii; quippe hic ordo eſt a Deo conſtitutus. Igitur cum vota, regulæ, obſervantiæ prima ſint officia noſtra poſt præcepta, quæ nobis ſunt cum reliquis Chriſtianis communia, non licet nobis has obligationes pro aliis omittere, quas ſua cuique ſuadet illuſio, & ex ea cura, qua primis hiſce muneribus Religioſus fuerit perfunctus, judicium feremus de illius ſanctitate, & virtute. Hoc igitur medium eſt ad obtinendam cordis tranquillitatem, quæ in ordine ſita eſt, & oritur ex certitudine, qua intelligimus nos eſſe in eo ſtatu, in quo nos vult Deus, & hujus voluntatem a nobis fideliter adimpleri. *Pax multa diligentibus legem tuam.* *Auctor Sermonum in omnia argumenta.* — *Pſalm. 118.*

*Regulæ vitæ Religioſæ opus eſt Chriſti.*

Nihil aptius poteſt vobis accuratam, atque conſtantem regularum veſtrarum obſervantiam perſuadere, quam cogitare has regulas opus eſſe Jeſu Chriſti, qui illas quodammodo dictavit, & quarum primus eſt auctor. Namque per illius auctoritatem, & in ipſius nomine omnes Legiſlatores leges ſuas tulerunt. Hic ipſe eſt qui curam geſſit peculiariter inſpirandi Inſtitutori veſtro eas, quæ vobis hodie ſunt obſervandæ; illæ continent mandata, & voluntates Dei de vobis; hæ ſunt compendium, & epilogus omnium præceptorum, omniumque Evangelicorum conſiliorum. Quanti ergo a vobis faciendæ ſunt iſtæ regulæ? Sed illud attendite, æſtimationem natura ſua ad amorem, amorem vero ad praxim perducere. Velle igitur arbitrari regulas plurimi fieri, & amari, & nihilominus illas haud ægre violare, eas in omnibus occaſionibus tranſgredi, hoc eſt illas odiſſe: & nemo non fatetur, contemptum, & odium regularum idem crimen eſſe. Punctum hoc omnem attentionem veſtram deſiderat, & debet fortaſſe non levem curam vobis injicere. Nonne vos ipſi fatemini vocationem veſtram eſſe a Deo, & vos vocationi veſtræ infideles eſſe non poſſe, quin ſalutem veſtram in diſcrimen

addu-

adducatis? Sed quam aliam fidelitatem exigere a vobis poteſt, quam diligentiam in ſervandis ſtatus veſtri regulis, in obeundis officiis omnibus profeſſionis, cui voſmet mancipaſtis! Haud ita ſane; non eliud ſibi proponere potuit; hæc tota eſt ſervitus, quam illi præſtare poteſtis: Jeſus Chriſtus non aliter ſuam exercet auctoritatem, atque imperium in Religioſas animas, quas a Mundo ſecrevit, ut Sancto Bernardo teſte, ſibi quoddam veluti regnum ſeorſim componeret, in quo dominari vult abſolute per regulas, ac recentia ſtatuta, quæ ille conſtituit. Qua igitur obedientia, qua fide reſpondeatis oportet huic gratiæ Salvatoris, qui adeo glorioſe vos e cæteris mortalibus ſegregavit: *Vos enim eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens Sancta, populus acquiſitionis*. Aliquam ex his regulis conſulto violare nonne eſt Domini jugum excutere, vel illud nimis durum fateri? Aſſueſcite igitur in qualibet regula veſtri Legislatoris auctoritatem revereri. Nulla eſt, cui tanta cura obtemperare non debeatis, quanta ſi ille actu, & perſonaliter imperaret. *Morales Novi Teſtamenti Fatris in Neuville. Tome 1.*

Facilius eſt novos ordines inſtituere, quam veteres reparare.

Ordinum reformatio adeo difficilis eſt, ut Pontifices nonnulli cenſuerint facilius eſſe novos inſtituere, quam veteres reparare; ac minus laboris requiri ad novum ſpiritum effundendum, quam ad ſuſcitandum illum, qui jam perierat. Tamen inſignis Sanctus N. charitate ſuccenſus conſilium iniit reſtituendi maximum ordinem Eccleſiæ, eumque priorem in ſtatum, fervoremque revocare. Quot illi labores peperit generoſum hoc facinus? Quot illi ingredienda fuerunt itinera, quot ſuperandæ difficultates; quot ſubeunda pericula, ut mortuos ſuſcitaret, vel ſaltem curaret infirmos, & confortaret homines, qui propter relaxationem præſcriptione roboratam miſere animos deſponderant! Quot illi prælia inferenda fuerunt, ut cogeret homines regulam recentem accipere, & quot labores illi fuerunt ſuſtinendi, ut antiqua monaſteria reformaret, & ædificaret recentia! *P. Senault in Panegyrico S. Thereſiæ. Tome 3.*

Sanctus hic prototypus eſt, quem ſequi debét religioſi.

Verum quia ſatis non eſt Sanctos colere, niſi ex illorum exemplis proficiamus; liceat mihi omnes peteurrenti ſtatus, in quibus magnus hic Sanctus vixit, illum in exemplum proponere Religioſis Eremitis, atque fidelibus. Plures traduxit annos in Monaſterio; & per diuturnum hoc temporis intervallum non aliam habuit exercitationem, quam caſtigandi corpus ſuum, illudque ſubjiciendi ſpiritui, ſpiritum vero Deo. Chriſtianus es, & quatenus Chriſtianus imitari debes Sancti hujus Religioſi pœnitentiam, & omnes curæ tuæ, quoad vivis, eſſe debent, ſpiritum tuum Deo ſubjicere, ſi vis ſubjicere corpus ſpiritui. Sicuti peccatum noſtrum fuit rebellio; ſupplicium quoque noſtrum rebellio eſt; ſicuti fuimus ipſi ita inſolentes, ut per terribilem exceſſum ſuperbiæ deficeremus a Deo; ita ille nos punit per defectionem carnis noſtræ, et permittit, ut in æternum inſolentiæ noſtræ opprobrium ancilla rebellet contra dominam, ita ut tota occupatio noſtra ſuper terram ſit placare Deum ſubjiciendo illi animam noſtram, ut illius gratia domet carnem noſtram, eamque ſpiritui ſubjiciat. *Idem in Panegyrico S. Malgerii. Tome 5.*

Religioſi debent imitari Sanctos, qui in ordine ſuo vixerunt.
1. Cor. 4.

Quod Sancti faciunt in Eccleſia pro fidelibus omnibus, id pro vobis facere debent in ordine, quem eſtis amplexi. Vobis de cælorum vertice dicunt, quod Sanctus Paulus in terra dicebat ad Corinthios: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*. Vobis exhibent, quod fecerunt, dum in hoc mundo verſarentur; & potentiores Philoſophis, vobis cæleſte procurant auxilium: adhuc vobis loquuntur actibus ſuis, vos bonis operibus ſuis erudierunt, ut faciatis, quod illi fecerunt, & faciendum docuerunt: *Adorant illi, qui præbuerunt exemplum, ut præbeant auxilium*. Ne credatis Sanctos hos vobis inutiles eſſe excitando vos ad virtutem; facta enim majorem habent ad perſuadendum vim, quam verba. *Exemplum efficacius perſuadet, & altius ſe imprimit animo*. Quia cum vobis non ſunt, non ideo ceſſant quominus auxilientur vobis: *Adjuvare vos poſſunt non ſolum qui ſunt, ſed & qui fuerunt*. *Ex eodem Panegyrico.*

August. in Pſalm. 56.
Senec. ep. 52.

Religioſus nihil cauſari poteſt ut ſequatur exemplum eorum, qui in ordine ſuo ſanctificati ſunt.

Religioſus ergo imitari debet Sanctos, qui vixerunt, & ſanctificati ſunt eo in Ordine quem ille emplexus eſt; quia hæc domeſtica ſunt exemplaria, & per conditionem, exemplumque ſuum, omnem auferunt prætextum, & excuſationem. Si ſolitudo vobis moleſta videtur; invenietis Eremitas inter eos, qui eamdem vobis jucundam efficient; ſi Oratio apud vos nullas habet illecebras, & ſi Sponſus recedit, cum ad illum acceditis amorem veſtrum probaturus, plures invenietis, qui in ariditatibus illi fideles extiterunt, & illum cedere coegerunt ſanctæ perſeverantiæ ſuæ. Si paupertas vobis videtur difficilis, & ſi ægre relinquitis omnia propter illum, qui omnia reliquit pro vobis; videbitis Sanctos, qui non contenti communibus legibus paupertatis, recentes ſibi irrogarunt; neque uti voluerunt iis, quæ vobis Religio permittit. Si paſſiones, quæ ab auſtera vita ſeparari nequeunt, ex ore veſtro aliquod ſuſpirium eliciunt vel ex oculis lacrymas, Sanctos reperietis, qui ſuimet ipſorum carnifices fuerunt, & amore acti excogitarunt ſupplicia, quæ neque ſævitia, neque crudelitate Tyraonorum ſuppliciis cedebant. *Idem in Panegyrico ſanctorum Ordinis S. Benedicti.*

J. C. magna promittit præmia iis, qui eum ſecuturi omnia dereliquant.
Luc. 14

Mihi non defutura videtur ſanctis aliqua occaſio conquerendi de Jeſu Chriſto; ſi eodem tempore, quo adeo ardua proponit illis præcepta, magna etiam illis non proponeret præmia. Vult enim eos omnia relinquere, ut ſequantur ſe, & profitetur, ſe pro diſcipulis non habiturum illos, qui non renunciaverint omnibus bonis, quæ poſſident. *Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Sed ſtatim pollicetur ſe eum fœnore illa redditurum, daturumque centuplum eorum, quæ quiſque reliquerit, & inſuper vitam æternam. Vult omnes, qui ſerviunt illi, oblivioni dare omnes nexus cum carne, & conſecrantes ipſi amorem omnem, non amplius amare Patres, Matres, Fratres, Sororeſque, ubi de illius cultu agatur, vel gloria. Sed ſimul promittit, ſe eorum mercedem futurum, ſe illis rerum omnium loco futurum, eoſque tanquam filias, & fratres amaturum. *Idem in Panegyrico S. Clementis.*

Periculum, ac ſtatus infelix Religioſi extra monaſteriũ & in mundo viventis.

Religioſus extra clauſtra eſt tanquam lapis extra centrum, tanquam arbor extra humum; tanquam Adam, & Eva extra Paradiſum terreſtrem, tanquam corvus extra arcam, fœtidis cadaveribus inſidens, tanquam piſcis extra aquas ex Sanctorum Antonii, & Bernardi ſententia; tanquam ovis extra ſepta, quæ in periculo eſt, quod voretur a lupis ſecundum S. Theodorum Studitam: tanquam navis extra nidum juxta eumdem S. Bernardum; tanquam mortuus extra ſepulcrum, qui ſua tabe inficit accedentes, uti aſſerit S. Petrus Veneſabilis, & Regula Sancto Hieronymo aſcripta; ideoque in ſtatu e regione prorſus oppoſito regulari vitæ, quam amplexus eſt. *Ex Apologia Abbatis Troppenſis.*

Superior Religioſis ſuis bonum præbere debet exemplum, & id facere, quod jubet.

Quid prodeſſe poſſent Superioris curæ, qui Regulam non ſervaret? Quænam fidei ſpecies eſt, illum diligentiam ſuadere, qui omni caret diligentia? Illum docere veritates oppoſitas factis ſuis? illum prohibere, quæ facit; approbare, quæ minime facit; hortari ad pœnitentiam, atque auſteritatem, qui laute commeſſatur, & vivit in mollitie; qui alios velit eſſe aſſiduos in regularibus exercitiis, qui ſexcentos invenit colores, ut ſe ab illis diſpenſet; prædicare ſimplicitatem, ac Religioſam paupertatem, cum Principis alicujus inſtar magnam alit ſervorum familiam. Denique quæ fides eſt fore ut aliis afflet horrorem adverſus ſæculi placita, & doceat fratres ſuos id, quod S. Benedictus intelligit per hæc verba: *A ſæculi actibus ſe facere alienum*; Donec omnes mundi artes ſequitur, & emat vanitates; & nihil intentatum relinquit, ut ſæculi conſuetudines, moreſque in ſe exprimat habitu oris ad mundi ſpeciem compoſito, ac teſtetur ſpiritum Religionis in ſe extinctum eſſe, & ne leviſſima quidem illius veſtigia in ſe permanere? Fierine poteſt, ut unquam inſpirare valeat virtutis amorem animabus illis, quæ nondum illum perceperunt; immo fere inevitabile eſt, ne eum deleat in iis, qui fortaſſe illum adepti ſunt; quia nihil potentius, nihil validius eſt ad aliquem in actiones pravas inducendum, quam pravum exemplum ubi in illis deprehenditur, qui cæteris præſtant, & pollent auctoritate? Inferiores, ut S. Greg. inquit, multo magis ſinunt ſe impelli malo, quod intueri poſſunt in Superioribus ſuis, quam verbis eorum: *Subjecti non ſectantur verba, quæ audiunt, ſed ſola, quæ conſpiciunt exempla pravitatis*. *Idem.*

Reg. c. 4.
Paſtor p. 2. cap. 2.

Superior cum difficilia proponit, illa primus exequi debet.

Cum erudienti, ac difficilia proponenti, ſatis eſt loqui tantum, & in operibus ejus nihil deprehenditur ex iis, quæ ab audientibus exigit, dat credendi locum, ſe perſuaſum non eſſe de utilitate, vel neceſſitate rei illius, quam poſcit; vel ſaltem praxim ejuſdem moleſtam eſſe, ac plenam eſſe difficultatibus, quæ illum abſterrent. Hæ duæ ſunt cogitationes, quæ ſuapte natura tali in re ſuboriuntur, & altera non minus quam altera adverſatur conſilio perſuadendi. Etenim credine poteſt id, quod neceſſarium eſſe dicitur ad ſalutem, vere tale exiſtimari ab illo, qui illud negligit obſervare? Quod ſi rejicitur obſervantia in difficultatem, quam ipſe illic reperit, aliquidne aptius eſt ad auferendum animum, tædiumve inferendum illis, cum quibus loquitur, & prohibendum ne tentent, quod ne ille quidem facere auderet? *Apologia Abbatis Trappenſis.*

Rigor auſteritatum effecit, ut Religioſorũ numerus augeretur.

Eremitarum paſſionibus idem accidit, quòd paſſionibus Martyrum: Eorum lacrymæ, ſudoreſque non ſecus ac horum ſanguis ubertatem attulere agro Eccleſiaſtico; & ſicut fidelium numerus nunquam magis crevit quam vi perſecutionum; ita Religioſorum numerus nunquam magis auctus eſt, quam magnitudine auſteritatum, & notatu facile eſt, Religioſas obſervantias nunquam magis percrebuiſſe, quam per celebritatem, quam illis pepererunt Sanctitas, pœnitentia, & diſciplina ibi diligentiſſime obſervata. *Idem.*

Horret Deus peccata eorum, qui ſeſe illi devoverunt.

Si ſerio attenderitis terribiles impreſſiones, quas Judæ ſcelus fecit in animo Salvatoris; liquebit illa eo uſque procedere, ut quodammodo divinam labefactent firmitatem, interioremque divini cordis pacem perturbent. Hinc arguite quid in oculis Jeſu Chriſti ſit peccatum perſonæ, quæ ſeſe illi devovit conjunctum cum ſacro miniſterio, & animarum cura. Laici peccatum illum affligit, Sacerdotis vero, ac Religioſi illum proſternit, ac faucit. Quid intentatum reliquit Dei Filius ut perfidum illum lucraretur Apoſtolum? Statim quidem ſignificavit non

latere ipſam ejus perfidiam; tamen illam nemini manifeſtat. 1. ut ad extremum uſque parcat nomini illius. 2. ut prohibeat ne in illum alii inſurgant diſcipuli. 3. ut illum flectere conetur illi tantum teſtatus amorem; ſed omnes iſti conatus in irritum ceſſerunt, & Jeſus Chriſtus quodammodo cogitur aperire proditorem ſuum, eum aliis cognoſcendum tradere, & æternis perſequi maledictis. Quid primum admirabimur, immenſos ne theſauros bonitatis, manſuetudinis, longanimitatis Dei, an monſtroſam ingratitudinem, ac duritiem cordis humani? Heu! cor meum fortaſſe nequius fuit, quam cor Judæ? Ita Domine, prodidi te, & pluſquam centies tradidi te inſenſiſſimis hoſtibus tuis, ſed per gratiam tuam minus obduratus, quam Judas, agnovi ſcelus meum, illud deteſtatus ſum, illud lacrymis eluere conatus ſum, Excipe igitur, Deus meus cor hoc contritum, & humiliatum, *Moralis novi Teſtamenti Patris la Neuville*, T. 1.

Abbates Inſtitutores Ordinis comparari poſſunt cum Moyſe, receperunt leges a Deo eaſque Religioſis ſuis dederunt.

Arduum non eſt Sanctis Abbatibus applicare illud Moyſi elogium, quod mirum in modum, licet in alio ſenſu, illis quadrat. Quippe receperunt a Deo leges, videlicet Regulas, quas Religioſis ſuis dederunt. Familiariter converſati ſunt cum Deo per orationem. Hic audierunt vocem illius, ut mox & ipſi ab illis, qui eorum ſuberant regimini, exaudirentur. Fidem habuerunt ut omnibus abrenuntiarent, & manſuetudinem, ut omnia perferrent. Orationibus ſuis placaverunt Deum, & a Regibus habiti fuerunt in honore; qui illos ſua protectione, & gratia protexerunt, & qui pleraque eorum cœnobia ædificaverunt. Plerique tandem nituere prodigiis, quæ illos exaltaverunt coram hominibus; & ſolum Sancti Antonii nomen unius ex primis Eremiticæ vitæ Inſtitutoribus, efficiebat, ut dæmones contremiſcerent, & Energumeni per Ægyptum univerſam liberarentur. Eccleſia omnes docet fideles, ſi minus imitari tenentur Sanctos Abbates in miraculis peragendis, & in animarum regimine, quibus in rebus Moyſen imitati ſunt; ſingulos ſaltem imitari debere mores eorum, & ex eorum exemplis diſcere, quomodo audiant Deum, illum orent, illius recipiant, ſerventque legem, ſe Domino, & hominibus charos præbeant ſuaviſſimum ſanctitatis odorem emittentes, ac tandem ſemet ſanctificantes viva fide, & hac lenitate, & cordis humilitate, quam etiam atque etiam in Evangelio ſuo Jeſus Chriſtus commendat. *Annus Chriſtianus*. *Tom.* 22.

Quænam fuerit obedientia S. N. & quænam eſſe debeat noſtra.

Sancti hujus obedientia adeo prompta erat, ſimplex, & ſubmiſſa, ut quin periculum ſentiret, ſuper aquas ingrederetur. Adeo fervens erat, ut licet habitu corporis eſſet exili, & delicato; tamen omnes Regulæ auſteritates ſervaret; & mortem libentius ſubiiſſet, quam in aliqua vel leviſſima parte illas violaret. Adeo elevata erat ſuper ſenſus, rationemque humanam, ut non ageret niſi per Spiritum Dei; & nonniſi Deum reſpiraret; & Deum unum rebus in omnibus intueretur, verum oſtenderet in ſe, quod S. Gregorius ait, obedientiam ſolam eſſe virtutem, quæ virtutes alias ſerit in animabus noſtris, & ſatas ibi conſervat. Habeto ergo illam in pretio, ac perſuaſum tibi ſit, donec illa florebit in te, reliquas nequaquam defecturas, ſed laturas fructus, quos ille cupit, qui reparavit genus humanum quod per hujus virtutis contemptum perierat, factus obediens uſque ad mortem, & mortem Crucis. *P. Novet in vita Jeſu.*

Religioſi debent imitari Sanctū hunc præſertim vero ejus obedientiam, ut illum imitentur in morte.

Si ad Cæli coronam contenditis, legite veſtigia Patris veſtri, ſequimini exemplum Præceptoris veſtri, & pervenietis in Cælum per praxim regularum veſtrarum, per interiorem, exterioremque mortificationem, per annihilationem veſtrummet, & perfectam veſtrum traditionem divinæ de vobis providentiæ. Hoc ad unguem Sanctus N. explevit, moriens ut vixerat, in ſpiritu pœnitentiæ ſtratus in cilicio, & omnibus Sacramentis munitus. O quam validum ſubſidium ad perfectionem, æternamque ſalutem acquirendam eſt Obedientia! Adam de Paradiſo egreſſus eſt per inobedientiam, & per obedientiam Chriſtus ingreſſus eſt illuc. Sequimini eum per viam hanc, illum in Superiore veſtro reſpicite, audite illum, neque derelinquatis eum. Nunquid alibi melius eſſe poteſtis, quam cum Deo in hac, & altera vita? Aliquidne eſt, quod majores habeat illecebras, quam ſermones ejus? Nonne habet ille verba vitæ æternæ? Hic autem vobiſcum loquitur per Superiores veſtros: & bene vobis erit cum illo, ſi bene fuerit vobis cum illis. *Idem.*

Sanctus hic Religioſus ſemper operam dedit, ut ſe præberet perfectum J. C. Imitatorem.

Sanctus N. perfectus fuit Jeſu Chriſti imitator in religioſo ſtatu. Ut paupertatem illius imitaretur, vendidit omnia bona ſua, eaque pauperibus diſtribuit. Ut ſecundum ejuſdem exemplum exerceret obedientiam, & zelum imitaretur, coegit aliquot diſcipulos, cum quibus ibat prædicans per urbes maximo cum profectu, & peculiari gratia, ut ſedaret diſcordias, & inſenſiſſimos inimicos invicem conciliaret. Denique ut imitaretur paupertatem, & perfecte Cruci adhæreret per corporis ſui mortificationem, ſeceſſit in deſertum, ubi per divinam revelationem Ordinem ſuum inſtituit, eumque Beatiſſimæ Virgini conſecravit, quæ illi contulit omnia ſubſidia ad eumdem amplificandum, & ſanctificandum. O Salvator amabilis, ajebat ille, da mihi Spiritum Sanctum tuum, qui me doceat, unice amare te; quippe in uno te invenio, quidquid eſt amabile. Cum amore tuo nihil mihi difficile eſt. Sine te nunquam voti mei fui compos, cum te nihil iniquo animo tuli. *Idem*,

Sanctus N. mundi bona contemnebat.

Omnia terræ hujus bona Sancto huic tot erant contemptus objecta; illa non cupiiſſet niſi ut ea ſacrificaret. Dicere oportebat illum tanta hilaritate ſacrificium hoc adimpleviſſe, quanta ſi Paradiſi poſſeſſionem adiiſſet. Ita ingreſſus eſt ſtatum Religioſum, quaſi in Cælum ingrederetur, hæc Regis Prophetæ proferens verba: *Hic requies mea in ſæculum ſæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam*; quaſi diceret: Hic terræ Paradiſus eſt, ubi vivitur quomodo Angeli vivunt in Cælo. Cordis mei pax non perturbabitur, ibi profunda requie gaudebo. O quænam vitæ ſuavitas! Quænam conſcientiæ tranquillitas! Quodnam lætitiæ argumentum! *Idem*. *Pſalm.* 131.

Quænam fuerit vitæ hujus caſtitas & diffidentia in ſenſibus ſuis.

Sanctus hic excelluit in ſui ipſius diffidentia, & confidentia in Deo. Nam etiam ſi cælitus adeo eximio caſtitatis munere donatus fuiſſet, noluiſſet ſeſe vel leviſſimo periculo objicere, neque minimam ſenſibus ſuis licentiam permittere, quos omnino mortificaverat. Tanta cura fugiebat non ſolum familiarem cum mulieribus conſuetudinem, ſed vel ipſum aſpectum, ita ut ne auderet quidem in ipſius parentis ſuæ faciem aciem oculorum intendere. Tanta cum ſeveritate ſæviebat in corpus ſuum, ut illud jejuniis, flagellis, vigiliis, omnique pœnitentiarum genere opprimeret ita crudeliter, quaſi his eguiſſet remediis ut reſiſteret violentiſſimis tentationibus, licet immunis eſſet a leviſſimis etiam ſenſibus contra virginitatem, quam Deo a teneris uſque unguiculis voverat. *Vita Jeſu Patris Novet*.

Quænam extiterit Sancti hujus obedientia erga Superiores ſuos.

Sanctus N. excelluit in rara obedientia ſuper perfecta charitate fundata. Nam quod pertinet ad præcepta ita ad unguem, ac feliciter adimplevit, ut juxta eorum qui cum illo vixerunt, judicium, nullum unquam lethale crimen commiſerit. Quod vero ſpectat ad conſilia; per omnes Religioſæ obedientiæ gradus evaſit, ut nunquam in illo viſus fuerit ſenſus aliquis contra Superiorum mandata, niſi cum iſti negabant illi facultatem graviter in ſeipſum ſæviendi. Tunc enim magna cum modeſtia reſpondebat, & enixe flagitabat, ut petita facultas ſibi concederetur. Se igitur humiliavit ad Magiſtri ſui exemplum factus obediens uſque ad ſeveriſſimas mortificationes, quas non ſolum nunquam reſpuebat, verum etiam ſummopere concupiſcebat. *Idem*.

Quo magis elatus ſuit hic Sanctus eo magis, ipſe curavit, ut ſeſe ſubmitteret.

Quod commune eſt Sanctis omnibus, proprium eſt, & particulare Sancto N. Magnitudo nunquam ingeſſit illi oblivionem humilitatis; quo magis Cælum elevavit eum, eo magis ſeſe ſubmittere conatus eſt, & in hac contentione difficile eſt conjicere, penes quem fuerit victoria, Pontifices illum cum honore excipiunt. Reges viſitant illum, Optimates illum requirunt, Doctores illum conſulunt, & quilibet certatim eſſe vult magni hujus Magiſtri diſcipulus. Hi omnes honores illum non tentant, cogitat de ſuis miſeriis, quin oblatis laudibus animum advertat. Confitetur ſe peccatorem eſſe, cum tanquam Angelus celebratur; & æquiſſimo judicio Deo tribuit gloriam omnem, ſibique nonniſi humilitatem reſervat. Ex domeſticis hiſce exemplis diſcite, Auditores, paupertatem cum copia conjungere, & omnia poſſidentes nihil poſſidere, ſuperfluum obtruncare, & vobiſmet neceſſarium reſervare. Diſcite ex magno hoc Sancto N. conjungere ſolitudinem cum ſocietate, nunquam oculos a Dei præſentia dimovere, cum agitis cum creaturis ipſius, & nunquam efferre pedem ex deſerto veſtro, niſi ubi charitas vos cogat converſari cum mundo. Diſcite tandem conciliare humilitatem cum magnitudine, ut in vobis ſeparari non poſſint, quomodo in Patre veſtro non poterant. Laudes ſæculi ne vos titillent. Immergite voſmet in nihilo veſtro, & in criminibus veſtris, ne vanitas vos adoriatur. Nolite contemnere gratias, quæ in vobis ſunt, ſed ne obliviſcamini illius, a quo eas recepiſtis. Cavete ne magnitudo vobis eripiat humilitatem, & mementote, hanc virtutem in ſtatu filii Dei nos ad gloriam perducere. *P. Senault in Panegyrico S. Benedicti*.

Quomodo S. N. reliquit mundum, & ſe geſſit in ſtatu Religioſo.

Sanctus N. mundum reliquit, & ſe inter clauſtra concluſit, ubi omnino oblitus eſt, qualis in præſenti ſæculo fuerat, ut diſceret quid ſibi faciendum erat, ut fieret magnus in ſæculo futuro. Novitiatus non fuit diuturnus; nam ſtatim ac Religionis habitum induit, perfectus fuit Religioſus. Magnis paſſibus in ſtadio pœnitentiæ, & mortificationis cucurrit. Tempus, quod in ſæculo amiſerat, diligentia ſua reparavit. Statim ac diſcipulus fuit, factus eſt perfectionis Religioſæ magiſter. Magnus hic in pietate progreſſus fecit illum Abbatem Cœnobii ſui poſt obitum illius, qui eidem præerat. Neque cenſuit aliquis electionem ejus temere factam, licet adhuc juvenis eſſet Religioſus. Pietas ejus plurimorum annorum locum tenebat. Virtutes illius tanta luce coruſcabant, ut a communibus regulis eum diſpenſarent, ſed humilitas ſua non perſuadebat illi, ſe poſſe diſpenſari. Hæc ipſi abſcondebat virtutes omnes, quas alii in ipſo admirabantur. Non ſinebat illum nonniſi infirmitatem ſuam videre, ad demandatum ſibi onus exercendum. Hæc illius omnia aperiebat pericula, quin etiam augebat; quæ res illum coegit ut ſibi ædificari juſſerit in loco remoto cellulam, ubi ſe ipſum concluſit. Ibi totus propriæ perfectioni vacavit, & cupiditatibus ſuis mortificandis,

licet

licet jam eſſent fere extinctæ. Ibi ſilentium ita obſervavit, ut mutus haberi poſſet. Niſi charitas aliqua ex illius ore verba extorqueret, nunquam loquebatur. Potuiſſet ille fratribus ſuis admirabiles pietatis lectiones proponere: ſed magiſtri cathedram horrebat. Exercebat id, quod S. Auguſtinus dixit, divinas veritates facilius diſci, & meditando cogitari, quam doceri. Sciebat ſilentium eloquentem eſſe formam laudandi Deum, qui nullo ſermone ſatis digne laudari poteſt; & hoc pacto interdiu, noctuque illum laudabat. Auſteritates ejus naturales hominis vires ſuperabant. Eas moderabatur potius ſecundum amorem, quo pœnitentiam diligebat, quam ſecundum conſiderationem eorum, quæ pati poſſet. Leviſſimæ illius noxæ ſeveriſſimis ſuppliciis dignæ videbantur ipſi; easque puniebat juxta lumen ſuum. Nolebat ſe victimam eſſe mollem. Id unum curabat, ut ſemet omnino deleret. Sed corpus ejus non æque robuſtum erat, ac ſpiritus. Aliquandiu reſtitit ſeveris jejuniis, jugibus vigiliis, ciliciorum aſperitati, cubitus duritiæ, maliſque cibis, quibus utebatur. Denique illi fuit ſuccumbendum. In gravem incidit morbum, & poſt dies aliquot obiit. Fratres curaverunt corpus ejus, & dum efferretur, primum quidem ſe movere cœpit, & paulo poſt revixit. *Elogium S. Salvii Albigenſis Epiſcopi in libro Godeau, quem inſcripſit, Epiſcoporum Elogia.*

Sanctus N. ſervavit innocentiam ſui in ſtatu Religioſo, ita ut fuerit exemplo aliorum.

Sanctus hic Vir attulit in Cœnobium innocentiam corporis ſui, eamque ibi immaculatam ſervavit, & licet nondum tyrocinium expleviſſet, quamprimum factus eſt Profeſſorum omnium exemplum. Nunquam viſus eſt Religioſus tam celeriter ad perfectionem contendere. Didicit ſcientias fere ſine magiſtro, ad virtutem formatus fuit ſine rectore. Bona in conventu intuebatur exempla, ſed & ipſe aliis viciſſim ſuppeditabat. Ejus obedientia prompta erat, Angelica modeſtia, jugis mortificatio, auſtera abſtinentia, profunda humilitas, invicta patientia, pœnitentia incredibilis. Quam primum ad præcipuos Ordinis honores evectus eſt, quorum munia tanto zelo, ſapientiaque explevit, ut illum inſtauraſſe videatur. Vitæ ſuæ exemplum domos reformabat, ubi aliqua inveniretur abnormitas. Modeſtus oris habitus modeſtiam docebat; lenitas ſua mulcebat iracundos. Animi integritas, & a rebus omnibus abalienatio confundebat proprietarios; humilitas corrigebat ſuperbos, ac tandem quin loqueretur, adeo eloquentes habebat prædicationes, ut pertinaciſſimum quempiam moverent, ac perſuaderent. *Elogium S. Antemni ibidem.*

Qua in reverentia Sanctum hunc habeat Eccleſia.

Talis fuit Sanctus N. Ex glorioſis hiſce lineamentis facile cognoſci poteſt in Regula hac prorſus divina, quam colit Eccleſia tanquam immortale magni hujus Sancti monumentum, tanquam unus ex locupletiſſimis monaſtici ſtatus theſauris, & pretioſa hæreditas, quam Pater filiis ſuis relinquere poterat: Regula vere admirabilis, quam ſibi tanquam prototypum proponere debent, quicunque a Deo aliis dirigendis præpoſiti ſunt. Suavis ſimul, & auſtera compenſans auſteritatibus ſpiritus, quidquid nonnullis diſcipulorum ſuorum de corporis mortificationibus adimit; alios in ſolitudinis exercitiis ſanctificans, alios in Apoſtolicis miniſteriis, complectens in uniformitate Spiritus Evangelici, qui ibi regnat, hanc ferme infinitam multiplicitatem facierum, ſub quibus virtus ſeſe oſtendit hominibus, & viſibili ratione dictata ab Æterna Sapientia, quoniam ibi detegitur hæc varietas characterum, quam Salomon illi tribuit. Hinc factum eſt quod Sanctus N. adeo glorioſe enituit numero, & ſanctitate diſcipulorum ſuorum. Hinc tanta Monaſteriorum copia, quorum rudera venerabilia adhuc piam oſtentent magnificentiam Inſtitutorum ſuorum; hinc admirabiles illæ fidelium eleemoſynæ qui acti zelo, & ſpiritu primorum Chriſtianorum afferebant undique theſauros ſuos ad Sancti noſtri, ejuſque ſucceſſorum pedes, non valentes conſecrare divitias ſuas in uſum meliorem, quam ad perennandas Domini laudes in ore Religioſorum ſanctæ huic exercitationi devotorum. Hinc conſtans Ordinis hujus duratio; qui ſuperior humanis vicibus, quibus humana obnoxia ſunt, oſtendit originem ſuam a cælo profectam, quæ quin aliquam paſſa fuerit priſtini fulgoris jacturam, diſciplinæ regularitate tantum ædificat, quantum per inſtitutionis ſuæ antiquitatem ſibi apud omnes reverentiam conciliat. Hinc nitentia illa Eccleſiæ lumina, Summi Pontifices, Præſules, Doctores, Eremitæ, quos Sancto Patriarchæ noſtro debent Cælum, & terra. ita ut Sanctus N. non ſolum in vita ſua mundum erudierit; ſed ſpiritus illius adhuc in ejuſdem filiis operetur, & tanquam cauſa ſecunda influat in ſalutem eorum omnium, qui ſecuti Regulam ejus, operabuntur illam. *Ex Specimine Panegyricarum Orationum pro die S. Benedicti, Tomo 1.*

Pii ſenſus Religioſi Viri.

Recedenti mihi a fine propter quem ſum Religioſus, quid trepidandum non eſt, atque erubeſcendum; cum in mundo video ſæculares agi magis, quam me, ſalutis ſuæ deſiderio; magis intentos eſſe, quam me ſuimet ipſorum perfectioni; ideoque perfectiores in conditione ſua, quam ego in mea? Quid loquar de politicis, civilibuſque virtutibus, quæ ſunt meritum aſſeclarum mundi; & quæ totidem eſſe mihi deberent documenta? Quot in Mundo Chriſtiani ſunt magis mortificati, magis humiles, magis charitate referti, quam plurimi Religioſi! Quale hoc erit contra me teſtimonium, & quænam mihi confuſio, cum Deus in judicio ſuo oculis meis hæc objiciet exempla? Sed omni comparatione ſepoſita, nonne turpe, ac indignum eſt, quod poſt tot annos, quibus ſum Religioſus, ac per ſtatum meum teneor per viam perfectionis incedere, nondum fortaſſe inceperim, neque ſerio cogitaverim proficere, & hodierna die magis imperfectus ſim, quam cum eram in Mundo; qui tantum abeſt, ut in virtute creverim in domo Dei, ut immo de die in diem fortaſſe degeneraverim, ac me relaxaverim? Hoccine Deus requirebat a me? Hoccine illi pollicitus fueram? *Pater Bourdaloue in receſſibus ſpiritualibus.*

Ejuſdem argumenti.

Prorſus ſingularis extitit gratia, quod placuerit Deo me ad religioſam perfectionem acceſſere; hæc diſtinctio eſt, & electio, cujus bona non ſatis cognoſcere poſſum & æſtimare. Verum eſt propter hanc electionem plura exquirere a me, quam ex aliis vulgo fidelibus, ſed in hoc ipſo quænam fuerunt virtutes illius in me providentiæ & miſericordiæ? Voluit, ut illi magis peculiari, ac intima ratione devotus eſſem. Voluit me recenſere in numero familiarium ſuorum, qui ad eum propius accedunt, & cum quibus habet frequentiores, uberioreſque communicationes. Voluit non ſolum conſervare me in perfectiori innocentia, ſed etiam ad ſublimes virtutes attollere ut arctius illi adhærerem, & mihi locum præberet majora apud ipſum acquirendi merita. Voluit omnes gratiæ ſuæ divitias eniteſcere in me, ac me diſponere ad recipienda præſtantiſſima gloriæ ſuæ dona. Voluit me mundo proponere tanquam prototypum, ut ſermones mei, actus, tota vita mea honori eſſet ipſius ſervituti, ædificaret proximum, & mundi hujus Fidelibus eſſet præſens, & viſibile documentum, quod illos erudiret, & permoveret. Hæc enim omnia adhærent huic perfectioni, quæ ſtatus mei ſanctitatem, & characterem conſtituit. *P. Bourdaloue in ſpiritualibus receſſibus.*

Sequuntur pia animadverſiones Religioſi Viri de ſtatu ſuo.

Nonne in hoc Dei bonitatem admirari debeo, qui ita me elegit, qui prorſus gratuita prædilectione me deſtinavit ad res tantas, talibuſque me gratiis prævenit; qui ut in adeo ſancta vocatione me ſuſtineret, & ad illam replendam opem ferret, tot mihi media ſuppeditavit? Poſſum ergo æque ac Moyſes, & potiori jure quam Moyſes, dicere illum non præſtitiſſe pares gratias omni nationi; videlicet, inter Fideles ipſos, inter ejuſdem Eccleſiæ filios, & inter populum ſuum me prætuliſſe tot millibus, quos reliquit, & adhuc relinquit inter mundi & corruptionis ejuſdem pericula. Quid feciſſem ego plus quam illi, antequam Deus educeret me de hoc ſæculo perverſo, ubi me reperiebam non ſecus ac illos expoſitum; & quomodo me dignum eximiis ejuſdem beneficiis præbuiſſem? *P. Bourdaloue ibidem.*

Ejuſdem argumenti.

Poſt hæc quid mihi de me ipſo cogitandum eſt, ſi eo in ſtatu, in quo eſſe me oportet ſingulariter devotum Deo, omnibus rebus aliis vaco, præterquam Deo? Si eo in ſtatu, in quo ſæpius, & familiarius cum Deo communicare teneor, verſor in jugi mentis evagatione, propter quam omnem fere Dei ſenſum amitto? Si quin ſecundum ſtatum meum me præſervem ab omnibus; vel leviſſimis noxis, & exerceam omnem ſanctitatem Chriſtianiſmi in eminenti gradu; milliés ſaucio animam meam; vel ſaltem memet conjicio in periculoſiſſima conſcientiæ meæ impedimenta, & ſi mihi deſunt chriſtianæ pietatis principia, ſi tantum abeſt quod locuples ſiam cæleſtibus bonis, ut omnia oſcitanter agam, & ſine ſpiritu interiori; ſi, quin Deo, ac profeſſioni meæ honori ſim, utrumque dedecore afficio; & quin mundum ædificem, illi ſcandalo ſum? Non pauci ſunt Regulares, ad quos hæc probra pertineant. Quomodocunque ſit, meum eſt illa mihi utiliter applicare, & æquas inde haurire illationes ad doctrinam, & ſanctificationem meam. *Idem.*

Profundæ humilitatis ſenſus in Sancto hoc Religioſo.

Mihi locus eſt memet contemnendi, & eo magis indignitatem meam cognoſcendi, quo ſanctiorem regulam profeſſus ſum. Heu! Volebat Deus de me Religioſum facere: at ſum ne? Talis inter homines vocor; & externam gero ſpeciem; ſed intus, & in cute talis ſum? Mirum! hoc Religioſi nomen, quod geſto, eſſe mihi debet gloriæ argumentum, ſed timeo, ut ſit verecundiæ. Nam cujus rei me pudet magis, quam quod Religioſus nuncuper; nec ſim? Poſt hæc admirerne, Domine, quod non me proſequaris tot peculiaribus gratiis, & divinis communicationibus, quas tot perfectis Religioſis communicas? Hi vere filii ſunt tui, quia te honorant, tibique tanquam Patri obſequuntur; & jure filiis reſervatur panis filiorum. Hunc neque poſcere valeo, neque expectare. *Idem.*

Sanctus hic Cœnobita ſpiritu amore mortificationes amplectitur.

Me ipſum condemno iis omnibus, quæ in religioſa vita ſunt moleſtiora & auſteriora: his memet ſubjicio nolens mihi in re ulla parcere, neque cupiens, ut mihi alii parcant; æqui bonique faciens omnia faſtidia, omneſque averſiones, quæ mihi redeunti eſſent ferendæ; alacri ferens animo, quod permittat Deus, ut quin leniat onus meum, illud quantumcunque ſit, totum experiar. Nonne ſatis eſt, Domine, quod e domo tua me non rejicias? Cæterum nequaquam vixi, ut decet filium docilem, atque obedientem: æquum eſt, ut mecum

agas

agis tanquam cum *Mercenario*, & mancipio. Ita cogitat anima contrita, ita agit, atque ita mihi cogitandum, ita loquendum, & agendum eſt. *Idem.*

Obligatio quam Sanctus hic e Religioſus per ſtatum ſuum cum Jeſu Chriſto contraxit.

Ego, Sanctus hic Vir inquit, peculiarem habeo obligationem, quæ me Jeſu Chriſto alligat, eique recens jus tribuit in me, videlicet qualitas Religioſi. Quid feci memet conſecrans Religioni? me palam, & ſingulariter profeſſus ſum Jeſu Chriſti diſcipulum, ejus imitatorem & ſubditum, paratum ad omnia derelinquenda, ad omnia facienda, omniaque propter illius gloriam ſuſtinenda. Religioſum ſtatum conſideravi tanquam ſanctam militiam, cui nomen dabam, ut ſub Jeſu Chriſti vexillo pugnarem, & ad ejus nutum agerem, non ſecus ac miles ſeſe gerit ad nutum Imperatoris. Ideo me illi tribus votis conjunxi, quæ tria mihi ſunt vincula nunquam diſſolvenda. Per tria hæc vota illum conſtitui in omnimoda mei ipſius poſſeſſione, & memet illi tradidi in donum abſolutum, & irrevocabile. Illi devovi omnia hujus mundi bona per votum paupertatis; illi ſubjeci omnes ſenſus meos per votum caſtitatis, & per votum obedientiæ propter illum propriam voluntatem abnegavi; ita ut nihil mihi ſuperſit, quod illi minime contulerim. Poſtquam vero me hoc pacto illi devovi, num licet palinodiam canere? Nonne pejerarem, ſi fidem minime præſtarem poſt tot adeo juridica, & authentica Sacramenta? *P. Bourdalove in Receſſibus Spiritualibus.*

Religioſus per paupertatem fit verus J. C. imitator.

Si recte loqui volumus; nemo eſt paupertatis Dei ſui verus imitator, niſi Religioſus. Hic reipſa pauper eſt, voluntate autem pauperior. Re pauper, quia omnia reliquit, pauperior voluntate, ipſe enim divino afflatu, & auxilio decrevit omnia relinquere, & præſto eſſe ut mundo univerſo abrenuntiaret, ſi ejuſdem haberet dominium. Igitur in ſacrificii hujus virtute dicere poſſum Jeſu Chriſto cum Apoſtolis: *Ecce, Domine, reliqui omnia, ut ſequerer te*: & ſi ſemper fidelis fuero vocationi meæ; in ejuſdem ſacrificii præmium, a Jeſu Chriſto gratiſſimum illud reſponſum, & ampliſſimum promiſſum expectare poſſum: *Sedebis ſuper ſedem* gloriæ. Tali ſpe fretus, & Salvatoris mei confirmatus exemplo poſſumne duci pœnitentia ſacrificii mei? Immo illud habendumne mihi eſt ullo in pretio? Reſpiciendumne mihi eſt tanquam donum, quod fecerim Deo; vel non potius tanquam favor eximius Dei, qui illud excipere dignatus eſt? Paupertas in qua vivo, nonne mihi glorioſior eſt, ex quo eſt Jeſu Chriſti paupertas? Nonne fit illa mihi ſuavior, & amabilior, ex quo arcte adeo me Jeſu Chriſto connectit? Nonne fit mihi toto cælo jucundior ac pretioſior, ex quo mihi peculiare jus tribuit ad Regnum Chriſti Jeſu, & ad æternam felicitatem? *P. Bourdalove ibidem.*

Matth. 19.

Ibidem.

Sanctus hic Vir venerabatur in ſuperioribus ſuis Dei auctoritatem.

Sanctus hic heroicam habebat fidem, quoniam credebat, ut obediret, ut Religioſum decet, auctoritatem Dei in Superioribus reſidere, quibus a Jeſu Chriſto communicata fuit; non quidem a Jeſu Chriſto in perſona ſua, ſed in Vicario ejus, & in omnibus Eccleſiæ poteſtatibus legitime ordinatis. Ita ut hæc auctoritatis communicatio æque certa ſit, ac ſi facta eſſet per viſibilem ipſius Jeſu Chriſti apparitionem, qui viva voce id docuiſſet. Credebat ad hæc, cum ipſe ultro, ac libenter ſeſe ſubjeciſſet huic juriſdictioni divinæ ſimul & humanæ; ſe a Deo gubernari per Superiores, ſibique illis eſſe obediendum, non quatenus homines erant, ut ille, ſed quatenus tenebant Dei locum, & per os ſuum illi Dei voluntates aperiebant. Et quoniam hæc veritas nequaquam pendebat ab imperfectionibus & infirmitatibus ſuperiorum, vel a contradictionibus ſpiritus, & repugnantiis cordis ſui; hinc fit, ut nihilominus idem actus fidei ſemper ſubſiſtere debeat, & quamvis in ſuperiore defectus, & vitia cognoſceret, illum ſemper æque revereri debet, vel potius in illo Deum cognoſcere, & colere. *Idem.*

Error, in quem plerique religioſi incidunt, qui putant ſe mundi gratiam feſtivis converſationibus aucupari.

In hunc errorem incidunt plerique Religioſi, qui ſibi perſuadent ſemper feſtivis, & parum cautis converſationibus mundi gratiam aucupari, exiſtimationem & confidentiam. Mundus e contra cenſor eſt perſpicaciſſimus & ſeveriſſimus, ita ut a religioſis ſit præ cæteris pertimeſcendus. Perfecte novit, quænam illius menſuræ obſervandæ ſint, & quem gradum ſanctitatis in profeſſione ſua debeant obtinere. Licet ille ſit abnormis & exlex, peculiarem in hoc animadverſionem inſtituit; exigit ab illis regularitatem, & cautelam, quam nonnunquam ad ſcrupulum uſque extendit. *Idem.*

Quid Mundus exigat a Religioſo viro quoad ſpeciem externam?

In Religioſi viri ſermonibus Mundus requirit gravitatem, verecundiam, modeſtiam, prudentiam, atque ſapientiam; & ſi quem invenit, in quo hi omnes niteant characteres, inter ſe adhæret, & in illo confidit. Alius quilibet nonniſi aptus ducitur, niſi ut cum illo ringetur. Dici etiam poteſt, illum eſſe talem in iis, quæ pertinent ad Communitatem. Permittitur illi, ut loquatur, & quantum & quod illi placuerit, effutiat; ſed illius ſermones, qui plerumque ordine, ac lege carent, modicam efficiunt impreſſionem, & illis ne levis quidem impenditur attentio. *Idem.*

Votum, & regula duo ſunt quæ in Religione ſervare debemus.

Duo ſunt in Religione ſervanda: votum, & regula. Utrumque deciduum eſt; ideoque, quantum fieri poteſt, debemus noſmet in utriuſque praxi renovare. Votum eſt veluti corpus arcis hujus myſticæ, in quam confugimus, mundo abrenuntiantes: *Urbs fortitudinis noſtra*, regula vero locum habet muri, atque antemuralis: *Ponetur in ea murus, & antemurale*. Hoc in loco de voto non loquar; neque enim ambigere poſſum ne inter animas adeo Religioſas illud ſuam integritatem ſervaverit; ſed quod ad regulam ſpectat, fateamur omnes, ſinguli in ſtatu noſtro, quemadmodum illa magis patet incurſibus naturalis infirmitatis noſtræ, ita frequentius accidere ut illi non modici momenti vulnera inferantur, quæ poſtulant omnem curam ad ea reparanda, ſi vocationis noſtræ gratiæ fideles eſſe velimus. S. Paulus primis Chriſtianis pollicebatur, quicunque ad unguem ſequeretur eamdem regulam, ac ille, hunc Chriſtianiſmum profitentem, beata pace perfruiturum: *Et quicunque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos.* Galat. 6. Ego vero redigens propoſitionem Doctoris gentium ad peculiarem regulam, quam ſumus amplexi in Religionis ſtatum ingredientes, e contra dico, ſi in regularum noſtrarum obſervantia noſmet relaxaverimus, neglexerimus illas, earum jugum excuſſerimus, & nobis habitum comparaverimus illas infringendi, nos tunc neque cum Deo, neque nobiſcum, neque cum proximo pacem ſervaturos eſſe; videlicet cum ſuperioribus noſtris, & illis, qui eadem utuntur veſte, & eadem in domo nobiſcum verſantur; neque cum Deo, qui rationem a nobis exiget, neque cum nobis, qui indeſinenter in conſcientiis noſtris ſtimulum ſentiemus, neque cum proximo; vinculum enim, qui nos in una, perfectaque ſocietate conjungit, regula eſt; & hoc vinculum diſrumpitur vita parum accurata, & abnormi. Vere autem dici poteſt nemo melius exercuiſſe, & adimpleviſſe regulas Religionis, quam Sanctus N. cujus hodie memoriam recolimus; hic in omnibus officiis ſuis fidelis extitit, neque ſemovit unquam oculos ab iis oneribus quæ per ſanctam hanc affinitatem cum Deo contraxerat. *Adhortationes Chriſtiana P. Bourdalove, Tomo* 1.

Quid ſit Religionis regula juxta S. Thomæ ſententiam.

Religionis Regula, S. Thomas concludit, ſpecialis eſt voluntas Dei, cujus homines erga nos ſunt veluti interpretes. Voluntas, quam S. Paulus appellat beneplacita, atque perfectionis ad diſtinctionem alterius voluntatis magis abſolutæ, & quæ nobis magis ſeveram obligationem imponit: *Voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta*. Voluntas, per quam nos ſanctificat Deus, oſtendens nobis vias, per quas nos ambulare jubet, & præſervans nos ab erroribus inevitabilibus, quibus noſtra vivendi ratio pateret, ſi nos traderemur propriis luminibus, ipſique etiam intentionum noſtrarum rectitudini. Voluntas, quam non elfirmavit Deus pro hominibus vulgo, ſed ſingulariter pro nobis, & quam nos idcirco intueri debemus, tanquam gratiam electam. Denique voluntas, a qua pendere Sanctus Noſter merito ſibi vertit, cujus beatam ſervitutem prætulit omnibus privilegiis libertatis ſæculi. Hæc regula eſt, quam ſemper ſecutus eſt magnus iſte Sanctus, & quam in religioſa profeſſione ſequi debemus. *Idem Tomo* 1.

Tentationes quibus identidem probamur a Deo efficere debent, ut meminerimus promiſſionum quas fecimus Religionis ſtatum amplectantes.

Meminiſſe debemus promiſſionum, quas fecimus Deo in tentationibus, quibus identidem nos objicit, & hæ ipſæ tentationes nos adhuc ferventiores efficient. Etenim illas memoria recolentes quomodonam noſmet relaxare poterimus in regularum noſtrarum obſervantia, in paupertatis amore, in noſtrum met abnegatione, in ſpiritu mortificationis, in cæca, ſubmiſſaque praxi obedientiæ? Ad voſmet ipſos Auditores, & ad peculiares cognitiones veſtras provoco: Memoria hæc deſcripta, ac fortiter in animabus veſtris impreſſa per inſtaurationem veſtrorum votorum, nonne vos centies relevavit poſt quoſdam fere inevitabiles lapſus; & nonne fecit, ſi ita loqui poſſum, ut greſſus veſtros duplicaretis, in Sanctitatis via profecturi? Vobis igitur ad exemplum Sancti N. adeo utili recordatione proficiendum eſt, & religioſa cæremonia, quæ illam vobis inſpirat, ut certi ſitis vos ſervare ſpiritum regularitatis, atque pietatis. Duo hæc verba: ego elegi Dominum, & Dominus elegit me, vos ſuſtinebunt, atque roborabunt. Ita nulla erit difficultas, quam non ſuperetis, nulla tentatio, cui non reſiſtatis, nullum tædium, faſtidiumque quod non contemnatis. Ego elegi Dominum, & Dominus ſuſcipiens vota mea ſignum addidit electioni, qua ipſum elegi; Dominus elegit me, & per liberum conſenſum probavi electionem, qua ille me elegit. Hoc illud eſt, quod fecit, ut Sanctus N. guſtaret omnem religioſæ vocationis ſuæ felicitatem, ſimulque indefeſſa conſtantia laboraret ad omnem illius perfectionem acquirendam. *Exhortationes Chriſtianæ P. Bourdalove, Tomo* 1.

Continua mortificatio eſt juge martyrium.

Quoddam martyrii genus eſt, quod neque pendet ab injuſtitia, neque ab hominum infidelitate, ſed a ſola charitate, quæ animam religioſam abſumit. Martyrium minus crudele in omni actione præſenti, ſed multo acerbius ipſa diuturnitate. Hæc eſt carnis mortificatio, per quam non ſemel moritur, ſed quotidie, ut cum Apoſtolo loquar: *Quotidie morior*. Hoc autem illud martyrium eſt, quod vos ipſi aſpiraſtis, & propter quod non ſatis vobiſcum gratulari poſſum. 1. Cor. 15. Illud ex prima, ac florenti juventute veſtra quæſiviſtis, utque illud inveniretis, non ſecus ac Sanctus N. ut ille omni ſæculi hujus ſpei abrenuntiaſtis. Evangelico ſpiritu repleti nequaquam allecti eſtis deſiderio earum rerum, quas reliquiſtis, & ſepoſitis fallacibus mundi imaginibus, ultimam in terris

felici-

felicitatem veſtram collocatis, niſi in ſacrificando Domino, qui vocavit vos, omni humana felicitate, iti ut eodem in ſenſu, in quo Sanctus veſter Protector vobiſmet perhibere poſſitis ſuaviſſimum illud teſtimonium, vos quotidie mori pro Deo; vita enim veſtra quid eſt aliud, quam mors? *Quotidie morior. Idem.*

*Auſteritates quas Sanctus hic Religioſus, exercuit, & fecit, ut exercerentur ab aliis Ordinis ſui Religioſis.*

Satis admirari non poſſumus auſteritates, quas Sanctus hic Vir exercuit, effecitque ut exercerentur in Chriſtianiſmo a tot imitatoribus pœnitentiæ ſuæ: Solitudo profunda, exactiſſima clauſura, ſevera corporis ſubjectio, perennia jejunia, omnimoda commodorum omnium privatio; pannoſæ veſtes, pedum in maximis frigoribus nuditates, frequentes macerationes, hoc eſt, ut ita dicam, compendium omnium auſteritatum, quas Sanctus N. in vita ſua exercuit. Neque ideo dixerim in inſtitutione regulæ adeo auſteræ, qualem Sanctus N. propoſuit, & quam illi dictavit Deus, plures non inveniſſe difficultates, & contradictiones. Mundo, Sanctus Bernardus inquit, ſatis eſt crucem revereri in imagine, ſed re ipſa illam pati non poteſt. Hoc verbum ſatis ſuperque adimpletum eſt in beato N. Nullum unquam opus majores obices nactum eſt. Lutherus ubique habuit reformationis ſuæ approbatores, & Sancti N. reformatio ubinam excepta fuit ſine oppoſitionibus, & contentionibus? Legens fundationum ejus hiſtoriam, nonne crederet ſe legere Sancti Pauli perſecutiones? Quot illi exhauriendæ fuerunt calumniæ, quot vorandæ contumeliæ? Ad quæ extrema ſæpe ſe redactum vidit, ad quam rerum omnium inopiam? Quoties ad Tribunalia accitus fuit, & reſpondere coactus ſeveris inquiſitoribus? Dixiſſent illum non reformare, ſed ſus deque univerſa pervertere. Sed hic eſt character operum Dei, impugnari: neque unquam feliciorem eventum expectare poſſumus, quam cum minor illum ſperandi locus eſt ſecundum humana conſilia. Sanctus noſter de rebus omnibus triumphum retulit, omnia conſecutus eſt, omnia illi ceſſerunt e ſententia. *Idem.*

*Inter Religioſos adſunt, qui illos ſtudeant corrumpere.*

In ſanctiſſimis etiam Communitatibus, ſi ita loqui fas eſt, non deſunt membra infirma, & quæ totum corpus corrumpere valeant, niſi adhibeatur morbis eorum neceſſaria medicina, & ſi contagioni tempus permittatur ſeſe latius effundendi, Medicina vero promptiſſima, præſentiſſima, & efficientiſſima, data hujus diei feſti occaſione, eſt conjectus oculorum in glorioſum Sanctum, quem colitis. Fieri nequit, ut anima quæ habet ob oculos vitam illius pœnitentem, & crucifixam, anima, inquam, nimis ſibi indulgens, rubore non ſuffundatur coram Deo, & novo non flagret zelo, ut auſteriſſimas ſtatus ſui in ſe pœnas non exerceat. Hac enim de cauſa S. Chryſoſtomus inquit, Sanctorum feſtos dies celebramus, & ſtatis temporibus eorum memoriam recolimus: Ut memoria ejus, quod illi fuerunt, nos doceat, quid nos eſſe debeamus; & cum non ſimus id, quod illi fuerunt, ideoque nec id, quod eſſe debemus, noſmet excitemus, ut tales evadamus. Nonne reipſa intolerabilis eſſet contradictio, exempli cauſa, in S. N. laudare perfectam ſui abnegationem, in qua vixit & abrenuntiationem iis rebus omnibus, quæ ſenſus noſtros palpare poſſunt, donec illis ſatisfacere quærimus? donec pro virili eis favemus; donec ad id ſexcentis utimur excuſationibus, & in hac re noſmet fallimus; & conamur; nulla habita ratione, fallere Superiores, quos charitas fortaſſe cæca nimis, reddit æque faciles, ut indulgeant ſolatiis, quæ ab ipſis petuntur, & credant eas neceſſitates, quæ illis prætexuntur? Ne ulterius perſequamur hoc argumentum. Privatæ animadverſiones veſtræ, o Auditores, his ſupplere poterunt, ac interea poſtquam vobis in Sancto N. exhibuerim corpus Deo ſacrificatum per mortificationem, vobis oſtenſurus ſum animam in Deum per orationem tranſformatam. *Exhortationes Chriſtianæ P. Bourdalove, Tomo 1.*

*Deus Sanctum hunc vocaverat ad orationē mentalem, eique jugiter vacabat.*

Agitur hoc in loco de ea non communi, & eximia oratione, in qua anima juxta Sancti Dionyſii doctrinam divinas recipit operationes, potius quam ipſa operetur. Ad hanc Sanctus N. a Deo vocatus erat, & in hac ita enituit, ut ſit tanquam exemplar proponendus. Scio D. Thomam quarto Sententiarum Libro ſolide probare, hoc orationis genus non eſſe virtutem, ſed virtutem ſolummodo ſapere. Hæc omnia vera ſunt, & ſi hinc arguitis, non igitur regulas poſſe præſcribi; non diffitebor, & fatebor, ut re ipſa fateor, noſtrum non eſſe explicare, quid accidat in hoc intimo animæ commercio cum Deo, multoque minus de hac tradere præcepta, & conari eamdem ad artem redigere. Verum hoc minime prohibet, quominus vobis in Sancti hujus Religioſi viri exemplo, vitaque illius utiliſſima dogmata oſtendam ad vitam contemplativam ſpectantia. Si enim hæc oratio prorſus extatica donum Dei eſt, quod Doctor idem fatetur, operæ pretium eſt tria cognoſcere. Primum quo pacto noſmet illi præparare debeamus. Secundo, quo ſpiritu donum hoc ſit recipiendum. Tertio, quomodo fieri poſſit juſtum, verumque diſcrimen, ad evitandas illuſiones Angeli tenebrarum, ejuſque præcavenda veſtigia. Hoc autem ad vos pertinet magis quam ad cæteros fideles. In Religioſa profeſſione, quam eſtis amplexi, vulgatiſſima colloquia veſtra ſunt cum Deo, vel eſſe debent. Audeo etiam dicere, cum brachium Dei nequaquam abbreviatum ſit, & ejus miſericordiæ nullos habent fines, in oratione nihil eſſe adeo ſublime, quo ſecuti veſtigia beati N. pervenire nequeatis. *Idem.*

*Pauciſſimi Religioſi perveniunt ad ſublimē gradū contemplationis.*

Mirum nobis eſſe debet, quod in ſtatibus etiam ſemotiſſimis, ac religioſiſſimis modo adeo infrequenter inveniantur animæ contemplationi deditæ, vel potius non miremur: quandoquidem in omnibus ſtatibus, non equidem dico mundi, ſed Eccleſiæ, & in omnibus Religionis ſtatibus pauciſſimi ſint qui neceſſariam ingrediantur viam, ut ad hunc ſublimem gradum perveniant. Via enim, quæ ducit illuc, & per quam Sancti omnes ambulaverunt, ſunt communia orationis exercitia. Exercitia ſolide in praxi poſita, & conſtanter ſervata, tot licet accidant ſterilitates, faſtidia, naturales humanæ mentis evagationes, & difficultates ſemet applicandi, & captivandi. Ita Deus quæri vult; & nonne æquum eſt, ut ita quæratur, quandoquidem centrum eſt totius perfectionis? *Quærite Dominum.* Hoc pacto Sanctus hic Cœnobita ſinebat ſe rapi in oratione, & in colloquiis, quæ habebat cum Deo. *Exhortationes chriſtianæ P. Bourdalove, Tomo 2.*

*Quantum negligatur oratio in domibus religioſis.*

Quamvis in omnibus Religioſis domibus inſtitutæ, ac præſcriptæ ſint praxes Orationis, nihilominus inter ipſos Religioſos nihil neglectius eſt oratione. Vellent illi vacare, quin ſibi vim facere cogerentur, & quin de ſemet victoriam ferre tenerentur. Vellent ſtatim pervenire ad terram promiſſionis, & in eamdem ingredi, quin per deſerta iter ſibi eſſet habendum. Vellent ſemper ambulare plena luce, & nunquam incidere in tenebras. Vellent ſe ſtatim, & in ſingula momenta Dei ſpiritu transferri, & ſancta ejuſdem dulcedine inebriari. Vellent cum Sancto Paulo ad tertium uſque Cælum rapi; ſibique in hac ipſa vita dari claram viſionem Dei, & omnium adorabilium attributorum illius. Sanctus Cœnobita noſter longe aliter ſe gerebat; tantum enim aberat, ut orationem negligeret, ac defereret, ut nihil intentatum prætermitteret eidem vacaturus; quapropter nonniſi ægre illam relinquebat, & ut oſtenderet Superioribus ſuis ſubmiſſionem ſuam, perfectamque obedientiam. *Idem.*

*Fructus, quos colligere debet Religioſus ex orationibus ſuis Sancti N exemplo.*

Poſt multas orationes, & contemplationes Religioſus ad Sancti noſtri exemplum præbere ſe ipſum debet indulgentiorem alienis infirmitatibus, minus acrem in ſermonibus, magis regularem magiſque fidelem domeſticæ diſciplinæ, magis obſequentem voluntatibus, ac monitis eorum qui præſunt: verbo, non debet ultra obnoxius eſſe iiſdem imperfectionibus, & noxis, ſed majorem curam habere ſeſe reformandi, immutandique. Alioquin licet omnes haberet Eliæ impetus, raptus omnes Sancti Pauli, omnes Prophetarum revelationes, vel eas habere videretur; hæc omnia nihil faciam, neque mihi quiſpiam perſuadebit, Dei ſpiritum ibi inveniri, atque Deum harum rerum Auctorem eſſe. Cur? quia Spiritus Dei ſpiritus eſt Religionis, & Religionis puræ & immaculatæ; nam Spiritus Dei, quo plenus erat Sanctus N. ſpiritus erat ſanctitatis, ſpiritus obedientiæ, ſpiritus regulæ, ſpiritus charitatis, quorum nullum invenio in vacuis hujuſmodi ſpeculationibus, aſſertiſque contemplationibus. *Exhortationes chriſtianæ Pater Bourdalove.*

*Quomodo Sanctus hic Religioſus magis magiſque amplectebatur paupertatem!*

Sanctus N. ratus ſe non ſatis magnum Sanctæ paupertati ſacrificium obtuliſſe, conatus eſt illi in ſingulas horas recentem aliquam facere oblationem, ſibimet negans quidquid poterat de victu atque veſtitu, & poſtquam omnia ſibi abſtuliſſet ſuperflua, abſtulit etiam nonnulla, quæ naturæ ipſi erant neceſſaria. Quaſi in domo locum teneret hominis inutilis, atque propter Dei honorem toleraretur, Lazaro pauper erat humilior; vivebat non jam ex reliquiis divitis, ſed pauperis cujuſdam Congregationis, & videbatur fovens humiles Chananææ ſenſus idem præter propter dicere ac illa, quæ Jeſu Chriſto dicenti: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*, reſpondit: *etiam, Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.* *Ex vita Cardinalis de Berulle, lib. 1.* *Matth. 15. 26.*

*Quomodo S. hic Religioſus ſeſe accommodabat omnibus characteribus, & ingeniis privatorum!*

Certum eſt, cum hominum ſtudia adeo varia ſint, characteres, & ingenia particularia, rationem agendi in ſuperiore eſſe non debere uniformem. Modo firmitatis opus eſt, ut his aſſiſtat, modo ſeveritatis, ut illos reprimat, modo lenitatis, ubi ſolatium adhibendum, & indulgendum eſt: ac tandem requiritur, ut diverſa hæc agendi ratio unum dumtaxat habeat principium, nempe Charitatem, & unum finem, nempe fratrum ſalutem. Ita ſe geſſit ſemper Sanctus Religioſus noſter; noverat charitatem cum ſeveritate, atque indulgentia conciliare; & charitas ejus ſemper eadem erat, quamvis vias ſemper varias, & ſæpe etiam oppoſitas ſequeretur. *Ex Regula S. Benedicti Tomo 1.*

*Sanctus hic Cœnobita non ſolum leviſſimas ex tali notæ ſed minimas etiam vitii ſpecies deteſtabatur.*

Dicere poſſumus Sanctum hunc Virum magnum, & admirabilem fuiſſe in minimis, mirum in modum, exiguum & humilem in magnis; ſed in utriſque ſibi parem. Si magna virtus eſt ex S. Auguſtini ſententia fidelem eſſe in modicis, hac in re Sanctus Noſter enituit. Videbat minima etiam motuum ſuorum momenta, & adeo perſpicaci lumine pollebat in iis, quæ ad cordis puritatem pertinent, ut cognoſceret vel leviſſimas labeculas, eaſque pati non poſſet in anima ſua, quæ Sole purior,

& nive

Digitized by Google

& nive candidior erat in cogitationibus, conſiliis, & affectibus. Quantum leves noxas perhorreſcebat, tantum amabat virtutes, quæ vocantur exiles; ſed quas animæ magnæ pretioſas judicans; ſed quod frequentes occaſiones actus earum exercendi frequentiores ſunt, & in horas ſingulas nobis occurrentes locum præbent maximos congerendi theſauros; ſed quia occulorum aciem non perſtringentes, ut virtutes aliæ quæ nitent, & populi admirationem ſibi promerentur, minus patent direptioni improborum ſpirituum, qui nos explorant, & vento vanitatis, qui crebro confringit cedros Libani, & pulcherrimos fructus dejicit in terram. *Vita Jeſu Chriſti P. Nouet.*

*Quinam eſſe debeat ſtatus, & profeſſio viri Religioſi.*

Sanctus hic Vir paucis oſtendit, quid ſit ſtatus, & profeſſio Religioſi hominis, eum ait illam eſſe debere jejunii perpetui obſervantiam; videlicet, quidquid pœnitentiæ, mortificationis, & auſteritatum quod ſtatis temporibus obſervatur, ab ipſo ſingulis vitæ ſuæ diebus eſſe obſervandum. Quemadmodum promiſſio ab illo facta Deo, ſe omnibus mundi hujus voluptatibus, omnibus fluxis oblectationibus abrenuntiaturum, & crucifixurum carnem ſuam cum omnibus cupiditatibus ejus, illum quovis tempore obligat: nullum quoque tempus eſt, quo non debeat adimplere quod recepit: ita ut oporteret, ut Religioſus ſatisfacturus voto ſuo inceſſanter daret operam ut quam diligentiſſime ſibi præcaveret adverſus ea, quæ vel minime lædere poſſent animæ puritatem; ut procul omnia extruderet vitia, ut omnes preces ſuæ cum lacrymis eſſent conjunctæ; ut vacaret ſacrorum librorum lectioni; ut viveret in gemitibus & contritione, in jejuniis & abſtinentia; videlicet totam vitam ſuam in triſtitia, & dolore transfigeret, & abſtinens non ſecus ac primi fideles ab eſu carnium, ovorum, lactis, & vini jejunium quotidie uſque ad ſtellarum fulgorem produceret. Sed quia pauci ſunt Religioſi, qui pares ſint ferendo ſemper diſciplinam adeo auſteram & laborioſam, Sanctus noſter exigit, ut ſaltem ſtatis quibuſdam temporibus id peragant, & præcipue carnis privio tempore, & ſumma cum fidelitate reparent omnes has negligentias, languores, attentionis defectus, diſtractiones, levitates, impetus; denique omnia hæc vitia, quæ illis elapſa ſunt totius anni tempore, & quæ proculdubio illi evitaſſent, ſi religio, & pietas illorum talis extitiſſet, qualis eſſe debebat. *Ex Regula S. Benedicti Tomo 2.*

*Religioſi ſtatis temporibus ab Eccleſiæ præceptis augere debent ſuas auſteritates.*

Religioſi, ut ſeſe conforment Sancti hujus inſtitutis debent conſuetas auſteritates augere. Cum eorum creſcant obligationes, creſcat etiam, opus eſt, illorum vigilantia, uberiores ſint lacrymæ, lectio magis aſſidua, contritio magis profunda; aliquid eſculenti, & poculenti imminuant; diutius orent, diutius vigilent, minus loquantur; & ſi quis hactenus vocationi ſuæ minus fidelis extiterit, aut imprudenter quædam effutierit verba, quibus interdictum eſſe oporteret, hic ſe ſe corrigere quærat: denique abluat animam ſuam, eamque emundet ab omnibus ſordibus, quas forte contraxiſſet, ita ut taliter ſit affectus, ut nihil habeat, quod cordis ſui ſerenitatem perturbet, & ſancta cum lætitia expectare valeat Sanctam magni hujus diei ſolemnitatem, quæ totius Eccleſiæ conſolatio eſt, & particeps fiat Reſurrectionis Jeſu Chriſti. *Idem.*

*Non ſatis eſt Religioſo viro non committere gravia ſcelera, opus eſt etiam ut minima ſtatuum ſui regulas ſervet.*

Nequaquam ſatis eſt, ab omnibus homicidiis, adulteriis, blaſphemiis, infidelitatibus, gravibuſque ſceleribus, quæ non conſentiunt cum eo, quod probitas appellatur, abhorruiſſe, ut temet irreprehenſibilem eſſe putes. Hoc multo minus ſatis eſt in Religioſo, cujus vita pura eſſe debet, & qui ſibi perfectam proponit Sanctitatem, ad quam tendit, ac ſe attollit; cumque Deus illum ad perfectionem vocet, ſumma cura evitare debet leves noxas; quoniam perfectio nullam patitur. Hac mente ſecrevit Deus Sanctum hunc Religioſum ab omnibus iis rebus, quæ illum in malum impellere poterant, abſcondens illum in ſolitudine, tanquam in ſecreto faciei ſuæ, & illum cumulans mediis, ſubſidiis, & omni facilitate ad bonum operandum. Sancti, qui cognoverunt præſtantiam profeſſionis Religioſorum, illos reſpexerunt tanquam viſibiles Angelos. S. Bernardus vocat illos Prophetas, Apoſtolos, Martyres, conſiderans quænam eſſe debeat vitæ eorum ſanctitas & puritas omnis vitæ eorum; & nihil non verum affirmabimus, cum aſſeremus, virtutem, quæ ſalvum faceret hominem e mundo, futuram eſſe Religioſi viri damnationem. Deus judicabit mortales ſecundum ſingulorum officia; & officia ſecundum Dei mentem æſtimabuntur, & ſecundum gratias, quibus ſinguli a Deo aucti fuerunt. Nihil hoc certius; quoniam ipſe Jeſus hoc nobis teſtatus eſt: *Cui autem multum datum eſt, multum quæretur ab eo; & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo.* (*Luc. 12.*) Evitate igitur, Auditores, qua maxima fieri poteſt religione, noxas quantumlibet leves videantur; ſeu quia ſtatus veſter, qui jubet vos id facere, quod in chriſtiana vita perfectiſſimum eſt, nullas patitur; ſeu quia minimæ, ubi negliguntur, efficiunt, ut Deus in graviores vos labi permittat: *Qui ſpernit modica, paulatim decidet.* (*Eccleſ. 19*) *Regula S. Benedicti, Tomo 1.*

*Conformitas quam Religioſus habere debet cum voluntate Dei per ſtatum ubi illi hic eſſe vult.*

Quomodocunque igitur de me Deus diſponat, ſive me attollat, ſive me deprimat, ſive me conſoletur, ſive me affliget; ſive huic, ſive alteri cuipiam loco me deſtinet; ſive etiam quoad animam vireſque interiores efficiat, ut ambulem in tenebris, aut in lumine; in pœnis, & deſolationibus, vel in affluentia cæleſtium ſuavitatum; his rebus omnibus quid reſpondere debeo, niſi illum Dominum eſſe, & me in illius eſſe manibus? Utique Dominus eſt, & Dominus meus, nec alium volo. Elegi illum, & abſit, quod ab eodem diſcedam. Si hactenus non habuit in corde meo locum omnem, quem occupare debebat, hunc integrum illi trado. Volo ipſum ſolum ibi regnare, ibique omnem ſuam adhibere poteſtatem. Nolo amplius quidquam in pretio habere, quod illi in pretio non eſt; nolo quidquam cupere, niſi ſecundum illius affectiones, neque quidquam quærere, niſi illum ipſum. Quidquid ille contemnit, contemnetur a me; quidquid ille damnat, a me damnabitur. Ita Sanctus N. fidem ſemper ſervavit, quam Domino noſtro juraverat, & hujuſmodi ſemper illius ſenſus fuerunt. *P. Bourdalove in ſpiritualibus receſſibus.*

*Quid intereſt inter voluntariam paupertatem & coactam.*

Non deſunt in mundo pauperes, ſed alii quidem re pauperes tantum ſunt, & per conditionis ſuæ neceſſitatem, quin ſint pauperes corde; alii ſunt pauperes affectu & corde, licet non ſint re, atque effectu. Illorum paupertas coacta eſt, quam deplorant, & de qua conqueruntur; unde ſequitur, hanc nequaquam fuiſſe paupertatem Jeſu Chriſti, quæ fuit voluntaria. Horum vero paupertas chriſtiana eſt, & accepta Deo. Cor horum avulſum eſt a bonis, quæ præ manibus habent, & ſecundum illud Apoſtoli conſilium, poſſident illa, quaſi ea non poſſiderent. Hæc nihilominus non eſt tota Jeſu Chriſti paupertas, qui voluit omnem abdicare proprietatem & poſſeſſionem. Si recte loqui volumus; nemo eſt paupertatis Dei ſui verus imitator, niſi Religioſus &c. *ut ſupra P. Bourdalove ibidem.*

*In ſtatu Religioſo diſcuntur placita placitis mundi prorſus oppoſita.*

In Religioſa profeſſione, quæ ſchola eſt prorſus divina, inſtituta quædam traduntur, quæ mortales in commerciis, & ſecundum ſæculi ſpiritum viventes neque guſtare ſcirent, neque intelligere. Ibi ſuadetur, divitias, honores, & voluptates eſſe contemnendas, iiſque paupertatem, ignominias, ac paſſiones anteferendas, carnem crucifigendam, ſenſus mortificandos, abrenuntiandum ſpiritui ſuo, Patrem odio habendum; hoc eſt, abneganda ea omnia, quæ in nobis parere poſſunt vel minimam adhæſionem, & prohibere, ne intime cum Jeſu Chriſto conſentiamus. Denique ibi Sanctus noſter Cœnobita invenit regulas, & ſubſidia ad exercenda hæc adeo pura, & expedita placita, quæ Jeſus Chriſtus verbo ſuo, operibus, miraculis, toto vitæ ſuæ ſpatio, omnibuſque mortis ſuæ circumſtantiis prædicavit; videlicet veram gloriam tanquam a vero fonte oriri ab humilitate, & neceſſe eſſe, ut per crucis paſſiones æterna felicitas comparetur. *Ex Regula S. Benedicti, Tomo 1.*

*Quinam fuerint ſenſus & intentiones Sancti hujus Inſtitutoris.*

Cum Sanctus hic Inſtitutor dicat, ſe ſperare nihil a ſe durum & aſperum inſtitutum iri, credendum non eſt illi mentem eſſe inſtituendi vitam ſuavem, commodam, facilemque. Longe ille abfuit ab hac ſententia, loquens enim de Novitiorum profeſſione, vult illis indici, antequam admittantur, *omnia dura & aſpera, per quæ itur ad Cælum.* (*Reg. c. 5.*) Sanctus noſter Cœnobita callebat omnes has veritates, eaſque amplectebatur non jam ægre, & invitus, ſed cum omni zelo, qui conditioni ipſius inhærebat; & hoc pacto ſeipſum incepit ſanctificare. Vobis igitur ignorandum non eſt, Auditores, Sanctum N. reſpicere regulam, quam proponit ſub multiplici aſpectu; modo enim cogitat illam habita ratione virorum eorum, qui illam ſunt amplexati, & bonorum, quæ illa in iis eſt paritura; modo vero ſecundum diſpoſitiones naturæ, & habita ratione ſtudiorum, ac ſenſuum eorundem. Verum eſt, cum illam comparat cum iniquitate peccatorum, & oculis ejus obverſantur ſupplicia, quæ illa meriti ſunt; videlicet cum comparat inferni cruciatus, cum auſteriſſimis Regulæ exercitiis, nihil adeſſe, quod durum, aſperum & moleſtum appellandum ſit, omniaque lenitatis & moderationis eſſe plena. Quæ enim haberi comparatio poteſt inter ea, quæ in religione licet exactiſſima ac ſeveriſſima perferuntur, & ea, quæ in locis illis pœnæ ac tenebrarum ſunt perferenda? Seu quis illic in æternum torqueatur; ſeu ibi uſque ad reliquias peccatorum expiandas illic moraturus ſit: hi cruciatus ubi comparentur cum illis licet teterrimis, duriſſimis ac moleſtiſſimis quæ perferuntur in terris, levis imago, & ſomnium exiſtimandi ſunt. *Idem.*

*Arcta in monaſteriis via conſtituit unionem & concordiam in cordibus Religioſorum.*

Dolores non minus utiles ſunt, neque minus neceſſarii pro tuenda charitate, quam pro reparanda innocentia; communem vero in Religioſis Congregationibus charitatem privatæ evertunt amicitiæ. Cum autem hæ omnes privationes, & abrenunciationes earum auferunt occaſiones, objecta, & materiem, charitas ibi inviolabilis permanet; ibi conſtans eſt & æqualis; Amor, qui fratres Deo jungit, illos ſimul conjungit, & charitas nunquam labefactatur. Licet hæc una ratio Sanctum N. impuliſſet, ad arctam vitam inſtituendam, ea graviſſima ſatis eſt, & hoc eſſet vili pretio redimere concordiam, & unionem cordium in Monaſtica Congregatione. Hæc ſancta conſenſio docet ibi eſſe digitum Dei; ipſum illam fovere, & inutiles efficere omnes inimicorum conatus, qui eidem nocere vellent; ipſum pro illa tuenda pugnare; & opus eſſe, ut verborum ejus veritas adimpleatur: *Non*

*expiet*

*rapiet eas quiſquam de manu mea.* Non ſolum eſt in pace, ſed eſſe debet in perfecta ſecuritate. Sanctus autem hic Vir nunquam magis laboravit, quam ut ſtatueret pacem, atque concordiam in Monaſteriis, innuere volens illam eſſe neceſſariam non Religioſis tantum, ſed ſæcularibus etiam eſſe utiliſſimam, qui ſine illius ope ſubſiſtere & ſervari minime poſſunt. *Ex Regula S. Benedicti, Tomo 1.*

Mala, quæ accidunt monachis inter ſe pacem non ſovenuibus.

Quantumvis parum lædatur concordia, quæ regnare debet inter eos, qui ſeſe Deo devoverunt, & ſacer nodus, quo eorum voluntates vinciuntur, relaxetur; & aliquis inter fratres invenitur, qui frangat, ac interpellet admirabilem hunc, ſanctumque ordinem, evenire poteſt, ut Deus, qui ipſa Charitas eſt, & qui non oblectatur, niſi ubi hæc virtus prorſus divina dominetur, recedat, & deſerat Congregationem hanc, cujus erat Patronus, expoſitam improbis inimicorum ſuorum conſiliis, & ſæpe unius culpa generalem pariat deſtitutionem; fatendum eſt ergo nihil eſſe poſſe minus dignum illo, qui conſilium iniiſſet ſeſe Deo devovendi, quam ſententiam mutare ac retrocedere per metum ingrediendi in vitæ genus auſterum; cum hæc auſteritas adeo ſit neceſſaria pro incolumitate innocentiæ & charitatis. *Ibidem.*

Ejuſdem argumenti.

Si concordia non invenitur inter eos, qui Deo dicati ſunt, Solitudines, & Monaſteria loca erunt confuſionis, ac perturbationis, ſinguli ſecundum ſuam immortificationem, licentiam, libidinemque, quin id ſibi Religioni vertant, efficiet, quidquid arbitrabuntur ſibi fas eſſe per regulam. Oſtia Domus Dei promiſcue patebunt omni mortalium generi; inde egredientur ad obeundas viſitationes, ibique recipientur; habebitur ſermo de quolibet negotiorum genere, & de rebus novis, quæ nuntiantur non ſecus ac in publicis plateis, ibi potabitur, & manducabitur omnibus horis, quibus voluerint; ſeſe diſpenſabunt ab interventu in Choro, a vigiliis, atque jejuniis; denique ab omnibus actionibus pietatis, regularibus, diſciplinæ: qui Dei timorem non habent, leges contemnunt, & pro nihilo habent; ſed illæ cohibent eos, quibus hic timor ineſt, & vetant, ne illius faciant jacturam. *Ex Regula S. Benedicti, Tomo 1.*

Religioſi, qui obſervant exacte regulas ſuas facile vitam ſuam in innocentia traducunt.

Non eſt tantum difficile, quantum putatur, Monachos ſub exacta diſciplina viventes, qui ſemoti ſunt ab occaſionibus, qui omnes ſuas vias obſervant, qui regulas habent, eiſque obtemperant, & habent Superiores eorum regimini præpoſitos, vitam ſuam in innocentia traducere & cum crebro ſeipſos diligenti examine excutiunt coram Deo ſub finem dierum ſingulorum, & ſcrutantur abditiſſimos ſinus conſcientiæ ſuæ, ibi eas tantum noxas invenire, in quas ſecundum Scripturarum teſtimonium juſti facere nequeunt, quo minus labantur. Præterea ſi incidunt in vitia paulo graviora, modo conjuncta non ſint cum duritia, improbitate, ſuperbia, contemptu, craſſa negligentia, quæ irritat Deum, & ſinceram habeant ſeſe corrigendi voluntatem, ut plurimum non excedunt venialium peccatorum magnitudinem, & merentur potius Dei miſerationem, quam indignationem & iracundiam. Sin autem gravia committuntur crimina, quod non debet in ſanctis locis accidere, regula ſuppeditat remedia ad illa curanda; & caſu quo iiſdem uti nemo negligat, eaque ſibi velit applicare, certiſſima venia obtinetur: *Remediis poſt peccatum reſtituitur innocentia. Idem.*

*de Præcep. & diſpenſ. cap. 10.* De conformitate vitæ religioſæ cum vita J. C.

In Religioſa profeſſione videtur Cœnobitarum vitæ conformitas cum Jeſu Chriſti vita. Illi in paupertate ſua, quam profitentur, imitantur Jeſu Chriſti paupertatem arctiſſimam, cui defuerunt, ut ipſe de ſe fatetur, ea, quæ natura non negat Cæli volucribus, & beſtiis terræ: *Vulpes foveam habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Laboribus, quos exigit regula, imitantur labores Jeſu Chriſti, quos per hæc Prophetæ verba exprimit: *Pauper ſum ego, & in laboribus a juventute mea.* Solitudine ſua imitantur Jeſu Chriſti ſolitudinem, cum Spiritus Sanctus eum in deſertum adduxit: *Tunc Jeſus ductus eſt in deſertum a Spiritu, ut tentaretur a Diabolo.* Jejuniis ſuis imitantur admirabilem abſtinentiam, quam diebus quadraginta, totidemque noctibus exercuit: *Et cum jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit.* Per humilitatem ſuam adeo eſſentialem, ſuæque profeſſioni inhærentem imitantur humilitatem J. C. quæ in toto vitæ ipſius curriculo deprehenditur, & per obedientiam ſuam, illam, qua omnibus Patris ſui mandatis obtemperavit: *Deſcendi de Cælo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me.* Jugibus mortificationibus, & privationibus voluptatum omnium, quæ ſenſus palpare poſſunt, imitantur omnes circumſtantias paſſionis Jeſu Chriſti, quæ a primo ſuæ nativitatis momento incepit, uſque ad extremum vitæ ſpiritum; & omnibus vitæ ſuæ momentis offerunt victimam pœnitentiæ pro peccatis ſuis, & pro peccatis Mundi, quibus ſecundum S. Bernardi ſententiam, oneraverunt ſe, tanquam ſuis, vel in Sanctitatis ſuæ incrementum, caſu, quo Deus illis favent, propter ſanctam innocentiæ ſuæ integritatem. Denique ſicut illi amorem reddere tenentur pro amore, & nequeunt pro illo mori, quemadmodum ipſe pro illis mortuus eſt; nequeunt aliud facere, quam vitam ſuam breviorem per actus, & exercitia rigidæ auſteritatis; atque ita ſibi applicantes, quantum fieri poteſt

Matth. 8.

Pſalm 87. v. 16

Matth. 4.

Ibidem.

Joann. 6, v. 38.

omnes illius paſſiones, digni fiunt juxta ipſius promiſſiones, qui in regnum ejus ingrediantur, & fiant gloriæ ejuſdem participes: *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur. Regula S. Benedicti, Tomo 1.* Rom. 8.

Religioſus tenetur facere bonũ, & evitare malum majori cura, quam qui vivunt in mundo. Theſſ. 5.

Una conditio mortalibus omnibus propoſita eſt, ut videlicet evitent malum, & faciant bonum: quæ conformis eſt documento Apoſtoli præcipientis, ut ab omni ſpecie mali ſe abſtineant. Conditio hæc ad omnes homines ſpectat, & ne unus quidem eſt, qui non teneatur exequi hoc Spiritus Sancti præceptum: *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* Attamen Religioſos multo magis obligat, quam cæteros. Quoniam Deus non inſtituit illos in Eccleſia, niſi ut illius ornamentum eſſent, & lumen; & opus eſt, ut qui in mundo vivunt, in eorum vitam certam vitæ ſuæ normam inveniant. Omnes Chriſtianæ virtutes in illorum puritate, ac ſtatu debent eniteſcere: & omnia conformari ita debent ſanctiſſimis Evangelii placitis, ut ſatis ſit ſcire, quid fugiant, vel quid ſequantur, ut liqueat, quid ſit perfectus Jeſu Chriſti Diſcipulus. Non enim promiſcue amplecti debent omnia bonorum genera, & indiſcriminatim ſequi quidquid illis charitas offert; ſed tanta præſtantia & perfectione perfungi debent omnibus officiis Religionis atque pietatis, quæ in eorum ſtatu continentur, ut inſpectantium oculis habere videantur in imo corde, quidquid non eſt in manibus eorum; videlicet in extrinſecis eorum operibus, & ſe non coarctent intra cancellos profeſſionis ſuæ, niſi quia Dei continentur imperio, & conditio ipſorum non patitur, ut inde egrediantur. *Idem.*

Religioſus præferre debet veterum Patrum placita illis recentium.

Quin immoremur in Patrum ſanctitate, vel eorum miſſione cogitanda, illorum placitis, ac ſententiis ornamur, ut noſtras cogitationes, ſenſuſque ſequamur; neque religioni vertimus ſubrogare mores prorſus humanos, ac recentes ſanctis regulis, quas ſummi illi Viri nobis reliquerunt: *State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus veſtris.* Proficite, Auditores, ex hoc Spiritus Sancti monitu; nolite ab antiquis ſemitis aberrare. Servate conſtanti adhæſione ac Religione Teſtamentum Patrum veſtrorum; nullum recipite temperamentum, nullamque modificationem, quæ ſit ſpiritus eorum contraria; animæ veſtræ re ipſa veras conſolationes guſtabunt. Rejicite ſenſus omnes, & explicationes, quas illi non noverunt, & habete tanquam adulterinam pecuniam omnem illam, quæ antiquitatis nota ſignata non eſt. Via vitæ illa eſt, quæ vero ſpiritu animata eſt: illa, cui Deus vitam communicavit per interceſſionem Sanctorum ſuorum: illa, quæ nos a morte præſervat, ac dignos efficit regno vitæ. Et ne vos ſpecies fallat, vel fucatæ rationes os vobis ſublinant; ſæpe cogitate, non deeſſe vias, quæ in ſe veritatem habere videntur, & quæ non aliud habent effectum, quam eos perdendi, qui illas ſequuntur: *Eſt via, quæ videtur homini juſta, noviſſima autem ejus deducunt ad mortem. Idem.*

Jerem. 6.

Prov. 14.

Neceſſe eſt, ut Religioſi ſub una eademque regula vivant.

Opus eſt, ut Religioſi ſint *ſub una Regula;* ſi enim conſuetudine aliqua, uſu, aut Superioris ad arbitrium viverent, plura occurrent, quibus neceſſe eſſet, ut illi per ſu tibi legem applicarent, & inciderent in neceſſitatem ſe ſe determinandi pluribus in occaſionibus per ſpiritum ſuum, per lumina, affectuſque ſuos, ita ut propriam voluntatem roborarent, cum illam deſtruere debeant, quod fini adverſatur, quem Sanctus noſter ſibi propoſuit in receſſu ſuo. Cæterum, ſi Religioſis nulla eſſet regula, nullam haberent certam vivendi rationem, & agerent fortuito, cum inæqualitate, & ſine conſenſu, & ſæpe ſuperioris arbitrium majorem ſibi partem vindicaret in eorum regimine, quam amor veritatis, atque juſtitiæ. *Idem.*

Opus eſt, ut Religioſi habeant Superiorem, a quo dirigantur.

Opus eſt etiam, ut Superiori ſubditi ſint; nam quamcunque regulam habere poſſint, & quæcunque illis conſtituta ſit diſciplina ad rectum ordinem ſervandum, fieri minime poſſet, ut ſubſiſterent; cum humani cordis inſtabilitas tanta ſit, ut niſi ſuperior omnem curam, atque vigilantiam impenderet regendis motibus omnibus, & moderandis iis, quæ fortaſſe nimis violenta ſunt, & excitandis iis, quæ nimis languida, dirigendis iis, quæ longius a vera via aberrarent, prohibendis prævaricationibus, ac tandem æquo ſervando inter fratres temperamento, ſecundum cognitionem quam habet de illorum affectionibus; omnia ſus deque eſſent turbata. *Idem.*

Quomodo Deus Sanctum hunc Religioſum præparaverit, antequam moraliter vita in ſe deret.

Quemadmodum Dei mens erat Sanctum hunc Religioſum addicere vitæ generi, quod divinum eſſet potius, quam humanum, eumque objicere contentionibus, quæ communes hominum vires excederent, ille ſemetipſum præparare debebat in Cœnobio, ubi diſceret, quid ſibi vellet reſiſtere Dæmonum conatibus, ſuffultus monitis, & curis Superioris, & fratrum exemplo, & cum poſt plurima ac diuturna experimenta ſe ſatis valentem viribus cognoſceret ad recens certaminis genus ineundum, de medio illorum, tanquam ex acie prodiret in ſingulare certamen non alio ſuffultus præſidio, quam quod in Dei patrocinio ſibi non defuturum ſperabat contra ſpiritus, cordis, & ſenſuum perturbationem. Deus, qui componebat illum cum teterrimis hoſtibus, & in ipſius perſona inferorum potentiam profligare volebat, noluit illum in prælium deſcendere, niſi par eſſet victoriæ de

hoſti-

hoſtibus referendæ, ideoque diutina illum exercere voluit in Monaſterio, ut omnes abjiceret impuras, improbaſque affectiones, quibus dæmon contra ipſum abuſurus eſſet; videlicet cupiditates, & ægritudines animi; atque ut oppoſitas qualitates indipiſceretur, quales ſunt viva fides, animata confidentia, puritas perfecta, ut inde fortior evaderet, & hoſtibus ſuis terribilior. *Ex Regula S. Benedicti, Tomo 1.*

Cœnobitæ majores progreſſus fecerunt quam Anachoretæ

Cœnobitæ cum numero, ac multitudine Anachoretas ſuperaverint, Eccleſiæ majora, & quæ latius patent, bona contulerunt; ſeu quod ſimul conjuncti vinculis concordiæ, & ſanctæ conſenſionis, componunt exercitum, quem omnes dæmonum conatus infringere, & ſuperare nullatenus valent; ſed quod, cum eorum vita non aliud ſit, quam obedientiæ exercitium, inceſſanter arma gerunt; ita ut fideliter illa munera obeuntibus, quæ ſibi demandata fuerunt, nullum ſit momentum, quo non dimicent, & non triumphent: ac tandem quia Cœnobitæ ſtatus magis, quam Anachoretæ, neceſſaria continet ſubſidia ad bellum ſuſtinendum, in quo uterque implicitus eſt. Habent enim ſolitudinem, ſilentium, alienationem a Mundo, vitæ auſteritatem, & præ cæteris obedientiæ exercitium, cujus bona atque utilitates ſatis explicari non poſſunt. Quibus omnibus illud accedit, quod fratrum ſuorum conſpectus illis animos addit, præſertim vero ſuperiorum. Hæc officia ſunt, quibus Sanctus noſter toto vitæ ſuæ tempore fideliſſime perfunctus eſt. *Regula Sancti Benedicti, Tomo 1.*

Quamvis ſuperior religioſis ſuis præire debeat exemplo, non inde ſequitur, illum eſſe debere impeccabilem.

Quamvis ſuperior ſubditis præire debeat exemplo, & fidelitas illius accuratiſſima debeat eſſe; credendum tamen non eſt, Auditores, opus eſſe, ut ille ſit impeccabilis ad hoc, ut doceat, corrigat, & reprehendat: ſi enim oporteret, illum ſine crimine eſſe, cum hoc ad Angelos dumtaxat pertineat, Cœnobitæ monitis, & præceptis carerent. Satis igitur eſt eſſe illum Regulæ obſervatorem, in munere ſuo diligentem, ac zelotem, qui in tota vitæ ſuæ ratione fidelitatem præſeferat, & fidem aſtruat, ſe occupari ſuæ profeſſionis amore, & unicam ſibi curam eſſe eoſdem ſenſus cæteris inſpirandi. Si ita fuerit affectus, illius raræ, leveſque noxæ erunt, & opinio, quæ de virtute illius apud omnes percrebuit, vitia illius vel teget, vel imminuet; ita ut in monitis, & directione illius perfectam foveant confidentiam. Verum ſi ille ab officiis ſuis ſe diſpenſaverit, non dico ſolum de illis, quæ ſunt eſſentialia, ſed de omnibus illis, quorum obſervantia fratres ſuos ædificare poteſt: hæc Jeſu Chriſti exprobratio in illum recidet, ipſe vero non poterit evitare confuſionem, quam meretur, qui exigit a ſubditis ſuis eam ſedulitatem, qua ipſe caret; & hic ille eſt, qui vere habens trabem in oculo, nec illum videns, in oculis fratrum ſuorum feſtucas deprehendit. *Idem.*

Æqualitas habenda in Religioſa profeſſione.

Profeſſio Monaſtica illos omnes æquat, qui illam amplectuntur. Nulla cognoſcit humana diſcrimina, & ea tantum admittit, quæ Jeſus Chriſtus operatur in manibus per impreſſiones gratiæ ſuæ, & per Spiritus Sancti ſui motum. Status hic adeo purus & ſanctus omnimodam requirit abdicationem, & cum hæc abrenuntiatio facta eſt, qui plura contulit, nihil habet amplius eo, qui minus, vel nihil omnino donavit: niſi fortaſſe ſuum obtulerit Sacrificium cum præſtantioribus, perfectioribuſque perfectionibus. Inter Clauſtra recipiuntur magni, parvi, pauperes, divites, nobiles, plebeji, docti, indocti ac ſimplices; & indignum eſſet ſacris hiſce locis, in quibus Jeſum Chriſtum perfecte imitari, eique deſervire Monachi debent, ullam haberi perſonarum acceptionem, & prælationes haberi aliis de cauſis, quam in quibus ipſe ſuis diſtinctiones conſtituit; & qui aliter ageret, inter Clauſtra inveheret mundi ſpiritum, illuc illius placita, conſuetudines, mores, principia, affectiones, cupiditates, omnemque ejus vanitatem revocaret, quæ ibi neque cognoſcenda eſſet, nec nominanda. *Idem.*

Quomodo Religioſi ſint a Superiore corrigendi.

Correctiones ſunt veluti calcaria, quæ, ex D. Gregorii ſententia, efficiunt ut in via Domini progrediantur illi, quibus admoventur; & dubitandum non eſt, ſi lenitas Superioris jugis eſſet, & non eſſet cum rigore, & ſeveritate conjuncta, hanc effecturam eſſe, ut animæ in languorem, ac ignaviam inciderent, neque haberent ultra illam vim, & alacritatem, ſine qua virtus non obtinet apud Deum acceſſum illum, quem debet habere. Sicuti opus non eſt, ut Superior animos exaſperet indiſcretis auſteritatibus, ita opus non eſt, ut illos dejiciat molli, ac blanda indulgentia. *Regula Sancti Benedicti, Tomo 1.*

Qua ratione Superiori agendum ſit cum Religioſis qui eminentem adepti ſunt pietatem?

Æquum non eſſet, ut qui ſe ſe devoverunt Deo, & adepti ſunt pietatem eminentem, iiſdem ac alii obnoxii eſſent reprehenſionibus. Deus qui permittit, ut in inevitabiles incidant notas, ut illos in humilitate contineat, & prohibeat, ne in ſua virtute confidant, ac intumeſcant ob gratias ſibi collatas, & quas illis etiam Deus in ſingulos dies collaturus eſt: vult proculdubio, ut Superior, qui præeſt illis, mentem ipſius aſſequatur, & conferat quantum in ipſo eſt ad eos ſuſtinendos, & ad perfectionem impellendos, ad quam vocat illos; cui officio non faceret ſatis, ſi eos quiete frui pateretur paritate ſtatus ipſorum, quantacunque eſſet, quin illos exercere conaretur per ea media, quæ ipſa illi exhibet regula, & quæ pertinent ad humiliationes. Sanctus autem hic Religioſus non operiebatur lenes Superioris ſui correptiones ad inflammandum zelum, & excitandam attentionem ſuam; ſed illas omnino præveniebat humiliationibus ſuis, nunquam ceſſaturis, quominus ſuis perfungeretur officiis. *Idem.*

Quomodo ſeſe gerere debent cum religioſis humilibus & docilibus?

Sanctus noſter Fundator vult, lenitatem prævalere in Superiore erga Religioſos ſuaves, humiles, humanos, & dociles; ſed hanc ſolam eſſe non patitur ſine commixtione aliqua, & temperamento. Noverat ſeveritatem eſſe ſalis inſtar, qui vetat, ne virtus corrumpatur in Sanctiſſimis etiam animabus, & Religioſo viro nihil tam officere, cui in ſubjectione, & abjectione vivendum eſt, quam invenire Superiorem quovis tempore paratum, ac diſpoſitum, ut illi blandiatur, aſſentetur, complaceat. *Idem.*

Quanti Religioſus ſua faceret jejunium.

Satis non erat huic Religioſo jejunare, quin mortificationem hanc adeo ſanctam & ſalutarem amaret; quippe illi de rebus duabus erat perſuaſum: quarum altera eſt nullam eſſe praxim pœnitentiæ, quam pluris fecerint, & cui magis adhæſerint veteres Cœnobitæ. Vos non fallit quænam hac in re fuerint auſteritates Antoniorum, Benedictorum, Brunonum, Bernardorum, & tot obſervantiæ, quas Jeſus Chriſtus in Eccleſia inſtituit; & quid prodeſt habere ſummos hos viros Parentum loco, eoſque tanquam Regularis vitæ Magiſtros intueri, ſed eorum ſenſus, actiones, & placita non imitari? Alterum eſt nullum eſſe pœnitentiæ exercitium, ex quo majorem percipere valeat utilitatem, ut ſeſe ad ſtatus ſui perfectionem attollat, ac tueatur puritatem, quam ejuſdem profeſſio requirit; quorum hæc veritas eſt, quam non ſolum experientia didicimus, ſed uniformi teſtimonio, quod Sancti hac in re nobis perhibuerunt. S. Athanaſius ait, jejuniis morbos noſtros curari, ſenſuum noſtrorum impuritatem cohiberi, dæmones expelli, pravas cogitationes extrudi, animas noſtras nitidiores effici, corda purificari, ſanctificari corpora, & hominibus tribui dignitatem neceſſariam, ut coram Dei majeſtate prodeant. Denique concludit abſtinentiam cibum eſſe Angelorum, & qui illam exercet, Angelis ſimillimum fieri? *Jejunium enim Angelorum cibus eſt; & qui eo utitur, ordinis Angelici cenſendus eſt.* S. Baſilius, S. Ambroſius, S. Joannes Climacus, S. Joannes Chryſoſtomus eodem pacto loquuntur; quorum noviſſimus rem dicit notatu dignam; videlicet ſi caſtitas duabus hiſce virtutibus deſtituta fuerit, a quibus nulla ratione ſeparanda eſt, jejunio videlicet ac temperantia, illam non diu permanſuram; ſed ſi iiſdem fuerit ſuffulta, perſeveraturam, ac tandem debitam ſibi mercedem eſſe recepturam. *Regula S. Benedicti, Tomo 1.*

S. Athan. l. de Virginit.

Quantum a mundi placitis abhorrere debent Religioſi.

Religioſus, qui cupit eſſe verus Sancti Noſtri imitator, odiſſe debet quidquid amat Mundi aſſecla, & quærere quidquid ille contemnit. Cum enim uterque a locis adeo longinquis diſcedant, & ad fines adeo oppoſitos contendant, tantum invicem adverſari debent cogitationibus, operibuſque, quantum Cælum diſtat a terra. Alter quidem ardenter cupit opes, alter vero illas contemnit. Alter ad terrenam gloriam anhelat, alter inceſſanter ad cæleſtem ſuſpirat. Alter quocunque pretio terrenas quærit voluptates; alter vero illas horret, & nonniſi ſupernas exquirit. Alter pro virili parte commoda conſectatur; alter nunquam tantum mali patitur, quantum optat. Alter quodlibet mortalium genus laceſſit, ut bona ſua, & redditus augeat; alter vero ſemper paratus eſt cedere bona, quæ ab illo exiguntur. Hic terrenis tantum negotiis occupatur, ille converſatur in Cælis. Hic voti ſui compos non eſt, niſi loquatur; ille autem, niſi ſilentium ſervet. Hic hominum famam, atque exiſtimationem aucupatur; ille autem ſe ſe abjicere quærit coram hominibus, æque ac coram Deo. Ita opus eſt ut Religioſi hominis cura tota in eo ſit, ut vias Mundi derelinquat, & ſequatur quidquid illis oppoſitum eſt; & ſtatus ipſius, qui deſtinat illum Cælo, non permittit illi ſenſus, deſideria, actiones, cogitationes, quæ illi non conferant aliquid, ut ſe Cælo eodem dignum præbeat. *S. Benedicti Regula Tomo 1.*

Exemplum Religioſi noſtri oſtenditur, quam vituperabilis ſit in id genus homine iracundia.

Sanctus Religioſus Noſter nunquam paruit iracundiæ. Ita Cœnobita, qui æque attentus eſt, ac eſſe debet in vitæ ſuæ ratione, & qui velit, ut tenerius curam gerere cordis ſui, omnia facit quæ poteſt, ut illud inacceſſibile reddat motibus iræ, & ad id eo majori incumbat ſollicitudine, quo magis ſecundum lumen, quod Spiritus Sanctus largitur illi, cognoſcit mala, & vaſtitatem, quam hæc animi ægritudo parere poteſt: *Iracundia animoſitatis illius ſubverſio illius eſt.* Quod ſibi propoſuit, ubi Mundum reliquit, hoc fuit, ut Deo frueretur in ſacra ſolitudinis quiete, ut ibi ſanctam legem illius meditaretur, eique ſerviret in ſocietati eorum, cum quibus ſe vitam ducere obſtrinxit, vivens cum illis in ita perfecta, intima, ſinceraque conſenſione, ut nullo unquam vitio, aut perturbatione infringatur. *Ex Regula S. Benedicti, Tomo 1.*

Ejuſdem argumenti.

De ira idem ac de pyrio pulvere dicendum eſt; ubi hic corripit ignem, in magno aeris ſpatio evaneſcit, ſeſe latius effundit, & officit nemini; ſed ubi in arcto, clauſoque loco inflammatur, parit concuſſiones, violentas

agita-

agitationes, & quæcunque ſubvertit, ut ſibi aditum aperiat. Ita ira, quæ pro nihilo habetur in Mundo, & quæ habetur etiam quaſi quædam virtutis ſpecies, cum brevis eſt, effectus habet, qui valde formidabiles ſunt in cœtibus regularium; & fratribus advertendum eſt, ne unquam eam abjiciant malaciam, atque tranquillitatem, quæ ipſis eſt omnino neceſſaria. Quamobrem Sanctus noſter Monachus ſemper multum ſuavitatis præſetulit, non ſolum erga Superiores ſuos, verum etiam erga fratrea. *Idem.*

*De malis quæ in regulari communitate parit murmuratio.*

Murmuratio prava eſt affectio, & animi ægritudo, quæ concipitur contra vitæ genus, & actiones, vel Superioris, vel fratrum ſuorum; hæc aliquando eſt intrinſeca, aliquando ſe prodit per aliquot geſtus, aut ſignum vel manuum, vel oris, vel oculorum; cujuſcunque generis ſit, charitatem laceſſit: & proprie loquendo Religioſus non murmurat, niſi quia non vult ſubmittere vel ſpiritum, mentemque ſuam, vel cor. Murmurator ſe Judicem conſtituit eorum omnium, quæ accidunt in Monaſterio; nihil illius, non dicam oculos fallit, ſed improbitatem. Sæpe enim videt, quod non eſt; & cum cognoſcit, quod reprehendere valeat, ipſa ſua imaginatio ſexcenta illi argumenta ſuppeditat. Promiſcue cenſoria nota perſtringit Superiores, & fratres; damnat quidquid abhorret a ſenſu ſuo, & cum ægritudo moroſa efficiat, ut nihil ei placeat; tota illius cura in hoc ſita eſt, ut vituperet, atque reprehendat. Non ſolum ſuum virus effundit per temeraria judicia, verum etiam ſæpe communicat ſpiritum ſuum illis ex numero fratrum ſuorum, quibus facilius illum afflare poteſt; ex quo neceſſario germinant diſſenſiones, lites, jurgia, ideoque exitium pacis, conſenſionis & concordiæ, quæ in Monaſtica Congregatione potiua, quam alibi debet florere. Vitium hoc apud Religioſos ita percrebuit, ut dici queat, murmurare, & ſpiritum reciprocare in illis eſſe unum & idem. Eos alit obmurmuratio, hæc illis eſt neceſſaria refectio: & ut plurimum in eo tædio, quod receſſus, & ſolitudo parit, atque in ea ſubmiſſione, in qua dies ſuos debent traducere, nullum ſolatium inveniunt, quam oblectationem & voluptatem, quam ex murmuratione percipiunt. Hoc virus eſt, quo aluntur, & licet hoc illos enecet, tamen quia effectus non cadit ſub ſenſum, illum nihili faciunt, ac celant in corde ſuo morbum lethalem, quin illum ignorent. Idcirco Sanctus Religioſus noſter, tantum abfuit, ut in tantum crimen laberetur, ut ſemper præſetulerit perfectam alacritatem in faciendæ Superiorum ſuorum voluntate, nunquam eorum ſeſe gerendi rationem corripiens. *Ex Regula S. Benedicti, Tomo 1.*

*De ratio ples atque in religioſo cum obmurmuratione conjuncta invenitur.*

Ex quo Monachus ita miſer eſt, ut ab aſpectu Dei in vitæ ſua aciem oculorum amoveat, & non amplius illum ea colit reverentia, & obſequio, quod illi debetur, nequit ultra rationem habere vel Superioris, qui illius locum tenet, neque fratrum ſuorum, quos ab eodem jubetur amare. De illis cogitat, & loquitur pro libidine, ſeu potius ſecundum affectionum ſuarum motus. Affingit illis vitia & noxas, quæ non habent, & illis auſert virtutes, & eximias qualitates propter quas celebrantur, & quin illos ſibi proponat ut debet, objectum charitatis, & admirationis, illos tanquam odii ſui, atque contemptus objectum intuetur. Tamen nonne lacrymis effuſis deplorandus eſt, eo quod illius fides, atque religio ita fuerit extincta, ut ſibi religioni minime vertat excipere eo pacto, quo nollet inimicos ſuos, illos, quos a Deo jubetur in Patris, fratrumque loco habere, & non vereatur incidere in eas pœnas, atque ſupplicia, quæ Deus intentat illis, qui in id genus peccata labuntur: *Cum detractoribus non commiſcearis; quoniam repente conſurget perditio eorum*, inquit Spiritus Sanctus per os Sapientis. *Prov. 24.* Sedulo, Sanctus Religioſus noſter hujuſmodi cœtus evitabat, veritus, ne ſi pravis eorum ſermonibus aurem præberet, ſe ſe hoc pacto corrumperet. *Idem.*

*Deus non exigit a Religioſis omnibus eumdem perfectionis gradum.*

Si vos terret, Auditores, tot officiorum aſpectua; ſi hæc præceptorum multitudo vobis vires veſtras videtur excedere; ut vos liberem a cogitatione hac, quæ vobis negotium faceſſit, & prohibeam, ne animos deſpondeatis, ac in hanc incidatis diffidentiam; quæ vobis figit crucem, dicam, Deum non eandem exigere perfectionem ab illis, quos ad hunc perfectionis ſtatum appellat; neque ab omnibus indiſcriminatim exigere æqualem virtutem; neque illum omnes deſtinaſſe ad eumdem Religionis gradum; & licet ne unus quidem ſit, qui ad exemplum Sancti Cœnobitæ noſtri non teneatur ad perfectam contendere humilitatem; tamen non omnes teneri ad illius acquiſitionem; & modo quantum in ipſis eſt eam aſſequi contendant, & ſummo niſu ſinceraque voluntate ad id omnia adhibeant adminicula, & eam praxim ſequantur, quam Regula ipſis præſcribit, reſpiciet Deus diſpoſitionem cordis eorum, pietatem illorum remunerabitur, ejuſque rationem habebit, quaſi in illorum intentionibus, ac deſideriis eſſet perfecta: *Jugis ad perfectionem conatus pro perfectione putatur.* *S. Bernard. epiſt. 252.* Nos autem vere dicere poſſumua de Sancto noſtro, illum brevi adeptum eſſe hanc perfectionem, ad quam tot Sancti Cœnobitæ contendunt. *Idem.*

# MISSIONARII, ET APOSTOLICI VIRI.

*De miſſionibus Apoſtolicis.*

Eccleſia, quæ in omnibus cæremoniis ſuis nihil niſi Chriſtianiſmi gloriam, & fidelium ſanctitatem reſpexit, nequaquam ſatis eſſe putat Divini verbi pabulo adultos alere, & conſulere eruditioni puerorum aliorumque ſimplicium, ac rudium, extendit zelum ſuum uſque ad infideles, & ad Nationes remotiſſimas, barbaroſque per Miſſiones, quas Viri Apoſtolici quovis tempore ſuſceperunt, & ad hanc quoque diem ſuſcipiunt, quod in Catholica tantum videtur Eccleſia: nam licet Proteſtantes, aliique cœtus, qui Eccleſiarum nomen ſibi vendicant, penetraverint quidem ad Indos, Sinenſes, Japonios, alioſque populos maxime barbaros, cum quibus mercaturam exercent, ignorari non poteſt, illuc ſe ſe conferre negotiorum cauſa, & divitiarum, propter quas longa illi ſuſceperunt itinera, non autem propter zelum annuntiandi Fidem, & Chriſtianam Religionem, cujus nullum adhuc extat exemplum.

Sed Eccleſia Romana zelo, quem ſemper præſetulit, extendendi quocunque fidem, merita eſt Catholicæ nomen, quod gerit, mittens in univerſam terram Miſſionarios, non aliam ob cauſam, quam ut illuc inferat Jeſu Chriſti cognitionem, & annuntiet Chriſtianas veritates populis, qui nunquam de illis verba fieri audiverunt.

Apoſtoli hac mente ad extremas uſque Mundi plagas ſe ſe contulerunt, & ideo *Apoſtoli* vocati ſunt, videlicet *Miſſi*; & eadem ex cauſa hodierna adhuc die Miſſionariorum nomine nuncupantur illi, qui eorum ſequuntur veſtigia, & qui fidem annuntiant populis, quos primi etiam ignorarunt Apoſtoli. Namque poſtquam novus Orbis detectus fuit in Inſulis, quæ ne ex nomine quidem agnoſcebantur, & in America toto quamplutimi Miſſionarii excoluerunt Nationes integras, & auxerunt Jeſu Chriſti Regnum in terris; quod aliud non eſt, niſi hæc eadem Eccleſia.

Inſtituenda eſſet hiſtoria ditionum omnium, quæ fidem amplexæ ſunt, & habendus cenſus converſionis earum, quam Miſſionarii operati ſunt; quod vero ad noſtrum pertinet argumentum eſt, quod hic idem zelus adhuc viget cum eodem fructu in Eccleſia Catholica, ubi recentes Apoſtoli, Miſſionarii nuncupati idem munus exercent; ut hortamur illos, quos Deus non appellavit peculiari vocatione, ad Cælum ſollicitandum, ut multiplicet hos operarios, qui hoc tempore non minus ſunt neceſſarii, quam eſſent; cum Salvator dicebat Apoſtolis: *Meſſis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo Dominum meſſis, ut mittat operarios in vineam ſuam.* *Matth. 9.* *Auctor recens.*

*Zelus Apoſtolorum pro converſione populorum.*

Apoſtoli ſunt Principes Spirituales terræ totius a Jeſu Chriſto inſtituti, tanquam Miniſtri ipſius ad inſtituendas Eccleſias in nomine ſuo, ad Evangelium prædicandum, & populos convertendos. Sicut Legatus obit Domini ſui negotia cum poteſtate, & auctoritate, in omnibus quæ ſibi demandata ſunt, Principis perſonam repræſentans: ita Apoſtoli mundum convertebant, & quocunque afferebant Evangelium, ut congregarent homines in unam Eccleſiam per fidei unitatem, & Jeſu Chriſto Magiſtro, dominoque ſuo plurimas animas lucrarentur. Ex quo Apoſtoli ſe ſe devoverunt Jeſu Chriſto, maximum eorum conſilium fuit zeli ſui ſpecimina illi præbere; extremas uſque terrarum plagas adierunt, ut ibi quærerent idololatras, quos erudirent, & peccatores, quos converterent. Viſi ſunt mundum peragrare acti hoc Spiritu, ut univerſæ terræ nuntiarent Evangelium. Operabantur quidem miracula, quæ ſtuporem populis injiciebant; imperabant ventis ac tempeſtatibus, & natura quodammodo illis ancillabatur; ſed eorum zelus & charitas major erat miraculis eorum. Hic autem zelus efficiebat, ut cum voluptate ſacrificarent honorem, vitamque ſuam, ut ferrent lumen Evangelii ad Nationes maxime diſſitas, & educerent eas ex cæcitate, in qua erant; & nihil melius perſuadebat Evangelium, quam zelus & charitas prædicantium illud. *Idem.*

*Zelus Sancti Pauli.*

Satis cogniti ſunt labores, curſus, & multitudo populorum, quos Sanctus Paulua convertit, ut nobis perſuaſum ſit jure illi Magni Apoſtoli, vel Apoſtoli per antonomaſiam nomen factum. Sed unus ille nobis exprimere potuit cordis ſui ſenſus, & ardens deſiderium, quo fratrum converſionem, & Deo animas lucrari cupiebat. Hoc ille præſefert in pluribua locis Epiſtolarum ſuarum, ſed præſertim in prima ad Timotheum. Noſmet humiliavimus tanquam pueri, habuimus erga vos ſenſus eoſdem, quos Mater, quæ alit, & unice amat filios, quos edidit in lucem. Ita præ amore, quo vos

profe-

Digitized by Google

proſequimur, optaſſemus dare vobis non ſolum Evangelii cognitionem, ſed propriam etiam vitam, tanta erat charitas, qua vos complectebamur. Meminiſtis jam laboris, & anguſtiæ, quam paſſi ſumus, & quo modo vobis prædicavimus verbum Dei, operantes die & nocte, ne graves eſſemus cuiquam veſtrum. Vidiſtiſne unquam majorem ſollicitudinem, zelum, amorem? Zelus illius cogebat eum, ut omnes indueret formas; ut ſe fratribus ſuis acceptum redderet. Se humiliat, ſe ad pueri conditionem dejicit. Nullus unquam amor major eſt, aut ſollicitior, quam amor Matris. Talis eſt amor Sancti Pauli. Effectivi amoris ſolidum argumentum eſt, cum quis paratus eſt, ut vitam impendat. Pluries innotuit, affectionem hanc jugem fuiſſe in corde magni hujus Apoſtoli. Quorſum omnes hæ ſollicitudines? Quorſum hæ curæ? niſi quia S. Paulus flagrat amore fratrum ſuorum. Tantus eſt zelus ipſius, ut nullam illi requiem permittat. *Idem.*

Exprobratio Filii Dei ad operarios negligentes.

*Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis.* Hoc exprobrare poteſt Dei Filius illis, qui Evangelicis ſeſe implicuerunt miniſteriis, & animarum ſalutem negligunt, vel qui oſcitanter munus hoc tantæ neceſſitatis adimplent: *alii laboraverunt.* Tot homines vero zelo acti curis, laboribuſque confecti ſunt, ut fratrum ſalutem procurarent; vos autem annos veſtros, totumque vitæ ſpatium tranſigetis in otio ad conſpectum agri, labores manuſque veſtras petentis? *Alii laboraverunt.* Alii ſudorem laboremque paſſi ſunt; vos autem otio marcebitis, & amabitis requiem, quin cogitetis, labores Dei inutiles futuros, eo quod ſecundum ejuſdem finem, & conſilium laborare ceſſabitis? Mihi quidem exprobratio videtur terribilis his Domini verbis contineri: *Meſſis quidem multa, operarii autem pauci.* Habeo quidem agros ingentes, qui uberem meſſem pollicentur; fundus quidem eſt ſterilis; Cæli influxus benefici, magnus fidelium operariorum numerus ſatis felicem meſſem retulerunt, & diurnum opus ſuum compleverunt; ſed illi, quos conduxi, ut opus ad optatum finem perducerent, ne manum quidem admovere dignati ſunt. *Auctor recens.*

Matth. 9.

Electio Virorum Apoſtolicorum a Deo facta.

*Venite, faciam vos fieri piſcatores hominum.* Hæc verba ſunt, quæ Salvator dixit nonnullis Apoſtolis, ut illos ad ſui ſequelam invitaret, promittens ſe immutaturum conditionem illorum, & piſcatores piſcium ſe in hominum piſcatores converſurum: videlicet in homines hominibus convertendis, & pertrahendis ad Dei cultum deſtinatos. Hæc autem verba non ſolum indigitant electionem ab eo factam Virorum Apoſtolicorum; verum etiam eximias conditiones vocationis eorum, *Venite.* Illi quos Dei Filius evocat, ſtatim obediunt, nihil cauſantur, non ea, quibus premuntur negotia, non ineptitudinem, non difficultates, quas timere poterant in novo hoc munere: *Venite poſt me.* Non vocat illos, ut ambulent per ignota viarum ſine duce; ſed ut ambulent poſt ſe iter illis oſtendentem: *Venite poſt me.* Non jubet eos facere plura iis, quæ ipſum viderint facientem. Nullum ſuſtinebunt laborem; nullum periculum adibunt; nullum patientur incommodum, quod ille primus non patiatur; verum etiam illis non proponit præmium minus illo, quod ille ipſe fuerit conſecutus. *Idem.*

Apoſtolici Viri Salomonis templo comparati.

Narrat Scriptura de inſigni Salomonis Templo, aurum, pretioſos lapides & pulcherrima ornamenta illuc allata fuiſſe ex remotiſſimis terrarum plagis; at non vereor dicere, in cæleſtis Jeruſalem ſtructura, cujus Templum illud erat imago locupletiſſima illius ornamenta futuras animas, quæ in extremis uſque orbis terrarum finibus conquiruntur; licet enim omnes æque pretioſæ ſint coram Deo, qui illas ſuo redemit ſanguine, raritas tamen commendat pretium, & tot labores, qui ad illas conquirendas ſuſtinentur, eas efficiunt pretioſiores. Quamobrem tot Miſſionarii officio ſuo deeſſe arbitrarentur, niſi ferrent verbum Dei ad Gentes derelictas ac tot barbarorum nomina non ſunt modo ignota, quia eas cognoſcimus regiones, quo hi Viri Apoſtolici ad Evangelium prædicandum concedunt. *Idem.*

Cur noluerit Deus ſe adhuc integra eligere doctiſſimos Oratores ad Eccleſiam conſtituendam.

In inſtitutione Eccleſiæ, in qua Dei gloria præſertim enituit, noluit ille uti opera Sapientum mundi, ne, Sanctus Paulus ait, Sapientes iſti, doctique Oratores, & ingenia præſtantia, ſibi honori verterent, quem cum nullo partiri vult, & quem a nemine ſibi præripi patitur. Sed temporum decurſu conſilium invenit, & ad reparandam gloriam, quam hominum peccata ſibi eripiunt, ad illam augendam, & latius proferendam, procurans converſionem peccatorum, ſalutem populorum, & morum reformationem, elegit Viros abſolutiſſime doctos & prudentes, quos ipſe ſublimibus ſapientiæ ſuæ luminibus illuſtravit, ac replevit Spiritu ſuo, ut in Eccleſia ſua facerent, quod in Cælo faciunt primi Ordinis intelligentiæ; videlicet, ut reflecterent in alios lumina, quæ magis immediate receperunt a Deo, & immitterent cognitionem, & amorem illius in reliquos homines, qua in re ſita eſt omnis gloria, quam illi procurare poſſunt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quinam ſit zelus Apoſtolicorum Virorum.

Ubi cogito hos Apoſtolicos Viros, dignos Apoſtolorum ſucceſſores, qui eorum veſtigiis inſiſtere ſunt oſi, & qui eodem zelo divinæ gloriæ inflammati ſunt; illos, inquam, cogito tanquam pedem efferentes de Cœnaculo, ut ſeſe in omnes Terræ nationes effundant: & videor mihi illis ea Prophetæ verba dicere poſſe: *Ite Angeli veloces.* Ite Angeli, & Apoſtoli: Quandoquidem vobis conjungenda eſt Angelorum velocitas cum ardore, & zelo Apoſtolorum. Ite, & nolite ultra ceſſare: Quo autem? *Ad gentem convulſam, & dilaceratam.* Modo ad Orientem, ubi Chriſtianiſmus labitur, ex quo non innititur ſuper firmam petram, ſuper quam Dei Filius ædificavit Eccleſiam ſuam: *ad gentem dilaceratam.* Modo in plagas boreales, ubi ſchiſma & hæreſis tot florentia Regna in tot partes dilacerarunt, quot ſunt ſententiæ, in quas abierunt: *Ad populum terribilem*; ad populos, quorum ſola nomina aliis terrorem incutiunt, & quorum crudelitas efficere poteſt, ut fortiſſimus, & audaciſſimus quiſque contremiſcat: *Ad populum, poſt quem non eſt alius.* Opus eſt, ut hi tranent maria, & ad extrema terrarum littora penetrent, novas detecturi plagas, & eo Dei gloriam prolaturi: *Ad gentem expectantem, & conculcatam.* Illi vero præſto eſſe debent, ut ſe conferant modo ad Nationes, quæ nobis brachia tendunt, & modo ad illas, ubi cruentiſſimæ perſecutiones Eccleſiæ inſtaurantur. Verbo, erudiendi & illuminandi ſunt promiſcue, & ſine perſonarum acceptione omnes populi: *Non patiamur aliquem in ignorantia tenebris vivere*, inquit Sanctus Cyrillus Alexandrinus; neque Solem lucere gentibus, ad quas non afferatur lux Evangelica. Hoc facinus quantam præ ſe fert animi magnitudinem! ſed hoc medium, quod tot Apoſtolici Viri aggrediuntur, quantum ſapientiæ & prudentiæ præ ſe fert! *Idem.*

Iſaiæ 18.

Quinam fuerit Apoſtolicorum Hominum ſucceſſus?

Licet nec argumentum, neque effectus prudentiæ ſit, Auditores, ſpondere de ſucceſſu operum quæ peragenda ſuſcipimus; quoniam deficere poſſunt ex iis locis, quibus tutiſſime conſuluiſſe credimus; cum nihilominus ex eventu plerumque de illis feratur judicium, vobis non propoſuiſſem abſolutiſſimam imaginem ſanctæ prudentiæ; niſi aliquem vobis conceptum aſtruerem conſiliorum tot Virorum Apoſtolicorum, ac tot mediorum, quibus uſi ſunt, ut illa exequerentur; aliquem, inquam, conceptum; nam ut ea vobis ſingillatim oculis exhiberem; ſolum vobis veluti tabula exhibendus eſſet ſtatus deplorabilis, ad quem duobus noviſſimis Eccleſiæ ſæculis Religio, quæ, ut loquitur Paulus III. in Bulla Convocationis Tridentini Concilii, malorum multitudine obruta erat; & deinde vobis oſtendenda eſſet medicina, quam ſancti illi Præſules malis omnibus, curis, laboribuſque ſuis attulerunt. Lutherus omnem ſuſcitat Germaniam; Anglia erumpit in ſchiſma eo periculoſius, quod auctorem habebat Regem, qui ſcriptis Religionem tutatus fuerat. Gallia incipit ſequi hæreſim Calvini; neque aliud videtur ubique gentium, quam exilia veſtigia zeli antiqui, qui olim animabat Paſtores ad tuendam miniſterii ſui ſanctitatem. Clerus iis abditus erat flagitiis, quæ colorem, & occaſionem univerſali huic perturbationi rerum omnium præbet. Ordines Religioſi, vel laxitate ſua, vel ſolitudine, & obſervantiis ſuis prohibentur, ne ferant ſuppetias, & ſe objiciant furenti colluvioni tot hæreſum, quæ repente ingruerunt. Quodnam ſatis validum vallum ad torrentem hunc inhibendum? Ubi inveniri poteſt tot malis medicina? quomodo tot calamitatum origo exhauriri? Moyſes quærendi erant, ut educerent populos de captivitate; Joſue, qui pro Domini gloria dimicarent; Homines ſuccenſi zelo Domus Dei, ut tanquam Elias vitio bellum indicerent. Deus autem ſummorum horum Virorum virtutes collegit ut domum Iſrael repararet, & ſuſtineret Eccleſiam ab ipſis uſque fundamentis concuſſam. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quænam futura ſit gloria, & lætitia Hominum Apoſtolicorum die judicii?

Cum venerit tempus meſſis quænam ſumma his Apoſtolicis Viris erit gloria, cognoſcendum dediſſe Filium Dei tot nationibus! & quæ conſolatio, feciſſe ut ex illius ſanguine fructus perciperetur? Tunc, Magnus inquit Gregorius, offerent ſe Deo omnes Apoſtolici Viri; *Ibi Petrus*, ait ille, *cum Judæa apparebit: ibi Paulus converſum poſt ſe ducens orbem: ibi Andreas Achajam, Joannes Aſiam, Thomas Indiam, in conſpectum ſui Judicis adducet*: aliique Apoſtoli terras ubi fidem plantaverunt & excoluerunt; Summi Viri! Apoſtoli incomparabiles! vos non vacuis manibus apparebitis; quandoquidem nil minus, quam mundum univerſum oſtentabitis, qui campus erit gloriæ veſtræ, ſicut fuit olim veſtræ miſſionis; vobiſque dicere poteritis, quod de ſe Paulus dicebat: *Etſi minimus ſum omnium Apoſtolorum, plus tamen omnibus laboravi. Idem.*

1. Cor. 15.

Quid conſtituat characterem Hominum Apoſtolicorum?

Evangelii prædicatio, & miniſterium verbi Dei conſtituunt verum Apoſtoli characterem, per hoc novas inſtituit Eccleſias; & conſiderari poteſt ſeorſim tanquam inſtrumentum converſionum, & prodigiorum, quæ peculiariter facit: *Paulus vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei.* Qua in re ad gloriam horum Apoſtolicorum hominum dico, quod cum per ſe ad ſacrum hoc miniſterium attulerint fidelitatem prorſus ſimilem illi S. Pauli, mirum eſſe non debet, ſi quotidie eundem obtineant ſucceſſum. Hanc autem fidelitatem colloco: primum in annuntiando promiſcue univerſo mundo

Evan-

Evangelium, qui habeant injuſtam hanc perſonarum acceptionem, quod ii faciunt, qui nitorem potius quærunt quam fructum in hac divini verbi diſtributione, & qui nonniſi humanos habent reſpectus, qui tanti muneris ſanctitati nequaquam reſpondent. Sancti Miſſionarii S. Pauli exemplum ſecuti illud indiſcriminatim prædicant omnibus mortalibus, ſine locorum diſtinctione, vel perſonarum, Evangelii lucem ferentes modo in eas plagas, quæ ſolis ardoribus æſtuant: modo apud illos, quos natura a nobis totius mundi intervallo ſecrevit. Indi, Europæi, Japonii, nullo ſunt illis in diſcrimine, dummodo animas lucrentur Deo, niſi forte eorum ſtudium libentius eos rapit ad populos maxime barbaros, & derelictos. Ubicunque animas Deo lucrari, eorum munus eſt, & officium: *Mandavit illis unicuique de proximo ſuo*. Sed illos in extremis uſque plagis conquirere, ſed illos ex dæmonis faucibus exculpere de centro imperii illius, hæc illuſtris victoria eſt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Eccli. 17.

Mundi converſio effectus eſt verbi Dei in ore Apoſtolorum.

Inſignis effectus Verbi Dei, prodigium prodigiorum, quod per illud pepererunt Apoſtoli miraculum, quod mentibus quibuſcunque ſtuporem injecit, eſt mundi converſio. Aſſerere bis ſenos pauperes Piſcatores effeciſſe, ut mundi totius mutaretur Religio, quæ una ratio eſt credulitatis fidei noſtræ; ita ut nulla rationabilis adſit mens, quæ victas dare manus non debeat. Heu! quid dicetis Auditores videntes tot Apoſtolicos viros adhuc quotidie in mundo recens detecto ſimilia operari? Noviſſime hiſce ſæculis inſtaurarunt quidquid in ipſo Chriſtianæ Religionis ortu admirabilius contigit. Ita poſt Eccleſiam inſtitutam, quod Dei opus eſt; quodnam mirabilius prodigium accidit, quam videre homines, qui doctrina dumtaxat pollent plantare fidem in pluſquam centum Regnis, enunciare Evangelium varietate linguarum plus quam triginta, proferre trophæa Filii Dei ultra duo leucarum millia, longius quam veteres Geographi terrarum fines extremos conſtituerunt; & propriis manibus integras nationes baptizare? *Idem*.

Qua in re Apoſtolici viri ſint imitandi.

Equidem ſcio, lectiſſimi Auditores, ad imitandos hoſce Apoſtolicos viros, non omnes poſſe prædicare Evangelium, neque apud idolorum cultores fidem inferre; ſed vobis quoque ſciendum eſt, unumquemlibet eſſe poſſe Apoſtolum in domo ſua, S. Ambroſius ait, ubi aliorum converſionem procuret exemplis, conſiliis, doctrinis, & ſalutaribus monitis. Ita vos eritis qualitatis hujus participes, cum domeſticos, & omnes illos, cum quibus verſabimini, ad virtutes impuleritis exemplo vitæ veſtræ; cum zelum teſtati fueritis ad prohibenda ſcelera iis in locis, ubi aliquam habetis auctoritatem, & cum quocunque modo conati fueritis aliquid ad proximi veſtri ſalutem conferre. Non quæritur ex vobis Matronæ ornatiſſimæ zelus Sanctæ Thereſiæ, quæ nulla habita ratione ætatis, vel ſexus ſui migrare cupiebat in exteras, barbaraſque terras, ut illuc Apoſtolorum exemplo fidem inferret; non deerit vobis, ubi illam exerceatis, quin peregre proficiſcamini; quantum in vobis eſt, conamini ſolum inſpirare pietatem, ac devotionem in cœtus illos, in quibus verſari vobis in more eſt; ſinite vos aliquando videri adeuntes Carceres, & Noſocomia ad opem, ſolatiumque ferendum pauperibus & ægrotantibus. Hæ ſunt actiones dignæ ſtatu, & conditione veſtra: & ad hunc Apoſtolatum alia miſſione opus non eſt, quam illa, quam vobis dedit Deus præcipiens, ut vobis curæ ſit proximi ſalus: *Mandavit illis unicuique de proximo ſuo*. Præſertim vero ſi nobis deeſt animus, & occaſio ſuſcipiendæ converſionis omnium mortalium, certum nobis ſaltem ſit conſilium ex corde ſalutem noſtram operandi. Summi iſti Apoſtolici viri, non minus noſtram quam Indorum, & Barbarorum ſalutem concupiſcunt, & hodierna die, qua Deus cupit efficere ut eorum zelus magis, quam unquam admirabili converſionum numero eniteſcat, nullus dubito ſi acceſſerit ſubſidium precum, & eleemoſynarum noſtrarum, nos quoque futuros participes meriti eorum in vita hac, & eorum gloriæ in altera. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Eccli. 17.

De miſſione, & vocatione hominum Apoſtolicorum.

Neceſſe non eſt, Auditores, hoc loco vobis oſtendere, quænam ſit miſſionis neceſſitas, quæ nomen tribuit Apoſtolo, & quæ re ipſa præcipuam illius conditionem conſtituit, ſi hoc nomen in propria ſignificatione accipiatur: videlicet pro facultate annuntiandi fidem, quæ danda eſt ab legitimam auctoritatem habente; & ſatis eſt, ipſum S. Paulum teſtari, id ſi deſit, verum Apoſtolum haberi non poſſe: *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Dici poteſt quamplurimos Apoſtolicos homines accuratiſſime hoc officio perſungi: vix enim ad munus hoc obeundum addunt operam, ea miſſione, quam ordinariam ſimul, & extraordinariam vocare poſſum, cum re adhuc integra ſpectant quanam in terrarum parte zelum ſuum debeant exercere. Sed vocatio procul dubio illud eſt quod ante cetera in Apoſtolo requiritur; ad id enim opus eſt viris, qui ſingularem habeant characterem, & ita eximiam virtutem, vim, animumque ita heroicum, ut dici poſſit hoc eſſe miraculum gratiæ illos vocantis, & opus Dei, qui illos ad hoc munus effinxit. Videmus etiam Deum illos ne cogitantes quidem inquirere, & ſæpe etiam cum remotiſſimi ſunt, & maxime adhærent mundo per ea vincula, quæ difficilius franguntur, & nonnunquam etiam cum apertiſſimi ſunt inimici, ut olim S.

ad Rom. 10.



Paulus. Quamobrem S. Auguſtinus dixit, hoc illud eſſe, in quo maxime elucebat ſuprema illius poteſtas, atque triumphus gratiæ, mutandi perſecutorem, quod etiam dici poteſt de homine ſæcularibus curis impedito, in Apoſtolum. Tamen citra errorem aſſerere poſſumus, illum admirabili ſupernaturalis Providentiæ ſuæ conſilio, noſſe ita gratias ſuas accommodare eorum ingenio, quos ad hoc miniſterium appellat, ut cum nanciſcitur corda generoſa, animoſque magnos, in objectum dumtaxat mutant, quin mutent characterem, & magnanimum hunc ardorem ſervant in omnibus actionibus ſuis. Hinc non unius generis ſunt Heroes, & tota virtus heroica non in eo ſita eſt, ut armis Regna acquirantur: quippe Chriſtiana Religio plurimos peperit, qui illis animi robore non cedunt, quo in ordine Apoſtolicos viros recenſeo. *Idem*.

S. Dionyſius perfectum Apoſtolicorum virorum exemplar.

Cum vir eruditus, qui in errore verſatus eſt, ſe convertit, poſtquam plures habuit in errore ſuo ſectatores, plurimos etiam ſecum trahit ſuæ converſionis imitatores, S. Dionyſii, exempli gratia, converſionem longe plures ſubſecuti ſunt eorum, quos ſuo traxit exemplo, judicatum fuit tantum virum nequaquam amplexum fuiſſe Religionem novam, niſi illius veritate prorſus perſpecta, & detecta illius, quam abdicabat, illuſione. Lumen ejus æque ſeſe effudit, ac tenebræ: *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus*. Areopagi partem convertit, lumen veritatis in Græciam univerſam effudit cum ſuæ converſionis rumore, quem loci auctoritas, qua pollebat, cum doctrinæ celebritate in omnes fere partes diſſeminavit. *Divinorum*, ait ille, *diviniſſimum eſt cooperari Deo ad ſalutem animarum*. Hoc munus fuit S. Dionyſii poſt Converſionem, quemadmodum habebat zelum immenſum, unum illi Regnum ſatis non fuit. Miſſus fuit in has Provincias, in quibus incolebant populi a Græcis, Romaniſque Barbari nuncupati. Nequaquam expavit audiens quæ ſibi nuntiabantur de hac terra, incolas ſuos devorante; vel de catenis, perſecutionibus, & morte, quæ ipſum manebant. Occurrit ille crucibus, equuleis, fornacibus ardentibus, & omnes aquæ tribulationum congregatæ charitatis ardorem ejus non valuerunt extinguere; *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Specimen Panegyricarum Orationum Tomo 2.*

Pſal. 138.

Cant. 8.

Quomodo S. Paulus hortabatur diſcipulum ſuum ad verbum Dei prædicandum.

*Teſtificor coram Deo, & Jeſu Chriſto, qui judicaturus eſt vivos, & mortuos, per adventum ipſius, & regnum ejus: prædica verbum, inſta opportune, importune, argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina: erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, miniſterium tuum imple*. Hæc omnia deſcripta ſunt ex epiſtola 2. S. Pauli ad Timotheum diſcipulum ſuum. Poſtquam illum hortatus eſt ad diſcendam Sacram Scripturam, ſuadet, ut doceat alios & omnibus Apoſtoli officiis perſungatur. Obteſtatur autem illum *coram Deo, & Jeſu Chriſto qui judicaturus eſt vivos, & mortuos*, ut prædicet verbum Dei, idque faciat *opportune, & importune*, hoc eſt cum aſſiduitate, & perſeverantia, quin aliquid illum ab hoc munere divellere valeat, quod præcipuum eſt in ipſius miniſterio, *opportune*, cum homines ita affecti eſſe videntur, ut inde proficiant; *importune* vero, cum non ita eſſe videntur. Deus enim non ſemper ſequitur noſtram cogitationem, & ſæpe opus ſuum perficit, cum nihil a noſtro ſperamus. Igitur Evangelium importune prædicare, eſt in Deo magis, quam in ſe ipſo confidere; eſt in id unum incumbere, ut miniſterii tui officiis perſungaris, eſt vere diligere eos, ad quorum ſalutem tibi laborandum eſt. Illis, S. Auguſtinus inquit, veritas nuntianda eſt, velint, nolint; quoniam admonendi ſunt de officiis ſuis, cum obliviſcuntur eorum, & invitis etiam propinanda ſunt pharmaca, quibus valeant ſanari. *Annus Chriſtianus Tourneux Tomo nono.*

Rationes, quæ impellere debent viros Apoſtolicos ad annuntiandum Evangelium.

Viri Apoſtolici eo majori cura animum appellere debent ad veritatem hominibus annuntiandam, quo pauciores ſunt, qui illam annuntient: Nam cum homines nolunt audire niſi quod illis placet, & quilibet ſibi quærit Magiſtrum, vel Directorem, qui permittat, ut ſinguli ſuam ſequantur voluntatem, ſuiſque indulgeant cupiditatibus; pauci ſunt veritatis prædicatores, quia pauci ſunt illius auditores. Quicunque prædicat ob avaritiam, vel ut ſibi nominis celebritatem acquirat, placere volunt; qui nonniſi mediocriter amant veritatem, illam non audent diſcere, cum diſplicet: & exigua ſupereſt manus fidelium miniſtrorum Jeſu Chriſti, qui neque ambitioſi, neque cupidi, neque pavidi ſeſe objiciunt corruptioni ſæculi, & pure Dei Verbum annuntiant. Vult autem S. Paulus ab illis inceſſanter nuntiari veritatem; quia ſoli ſunt, a quibus homines illam diſcere valeant. *Idem*.

Cur Spiritus Sanctus communicavit Apoſtolis donum linguarum.

Miſit Deus Spiritum Sanctum in mundum in formam ignis, & linguarum ad expandum, inflammandum, & addendum robur Diſcipulis ſuis, per ignem charitatis, & linguarum donum daturus facultatem prædicandi omnibus mundi nationibus gratiam Evangelii. Hoc ipſum illis præcepit Salvator, apud S. Marcum dicens: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*; ita ut qui cognoſcebatur ſolum in exiguo Judeæ angulo, prædicetur in univerſo mundo, & nulla ſit creatura, quæ gratiam hanc non recipiat.

Cap. 16. 15.

Matth. 18.

Sed apud S. Matthæum hoc ipſum pluribus imperat; *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*; certos illos faciens illis non eſſe metuendas mundi oppoſitiones, neque difficultates, quæ illis in hoc opere poſſent accidere: quoniam illi fulciebantur illius gratia, in cujus manibus erat tota cæli, terræque poteſtas. Et ne putarent, favorem hunc ad breve tempus duraturum eſſe, ſubdit ſtatim hæc verba: *Et ecce ego vobiſcum ſum, uſque ad conſummationem ſæculi*. Quæ adeo ſollemnis promiſſio cum effeciſſet Diſcipulos ſuos æque prudentes, & ſapientes, ac ſtrenuos, præcepit illis, ut in mundum univerſum ſeſe conferrent prædicaturi omnibus gentibus, eoſque baptizaturi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quæ una eſt ex maximis gratiis, & eximiis miſericordiis, quas a Salvatore noſtro recepimus. *Ex Granatenſis Catechiſmo*.

Jeſus Chriſtus poſt paſſionem ſuam præcepit Apoſtolis ſuis ut irent ad prædicandum Evangelium in omnem terram.

Conſiderandum eſt, Jeſum Chriſtum mittentem diſcipulos ſuos ad prædicandum antequam ille pateretur, illis præcepiſſe, ut ſatis putarent colligere oves, quæ perierant de Domo Iſrael, cum poſt ſacrificium ſuum imperavit iiſdem, ut in omnem terrarum orbem indiſcriminatim ſeſe conferrent Judæis ſimul, & gentibus, barbaris ac Scythis allaturi bonum Evangelii nuntium, per prædicationem. Rei hujus rationem reddit Apoſtolus, ubi ait: *An Judæorum Deus tantum; nonne & Gentium? immo & Gentium. Quoniam quidem unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem*. Et licet Gentiles horribilibus vitiis eſſent impliciti, ac impudicitiis immerſi, Spiritus Sanctus nequaquam dedignatus eſt in monſtris hujuſmodi facere manſionem ſuam; ita ut quemadmodum dicit S. Chryſoſtomus, per gratiæ ſubſidium meretrices ipſæ fiant ſtellis cæli puriores. Hoc Deus figura admirabili oſtendit Apoſtolo Sancto Petro, cum volens illum mittere ad prædicandum in quamdam ethnicorum domum, & ſciens fore ut Apoſtolus abnueret conſueſcere cum mortalibus adeo abominabilibus, in viſione oſtendit illi linteum de cælo deſcendens plenum colubris, viperis, aliiſque beſtiis immundis, eumque juſſit illa occidere, & manducare. Sed Apoſtolo renuenti talibus dapibus uti, tanquam immundis ac per legem vetitis; reſponſum fuit: noli vocare fœdum & immundum, quod Deus ſanctificavit. Ut intelligeret gratiam Dei ita potentem eſſe, ut lupos in oves, & inſignes peccatores in Sanctos admirabiles valeat convertere. His dictis linteum in Cælum rediit, unde fuerat demiſſum. Teſtatur Scriptura viſionem hanc ter illi apparuiſſe, cum fames illum urgeret. Hinc Apoſtolus inſignem intellexit gratiam, & Dei magnificentiam, quæ per Jeſu Chriſti merita ſeſe ad omnes mundi nationes extendebat, quantumvis abominabiles eſſent; virtus enim Sanguinis Agni ſatis erat potens ad ſæviſſimas feras in agnos convertendas. *Idem*.

Quid eſt Apoſtolus?

Quid eſt Apoſtolus perfectus? Homo eſt, qui per Cæli vocationem animabus ſanctificandis deſtinatus ad hunc finem ardenter anhelat, ita ut nihil eum valeat remorari. Nullus illum deterret labor; nullum periculum eum removet; nullus obex, qui omnino ſuperabilis non ſit, illum prohibet. Animus illius nullo frangitur labore, nullis contradictionibus, perſecutionibus, violentiis labefactatur. Sed animus, & fortitudo ſola non eſt, neque eſſe poteſt præcipua regula per quam judicium ferendum ſit de Apoſtoli perfectione. Quæcunque ſit Imperatoris fortitudo, ſi præter animum hunc imperterritum, nobilemque audaciam, quæ omnia provocat pericula, non haberet congeriem aliarum virtutum, vel naturalium, vel acquiſitarum, ſine quibus non niſi temere victoriam ſe relaturum ſperare poteſt; dignitas illius longe merita ejuſdem ſuperaret. Quæcunque ſit in Miniſtro Evangelico fortitudo, niſi huic robori, & firmitati, quam nulla difficultas abſterret, acceſſerint virtutes, quæ illi deeſſe non poſſunt quin periculum adeat nullum fructum referendi; hoc Apoſtoli nomine eſſet indignus. *Auctor Recens*.

Conceptus, qui habendus eſt Operarii Evangelici.

Fingite vobis, Auditores, hominem, qui ſeſe laboribus Apoſtolatus mancipavit, & qui tantum abeſt, ut illos mulcere ſtudeat, eorum pondus in dies augere deſiderat; hominem cujus charitas ſe ad omnes conditiones extendit; ſed qui nonniſi aliorum ſanctificationem, & ſalutem reſpiciens, qui curis ipſius concrediti ſunt, nihil invenit, vel in aliquorum proſperitate, quod ipſum allicere valeat & zelum ipſius ardentiorem efficere, vel in aliorum adverſis, quod illum amovere, & charitatem ejus valeat extinguere, qui prioribus unice ea officio adhæret, poſterioribus vero eo majorem teſtatur benevolentiam, quo magis obſcuritas, indigentia, & infirmitas, in quibus verſantur, poſſunt illi tædium, ac faſtidium inferre; hominem, cui oppreſſio, ad quam ſæpe ſuis laboribus redigitur, ingerere nequit ſolatii alicujus deſiderium; & cui ubi agitur de laboribus pro animarum ſalute ſuſtinendis, anni tempora rigidiora, & itinera periculis propiora; manſiones ſqualidiores, & officia graviora dulcedine quadam condita videntur. Poſito, quod huic adverſentur illi ipſi, qui eidem ſubſidio eſſent futuri; quod calumniis afficiatur, quod fallax ſapientia, invidia, malignitas ubique in eum excitent inimicos, & perſecutores; quod contumeliis proſcindatur, ac male excipiatur; quod vitæ illius ſtruantur inſidiæ, & hæc omnia illum prohibere non poſſint, quominus ſua exequatur conſilia; hunccetne reſpicere non poteritis tanquam invictæ fortitudinis exemplar, quæ in Evangelicis Miniſtris requiritur? *P. Eon in Panegyrico Beati Joannis Franciſci Regis*.

Mala, quæ accidiſſe vitio eorum, qui Evangelico implicati ſunt miniſterio.

Deplorabilis ſtatus eſt videre cupiditates in Evangelici miniſtri corde dominari; quia *ſicut populus, ſic Sacerdos*. Lumen mundi extinctum eſt, ſal terræ corruptum; Paſtoris vocem oves non audiunt, vel oves Paſtorem ſecutæ quærunt paſcua veneno infecta. Virtutis propugnatores ſi qui ſunt adhuc, eo redacti ſunt, ut ſatis ſibi eſſe putent gemere, & ejulatus ſuos in Cælum attollere, gratiæ, quas precibus ſuis promerentur, contemptæ ſunt; recedit Deus: non depluunt amplius in terram maledicto percuſſam, niſi aliquot roris guttæ, quæ illam non molliunt: populi cæcitate percuſſi magis, magiſque indurantur. Remotarum regionum incolæ vivunt in oblivione Dei, & Legis, & cæli iracundia in illos detonat, eo modo quo in eos, quorum flagitia imitantur. Ad hos juſtitiæ inimicos oppugnandos, proſternendum eſt vallum quod circum illos muniunt ſaltus, nemora, & montes quaſi inacceſſi; viæ nivibus obſitæ, & glacies ex majori anni totius parte; torrentes, qui magno cum impetu in profundas valles dilapſi trahunt, vel evertunt, quidquid in eorum curſu invenitur. Ecce ſtadium illud, quod omnibus Apoſtolicis hominibus aperitur, quonam oculo reſpicitur? Quam impreſſionem efficiunt in eorum mentibus, & cordibus tabulæ, quæ illis proponuntur eorum ſcelerum, quæ graſſantur in iis Provinciis, ad quas mittuntur, laborum, qui illis erunt ſuſtinendi, & periculorum, quæ illis erunt adeunda? *Idem*.

Apoſtolicus homo neminem debet repellere.

Cujuſcunque characteris illi ſint, qui ad Apoſtolicos homines confugiunt, hi nunquam renuere debent, vel illis aurem præbere, vel illis ſuam curam impendere. Hi ſæpe homines ſunt rudes, imprudentes, indiſcreti, qui ad importunitatem uſque ſuam producant confidentiam; cum monentur tamen ut horum aliquam rationem habeant, ſi illis ſuam exprobrant imprudentiam; ſaltem per charitatis, & benevolentiæ ſigna, quæ illis præbenda ſunt, reparanda eſt etiam exprobratio facta. Eorum ruſticitas, & imprudentia in oculis hominum Apoſtolicorum illos nocentes reddere non debet. Oneroſa licet ſit immodica, quæ in ipſis eſt confidentia; operæ pretium eſt, eos minus cautos efficere, quam eoſdem aliqua impatientiæ, vel contemptus nota avertere. Semper tranquilli, ſemper ſibi æquales malle debent eorum importunitate enecari, quam viam negligere eoſdem cum Deo conciliandi. Ægri qui horrorem cient, pauperes ulceribus ſaucii, & qui citra horrorem nequeunt videri, illi ſunt, quos ex omnibus libentiſſime ſuis curis diſtinguunt. Ubi horum aliquis eorum eget auxilio: non norunt morborum contagionem, nulla intuentur pericula. In urbibus atra lue infectis in quibus ſeſe perniciſſime morbus effundit, ac injicit metum, ne quamprimum in deſerta convertatur; Apoſtolici viri nihil reformidant magis, quam ne quis ſine ſubſidio moriatur, vel quam ne ipſi moriantur pro fratribus ſuis. Dies, nocteſque tranſigunt ægrotantibus aſſidentes: alienis attenti neceſſitatibus negligunt ſuas: Ut modicum alimenti recipiant, vi divellendi ſunt ex iis locis ubi rabidos morientium hauriunt anhelitus. *P. Eon in Panegyrico B. Regis*.

S. Paulus perfectum eſt Apoſtolicorum hominum prototypus.

Contradictiones dejicere non debent animum virorum Apoſtolicorum. S. Paulus, teſte D. Joanne Chryſoſtomo ſemper omnibus adverſitatibus erat ſuperior; ſingulis diebus recenti ardore plenus videbatur: *Quotidie celſior; quotidie aſſurgebat ardentior*. Injuriæ, & plagæ illi argumenta erant lætitiæ. *Verberibus, & injuriis affectus triumphabat*. Mors illi, quam vita optabilior videbatur: *Mortem potius appetens, quam vitam*. Adamante fortior contemnebat labores, atque pericula, quaſi non haberet corpus: *Adamante durior, ac velut incorporeus, labores omnes periculaque contempſit*. *P. Nicolaus Eon in quodam Panegyrico*.

Deſcriptio hominis vere Apoſtolici.

Hic vir fuit repletus ardore pro gloria Dei, & contemptu pro ſua; labores ipſius ſunt menſura zeli, quo pro Dei gloria æſtuavit. Huic conceptui accedat alter contemptus in quo habuit ſui nominis gloriam, quam eo uſque neglexit, ut nonniſi obſcuris applicaretur miniſteriis, eo uſque ut a ſe amoveret quidquid illi ingenii, ac doctrinæ laudem poterat promereri; eo uſque ut putaret præclare ſecum agi, cum contemnebatur; eo uſque ut ne digitum quidem moveret, ut teterrimas ſibi ingeſtas calumnias dilueret; eo uſque ut eum grati animi ſignificatione duriſſimas reprehenſiones acciperet; eo uſque ut indigniſſimas irriſiones cum oblectatione exhauriret; eo uſque ut quodammodo laudibus exciperet moleſtiam eorum, a quibus omni inquinabatur contumelia; eo uſque, ut conviciis, & opprobriis expleri non poſſet. *Idem*.

Apoſtolici viri zelus ſemper eſſe debet cum lenitate conjunctus.

Lenitas incomparabilis condire debet omnia verba viri Apoſtolici, ita ut ſuas reprehenſiones amari faciat. Semper ſapientia ductus nunquam ita ſe rapi debet deſiderio procurandi gloriam Dei, ut obliviſcatur ea moderatione, qua cum hominibus uti debet. Pro norma ſumere ſibi debet illud S. Auguſtini effatum; nocentium errata verbis acribus, duris, imperioſis non eſſe corrigenda; *Non aſpere, non duriter, non modo imperioſo, iſta tolluntur*. Ut cum fructu reprehendas, hoc *magis docendo, quam jubendo, magis monendo, quam minando*, alloqueris: & ſicubi minæ ſunt adhibendæ, ægre, gravate, & non ſine dolore adhibendæ ſunt; *Si quid minamur cum dolore* ſiat

oſten-

Digitized by Google

oſtendamus, nos non id quærere, ut metuamur, ſed Deus metuatur: *Ne nos ipſi in noſtra poteſtate, ſed Deus in noſtro ſermone timeatur*. Taliter ſe ſe gerere debent homines Apoſtolici. *P. Eon in Panegyrico Sancti Joannis Franciſci Regis.*

Ejuſdem argumenti. Excitandæ ne ſunt animæ ignavæ, inſtabiles, infirmæ, oſcitantes, nutanteſque? *Non aſpere, non duriter, non modo imperioſo*. Reprehendendæ non ſunt tanquam a judice ſevero; neque imperioſius tractandæ, tanquam ab hero ambitioſo. Monendæ ſunt, edocendæ tanquam a patre amantiſſimo: *Magis docendo, quam jubendo, magis monendo, quam minando*. Vitium ne oppugnandum eſt in illis, quorum voluntatem diuturnus habitus quodammodo tenet in captivitate, & quos ferox ingenium, ardens, violentum efficere videtur inacceſſos? *Non aſpere, non duriter, non modo imperioſo*. Nihil nobis elabi permittendum eſt, quod illos valeat exacerbare. Quærendæ ſunt occaſiones de illis benemerendi. Illis teſtari debemus ipſos a nobis in pretio haberi, & nonnumquam etiam diligi, & cum illis utentes auctoritate, quam nobis tribuit Apoſtolicum miniſterium, nonniſi ea debemus uti, quam nobis tribuit amicitia. Pauperes ne lucrandi ſunt Deo? *Non aſpere, non duriter, non modo imperioſo*. Paupertas eorum apud Evangelicos Miniſtros nonniſi benevolentiæ notas ſibi debet conciliare. Debent eorum ingenium ſcrutari, ac ſeſe illi ſubmittere; illis aptare debent documenta ſua: atque ut audeant accedere, affectandi nonnumquam ſunt mores eorum, explorandæ ſunt neceſſitates, & ſancta ſolicitudine prævertenda ſunt illorum deſideria. *P. Nicolaus Eon ibidem.*

Sapientia, quæ debet efficere, ut Evangelici Operarii ingrediantur vias ſuavitatis, & inſinuationis ad amorem virtutis injiciendum, efficere nonnunquam debet, ut ad ſeveritatem propendeant; magiſtrali voce loqui debent, imperare, minitari; ubi cauſa non deeſt arbitrandi, fore periculo proximum, vel inutile adhibere tantum conſilia, preces, verba amice prolati, ſed ſicut nunquam ita indulgentes eſſe debent, ut robore careant; ita neque decet tanta uti ſeveritate, ut carere indulgentia videantur. Severitas lenitatem, & lenitas temperare debet ſeveritatem, & tunc etiam cum firmius contra vitia exardeſcunt, nunquam niſi ægre, & velut inviti, minitari debent: *Si quid minamur, cum dolore fiat*. Non igitur illis quærendum eſt, quomodo in alios ſui terrorem incutiant: ſed quomodo inſpirent metum ſalutarem, qui ad veram Sapientiam diſponit: *Ne nos ipſi in noſtra poteſtate: ſed Deus in noſtro ſermone timeatur*. *P. Eon in Panegyrico Beati de Regis.* Severitas ipſa nonnunquam eſt neceſſaria Evangelicis Operariis.

# PRO COMMUNI VIRGINUM
## SÆCULARIUM, ET REGULARIUM.
## MONITUM.

*EX quo glorioſa Dei Genitrix extulit Virginitatis vexillum, quæ virtus opprobrii loco in veteri lege habebatur; in nova viſa eſt infinita Virginum ſexus utriuſque copia præſtantiſſimam hanc virtutem exercens. Evangelium illam laudibus celebravit; S. Paulus illam docuit tanquam præſentiſſimum medium ſeſe conjungendi cum Deo, eique ſerviendi ſine ulla partitione, ac diviſione, ac tandem illius praxis commendata fuit, tanquam altiſſimus Evangelicæ perfectionis gradus. Hinc illi, qui ad editiorem Sanctitatem anhelarunt, vel hanc virtutem profeſſi ſunt, vel cum illam exercere non potuerint ob aliquam publicæ, vel domeſticæ rei cauſam, quoad corpus illam obſervarunt, ſtatim ac illis integrum fuit; ſemper tamen corde, ac deſiderio ſecundum ſtatum ſuum.*

*Hinc ſequitur in hoc fere infinito Virginum numero, licet Eccleſia nonniſi quarumdam illuſtriorum, magiſque communium Elogium efformaverit; plurimas dubio procul in qualibet regione adeſſe, quas cultu publico honorari permittit; ad quarum Panegyricam Orationem habendam explicandum eſt, quid Biblia, & Patres doceant de Virginitate; hujus enim virtutis elogium eſt etiam elogium illorum, illarumque, qui, vel quæ illam profeſſi, & profeſſæ ſunt, ſive in Regulari, ſive in ſtatu Sæculari, a quo præſcindimus, conſiderantes hanc ſolam virtutem, dummodo ſit immunis a noxis omnibus, quæ illius pretium imminuunt, & conjuncta ſit cum aliis virtutibus, ſine quibus nullius eſſet meriti coram Deo ſemper hac mente, & cum his conditionibus, præter ea quæ in morali Bibliotheca, ſub* Continentiæ *titulo a nobis tradita ſunt; & ubi de Religioſis locuti ſumus, hic communem aſſerimus rerum copiam, quarum applicatio pendebit a ſingularibus circumſtantiis, quas vita, & actiones illius, qui vel quæ laudibus erit ornandus, vel ornanda, ſuppeditabit.*

# PRO COMMUNI VIRGINUM
## Sæcularium, & Regularium.

Origo, & excellentia Virginitatis. LIcet virtutes omnes ſe ſe oculis noſtris conſpiciendas præbuerint, atque, ut S. Auguſtinus ait, abſit invidia verbo, ſeſe incarnaverint cum Filio Dei, ex quo ille corpus aſſumpſit, ut videretur in terris, & cum hominibus converſaretur; dici tamen poteſt puritatem, & virginitatem præ ceteris quibuſcumque hic donatas fuiſſe prærogativa; quia Verbum Æternum, quod eadem puritas eſt per eſſentiam in Sinu Patris, & quemadmodum eum appellat Scriptura fulgor lucis increatæ, non ſolum in mundo viſum eſt, ſed ex Virgine natum extulit vexillum virtutis hujus, quæ antea erat ignota. Ex eo tempore, Sancti Patres inquiunt, illius meritum agnoſci cœptum eſt, & laudibus cumulari virtutem ita nitentem, quæ pridem apud Judæos habebatur opprobrium. Poſtmodum enim illam amplecti viſa ſunt tot Virginum millia per apertiſſimam profeſſionem; & longe alii habiti ſunt conceptus de profitentibus illam, ab iis, quos gignere ſolet admiratio: quoniam per illam ſeſe ſupra humanæ naturæ conditionem elevarunt, & Angelis coæquarunt, qui hac in re plus quidem felicitatis, non autem plus fortitudinis, meritique habuerunt. Sed licet verum ſit, virtutem hanc æque nobilem, & pretioſam, ac delicatam, & fragilem ſexui utrique communem eſſe, tamen inficias ire non poſſumus, illam potiori titulo pertinere ad eum ſexum, cujus eſt ornamentum, & in quo maxime conſideratur: quoniam communis opinio in ea conſtituit apicem gloriæ ipſius in illa ſervanda, ut vitam ipſam pro ea tuenda effundere non vereantur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Virgo pudica, & compoſita in omnibus ... Haud ægre modo invenitur, Auditores, Mulier fortis, quam Salomon ſpectabat tanquam theſaurum, cujus pretium exoticæ omnes divitiæ exæquare non poterant. Hoc arduum ſane erat antequam Rex Virginum in terras deſcenderet, & tunc cum Virginitas habebatur tanquam obex honori, aliquid conferendi Meſſiæ naſcituro: Verum modo cum Meſſias novam tulerit legem, in qua animæ, corporiſque puritas unum conſtituit ex præcipuis præceptis, & virginitas unum ex præcipuis conſiliis: Eccleſia hodierna die nobis ob oculos ſubjicit Virginis exemplum, quæ de gloria, & fortitudine cum generoſiſſimis Martyribus certare poteſt; & in qua poſſumus affirmare adimpletum fuiſſe Salomonis Oraculum; quandoquidem ex tranſmarinis littoribus venit, ut de illa dici queat: *Procul, & de ultimis finibus pretium ejus.*

Exemplum Sanctæ Virginis. Perfectiſſimum, & abſolutiſſimum puritatis exemplar, quod in creatis apparuit, eſt glorioſa Dei Mater, virgo antonomaſtice, quæ ipſos Angelos ſuperavit. Hæc prima vexillum Virginitatis erexit per votum, quod omnium prima nuncupavit, ut judicari poteſt ex verbis, quæ dixit Angelo nuntianti futurum, ut ſinu ſuo Verbum æternum conciperet: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Luc. 1. Ita ſtatus virginalis puritatis inde ſuam hauſit originem, & ut ita dicam in eodem ſinu conceptus fuit, in quo Dei Filius, qui eadem puritas eſt, & ſplendor lucis æternæ, incarnatus eſt. Ita Sancti Patres loquuntur, dicunt enim, ſi Deus inter homines erat naſciturus, hunc ex Virgine naſciturum fuiſſe; & ſi virgini pariendum erat, hanc Hominem Deum fuiſſe parituram. *Recens Auctor.*

Alia exempla. Ne hic omnia revocemus celeberrima elogia, quibus Sancti Patres beatiſſimam Virginem cumularunt, & quibus Evangelici ſuggeſtus toties perſonuerunt; luſtremus ſolum alia exempla, quæ nobis Lex nova ſuppeditat. Quam caſtus eſſe debuit ille, quem elegit Deus in Conjugem Mariæ, ut cuſtos eſſet & patronus puritatis ejuſdem? Quæ intercedere debebat ſimilitudo inter duas ha-

ſcæ perſonas, quas elegerat Deus, alteram quidem ut Mater eſſet ſuæ, alteram vero ut honorem Matris hujus tueretur per conjugis qualitatem, quam geſſit, & ut eſſet velut umbra Spiritui Sancto in conceptione Verbi incarnati? *Idem*.

Cæli ſunt Angelis ſimiles.

*Venerunt duo Angeli Sodomam veſpere &c.* Geneſ. c. 19. Qui Sodome ſufugerunt, Angelum habuerunt ducem, ut liqueret, Angelica virtute opus eſſe ad fugiendam ſenſuum voluptatem; & quo magis quis ab hac voluptate recedit, eo magis ad Angelorum conditionem accedere; caſtitas enim ſecundum Jeſu Chriſti verbum

Matth. 2.

proprie virtus eſt Angelorum: *Neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei*. At qui longius ab hoc voluptatis genere recedere poſſunt, quam qui voto perpetuo, ultro omnem ſibi facultatem abſcidere? *Idem*.

Puritas nos ſupra naturam noſtram extollit.

*Eripe me de luto*. Pſalm. 68. Quid majus, vel præſtantius dici poteſt ad gloriam virtutis hujus, quam illi acceptam referre facultatem eripiendi nos de luto, quod eſt origo naturæ noſtræ, ut nos attollat uſque ad Angelorum conditionem, & Dei ipſius ſimilitudinem? Hæc enim illa virtus eſt, quæ quodammodo corpus ipſum efficit ſpiritale, quæ nos e terrenis expedit curis, quæ pares nos facit cæleſtibus veritatibus contemplandis, & quæ reipſa eruit de luto nos a ſenſuum voluptatibus divellens, quæ ſpiritum tanquam pecudem ſtupidum efficiunt, & hominem bruto ſimillimum? O Deus, quam dives, ac pretioſus theſaurus eſt Virginitas! Sed quantæ difficultatis eſt illum incolumem tueri? Hoc cæleſte lilium eſt, quo omnem pulchritudinem, & omnem Virginum ornatum conſtituit; ſed ut flos hic, & nitor ſervetur, irrigandus eſt lacrymis pœnitentiæ, & ne contaminata manus illum corrumpat, ſpinis ſepiendus eſt: *Amica mea ſicut lilium inter ſpinas*. *P. Gentilis in libro, cui titulus: ſolitudo Virginum*.

Cant. 2.

Tuendæ puritatis adminicula.

En anime mea, tuendæ puritatis adminicula. 1. Mundi fuga, cujus ear tabidus eſt. 2. Senſuum tuorum mortificatio, qui ad voluptates lenem, violentamque ſimul habent propenſionem. Tibi extinguendæ ſunt vel minimæ tuæ cupiditatis ſcintillæ; una enim ſcintilla plerumque magna parit incendia. 3. Lacrymis tibi utendum eſt, ut olim uſus eſt S. Auguſtinus; vigiliis, ut S. Hieronymus; ciliciis, ut Eſther, & David; ſpinis, ut S. Benedictus; nivibus, & glacie, ut Sancti Bernardus, atque Franciſcus. Ecce quid tibi faciendum eſt, anima ſi vis eſſe caſta. Nunquid ergo mihi audienda eſt ſenſuum meorum repugnantia, qui perhorteſcunt ea, quibus mortificantur? Num tuta conſcientia ſequi ea ce poſſum indulgentes directores, qui palpant corporis mei mollitiem, & fovent ſenſuum meorum rebellionem? *Idem*.

Sancta Noſtra nullam unquam præſetulit infirmitatem.

Cum nulla unquam viſa fuerit infirmitas in incomparabili Sancta, cujus Elogium ſum habiturus, non verebor de illa dicere, quod inſignis quidam ſanctus dixit de Judith; naturam quidem illi ſexum tribuiſſe, ſed virtutem reliqua omnia in eadem efformaſſe. Cum autem fortitudo ex omnibus virtutibus illa ſit, quæ magis emicat, & majorem ciet admirationem, eouſque ut virtus vocetur per quamdam prærogativæ, & præeminentiæ ſpeciem; ad texendum Sanctæ hujus Panegyricum, ſatis eſſet virtutem hanc vobis deſcribere vividis coloribus, ut ſimul fieret character Virginis, quæ temporum ſuorum miraculum fuit, & quæ oſtendit licet natura alterutri ſexui magis ſe liberalem præbuerit, gratiam tamen nequaquam hoc poſuiſſe diſcrimen in favorum ſuorum partitione; quandoquidem infirmior corpore ſæpe per ſpiritus, animique robur ita ſe extulit, ut eſſet aliis quidem exemplo, aliis vero probro, & verecundiæ. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Puritas corporis Deo placere nõ poteſt ſine puritate cordis.

Scio, Domine, puritatem corporis tibi ſine puritate cordis placere non poſſe. Scio jacturam fieri puritatis corporis, cum Spiritus pollutus eſt, licet ſine labe ſit corpus. Puritatis florem flacceſcere, & amitti unice ſenſuum voluptate; & inordinatum deſiderium cordis puritatem auferre; inhoneſtam cogitationem quin perducatur ad effectum, animæ ſpeciem corrumpere; neque enim fas eſt cupere quod nefas eſt facere. Hoc me Domine docuiſti. Huic innixus principio putem me Virginem eſſe? Cor, corpuſque meum puritatem ſervarunt incolumem? Tu ſcis Domine; & hoc me coram te rubore ſuffundit. Angeli, qui meri ſunt ſpiritus, apparent non ſine macula in oculis tuis; filii Dei reſpexerunt formam alienigenarum mulierum, & puritatem ſuam amiſerunt, Sanctus Rex qui erat ſecundum cor tuum, imprudens oculos conjecit in objectum ab eo non videndum, & fœdavit nitorem purpuræ ſuæ, & polluit animæ ſuæ pulchritudinem. Puritas quam delicata virtus eſt! Specioſus quidem flos eſt, ſed quam facillime mareſcit. Domine amove a me quidquid mihi auferre poteſt integritatem meam, ac me in oculis tuis indignum efficere. Quam felix ero ſi ſervans puritatem, quam tibi vovi, ſim aliquando cum Virginibus, quæ circumſtant ante Thronum Agni. *P. Gentilis ex Solitudine Virginum*.

Nulla virtus eſt virginitate ſublimior.

Cum nihil ſit in Eccleſia virginitate ſublimius, nihil etiam Dei Filius accuratius ſuadet, verſurus diabolus diſſuadet, quam illam. Adeo nobilis eſt, atque ſublimis, ut plus Cæli habeat quam terræ, & magis Angelorum ſit, quam hominum. Hæc eſt quædam veluti prægustatio, vel meditatio vitæ futuræ. Sanctus Cyprianus ait: *Nihil aliud, quam futuræ vitæ glorioſa meditatio*. Hæc Infantia eſt, quæ ſemper viget, & in quam anni tyrannidem minime exercent: *Perſeverantia infantis*. Hic pulcherrimus eſt omnium triumphorum; quia victoriarum omnium maxime eſt voluptatem viciſſe: *Voluptatum triumphus: voluptatem enim viciſſe maxima voluptas eſt*. In aliis victoriis fortiores ſumus inimicis noſtris, ſed in puritatis victoris nos fortiores ſumus nobiſmetipſis, & gloriari poſſumus nihil nobis ſupereſſe vincendum, cum noſmetipſos vicerimus poſtquam de eius victoriam reportavimus: *Qui hoſtem vicit fortior fuit, ſed alter, qui libidinem repreſſit, ipſe fortior eſt*. Hinc Jeſus Chriſtus inſpirat amorem hujus virtutis omnibus propius accedentibus ad illum; & vult, ut uterque Joannes alter quidem præcurſor, alter vero ſibi dilectus, mater, & ſponſæ ſuæ Virgines ſint. Videtur ille omnes ſtatus ſui divitias reſervare, Virginitatem remuneraturus, cumque difficilis ſit, illam glorioſam facit, ut ad illam omnes invitet. *P. Senault in Panegyrico Sanctæ Urſulæ*.

Cypr. de bono pudicit.

Dæmõ omnibus utitur dolis, ut Virginitatis contemptũ vel timorem nobis injiciat.

Dæmon omnibus dolis utitur, ut homines a Virginitate deterreat, cumque ſciat per hanc Cælum frequentatum iri, & repletum iri locos, quos ipſe, ſuique ſceleris conſcii ante ſuam defectionem tenebant, nihil relinquit inauſum, ut illius contemptum, vel timorem injiciat. Modo nobis perſuadet, hanc puellarum partem eſſe, & ſtatum earum ſibi uſurpare velle, qui velit ſervare virginitatem; modo hanc ſibi ſantum bonam eſſe, aliis vero ſtatibus eſſe inutilem; illam deſertam efficere terram, cumque non alia re commendetur, niſi difficultate ſua, inde haurit omne pretium ſuum, quod aliis crucem figit, modo hanc nobis negotium faceſſentem, modicum honorem afferre, & ſemper præliis implicitam, nunquam certam eſſe victoriæ. Subnectit rationibus dolos, & ſexcentis tentationibus utitur, ut Virgines deterreat a conſilio ſeſe Chriſto devovendi. Facit ut earum caro contra rationem rebellet; ac inteſtino domeſticoque bello nititur, ut ancilla triumphum agat de domina. Voluptatibus utitur ad ſenſus earum palpandos, atque credulos hoſce nuntios decipiens, infidelibus eorumdem narrationibus animam ſeducere contendit. Utitur pollicitatiunculis, ac minis impudicorum ad eas fallendas, & corrumpendas, ſimulque duas affectiones commiſcens, terrore ſuperat illam, quam ſpe corrumpere minime potuit. *Ibidem*.

Ad Sanctæ N. laudem ſatis eſt dicere illam fuiſſe Virginem, & Martyrem.

Licet mirum in modum arduum ſit Sanctorum Elogium exornare, ac invenire verba, & cogitationes, quæ meritis illorum reſpondeant; mihi tamen videtur Sancta N. laudari, ubi dicatur Virgo, & Martyr fuiſſe; & huic elogio nihil addi poſſe tota Oratorum eloquentia, quia in Eccleſia nihil illuſtrius eſt virginitate, & Martyrio; Virgines enim ſunt imagines Dei, quæ reſpondent ſanctitati autographi ſui: *Imago Dei*, Sanctus Cyprianus ait, *reſpondens ad Sanctimoniam Dei*. Et ſi Patrum ſententiæ ſunt Oracula, credere tenemur, Virgines ipſis Angelis nobiliores eſſe, quia beatorum horum ſpirituum puritas effectus eſt felicitatis eorum, puritas autem Virginum effectus eſt gratiæ & virtutis. *Angelum eſſe felicitatis eſt, Virginem eſſe virtutis*. Martyres ſunt Heroes Eccleſiæ, & ſecundum Origenis ſententiam, *Plus eſt eſſe Martyrem, quam Apoſtolum*, Attamen Auditores, Sancta, quam vobis in Patronam delegiſtis, ita admirabilis eſt, ut elogium hoc quantumcunque ſit, merita illius non exæquet; & quod conſtituit cumulum gloriæ aliorum Sanctorum, nonniſi gloriæ ejuſdem principium conſtituat. Tanto enim amore proſequebatur virginitatem ſuam, ut oderit pulchritudinem ſuam; & per ſenſum non auditum, doleat ſe pulchram eſſe, quia timet, ne ſatis ſit pura; tanto fervore martyrium appetit, ut præcipuus ejuſdem dolor ſit eodem privari, & maximo æſtuet deſiderio illius quamprimum obtinendi. *Panegyricus P. Senault ex Oratorio Sancta*.

Illuſtris hæc Sancta fugiebat hominum oculos, ne forſaſſe ſua eſſet alicui occaſio lædendi Dei.

Illuſtris hæc Sancta haud neſcia, ſe a natura egregia donatam fuiſſe forma, fugiebat omnis mundi conſortia, & clauſa domi ſuæ latebat, ne fieret particeps peccatorum, quibus locum præbuiſſet, ſi ſe cuiquam conſpiciendam præberet: illam pudebat pulchritudinis ſuæ; hanc metuebat, & ſciens illam puritati eſſe inimicam, ejus occurſum quam diligentiſſime evitabat. Virginitas, Tertullianus ait, adeo mollis eſt, ut alienos oculos vereatur, & ſuos. Seipſam & ſociis ſuis, & ſibimet abſcondit; & videre, & videri timet, haud inſcia, par ubique periculum eſſe, ſi vel ſibi placeat, vel aliis: ſemet nemini oſtendit: *Sed enim vera, & ſola, & pura Virginitas, nihil magis timet, quam ſeipſam*, quia ſcit, donec ſeipſam non amoverit, non quæſituram eſſe, ut ab aliis ametur: *Etiam feminarum oculos pati non vult, alios ipſa oculos habet*. Non ſuſtinet ſe a mulieribus conſpici, vel quia ſuos, vel quia Dei oculos reformidat. Cur mihi non eſt Tertulliani eloquentia, ut illius ſenſus cum omni ipſorum pondere ac pulchritudine vobis exhibeam! Virgo, ait ille, quæ ſuam amet caſtitatem, confugit ad velum, tanquam ad loricam, vel clypeum, ut ſemet contra tentationum incurſus tueatur, contra ſcandala, contra rumorem obſcurarum ſuſpicionum, ſecretarumque obtrectationum, contra invidiæ & zelotypiæ tela, ſatis agnoſcens fieri non poſſe, ut aliqua ſimul & formoſa ſit, & ſuam formam oſtentet, quin & ſibi, & aliis omnibus officiat. *Idem*.

Sancta N. domo ſua pedem non

Sancta N. perfecte has omnes veritates edocta nunquam domo pedem efferebat, niſi illam urgens neceſſitas cogeret;

Digitized by Google

*efferebat; nisi neceſſitate cogeretur.*

ret; & ſive maneret domi, ſive domo egrederetur, ſemper velo ſuo tecta videbatur, ne virus hoc, quod inficit aciem oculorum, illam ipſam inficeret. Norat illa, non deeſſe crimina, quæ tunc committimus, cum ſumus in cauſa, ut committantur ab aliis, & alia, quæ per deſideria cor committit, & quæ oculus ſuo obtutu perficit; norat quædam adeſſe ſine complice adulteria, & alia, in quibus ſine actionibus, & ſine verbis tamen uterque nocens invenitur. Norat denique eamdem animi ægritudinem, quæ efficit ut videamus, efficere etiam ut videamur; quod utrumque coram Deo nefas eſt: *Ejuſdem libidinis eſt videre, & videri. Panegyricus P. Senault.*

*Nulla virtus fragilior caſtitate, cujus jactura nequit reparari.*

Ex omnibus virtutibus nulla fragilior eſt caſtitate: Similis eſt floribus fructuum, qui ſtatim ac attinguntur, vitiantur, quippe ubi ſemel jactura illius facta eſt, reparari non poteſt. Patres antiqui hac in re ita fuerunt religioſi, ut inter illos non defuerint, qui crediderint puellam, quæ faciem aperiret ſuam, non eſſe amplius Virginem, & ubi oſtenderit partem hanc, quæ eſt veluti compendium ceterarum, jam puritatem amiſiſſe. Tertullianus ubique ſeveros, hac in occaſione adeo auſterus eſt, ut neget, puellam, quæ velum abjecit, virginem appellari poſſe, & putet illam ex hac dignitate decidiſſe, ſimul ac formam ſuam ab aliis conſpici paſſa eſt: *Denudaſti puellam a capite; & tota jam ſibi virgo non eſt, alia eſt facta. Idem.*

*Quid putandum de puella, quæ non ſolum faciem ſui detegunt, ſed & brachia, & humeros, & pectus.*

Si effatum hoc verum eſt, & ſi Virginem dedecorare eſt, faciem ejus oſtendere: *Omnis publicatio virginis bonæ, ſtupri paſſio eſt.* Si jacturam fecit puritatis ſuæ detegens pulchritudinem ſuam, quid ſentiendum erit de illis, quæ ſeſe ubicunque producunt; quibus ſatis non eſt velum auferre capiti, ac vultui ſuo, nudant etiam lacertos, humeros, pectus, & impudentiſſime objiciunt ſe impudicorum deſideriis? Nonne fatendum eſt, ſecundum Patrum ſententiam, has amiſiſſe caſtitatem, & ſolum nomen virginum retinentes, gloriam non habere, quoniam non habent ultra puritatem? Sancta N. cui de hac veritate ſatis erat perſuaſum, raro egrediebatur domo, & ſicubi inde pedem efferre cogebatur: tanta cura ſeipſam celabat, ut ſicuti in ſocietatibus ſilentium, ſolitudinemque ſervabat, in converſationibus, ac viſitationibus ſuam faciem obnuberet. Illam nihilominus ſua feſellit ſpecies: hic Sol lucem ſuam effudit per omnes nubes, quibus tegebatur, & tantum emiſit luminis, & caloris in univerſam terram, ut Sanctæ noſtræ plurimos amatores, cultoreſque pepererit. *Idem.*

*Forma parit funeſtos affectus.*

Forma ſæpe nocens eſt, & ſi illius arma pulchriora ſunt, vere dici poteſt, illam non eſſe minus periculoſam. Quamlibet dulcedinem aperiat, ſimul etiam tyrannidem affectat. Illa ſibi procurare contendit mancipia: regnare vult in ſervientes ſibi, neque illud quærit, utrum nocentes faciat, modo comparet ſibi idololatras. Cenſet ut plurimum ſubditorum ſuorum cogitationes eſſe inhoneſtas, eorumque deſideria impudica, & amoris nomine turpem, obſcœnamque voluptatem conquiri. Hac de cauſa Tertullianus chriſtianis ſæculi ſui mulieribus crebro dicebat, deſiderium, quo flagrabant, placendi viris ſua pulchritudine, culpa vacare non poſſe; ſciebant enim eo in ſtatu, ad quem nos peccatum redegerat, formam plures pravas ciere cogitationes: *Non de integra conſcientia venit ſtudium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis ſcimus.* Quapropter addit, quandoquidem illæ profitebantur caſtitatem, illis non admittendum eſſe deſiderium, a quo illa impugnabatur, neque utendum hac prærogativa, quæ objiciebat homines tentationi, eoſque ad peccandum ſollicitabat. Vos, ajebat illa, in cauſa eſtis peccati eorum, ideoque nocentes; & licet etiam vos illis nonniſi occaſionem præbuiſſetis, ſemper tamen eſſetis reprehendendæ, & exprobrandæ. *Idem.*

*De cultu feminarum.*

*Sancta N. ambigebat, utrum coram Deo innocens eſſet, quia locum fecerat adoleſcenti amandi eam, licet hoc citra illius intentionem accidiſſet.*

Hoc olim timorem incuſſit Sanctæ N. utrum innocens eſſet coram Deo, quia adoleſcentulo amoris locum præbuerat licet hoc contra ipſius mentem eveniſſet. Nullum ſolatium admittebat, quod amatorem erat adepta, quin vellet; ſontem ſe putabat, quia illi placuerat. Verebatur, ne ſatis delituiſſet, & ne ſatis cultum ſuum neglexiſſet: quandoquidem in vultu ſuo tantum decoris reliquum erat ut in illius corde flammas accendere poſſet; pœnitentia ducebatur; tantum hauſit pudoris, atque doloris ex hac acquiſitione, quantum alia hauſiſſet lætitiæ, & vanitatis. Triſtitiam, qua affecta inde fuit, tanta extitit, ut ad eam conſolandam de cælo deſcenderit Angelus, qui ſimul eam certam faceret, illam ab hoc crimine immunem eſſe; non voluntatem, ſed pulchritudinem ſuam abſtuliſſe cor amatoris illius, & quandoquidem non alium habitura erat Sponſum niſi Jeſum Chriſtum, illi polliceretur fore ut quamprimum illa voti damnaretur, eamque non multo poſt futuram eſſe Jeſu Chriſti ſponſam ſimul, & Martyrem. *Idem.*

*Sancta N. timet ſe alius amorem immittere, cum hujus ſæculi puellæ nonniſi formæ ſuæ cultores requirant.*

Inſignis hæc Sancta metuit, ut ab aliis ametur; ſæculi vero hujus mulieres timent ne amentur. Sancta N. fugit magnos cœtus, tanquam proſtitutiones caſtitatis, illæ autem hos quærunt tanquam gloriæ ſuæ theatra. Pudet Sanctam amatorem inveniſſe; illæ vero gloriantur, quod ab amore Jeſu Chriſti aliquem deturbaverint. Sancta ſe nocentem autumat, quod oculi ſui libertatem Principi adoleſcentulo ademerint; illæ vero ſe innocuas putant, cum adſectatis obtutibus ſibi mancipia comparaverint, & tan-

quam dæmoniorum ancillæ imperii eorum & ſui fines protulerint. Vitæ veſtræ rationem intuemini; timete, ne eum tantum abhorreat a vita Sanctorum, funeſta ſit animæ veſtræ. Mementote honeſtæ mulieri negligendam eſſe formam ſuam, quia obeſſe poteſt proximo; metuendam eſſe, quia adverſatur caſtitati ſuæ; delendam eſſe jejuniis & vigiliis, quia & ipſi vanitatem ſuadet, & videntibus illam præbet vel tentationem, vel ſcandalum. *P. Senault in Panegyrico laudato.*

*Dei odium meremur cum volumus amari ab hominibus.*

Numquam ne vobis perſuadebitur, vos fontes eſſe omnium peccatorum, quæ veſtra cauſa homines perpetraverint: ſimul ac vobis mens eſt illis placendi, vos incipere diſplicere Deo, atque ut S. Cyprianus ait, vos non amplius vacare culpa, ex quo voſmet ipſas amatis, vel ab aliis amari contenditis? *Dum hominibus placere geſtiunt, Dominum offendunt.* Sed longe nocentiores eſtis eum adſcititus ornatibus, & mundo muliebri voſmet colitis; eum ea non contentæ forma, quam vobis natura largita eſt, illam augere conamini calamiſtris, & in templi ſimilitudinem exornatæ cultores, ac idololatras comparare vobis contenditis. Scitote mulierem ſeſe comentem ad hominum oculos, & corda allicienda coram Deo culpa non vacare; cum eorum elicit ſuſpiria, & affectus fovet, excuſari non poſſe, quominus de aliorum peccato inſimuletur, quandoquidem illi vel occaſionem tribuit, vel cauſam. Quam diſerta hæc verba ſunt. Et quam vellem ſatis apta invenire ad eorum vim roburque exprimendum. Si voſmet ſumptuoſius apparaveritis, & ſi palam ambulantes luxurioſa quapiam veſte indutæ proceſſeritis, ita ut inter ceteras emicetis: ſi per nefarias has artes in voſmet adoleſcentium avidos oculos converteritis, ſi eorum corda abſtuleritis, ſi eorum foveritis deſideria, ac in illis flammas excitaveritis; ſcitote licet de vobis actum non eſſet, vos tamen honeſtæ mulieris honorem vobis vendicare non poſſe, quoniam ſuppeditaviſſetis virus, & enſem, quibus miſeri ſibi necem conſciviſſent. *Idem.*

*Cypr. de habit. Virgin.*

*Virgines ſunt Angeli terreni qui ita cælum & puti ſint, ut in terris familiarem habeant cũ Angelis conſuetudinẽ.*

Si cuidam Eccleſiæ Patri licuit Angelos vocare Virgines Cæli, mihi videor jure appellare poſſe Virgines Angelos terræ, quia hic poſſident beatorum eorum ſpirituum prærogativas. Equidem ſcio poſt Incarnationis Myſterium, aliquod intereſſe fœdus inter Angelos, & homines; Angelos quidem hominum patronos eſſe, homines vero Angelorum pupillos; Angelos eſſe hominum Magiſtros, homines vero Angelorum Diſcipulos, Angelos Reges eſſe hominum, homines autem ſubditos eſſe Angelorum; ſed Virgines ita ſunt nobiles, & puræ, ut cum adhuc in terris ſunt, familiariter cum Angelis agant, & ante ipſam reſurrectionem haberi poſſunt tanquam mortales Angeli: *de Familia deputatur Angelica*, Tertullianus ait, ac in terris poſſidere videntur felicitatem, quam reliqui fideles non niſi in Cælis ſperant ſe eſſe poſſeſſuros. Quod hominibus promiſſum eſt, Virginibus datur. Hæ habent effectum, cujus illi ſpem habent tantum. Hæ non ſunt de hoc mundo, licet in hoc Mundo ſint; & ſi Mundus ſe illas poſſidere gloriatur, non habet tamen facultatem retinendi illas. Sed quin diutius immorer in probationibus veritatis exploratiſſimæ, liceat mihi illam conformare unico exemplo Sanctæ N. vobiſque oſtendere illam Angelum factam per Angelorum communicationem; illam ſæpe cum Angelis converſari, illius in terris munus idem eſſe, ac Angelorum in Cælis; & non ſecus ac beati illi Spiritus puritatem efflare. *Idem P. Senault.*

*Hominibus ineſt aliquid Angelici & aliquid bruta, & juxta deſideria ſua fiunt vel Angeli, vel bruta.*

Quamvis homines Angelis cedant nobilitate, eadem vero præſtent brutis; hanc habent prærogativam, aut vitium, ut nihil ex utroque tenentes, ſecundum cordis ſui deſideria fieri poſſint vel Angeli, vel bruta. Si enim ſequuntur corporum ſtudia, bruta fiunt, & anima eorum licet excellens ſit, fit carnalis, cum nimiam habet cum carne neceſſitudinem; Sin e contra ſequantur motum animarum ſuarum, attollunt ſe ſuper ſe, & quin corporibus exuantur, Angelis ſimiles fiunt. Inter ceteros autem qui ad hanc gloriam contendunt, nemo facilius illam conſequitur præ Virginibus. Nam licet ad illam Sancti omnes anhelent multifariam; & alii macerent corpus ſuum per pœnitentiam, & alii purificent illud per jejunium; alii elevent illud per orationem, fatendum eſt tamen non niſi Virgines ab eo perfectiſſime ſeparari. Nam licet debeant unum ex præcipuis bonis ſuis corpora ſuo, illud tanta cum ſeveritate pertractant, ut hoc tanquam infeſtiſſimum inimicum videantur intueri. Modo jejuniis utuntur, & vigiliis ad vires illius atterendas; modo ad illud puniendum dolores adhibent; modo ab illo recedunt per preces, & ſe ſe conjungunt cogitatione, ac deſiderio cum eo, quod amant, ut de Virginum corpore dici poſſit id, quod Tertullianus dixit de Beatorum corpore, illius qualitatem mutari, & fieri ſpirituale, aut Angelicum: *In regno Chriſti reformata, & Angelicata caro.* Et ſane Chriſtianæ Virgines negligunt corpus ſuum, contemnunt dotes ſuas, dolent propter ſuam pulchritudinem, & ne fiant criminum, quæ hæc gignit, cauſæ nullam habent requiem, niſi eamdem innocenti crudelitate deleverint. *Idem in Panegyrico Sanctæ Cæciliæ.*

*Sancta N. erat gratiæ prodigium illius puritas æquabat puritatem Angelorũ quos fortitudine ſuperabat.*

Hoc erat gratiæ prodigium, quod puella in peccatis nata, & cujus anima erat in corpore incluſa, æque eſſet

pura, ut Angelus; quod carnem oppugnans in ipſa carne victoriam de carne referret: & quod cum inferior eſſet beatis Spiritibus, natura illis ſuperior eſſet virtute. Namque, ut præclare loquitur S. Petrus Chryſologus: *In carne præter carnem vivere, non terrena vita eſt, ſed Cæleſtis.* Vivere in carne, & nullum habere commercium cum carne, vita eſt, quæ Cælum potius redolet, quam terram; *& ſi vultis ſcire, Angelicam gloriam acquirere majus eſt, quam habere.* Etenim Angelum eſſe, mera felicitas eſt, ſed Angelum fieri virtus eſt; & hac in re Angeli cedere debent Virginibus, quoniam hæ virtute ſua, & fortitudine obtinuerunt, quod illi hauſerunt a natura. *Idem.*

Sexus fragilitas prohibere non poteſt quominus Virgines ſequantur exemplum Sanctæ N.

Ne conqueramini ergo, puellæ dilectiſſimæ, eo quod puellæ tantum eſtis; nam eſſe poteſtis Angelis glorioſiores, & Sancta; cujus diem feſtum hodie celebratis, potuit, licet ſexus obſtaret fragilitas, invidiam parere ſuis beatis ſpiritibus, quorum puritatem non æquavit ſolum, verum etiam ſuperavit, & nobis ſua exemplia oſtendit nihil arduum eſſe virtuti magnæ in carnis infirmitate, ubi Jeſu Chriſti gratia fulcitur. Ita illa effecta eſt ita ſimilia Angelis, ut Angeli poſtquam illius admiratores fuerunt, facti fuerint illius amatores, atque fidelem adeo illi ſocietatem præbuerint, ut nunquam fere videretur, quin illi præſto eſſet Angelus, cui illius cura erat concredita. *Idem.*

Exemplum complurium Virginum, pro quibus ipſi Angeli laborarunt.

Non multas vidimus Virgines, quæ non aliquem habuerint Angelum, qui illarum non ſuſceperint curam. S. Dorothea vidit beatos hoſce ſpiritus exequi mandata ſua in vita, & poſt mortem. Angeli enim illius nomine flores attulerunt ad quemdam adoleſcentem, qui Sponſum illius irriſerat, & hyeme in media revocantes ver, hoc miraculo infidelem juvenem converterunt. Sanctæ Agneti adfuit Angelus, cum illius pudicitiæ vim inferre conabantur; ſpiritus ille amore, & ira percitus vitam abſtulit filio Præfecti Romæ, qui ad Sanctam Virginem ſine reverentia acceſſerat. Illuſtris Sancta Catharina vidit Angelos ſibi ſolatium afferentes in carcere; ſe tuentes in cruciatibus, confringentes rotas ad illam perdendam paratas, & corpus ſuum tanquam in triumphum afferentes in Montem Sinai poſtquam de Tyrannis victoriam reportaverat: *Panegyricus Sanctæ Cæciliæ P. Senault ex Oratorio.*

Angeli ſpecialiter huic Virgini deſerviebant.

Nunquam ulla virgo paratiores habuit angelos, qui ſibi deſervirent, quam inſignis Sancta N. videbantur enim puri Spiritus illi Cælo abrenuntiaſſe, ut cum illa permanerent in terris. Hi aderant illi domi ſuæ, illam deducebant in Templum, ſequebantur in viis, cum ipſa in penetralibus concludebantur, & quocunque illa pedem efferret, nunquam a fidelibus hiſce puritatis ſuæ cuſtodibus deſerebatur. Quemadmodum autem Virgines ſunt Angeli terræ; videtur hoc illos officium peculiariter decere; cumque liberatæ ſint ab omnibus vitæ ſollicitudinibus, jugiter illis vacandum eſſe, ut Sponſi laudes concinant. Neque enim tenentur preces effundere pro virorum ſuorum valetudine, pro Filiorum ſuorum incolumitate, neque pro familiæ proſperitate; cumque Jeſus Chriſtus ſit illis omnia, nihil aliud facere tenentur, quam illum laudare, eique placere. Illæ ſequuntur Agnum quocunque ierit; ingrediuntur in illius penetralia; explorata habent omnia ejus conſilia; vident pulchritudinem, quantum vitæ hujus patitur miſeria, & inceſſanter Sponſi ſui laudes concinunt; recinunt Canticum, quod alii recitare non poſſunt, & vident omnes occupationes ſuas in id unum redactas, ut ſequantur Agnum, & illi benedicant. *Nemo poterat dicere canticum illud niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra.* Et ne dubitaretur, a S. Joanne hic intelligi Virgines per hunc ingentem perſonarum numerum, addit ſimul: *Hi ſunt qui cum mulieribus, non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt. Idem.*

Apocal. 5.

S. N. vacabat laudibus Dei, & caſtitatem in cordibus imprimebat.

Angelus hic, vel Virgo non aliam habebat occupationem, quam laudandi Sponſum, quam benedicendi bonitati illius, quam miſericordiam ejus deprecandi, quam placandi juſtitiam ejus eamque mortalibus omnibus propitiam efficiendi. Sed vocem ſuam cum organo conſociat animat inſtrumentum hoc anima deſtitutum, ut creaturas ſenſu carentes ad concinendas Sponſi laudes edoceat: *Cantantibus organis decantabat.* Sed ſicuti Virgines ſunt Angeli terræ hujus, eoſdem producunt effectus, imprimunt caſtitatem in corporibus, & ſi minus eos, quos vident, Virgines faciunt, ſaltem faciunt continentes. Aliqua adeſt pugnæ ſpecies inter puritatem, & pulchritudinem illarum; hæc illis licet invitis mala parit deſideria, viros ad malum ſollicitat, eoſque a Creatore ſemoventes injuſte ad creaturas convertit. Species enim in Virginibus ipſis, immunis non eſt ab hoc infortunio, & quaſi illa magis addicta eſſet dæmoni præ ceteris rebus, hic utitur illa ad perdendos homines, eoſque idololatras efficiendos, vel impudicos. Quamobrem Tertullianus optabat, ut pulchritudo exularet a mundo; ſolus enim effectus, quem parit, impuritas eſt, & incontinentia. *Ubi pudicitia, ibi vacua pulchritudo, quia proprie uſus, & fructus pulchritudinis corporis luxuria.* Sed puritas in Virginibus adverſatur conſiliis formæ, & hanc per pœnitentiam imminuens, conatur caſtas dumtaxat cogitationes injicere, & Jeſu Chriſto dumtaxat adoratores acquirere. Contendit

De cultu formæ.

atque numerum virginum, homines in Angelos convertere & evellere corda illorum a rebus fluxis, perituris ut ad æternorum amorem incendat. *Sanctæ Cæciliæ Panegyricus P. Senault.*

Virgines gloriari nõ debent de Virginitatis ſuæ præſtantia, ſed e contra humilitatem ſuam fovere debent.

Inter omnes animas, quæ accurate cuſtodiunt puritatem interiorem Chriſtianis omnibus communem, non deſunt, quæ ſervant adhuc virginitatem corporis, & quæ ſunt ſecundum Patrum ſententiam illuſtrior portio gregis Dominici. Hæ Deo peculiari modo ancillantur, uni illi placituræ, nequaquam ancipiti cura diſtractæ, ut placeant & viro. Vivunt in carne corruptibili, quaſi carnem non haberent, & in corpore vitam ducunt Angelicam. Sed cuinam acceptas referre debent has prærogativas, niſi illi, qui prior dilexit eas, & qui illis hanc permittit facultatem, ut ſeſe totas illi devoveant? Attente hæc audiant verba: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* In hoc ſuam conſtituunt gloriam, quod ad illum pertinent; ſed hanc ipſam illi gloriam reddant, quia nonniſi donum miſericordiæ ipſius eſt, quod ad illum pertineant. Quo majores ſunt in oculis hominum per ſtatus ſui excellentiam eo debent eſſe humiliores, ut magnæ ſint in oculis ejus, quem amant. Virgo ſuperba, Sanctus quidam ait, eſt virgo adultera; quia corporis puritas nihil prodeſt ſine humilitate, quæ eſt animæ virginitas. Se ipſas putent tanquam vaſa fragilia, in quibus voluit Deus magnum theſaurum recondere, ut eniteat poteſtas gratiæ ſuæ, & inceſſanter pendeant ab illo, a quo ſuſtinentur; & a quo illæ ſecedere nequeunt, quin confringantur, & quin jacturam patiantur divitiarum ab illo ſibi concreditarum. Invigilent illæ ſibimet, ut ſe puras ſponſo tueantur ſuo, qui illas amat amore zelotypiæ eo fortiori, quo plures ipſis gratias impertiit, & ab illo mutuentur, ut ita dicam, oculos zelotypos, ut ſemetipſas inſpiciant, & videant, ne quid in illas irrepat quod illum valeat offendere. Meminerint tandem, ſi illæ ſunt Virgines Jeſu Chriſti, ideo noluiſſe eſſe ſub virorum poteſtate; ut eſſent non ſuimet ipſarum, ſed Chriſti; ideoque indeſinenter illis habendam eſſe curam integerrimæ hujus puritatis, cum qua ſe debent offerre coram illo ea die, qua vocabuntur, *Annus Chriſtianus, Tomo 6.*

Virgines quærere debent, quomodo placeant Deo.

Virgines non ideo ſunt Virgines, ut placeant ſibi, neque liberæ ſunt, ut ſuam tantum voluntatem ſequantur; ſed ut placeant Deo, ut ſerviant Creatori corde magis mundo, & mente magis libera; & affectu magis integro, quia non ſunt ulli creaturæ ſubjectæ. Sanctæ eſſe debent corpore, ac ſpiritu. Corporis ſanctitas eſt modeſtia, puritas, ſolitudo, ſilentium, ſimplicitas veſtium, inanium horror indumentorum, contemptus ſpeciei, quæ non niſi oculos fallere poteſt, quibus placere velle non debent. Sanctitas Spiritus eſt profunda humilitas animæ intelligentis quid debeat Deo per gratiam, quam conſecuta eſt, ſe ſe illi devovendi. Virgo enim, quæ ſancta eſt, nequaquam ſe ſupra ceteras exaltavit; quo magis ornata eſt Cæli donis, timet magis, ut ſe indignam illis præbeat, & ſciens ſe nihil poſſe ſine ſponſo ſuo, de ſe diffidit, inhæret illi; omnem in illo ſuam confidentiam conſtituit, opem illius indeſinenter implorat, illi gratias agit ob ea quæ habet, & ab eo petit, quæ non habet. Virgo quæ hanc non habet humilitatem, non eſt amplius ſancta, non eſt amplius virgo ſecundum ſpiritum, ſuperbia ejus fit ejuſdem impudicitia. *Idem.*

Sancta hæc a pueritia mundi vanitates contempſit, & orationi ſe vacavit.

Sancta N. a teneris unguiculis contemnere didicit ſæculi vanitates; fugere ſocietates, quæ illam ab oratione avocabant, & a familiari conſuetudine cum Jeſu Chriſto, nec non a praxi virtutum, quas diligentiſſime colebat frequenti oratione. Hoc enim potiſſimum erat illius negotium, in quo tot delicias naneiſcebatur, ut inde avelli non poſſet, neque fatigari, quominus quaſdam repeteret preces, quas illam pia mater docuerat. *Vita Jeſu Patris Nrvet.*

Domine, quid mihi prodeſſet corporis ſolitudo, ſine ſolitudine ſpiritus? Nuncupavi perpetuæ clauſuræ votum; ſed hoccine eſt ſervare votum meum, quam late patet; cum ſola in clauſtro a ſæculo ſeparata evolat anima mea & errat in Mundo? Hoccine eſt Religioſam eſſe, ſi intra arctos coactæ ſolitudinis cancellos, ubi oculi mei neminem vident, facultatem permitto menti meæ ſe ſe replendi omni idearum genere, quæ me perturbant, & agitant, credere ne poſſum, me fideliter ſervire Deo, ſi procul a ſæculo per profeſſionem meam, ad illud redeo deſideriis, & cogitationibus? Hæc nihilominus, Deus meus eſt illuſio, in qua hactenus verſata ſum; contenta permanendi in cellula quo memet per amorem concluſi, ſæpe in corde meo reviviſcere facio, quidquid tibi ſacrificavi. Tenera Patris, Matriſque meæ recordatio, vel fratris, ſororiſve ſingulis momentis occupat ſpiritum meum. Si Mater tua, Salvator amabilis, non invenit te inter *Cognatos*, & notos, quomodo te ego inveniam inter cognatos meos? Si Canticorum Sponſa non invenit Cæleſtem Sponſum *in viis Jeruſalem*, quomodo te inveniam in Mundo, ubi ſum mente, cogitatione, cupiditate? Deus non loquitur, ubi vox ipſius audiri non poteſt. *P. Gentilis in libro, qui inſcribitur, Solitudo Virginum.*

Virginitas in ſua ſpecie ſeu præſtantiſſima virtus eſt.

Quemadmodum Virginitas una eſt inter præſtantiſſimas terræ virtutes, eſt etiam una inter illas quæ majoribus afficiatur honoribus. Kariſſimæ gratiæ illi reſervari videntur,

& præ-

& præclariſſima privilegia illi ſunt loco præmii. Si Sacrificium Abel acceptum fuit Deo, ideo fuit, quia Sacerdos illud offerens erat virgo. Si Joſue Solem retardavit, inde factum eſt quod hoc aſtrum tam puritatem ejus, quam nomen coluit. Si Elias in Cælum igneo invectus eſt curru; non minorem in hoc miraculo partem obtinuit virginitas ejus, quam zelus ejuſdem: & ſi Daniel cicurivit Leones & feroces, eſurienteſque belluas perdomuit, prodigium hoc illius tum caſtitati, tum abſtinentiæ acceptum referendum eſt. Sed dicamus, ſi Maria electa fuit Dei Mater futura, id contigit, quia voverat Virginitatem: quod ſi Joannes Baptiſta meritus eſt eſſe Præcurſorem Jeſu Chriſti; hoc evenit, quia puritatem cum pœnitentia conjunxerat; & ſi S. Joannes Evangeliſta dignus habitus fuit qui in Jeſu Chriſti locum ſubſtitueretur tanquam Filius Mariæ, hoc factum eſt, quia ille Virgo erat, non ſecus ac illa. Quia ex tot Apoſtolis, qui ſecuti ſunt Mundi Salvatorem, & qui illius amicitia digni habiti ſunt, S. Joannes Evangeliſta vel unicus, vel primus fuit, qui puritatis ſuæ Sacrificium offerret. *P. Senault in Panegyrico S. Joannis Evangeliſtæ.*

Maria fuit perfectum exemplar amoris quo Virgines, perſequi debent puritatem.

Licet Mariæ virtutes omnes amaverit; puritas, ſi ita loqui fas eſt, fuit virtus illi acceptiſſima, & cordis ejus deliciæ. Amavit illam tanquam virtutem, cujus præcipuum honorem accepit; & quam præ reliquis omnibus magis honoravit. Amavit illam tanquam virtutem, cui debet auguſtiſſimam qualitatem Matris Dei; Cum enim Deus ſit primus Virginum, non niſi ex Matre Virgine naſci poterat. Quinam hinc acceſſit honor puritati! Sed quænam gloria Virgini ſexus fragilis, eximiæ pulchritudinis, vixiſſe in terris eadem puritate, qua Angeli in Cælo? Virginitas eſt ornamentum, & corona Virginum; ſed tu Dei mater caſtiſſima es ornamentum, & corona ipſius Virginitatis. *In ſolitudine Virginum P. Gentilis.*

Deus plura edidit Miracula, ut virgines præſervaret.

Nonnumquam Deus operatus eſt miracula præſervaturus Virgines, quæ humilitatem cum puritate conjunxerunt, & quæ nequaquam intumeſcentes propter virtutem, qua fiebant Angelis ſimiles, meminerant ſe æque fragiles eſſe, ac homines. Luciam ita immobilem reddidit, ut plura bovum juga illam de loco pertrahere non potuerint trahendam ad turpitudinis locum, ubi erat proſtituenda. Mentem immiſit Chriſtiano militi opem ferendi Virgini Chriſtianæ tanto huic objectæ dedecori, & veſtes cum illa commutandi, ut illius conſulens integritati hac arte, quæ omni carebat fraude, ſibi in præmium Martyrii palmam compararet. Horum duorum fidelium contentio mirum in modum ab eloquentia Sancti Ambroſii deſcripta eſt, & licet illam in medium proferens videat ab argumento aberrare, hic tamen eam referam; hoc enim ſemper eſt propoſito inhærere argumento, quod eſt elogium puritatis perſequi. *Idem.*

Ambroſius l. 1. de Virginibus. Pium militis ſtratagema ad ſalvandã Sanctam Virginem ab infamia.

*Ne quaſo paveas ſoror; frater huc veni ſalvare animam, non perdere: Quaſi adulter ingreſſus, ſi vis martyr egrediar. Veſtimenta mutemus, conveniunt mihi tua, ſed utraque Chriſto. Tua veſtis me verum militem facit, mea te virginem: ſume habitum, qui abſcondat feminam, trade, qui conſecret Martyrem.* Credidit illa ſuadenti, & pia hac fraude defendit honorem ſuum, & militi ad Martyrii palmam locum aperuit. *Idem in Panegyrico Sanctæ Agnetis.*

Ambroſ. l. 1. de Virginibus.

Luculenter S. Ambroſius ait; *non ideo laudabilis virginitas eſt, quia in martyribus reperitur, ſed quia ipſa Martyres faciat.* Et ſane qui ſibi in vita interdixit voluptates, haud ægre ſuſtinet tormenta, ubi ſeſe illi offerat occaſio, & ille gloriari poteſt ſe cælibem vitam ducentem ponere tyrocinium Martyrii: ita ut de Virginibus dicere poſſimus, quod de Chriſtianis omnibus Tertullianus ait: *Vita Chriſtiani eſt diſciplina Martyrii.* In divina ſchola hæc illuſtris Sancta N. ſe ad Martyrium præparavit & vincens delicias didicit ſuperare tormenta. Duo hæc incepit exercitia, ex quo rationis uſum adepta eſt; & ſibimet imponens pœnitentias, carnificum crudelitatem prævertit. Jejunium æque illi familiare fuit, ac oratio; alebat animam ſuam eo, quod corpori ſuo negabat, & quaſi neceſſitudinem inire voluiſſet cum morte, dies, nocteſque tranſigebat, quin cibum, ſomnumque caperet. Nomen, quo appellabatur, videbatur portendere, quod aliquando esat futura, & Providentia, quæ permiſerat, ut Agnes vocaretur, videbatur illam jam deſtinaſſe Martyrio.

Ambroſ. ibid.

*Nomen ejus*, S. Ambroſius ait, *oraculum eſt martyris, & indicavit, quid eſſet futura.* Quod vero illius prælium magis commendat, & victoriam ejus reddit illuſtriorem, eſt illam ſuſtinuiſſe Martyrium ea ætate, qua alii ne leviſſimos quidem dolores valeant perferre; tertium ſupra decimum agebat annum cum ad Judicem rapta fuit, & quicunque de illius fortitudine ex habitu corporis ferebant judicium, exiſtimabant, pollicitationibus tantum illa falli poſſe, vel minis deterreri: *Patris Senault in Sanctæ Agnetis Panegyrico Tomo 1.*

Virginitas e Cælo ſuã ducit originem.

Virginitas, ſi credimus Sancto Ambroſio, qui ſæpe illam laudibus extollit, non invenit locum nativitatis ſuæ in terra, ſed in cælo, cumque illa ſit integritas perfecta, ab omni contagione immunis, terram pro patria habere non poteſt, quæ fœda eſt impuritatis, & ſordium. *In cælo profecto eſt patria caſtitatis, quæ nihil aliud eſt niſi expers contagione integritas.* Pro ſociis habet Angelos, & ſicuti beati Spiritus iſti ſunt Virgines Cæli, dici quoque poteſt Virgines eſſe Angelos terræ: ſed pro exemplaribus, ac prototypis habere Jeſum Chriſtum, & Mariam. Nam quantumvis hæc mater ſit, non ceſſat Virginem eſſe, & divina potentia operata eſt maximum miraculorum omnium ut in Deipara cum Virginitate fecunditatem compararet. Jeſus Chriſtus ſibi aſſumpſit quod elegerat in Matre; & poſtquam fuit Filius Virginis, voluit & ſe Virginem eſſe, & in perſona ſua virtutem hanc conſecrare. *Atque ipſe repræſentavit*, S. Ambroſius inquit, *quod elegit in Matre. P. Senault in Panegyrico S. Margharitæ Tomo 2.*

Præclaræ dotes Sanctarum Virginum.

Virgines omnes Reginæ ſunt, vel quia ſunt Sponſæ Jeſu Chriſti, qui rex eſt, vel quia cum ſibi corporeas voluptates interdixerint, quæ homines reddunt mancipia; illæ non quidem captivæ, ſed Principes ſunt. Pulchræ ſunt, quia puræ ſunt; pulchritudo illarum, quæ in anima potius, quam in corpore ſedet, nulli eſt obnoxia mutationi: anni, qui aliarum formam eripiunt, parcunt fortunæ earum, quæ cum ipſarum ætate creſcens illas Sponſo gratiores facit. Quid autem illis majus bonum procurare poteſt, quam eaſdem Regi ſuo amabiles facere, quam probare illas judici ſuo, eas Deo ſuo conſecrare, illius ſponſas facere, eaſque ſemper Virgines conſervare, ne amor illius ullum inveniat finem, & pudor earum nullo detrimento afficiatur? Ad hæc accedit, quaſi honoris cumulus, verum Virginitatem ornamenta contemnere, neque alia cognoſcere, niſi virtutes, illam amare abſtinentiam, & orationem ac traducentem dies quidem in jejunio, noctes vero in oratione ſe ſe a peccatis defendere, quorum cauſas ignorat: *Cibus parſimonia, potus abſtinentia, docet vitia neſcire, qui cauſam docet neſcire vitiorum.*

Idem ibid.

Denique cor illarum diviſum non eſt: nequaquam partiuntur inter ſe viros, & filios, & Jeſus Chriſtus, cum illis ſit omnia, unicum eſt amoris earum objectum. Sancta N. his bonis illecta puritatem ſuam Filio Dei conſecraverat: imitabatur vitam Angelorum in terra, comitabatur Agnum ſuis cogitationibus, ac deſideriis. Regnabat licet eſſet captiva in domo Patris ſui; puritate alliciebat Sponſum ſuum, & pulchritudine illius creſcente cum virtute, in ſingula momenta in amore ipſius procedebat. Vigiliæ ſæpe requiem illius interpellabant, ut diutius cum amaſio ſuo colloqueretur, & Angelo ſimilior, quam virgini divinam potius, quam humanam vitam ducebat. *P. Senault in Sanctæ Margharitæ Panegyrico, Tomo 2.*

Jubet Apoſtolus, fideles ab impuritate ita abeſſe debere, ut ipſum nomen ignorent.

*Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis.* Vult Apoſtolus fideles ita ab hujuſmodi vitiis abhorrere, ut ne ex nomine quidem ea norint. Avaritiæ nomen Sanctus Hieronymus hoc in loco putat ſignificare quodvis obſcœnitatum genus. Licet hominis cor ſit corruptum, & corruptio hæc ſit generalis; puritas tamen ſemper erit amica virtus Sanctorum, & character nitidior, & melius connotatus virorum Fidelium. Ex hac nota plurimi ne Fideles hodierni die cognoſcuntur? Auditur ne in vobis *aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas?* Quid dixiſſet Apoſtolus ſi adfuiſſet in profanis ſæculi noſtri cœtibus? Sermonis, verborumque inutilitas hodie illud non eſt, quod in ſæcularium colloquiis ſit reprehendendum, quæ flagitioſa licentia in iis, quæ fiunt converſationis hodiernæ argumenta! Quam obſcœnæ imagines in alluſionibus! Quæ turpitudo in verbis; non pudet eorum, propter quæ Ethnici olim rubore ſuffundebantur. Sine hoc ſale converſatio languet: Amatoriæ nugæ, Fabellæ, opera corruptæ mentis per corruptionem cordis; amatoria carmina; en quænam ſit hodierna occupatio; en quid animos recreet! Sed verba hæc obſcœna, ſermones æquo liberiores, hæ virulentæ æquivocationes, hæ laſciviæ, & ſcurriles joci; libelli eleganter conſcripti, ubi nimium ſalis, ac veneris invenitur, a quibus Chriſtianiſmi Spiritus proſcriptus eſt, quot animas perdunt! Nam vobis perſuaſum eſſe debet, idem pergit Apoſtolus, *quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei.* Ephes. 5. Heu! Domine, quot mortales hodierna die abrenuntiant huic hæreditati! Impuritas vocatur avaritia; quia per hoc vitium homo negat cor ſuum Deo, illud voluptati daturus. In Exodo, Levitico, Deuteronomio pluribuſque aliis Scripturarum locis fornicatio idololatria nuncupatur; in utraque enim homo creaturam ſibi tanquam Deum ſtatuit, eique omnia ſacrificat: *Nolite ergo fieri participes eorum.* Nulla devotio eſt, quæ non corrumpatur, ubi cum flagitioſis neceſſitudo ineatur. Nihil hoc commercio contagioni propius. Sanctus Paulus impudicos vocat filios tenebrarum. Profecto nihil magis craſſiorem efficit mentem, nihil magis rationi obducit caliginem, nihil facilius fidem extinguit, quam hoc teterrimum vitium. *P. Croiſet in Aſceticis, Tomo 2.*

Severitas, & cautela caſtitatis.

Caſtitas cum perfecta eſt, nihil permittit oculis, præ foribus aurium ſedet, ſingulis invigilat verbis. Regit, ac reformat imaginationem; ira ſuccenditur adverſus cogitationes, quæ præter voluntatem oboriuntur; timet etiam deſideria, quæ deteſtata eſt, poſt cautelas

omnes adhibitas reformidat , & nonniſi in humilitatis ſinu tutam ſe eſſe arbitratur . Precibus , ſanctiſque lectionibus paſcitur ; timet minimum quodvis intervallum, quod non aliquo officio repletum eſt , neque minus nimis acres expaveſcit occupationes , quæ adimunt pietati ſuccum, & unctionem, qua indiget. Diffidit de triſtitia , qua tanquam velo utitur dæmon , ut injiciat in cor tela inflammata , quæ torpor in quo eſt , nimis diu negligit. Sed multo magis ſibi cavet ab inani lætitia, quæ animam emollit, eamque minus cautam efficit, minuſque vigilantem. Summa cura evitat conſuetudinem eorum, qui minus prudenter , & caute vivunt , Inter ſe, & periculum, maximam, quam poteſt interjicit longitudinem, & nullum ferre videtur illi intereſſe diſcrimen inter ipſum , atque temeritatem : etenim unum , & idem eſt vel præſumere, vel ſuperari, ſuperbia quippe prima eſt hominis impuritas, altera vero plerumque pœna eſt . *Auctor Anonymus* .

*Puritatis amor efficit, ut evitemus pravas ſuſpiciones, quæ de nobis ſuboriri poſſunt. De Carne Chriſti c. 3.*

Tertullianus animadvertit , ubi virtus aliqua amatur, neminem velle incidere in ſuſpicionem vitii , quod illi adverſatur : *Rei diſplicentis etiam opinio reprobatur* . Si horres impudicitiam, quantum in horrore habenda eſt : non ſolum non debes fugere quidquid cor tuum poteſt corrumpere, ſed oportet, ut ratio vitæ tuæ ſit irreprehenſibilis & ne teterrima quidem calumnia tibi valeat atrum loliginis ſuccum aſpergere. Fruſtra igitur vos urgeo ut commercium hoc abrumpatis , de quo jam pridem rumor percrebuit ; reſpondetis enim , nullum unquam magis fuiſſe ab omni ſuſpicione vacuum , & magis innocuum. Credo equidem , ſed nonne verum eſt, pluribus hanc neceſſitudinem diſplicuiſſe ? Nonne locum præbetis, ut de vobis obloquantur homines, & vos audiatis male ? Numquid ultra requiritur, ut teneamini illud ſequi conſilium, quod vobis præbetur ? Quicunque diligit puritatem, nunquam patietur vel ipſam vitii ſpeciem huic virtuti oppoſitam ſibi exprobrari. *Lambert* .

*Tutiſſima ratio prohibendi mala judicia, quæ de nobis ſunt, eſt rationem tollere.*

Ejice quamprimum de domo tua illam cui nimis adhærere inſimularis . Quaſcunque cauſas ad tuam excuſationem afferas, reus es, ex quo illam pertinaciter retines. Dicis tibi eſſe neceſſariam, ego vero dico tibi magis adhuc eſſe neceſſariam tui nominis bonam exiſtimationem . Dicis notam eſſe hominum improbitatem , & illos temere innocentiorum vitæ labem aſpergere ; ego autem reſpondeo, nequaquam temere vitæ tuæ rationem cenſoria nota perſtringi, ubicunque tibi placuerit, in tua poteſtate futurum temet excuſare, & finem facere pravis rumoribus, qui in vulgus manarunt . Ubi quis ſeipſum excæcare vult , rationes affert ſine , numeroque carentes ; ego vero unicam habeo , quam objiciam tibi : ultro, & æquo animo ſuſtines ſuſpiciones , quibus finem facere tuum eſt; ergo puritatem non diligis. *Lambert* .

*Vera puritas non in eo ſita eſt, ut non tentemur ſed ut acriter propulſemus tentationes, ac de tentatore triumphemus. D. Hieron. de cuſtodia Virginum.*

Sanctus Hieronymus docet , ex quo nos adoritur inimicus , tempus nobis amittendum non eſſe , ſed pugnandum eſſe cum illo ſtatim ac nobis obviam incurrit. Nolite, ait ille, dare locum diabolo, donec ſeſe communiat. Vos prius illi occurrite, eumque ſuperate, donec imbecillus eſt , & illius impetus minus ſunt violenti . Neque putetis vos unquam ab eo pacem obtinere poſſe, quæ non perturbetur. Non deſunt, Sanctus Auguſtinus ait , qui , eo quod ſummo proſequuntur amore puritatem , exiſtimant omnes tentationes nocere poſſe puritati animæ ſuæ: cuperent habere pacem , qua in hac vita frui minime poſſunt , vellent non tentari . Sed diſcant non in eo poſitam eſſe veram puritatem : tentationes noxiæ non ſunt , niſi illis, qui eas provocant vel negligentia ſua, vel nimia vivendi licentia, quam ſibi vindicant. Sed qui vigilat , qui accurate reprimit omnes ſenſuum ſuorum motus; qui ſibimet ſeverus, fit irreconciliabilis ſuarum cupiditatum perſecutor : tantum abeſt, hunc nocentem eſſe , cum illum urget tentatio , ut cum de certamine victor egreditur, novum meritum acquirat . Deus illum tentari permittit, ut ejus fidelitatis periculum faciat , & illi præbeat occaſionem dimicandi , & vincendi . *Idem* .

*Impudicus mavult abrenuntiare luci Solis quam voluptati. Rei hujus exemplum.*

Narrat Sanctus Ambroſius Theotimum quemdam hominem ſuis voluptatibus perdite inhærentem maluiſſe oculorum ſuorum jacturam facere, quam voluptati abrenuntiare. Miſer hic in ardore impudicitiæ ſuæ ſenſit cæcitatem , quæ illum erat ſecutura, & decrevit potius lumine oculorum privari, quam brutalem libidinem moderari . *Vale* , exclamavit , *vale amicum lumen* . Jucundum Solis lumen non amplius videbo te : ſed explebo meam libidinem . Hoc ipſum dicere poſſunt mortales voluptatibus abditi ex ipſo libidinum ſuarum principio , niſi pœnitentia illos ab impendentibus malis præſervet . Divinæ veritates , adorabilia Spiritus Sancti lumina , ſalutares gratiæ radii mihi non ultra effulgebitis : Dominus effundet vos in animam meam, nec vos videbo . Fruſtra ab alto illuſtrabor : in tenebris ambulabo, & cæcitas mea me in abyſſum deducet . En quo redacti eſtis vos , in quibus obſcœnis dominatur tot annos impudicitia . Ecce quid vobis opperiendum eſt, qui hodierna die tot innodati eſtis turpiſſimis vinculis , quæ mors enodabit illa vobiſcum in ſepulchro tumulatura. *P. la Peſſe* .

*Caſtitas, & puritas proprius eſt Chriſtiani character, & virtus unice Dei Filio dilecta.*

Caſtitas virtus eſt Filio Dei adeo accepta , ut illius zelotypus dici poſſit . Hæc una eſt, quæ in ſeipſo noluit tentari . Phariſæi, dum ille viveret, plurima quidem illi crimina objecerunt ; Carnifices mortis ejus tempore injuriis , & opprobriis affecerunt illum , ſed neque Phariſæorum criminationes , neque carnificum contumeliæ nequaquam illum terigere ea in re, quæ maxime illi cordi erat. Paſſus eſt ſe non credi Filium Dei, de ſe dici, quod in nomine Beelzebub, & non per divinam potentiam ſuam ejiceret dæmonia ; vocari hominem abdomini indulgentem , energumenum , blaſphemum , Samaritanum , hoc eſt Religionis inimicum ; appellari publicæ quietis perturbatorem , ſed ſibi impudicitiæ crimen inferri paſſus non eſt. Quantum ergo pretioſa nobis eſſe debet caſtitas ? Hæc proprius eſt Chriſtifidelium character : ſine hac nequeunt eſſe membra digna hoc corpore myſtico, cujus caput eſt Jeſus Chriſtus . Fruſtra illi , qui cæcorum inſtar, naturæ corruptæ motus ſequi volunt, dicunt omnino fieri non poſſe , ut eam tueantur ſpiritus , corporiſque puritatem, quam poſtulat Evangelium : Gratia ad id aptos efficit quicunque velint ſequi motus illius , neque habendum eſt tanquam impoſſibile id , quod vulgatiſſimum erat primis Eccleſiæ temporibus . Felicium eorum ſæculorum hiſtoria oſtendit , Chriſtianos tunc temporis ſatis palam cognoviſſe meritum virtutis hujus admirabilis, quæ argumentum erat omnium cogitationum , & huis omnium actionum ſuarum . *Sermo de puritate Academia Pariſienſi oblatus anno* 1677.

*Puritas hominis quodammodo pluris facienda eſt quam puritas Angelorum, & quare.*

Corporis puritas virtus eſt tanto habenda in pretio , ut cum nos incolumes tueatur tot inter occaſiones pereundi, dici poſſit , ab hac Angelicam puritatem ſuperari , & cum illa jure poſſe comparari . In altera homo ſupra ſeipſum ſe attollit, in altera Angeli in ſuo naturali ſtatu ſubſiſtunt. Angeli puri ſunt , quin a corpore ſecreti ſint, quod fertur propenſione quadam ad impudicitiam : homines puri ſunt, licet in corpore vivant . Hominum puritas cauſa eſt certaminis, & ſeges triumphi ; Angelorum autem ſtatus eſt tranquillitatis, ubi Angelus cum ſeipſo pacem habet . In hac ſatis eſt , Angelum ſequi naturæ ſuæ nobilitatem ; in altera homini pugnandum eſt contra naturæ ſuæ corruptionem . *Sermo tertius Academiæ oblatus anno eodem* .

*Virginitas effecit, quod homines ſunt Angelis ſimiles.*

Quanam in re Angeli ſuperiores erant Eliæ, Eliſeo, Joanni Baptiſtæ , inſignibus illis Virginitatis exemplaribus , niſi quod Angeli corpus non habent ? Ceteris in rebus ſibi ſunt ſimiles, quod autem hominum gloriam videtur imminuere , commendat meritum puritatis eorum, quod non ſine difficultate ſervari poteſt , cum ita infirmi, ac imbecilles ſimus , ut ſumus : Si ſummi illi viri uxores habuiſſent , & filios, non potuiſſent in deſerta conſcendere , ut fecerunt , & domos , familiaſque ſuas deſerere . Verum hoc obice amoto vivebant ſuper terram vitam Angelicam ſine tecto , ſine cubili , ſine menſa, quin tenerentur earum rerum deſiderio , quibus vulgo mortales indigent . Cælum erat illis pro tecto , terra pro cubili, ſolitudo pro menſa ; deſertum illis ſuppeditabat , unde mortem arcerent , & ne fame interirent . Inter neceſſaria nequaquam computabant vineas , prata , meſſes . Aqua ſufficiebat illis ad levandam ſitim , & ſuper terram vivebant in corpore corruptibili , perinde ac induti eſſent Immortalitate . Terrena omnia illis videbantur ſupervacanea. Hoc autem operabatur in illis vita honeſta , & frugi , quæ eorum virginitati comes acceſſerat . Multum meretur , qui ſuis inconditis reſiſtit cupiditatibus, ſed unum hoc meritum ſatis non eſt ad homines ſalvos faciendos , niſi eorum puritas vitæ integritate fulciatur . Hoc probari poteſt eorum exemplo , qui virginitatem profitentur ; & qui nihilo ſecius ab Eliæ, Eliſei , & Joannis Baptiſtæ perfectione toto cælo diſtant . *Ex Opuſculis S. Joannis Chryſoſtomi* .

*Caſtitas non prodeſt niſi ſit cum bona vita conjuncta.*

Caſtitas nullam habet vim niſi honeſta , & regulari vita fulciatur. Sed ubi utraque conjuncta eſt , fons eſt uberrimus omnium bonorum : radix conſita in agro uberi, ac fertili, qui profert fructus in copia . Vita crucifixa ſimul radix eſt , ac fructus caſtitatis , qui omnes perfringit obices, quibus homines prohibentur , ne ad altiorem perfectionis gradum perveniant . *Idem* .

*Virginitas ſpiritus a corporis puritate ſejungenda non eſt.*

Corporis virginitas non prodeſt , niſi quatenus operatur ſpiritus virginitatem : alioquin hoc eſſet redigere religionem ad corpoream privationem . & praxim Judaicam. Carnem ſubigere non prodeſt, niſi ut ſpiritus liberior ſiat, & in Dei amore ferventior . Hæc virginitas corporis non aliud eſt , niſi conſequens incorruptibilitatis animæ virginis , quæ nulla mundana affectione polluitur. Amaſne id, quod Deus non amat ? amaſne, quod Deus amat , ſed amore alio ab eo , quo ille amat ? Jam virgo non es ? Etiam ſi corpore virgo eſſes , hoc nihil eſt, neque enim virgo amplius es ſpiritu . Flos hic adeo ſpecioſus emarcuit , ac pedibus calcatus eſt . Indigna creatura , mendacium impurum , ac turpe aufert amorem , quem ſolus ſibi ſponſus vindicabat ; tuque illius zelotypiam irritas , ſponſa infidelis ! adulterum cor tuum ſeſe aperit inimicis Dei . Revertere , revertere ad illum ; audi quid dicat Sanctus Petrus : *caſtiſica animam tuam in obedientia charitatis* . Videlicet ; charitatis lex , quæ omnia refert ad Deum , ſola eſt , per quam anima eſſe poſſit virgo, & digna ſacris Agni nuptiis . *Fenelon Cameracenſis Archiepiſcopus in delectis Sermonibus* . 1. Pet. 1. 22

*Pudor efficit ut honeſta perſona*

Pudor nobis magnum incutit terrorem , ne aliorum oculos, vel minima indecentia lædamus . Quid amabilius

puella,

Leviſſimam etiam labē perhorreſcat.

puella, quæ ſecum geſtat in ſocietatibus hanc conſcientiæ puritatem, ut leviſſima noxæ alicujus umbra perturbetur? Modeſtia ſua in honore habens eos, cum quibus conſueſcit, ſibi omnium honores promeretur: & tantum abeſt, ut in incompoſitam hilaritatem erumpat, ut ipſa aliis ſit norma per verecundiam. Si pudet illam malum aliquod cogitare, vel facere, magis Dei, quam hominum oculos reformidat. Deus enim multo ſeverius quam nos damnat, quidquid virtutem non decet. *P. la Peſſe Tom. 5.*

De diſcrimine inter connubium, & virginitatem.

Fatendum eſt; virginitatem conjugio præferendam, & illam huic tantum excellentia præſtare, quantum Cælum terræ, & Angeli hominibus. Angeli non nubunt, ſed etiam carne, & ſanguine coagmentati non ſunt. In terra non ſunt; non ſentiunt aculeos concupiſcentiæ, non indigent cibo, vel potu, non adhibent aures obſcœnis cantionibus, neque oculos figunt in formoſarum puellarum facie. Nulla re tentantur; in æterna vivunt tranquillitate, cupiditatibus vacui; ideoque mirum eſſe non debet, ſi ſemper ſuam ſartam tectam tuentur virginitatem. Virgines etiam æque ac Angeli; minime nubunt; jugiter ut illi, Dei cultui vacant, &c. *Ex Opuſculis S. Chryſoſtomi.*

Semper invigilandum eſt contra impetus concupiſcentiæ.

Job licet Sanctus eſſet, credebat fieri nequaquam poſſe, ut ſimul cum virgine moraretur, & ſuam tueretur puritatem: immo non audebat in faciem ejus reſpicere, quia curioſitas iſta nonniſi funeſta eſſe poterat. Si Jobi exemplum nos minime perſuadet, fortaſſe magis movebunt nos verba Apoſtoli, qui gratia Spiritus Sancti plenus, poſtquam tot, tantaque pro Dei gloria operatus eſt, dicebat ſibi ſemper dimicandum eſſe, ut tentationes propulſaret: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.*

1. Cor. 9.

Quibus verbis teſtatur ſatis, quam metuendæ ſint carnis rebelliones; & ſemper contra impetus concupiſcentiæ eſſe invigilandum. Jeſus Chriſtus palam declaravit ſatis tuto mulierum facies reſpici non poſſe, & qui in illas oculorum aciem intenderit, ſeſe adulterii periculo objicere. Cui cum Sanctus Petrus addidiſſet: *Si iſta eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere.* Jeſus quippe qui nolebat omnino interdicere nuptias, reſpondit: *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt, Ex Opuſculis S. Chryſoſtomi.*

Matth. 19.

Tanta eſt infirmitas humana, ut ſemper decertandum ſit, ut tentationibus reſiſtamus.

Sæculo noſtro hæroicos homines vidimus, qui ut concupiſcentiam ſubigerent, in horrentibus deſertis delituerunt, mortificantes corpora ſua vigiliis, & jugibus abſtinentiis, nulli permittentes mulieri, ut ad ipſos accederet; & adhuc cum omnibus hiſce præcautionibus caſtitatem ſuam ægre ſartam tectam ſervabant. Sed diem totam ſedere apud puellam, & propter voluptatem ex illius conſuetudine captam ne ad breve quidem momentum inde recedere, licet decreverit quidquid pati, ac ſuſtinere potiuſquam alicui malo præbeat conſenſum: interim de ſemet non diffidit; & commercium hoc nullam injicit ſollicitudinem, non timentur effectus perículoſæ hujus cupiditatis, & ſub pietatis ſpecie malum celatur. Videtur hic velle perſuadere ſibi, ſe omni prorſus carere ſenſu; neque aliter ratiocinaretur, ſi inter lapidea ſimulacra verſaretur. *Ex eodem libro.*

Joſeph nos ſuo docet exemplo modum nos met defendendi contra impudicitiam.

Patriarcha Joſeph nobis eſt exemplum admirabile caſtitatis, & puritatis corporis; ſi enim contempſiſſet illecebras, ac lenocinia Ægyptiæ ea ætate, quæ hominibus omnem amoris ſenſum aufert: caſtitas illius nequaquam tot, tantaſque laudes mereretur. Non admodum heroicum eſt referre triumphum de hoſte, qui non adverſatur amplius: ſed virum annos viginti natum, quo tempore viribus pollet, ab impudica ſolicitatum muliere, quæ omnes adhibet illecebras, & artes ad eum fallendum, quæ repulſam paſſa confugiebat ad ea omnia, quæ ars illi ſuppeditare poterat ad ſuperandam adoleſcentis renitentiam, & illius corrumpendam virtutem lenociniis egregiæ formæ, commendata omnibus illiciis, quæ ex ornatu, cultuque poſſunt accedere; hoc ſane argumentum eſt virtutis minime vulgaris. Nullus dubito, quo minus ſibi timeret Joſeph in tentatione adeo delicata; ſed calamitas ſolicitantis magis eum movit, quam periculum, cui erat obnoxius, ut facile conſtat ex verbis quæ protulit, pleniſſimis verecundiæ, ac urbanitatis. Jus erat illi ſuperbe reſpondendi; cæcus amor, quo illa hunc deperibat, duritiem hanc excuſaviſſet. Sed nihil cogitavit amplius quam quomodo illam revocaret a malo, in quod ſeſe præcipitem erat datura. *Ecce*, inquit, *Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo ſua, nec quidquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi præter te, quæ uxor ejus es, quomodo ego poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Ita Sanctus hic Patriarcha ſeſe tutatus eſt in tentatione adeo periculoſa, objiciens heræ ſuæ & dedecus, quod ipſi, ejuſque viro ceſſurum erat; & peccatum quod ille in Deum ſuum perpetraret. *Ex Opuſculis S. Chryſoſt.*

Non una ratio eſt caſtitatis jacturam faciendi.

Non ſemper caſtitatis, & puritatis jactura fit per gravia flagitia. Sunt etiam modi amittendi illam, & magis delicati, & minus ſenſibiles, quam craſſiora hæc ſcelera, quibus pleriſque ſunt obnoxii. Et quin loquamur de enormibus ſceleribus, quæ ſemper in ſe trahunt iram, & ultionem Dei, plurimæ etiam inveniuntur occaſiones, ubi corporis puritas periclitatur. Quæ plerumque nugæ videntur, quod in urbana vita neceſſarium etiam videtur, amicitia, converſatio, neceſſitudo, ſuavis ſocietas, quæ viciſſim habetur: alia id genus ſexcenta, quæ pura ſunt, & omni labe vacua, cum illis bene utimur, noxia fiunt, & pariunt puritatis jacturam, ſtatim ac temere, ac imprudenter adhibentur. *Sermo Quintus oblatus Accademiæ anno 1677.*

Horrere debemus quid, quod cæteris huic virtuti contrarium eſt.

Abſtinete vos ab omni impudicitiæ genere, S. Paulus Apoſtolus inquit, vel minima labes contra caſtitatem, virtutem adeo delicatam, polluit animam, eamque horridam efficit in oculis Dei. Mementote, pergit ille, corpora veſtra eſſe Templa Spiritus Sancti, eaque ne vel leviſſimis ſordibus polluatis. Chriſtianus adhibere debet quamdam reverentiæ, & venerationis ſpeciem corpori ſuo, quod eſt membrum Jeſu Chriſti. An neſcitis, inquit Apoſtolus idem ad Corinthios, quod corpora veſtra membra ſunt Jeſu Chriſti? Ignoratis ne vos eſſe Dei Templum, & Spiritum Dei in vobis inhabitare? Quodnam ſcelus eſt illum inde per ſacrilegam profanationem exturbare? Ne ſequamini Ethnicorum exemplum, qui non alias regulas habent, niſi cupiditates ſuas, quorum ſunt mancipia. *P. Croiſet in Aſceticis Tomo 2.*

Animæ fideles quæ ſervant corporis ſui puritatem, Deo chariores ſunt.

Omnes fideles animæ, quarum fides, & mores puri ſunt, totidem ſunt virgines Jeſu Chriſto devotæ, & illius Sponſæ futuræ; & ſimul omnes non ſunt, niſi una virgo, & Sponſa, non ſecus ac multa membra ſub uno, eodemque capite conjuncta unum dumtaxat corpus efficiunt. Sed inter omnes haſce animas quæ ſedulo tuentur interiorem puritatem chriſtianis omnibus communem, non deſunt quædam, quæ ſervant etiam corporis virginitatem, quæ ex Patrum ſententia illuſtrior eſt portio gregis Dominici. Ad has loquitur Eccleſia in Epiſtola, quam legit in feſtis Virginum diebus. Ad Deum modo peculiari pertinent, uni illi placere debent, cumque diſtractæ non ſint cura placendi viro, vivunt in carne corruptibili, quaſi carnem non haberent; & in corpore vitam ducunt Angelicam. Sed cuinam acceptas referre debent has prærogativas, niſi illi, qui prior illas amavit, iiſque gratiam largitus eſt, qua ſe ſe integras poſſent devovere? *Tourneux, anno Chriſtiano Tomo 10.*

PRO

# PRO COMMUNI SANCTARUM VIDUARUM.

## MONITUM.

*Licet Viduarum ſtatus in ſeipſo perſpectus non ſit æque perfectus ac ſtatus Virginum ; tamen non caret peculiari merito, & Deo jucundiſſimus eſt , eumque ſuadet , probat , & commendat eum lex vetus , tum nova . Immo in veteri lege ſtatus hic alteri illi antecellebat , & colebatur in iis qui aliquam habere poterant partem in Nativitate Meſſiæ , quod tanquam ſummus honor habebatur , ad quem jure poterant aſpirare ; dum ſterilitas Virginum , cujus meritum adhuc latebat , erat in cauſa , ut tanquam inutiles , & quodammodo a Deo reprobatæ haberentur . Longe aliter accidit in lege nova propter rationes , quas afferre hujus loci non eſt : quod tamen non prohibet , quominus S. Paulus viduarum elogium inſtituat , & afferat media , quibus ſemet poſſunt ſanctificare . Hoc infinitis probatur exemplis ſtrenuarum , fideliumque Viduarum , quarum dies feſtos celebrat Eccleſia ; quia iis perſuncta muneribus , ac officiis , quæ hoc in ſtatu Sanctus Paulus præſcribit , fieri nequit , quominus ad editiorem perfectionis gradum aſcendant . Si igitur accidit , ut quis teneatur , ſingillatim contexere elogium aliquarum Viduarum , quarum charitatis opera , virtuteſque aliæ ſatis comperta , ac explorata non ſunt , hic inveniet quidquid dici poteſt in communi de Viduis , dummodo curam gerat , hoc peculiariter ad rem ſuam applicare .*

---

## PRO COMMUNI SANCTARUM, Viduarum.

Deus elegit Viduitatem pro plurimis, his ſuppeditans adminicula , quibus ſeipſos ſanctificent.

Cum plurima Deo ſuppetant ad ſalvandas animas , eaſque ſanctas efficiendas adminicula, pro multis viduitatem elegit ; eiſque viros auferens , inſpiravit deſiderium vivendi in viduali cælibatu ; quod fecit cum Judith , cum Anna Propheti ſſa , cum Sanctis Monica , Paula Romana , Bleſilla , Melania , Marcella , Birgitta , Eliſabeth Regis Hungariæ filia , atque tot aliis , viduitate illis ſuppeditante magna media , & magna Sanctitatis exempla . Quorum afferam nonnulla . 1. Pluries promittit Deus in Scripturis Sanctis ſe peculiarem habiturum curam viduarum , ac ſe illis patrocinaturum . Seipſum conſtituit earum Tutorem , & Oratorem . O quam bene cuſtoditum eſt , quod Deus cuſtodit . 2. Vidua hac in re ſimilis eſt virginibus , quod libera eſt ab hominum imperio , & libere poteſt ſervire Deo , cumque immunis ſit ab omnibus mundi hujus legibus , non tenetur placere alicui peculiariter , neque cogitur alium quærere virum , cui iterum nubat , neque ſibimet auferre libertatem , ut alterius viri pareat voluntati . 3. Omnes exercere poteſt ſine obice chriſtianas virtutes , quæ animam ſanctificent ; quarum duæ potiſſimum ad illas pertinent : altera reſignationis divinæ voluntati , qui ut illam Sanctam viduam efficeret , peculiari providentia diſpoſuit mortem viri ſui ; altera vero caſtitatis adeo commendabilis in illa , quæ connubii voluptates jam experta , cum ſine crimine eaſdem guſtare valeat , ultro illis abrenunciat , in viduitate ſuam caſtitatem ſervatura . *In Anno Chriſtiano P. Suffren Tomo 3.*

Quomodo viduæ vixerunt ut eſſent ſanctæ.

Satis admirari non licet ea , quæ Sanctæ Viduæ fecerunt , ut eſſent perfectæ , & ut in ſtatu ſuo ſeſe ſanctificarent . Has S. Paulus vere viduas appellat . 1. Mortuæ erant mundo , & carnalibus voluptatibus , ut vacare poſſent ſpiritualibus , delentes ex animo memoriam deliciarum præteritarum ; mutantes carnales nuptias in ſpirituales , amorem viri in amorem Jeſu Chriſti veri , & unici ſponſi ſui . 2. Maxime confidebant in Deo , tutore , & protectore viduarum , ſibi perſuadentes ex illa die , qua Deus abſtulit illis virum , & viduæ factæ ſunt , illum in viri ſui locum ſucceſſiſſe , ut ipſas conſolaretur , atque tueretur contra eos , a quibus affligerentur , earumque neceſſitatibus conſuleret . 3. Impenſius vacabant amori Dei ſui ; ut Anna , Judith , S. Paula , aliæque . *Idem .*

Ejuſdem argumenti.

Gradus alii , per quos Viduæ pervenerunt ad Sanctitatem , fuerunt ſibi cavere ab illis imperfectionibus , quas S. Paulus reprehendit in viduis , & oppoſitas acquirere perfectiones . Præcipit quippe , ut 1. Irreprehenſibiles ſint , vitam ducentes ſine labe , quæ vel Deum , vel homines offendat , & quæ Deo , & hominibus placeat . 2. Ne otioſæ ſint , utiliter ſemper occupatæ , ne diabolus locum inveniat , vel opportunam occaſionem illas tentandi , erudientes filios ſuos , ſi quos habent ; familiam ſuam chriſtiano ritu inſtituentes , exercentes opera miſericordiæ & hoſpitalitatis erga alios . 3. Ut ſeſe colligant , ſolitudinem ſervent , converſentur potius cum Deo in angulo domus ſuæ ; quam ſine ulla neceſſitate cum viris in cœtibus , auliſque publicis . 4. Ne ſint multum loquaces , ſed amantes ſilentium , ut melius loquantur ea corde cum Deo . 5. Ne ſint curioſæ , neque alienis ſeſe immiſceant negotiis , nec aliis præbeant occaſiones de ſe murmurandi . 6. Ut ſe abſtineant a deliciis , a mollibus indumentis , dapibus , habitaculis , ornamentis corporis , quæ dum earum viri degerent , toleranda erant , ut placerent viris , ſed in viduitate , ubi Jeſum Chriſtum habent pro ſponſo , hunc minime decent . Talis fuit Sanctæ hujus Matronæ factum , cujus vir præreptus fuerat morte ; cœpit enim conſilium non quærendi virum , qui magnam hanc , & irreparabilem jacturam farciret . *Annus Chriſtianus Patris J. Suffren Tomo 2.*

Viduæ viſitandæ ſunt, & conſolatione afficiendæ. *Ep. Jac. 1.*

Viduæ afflictæ , & derelicti pupilli ſunt ex numero eorum , quos chriſtiana charitas nos jubet inviſere : *Religio munda , & immaculata* , S. Jacobus ait , *eſt viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum* . Hic actus eſt Religionis puræ , & immaculatæ ferre opem conſilio , & opere in eorum neceſſitatibus . Hujuſmodi in occaſione Sanctus Ignatius Martyr ſcribens ad Tharſenſes viduas nominans vocat illas *altaria Dei* ; nam ſicuti ſuper altaria offeruntur Deo ſacrificia ; ſimiliter utilitas , quæ affertur Viduis , illas viſitando , eiſque opem ferendo locum habet ſacrificii coram Deo ; videlicet tale charitatis officium eſt illi accepti ſſimum . *Auctor recens .*

*Mirum non eſt : quod mulieres , quæ non-dum paſſæ ſunt partus conjugii cupiant nubere.*

Mirum eſſe non debet , ſi mulieres , quæ nullum habuere cum viris commercium , quæ partus dolores expertæ non ſunt , & quæ hæc omnia ignorant , nubere cupiant . Militia licet laborioſa , jucunda videtur illis , qui nondum labores , & pericula belli ſuſtinuerunt , illud vero intelligere nequeo , ac me cogitantem fallit , ubi video mulieres , quæ poſtquam tot labores ſuſtinuere , & cognovere quam grave , & oneroſum ſit jugum matrimonii , & quæ millies deteſtatæ ſunt momentum illud , quod ipſas viris ſuis conjunxit , & quæ invidebant innuptarum felicitati , quæ libertatem ſuam minime ſacrificaverant , iterum cupiant poſt obitum prioris viri eandem conſcendere navim . Fert animus rationes ſcrutari , propter quas ad eadem vincula reverti voluerint , quæ adeo aſpera , & injucunda ferentibus videbantur . *Ex Opuſculis Sancti Joannis Chryſoſtomi .*

Ejuſdem argumenti.

Quædam ſunt , quæ ſe trahi ſinunt amore mundi , & gloriæ : credunt , ſibi dedecori eſſe ſtatum viduitatis ; & fallax hæc imaginatio illas iterum immergit in alterius conjugii calamitates . Aliæ ſe patiuntur ferri ſua libidine , ac intemperantia , quam ſpecioſo aliquo prætextu celare contendunt . Non equidem damno ſecundas nuptias , quandoquidem Sanctus Paulus probat illas nam poſtquam dixit : *Mulier alligata eſt legi , quanto tempore vir ejus vivit ; quod ſi dormierit vir ejus , liberata eſt : cui vult nubat , tantum in Domino : Beatior autem erit , ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium , puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam* ; quod ſubdit , ne quis credat hoc humanum dumtaxat eſſe conſilium , & oſtendat ſe divinitus hæc hauſiſſe inſtituta . *Ex Opuſculis S. Joannis Chryſoſtomi .* 1 Cor. 7. 39.

Quid cogitandum de ſecundis nuptiis , & de viduitate.

Viduis negotium faceſſere nolo , neque fas eſt illis vitio vertere quod approbat Deus : verum cum virginitatem laudibus extollimus , non ideo nuptias improbamus , ita cum viduitatem celebramus , nolumus aſſerere alteras nuptias noxias eſſe , ſed mulieres hortamur , ut contentæ eſſe velint nuptiis prioribus . Si expedit non nubere ; quæ nubit , legem minime infringit . Cum ex duobus ſtatibus alter præfertur , non ideo alterum vituperandum , ac turpem eſſe dico . *Idem .*

De diſcrimine inter priores , alteraſque nuptias.

Multum quidem diſcriminis intereſt inter primas alteraſque nuptias : cui ſatis eſt vir primus ſatis oſtendit facto , ſi optime noviſſet , quid ſit conjugium , ſe nunquam de illo fuiſſe cogitaturam : ſed quæ in thalamum ſuum alterum inducit virum , plane teſtatur , ſibi mundum , humanaſque res placere . Prior illa , donec vivit vir ſuus , de aliis hominibus non cogitat ; ſed hoc ipſum de poſteriori affirmari non poteſt , licet nulli turpitudini aſſentiatur ; ſed veniamus ad rem , quin quidquam

contra

contra præteritam vitam ex recenti facto inferamus. *Idem.*

Vidua, cui primæ ſufficerint nuptiæ, fieri [illegible] poteſt ſimilis Virginibus.

Virginitas eſt nuptiis præſtantior; pariterque præſtat ſemel tantum nubere, quam bis. Viduæ re adhuc integra inferiorem præ Virginibus ſtatum ſibi elegerunt; ſed deinde iiſdem fere evadunt æquales. Ad honorem hunc anhelare nequeunt nuptiæ ſecundæ. Mulier, quæ haud ægre viduitatem amplectitur, ſatis oſtendit, ſe nihil admodum laboraſſe, vivente viro ſuo, ut deliciis operam daret; ſed illa, quæ viduitatem tanquam ſtatum incommodum reſpicit, ſatis probat, ipſam facili negotio pluribus viris ſeſe tradituram, ſi liceret; & ad extremam uſque ſenectutem, hoc vitæ genus eſſe perducturam. Quemadmodum quæ primo tantum conjugio contenta eſt, oſtendit ſe honeſtatem, & continentiam diligere; ita quæ pluries nubit, ſi minus impudicitiæ notam incurrit, ſaltem præbet magnæ imbecillitatis indicium, vel præfert ſpiritum abjectum, ac terræ inhærentem. *Ex Opuſculis S. Joann. Chryſoſtomi.*

Vir deſerere debet parentes ſuos, ut unice adhæreat uxori.

De viduis intelligendum eſt Oraculum illud, quod protulit Dominus: *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Adhæſit illa viro ſuo, tanquam ſi eſſet hic pars ſui ipſius, neque receſſit a capite quod illi datum fuit. Mulieres, quæ nubunt iterum, non ita viris adhærent ſuis; alios poſt alios extrudunt; ſatis palam oſtendunt, memoriam eorum ſibi charam non eſſe: neque poſſunt pro ſecundo conjuge amorem ſatis purum habere, quoniam ſemper retinent aliquot amoris reliquias pro priori, ita ut pro neutro eum amorem, ac reverentiam habeant, quam debent. *Idem.*

Quid ſecundus vir cogitet de uxore, quã voluptatibus, & lætitiæ deditam videt?

Scire vellem quid vir ſecundus, qui in priori thalamum ſuccedit cogitet de uxore, quam videt ſeſe lætitiæ, & voluptatibus dedere? Nullus dubito quominus factum hoc illum commoveat, & ipſius benevolentiam imminuat. Quantumvis durus ſit homo, exuere non poteſt omnes ſenſus humanitatis, neque animo æquo pati mulierem, quomodocunque ornatam, & licet omnia in domo ejus renideant, cum teſtatur ſe viri prioris omnino oblitam fuiſſe, mœrore non prohibetur quominus puriores guſtet voluptates. *Idem.*

Licet ſecundarum nuptiarum ſpecies præclara videatur, amaritudinem, quibus conſociatæ ſunt, mox plurimos pariunt dolores.

Cum paries fumum, ardoremque ebibit, oleum & operam perdit, qui eundem dealbare contendit, & ſuperinducta albedo brevi fuliginem induit, & injucundum ſpectaculum præbet; ita licet ſpecies alterius conjugii primum quidem præclara videatur, tamen quædam moleſtiæ præteriti temporis cogitationes virus inſpergunt voluptatibus quæ percipiuntur. Domeſtici, accolæ, conſanguinei prioris viri gemunt ea, quæ ſunt intueri; & ſi qui ſuperſunt thalami prioris filii; horum omnes miſerentur, ſi parvuli ſunt; & contra eorum matrem indignantur, ſin autem adulti, vitrico ſuo, quantum poterunt officient, & incommodabunt. *Idem.*

Quæ iterũ nubere volunt nõ debent profiteri viduitatem.

Si iterum nubere vultis, cur viduitatis ſtatum profitemini? præſtat non polliceri, quam fidem datam infringere. Jeſus Chriſtus vobis matrimonii uſum permiſit; quin legem in oppoſitum irrogaret: quod vobis dico tanquam id quod permittitur, & non præcipitur vobis ad prohibenda omnia incontinentiæ mala. Ita enim Jeſus Chriſtus humanæ fragilitatis miſertus hoc permiſit ad evitanda mala graviora, potius quam hoc naturalis neceſſitas cogat. *Idem.*

Si vidua quæ profeſſa eſt viduitatem, promiſſum violat, habetur tamquam adultera.

Virgo, quæ poſt elicitum virginitatis votum ſibi vim patitur inferri adulterio gravius crimen committit; ita vidua ubi viduitatem profeſſa eſt, niſi præter fidem & in ſcelus ruit, punienda eſt tanquam adultera, immo etiam majori cum ſeveritate, quia cedit tentationi, licet criminis ſui magnitudinem intelligit. Igitur ad hæc mala avertenda præcipit Sanctus Paulus viduis, ut iterum nubant, filios pariant, rei familiaris curam gerant, ne Religionis noſtræ inimicis locum præbeant aliquid nobis exprobrandi. *Ex Opuſculis Sancti Chryſoſtomi.*

S. Paulus viduis permittit ut iterum nubant ad ſcandala vitandum, quod aliter poſſent prava vivẽdi ratione.

A veritatis ſpecie non abhorret, plures tunc temporis viduas, poſt viri ſui obitum vitam parum pudicam duxiſſe; abuſas eſſe ſtatus ſui licentia, & per impudentiam peſſime audiſſe. Ut illas ab hac licentia removeret Apoſtolus, operæ pretium eſſe cenſebat illas iterum viri jugo ſubjicere. Nam, ajebat ille, ſi viduitatem prætexunt; prætexunt, ut libidini obſequantur, & ſeſe omni dedecore commaculent; præſtat illas nubere, ut rumores mali, & ſcandala ceſſent. S. Paulus aliis etiam de cauſis exprobrat illas: nam quin vacent orationi, *otioſæ diſcunt circuire domos; non ſolum otioſæ, ſed & verboſæ, & curioſæ, loquentes, quæ non oportet.* Viduæ, quæ hac ratione vivunt, nullatenus placent S. Paulo, vult enim illas aſceticis tantum rebus occupari. Vidua autem, *quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt.* Virginis virtus non in eo tantum ſita eſt, ut caſtitatem ſartam tectam tueatur, opus eſt, ut omne tempus ſuum in Dei laudes, cultumque transmittat. *Porro hoc ad utilitatem veſtram dico, non ut laqueum vobis injiciam, ſed ad id, quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento dominum obſecrandi.* Non vult illam eſſe diviſam, ſed unice Deo intentam, & nihil illi negotium faceſſere, niſi quod ad Dei cultum pertinet. *Idem.*

Ejuſdem argumenti.

Apoſtolus de Viduis eodem ferme pacto loquitur, quo de Virginibus: *quæ autem vere vidua eſt, ac deſolata, ſperet in Domino, & inſtet obſecrationibus, & orationibus nocte, ac die.* Iis vero, quæ omne tempus ſuum terunt in nugis, rebuſque inutilibus, & noxiis, rurſus nubere præſtat. Deus diem Sabbati Judæis conceſſerat, non quidem ſolum, ut quieſcerent, ſed ut ab illicitis operibus abſtinerent. Ita virgines, & viduæ ſtatum hunc non ideo ſolum amplectuntur, ut hominum fugiant commercia, ſed ut ſemet omnino Dei cultui devoveant. *Idem.*

Rationes, quas prætexunt Viduæ iterum nubere cupientes.

Incommodum eſt mulieribus, quibus nulla eſt terrenarum rerum experientia, ea obire negotia, quæ ad viros tantummodo pertinent, & quibus obeundis illæ pares non ſunt. Se ſe inutili labore torquebunt, & ſuas evertent opes. Quæ non nubunt iterum, dolent intuitæ bona ſua imminui; non multæ viſæ ſunt viduæ, quæ apte negotia ſua procuraverint. En cauſæ, & fucati prætextus, quibus utuntur ad ſuam tegendam infirmitatem: nam mulieres melius callent, quam viri œconomiam familiarem adminiſtrare; filiis optime educandis magis ſunt pares; nec defuere, quæ redditus ſuos ampliaverint, & aliæ quæ ne minimum quidem eorum fieri detrimentum paſſæ ſunt. Deus ab initio non omnia viris contulit. Domeſticarum rerum œconomia ad mulieres æque ac ad mares pertinet; ne ſi illæ omnino inutiles eſſent, contemnerentur. *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Quamvis mas primum, & mox facta fuerit mulier, non ideo nimium ſibi arroget; feminarum quippe curæ neceſſariæ ſunt ad bene regendam domum, rectumque ordinem in illa conſtituendum. Vita præſens in publicis, privatiſque negotiis verſatur. Ea quæ ad rem publicam pertinent, viris mandata ſunt; feminarum miniſterium intra privatos parietes continetur. Si hic ordo ſubvertitur, omnia corruent; oportet enim ſingulos ea, quæ ipſos decent, curare. Feminæ in familiæ regimine tantum præcellunt maribus, quantum ſcitus artifex in arte ſua præſtat illis, qui in eadem penitus rudes ſunt; cur ergo perperam adeo miniſterium hoc reformident? *Idem.* Geneſ. 2. 18.

Ejuſdem argumenti.

Viduæ igitur timendum non eſt, quod viri ſui abſentia domeſticis negotiis officiat, nam illo ſuperſtite jam illa procurabat. Nemo audet mulieri dolorem inferre; omnes enim timent virum illius, qui illam, ut ita dicam, protegit ab omnibus aliorum hominum pravis contentionibus: ſed licet S. Paulus permittat, ut iterum nubant; non admodum tamen laudandæ ſunt, quæ id agunt. Si minus ideo propter hoc factum puniuntur, ſaltem ſe laudatum iri non ſperent; hoc ſane argumentum eſt infirmitatis earum, & propenſionis, qua in voluptatem feruntur. Præterea non deeſt viduis excellens ratio omnibus rebus ſuis optime conſulendi, & bona ſua ſarta tecta procurandi, quin aliquis adverſetur; immo e contra ſimul mortalium omnium laudes, & præmia conſequentur, quæ Deus pollicitus eſt; videlicet ſi in bonorum ſuorum partem vocaverint pauperes, illa non ſolum non imminuentur, ſed palam augebuntur. *Idem.*

Pericula quæ imminent mulieri alterius viri jugum ſubeunti.

Si vidua de viribus diffidit ſuis, & non credit ſe carere poſſe viro, qui negotia procuret, ne adeo facile ſibi perſuadeat, illum, cui nubet, habiturum eſſe ea ſtudia, quæ cupit ad reditus ſuos augendos; vel ſi habuerit; timendum eſt, ne illis probitas deſit, & aliquid contra divinas, humanaſque leges peragat: Si ille dives fuerit, & potens; ſæpius plurima illi moleſta, ac injucunda voranda erunt: mala commentitia, quæ ſibi viduæ timebat, vera fient; & quin fortunam ſuam in tuto collocaverit; illam brevi labefactatam videbit. Si enim vidua aliquam patitur jacturam, tamen aliquid illi ſupereſt; ſed quæ iterum ſummo alicui nubunt domino, cui Reipublicæ adminiſtratio demandata; ſæpe amittunt die una quidquid poſſident, cum viro aliqua incidit calamitas, propterea quod ſit conſors calamitatis ejuſdem. *Idem.*

Feminæ, quæ iterum nubunt amittunt libertatem ſuam, & de bonis ſuis nequeunt diſponere.

Sed licet hæc omnia mala nequaquam evenirent, numquid æquo animo libertatem ſuam ſacrificabunt, & ſervitutem ſibi comparabunt? Quid opes proſunt, cum de illis diſponere non licet? Nonne præſtat bono mediocri frui, de quo nobis facere licet quodlibet; quam omnes Mundi hujus poſſidere divitias, & ab alienis arbitriis pendere? Prætermitto curas domeſticas, lites, probra, ſuſpiciones, zelotypias, dolores partus, aliaque id genus ſexcenta, quæ a conjugiis ſeparari vix poſſunt. Hæc omnia verbis repræſentari poſſunt Virgini, quam nil tale rerum magiſtra docuit experientia; ſed rationes hæ tædium afferunt viduæ; quæ hac in re plura didicit ita, quæ poſſit doceri. *Ex Opuſculis S. Joann. Chryſoſtomi.*

Adoleſcentior vidua, quæ virtutem habet in viduitate permanendi majorem habet gloriã, ac majus meritũ, quam ſi diutius vixiſſet cum viro ſuo.

Verum ſi hæc vidua fuerit adoleſcentior, nec diu nupta manſerit? Quidquid hactenus dixi ad illas tantum pertinet, quæ ætate ſunt paullo provectiori; de aliis ne cogitavi quidem. Si has tenet deſiderium iterum nubendi, non habeo quid dicam; neque mihi ſatis eſt eloquentiæ, ut illis oppoſitum ſuadeam; quoniam tempus, & ætas illas cohibere non poſſunt. Rationes, quas attuli, ad viduas juniores pertinent. At enim, inquis, quid eſſet mali, ſi poſtquam ad annum viduitatem ſervaverit, iterum nupſerit? Sed ſi in ætate adeo tenera virtutem habuerit cælibem permanendi, majorem aſſequetur gloriam, ac meritum majus, quam ſi cum viro ſuo annos triginta vixiſſet. Hæc eſt S. Pauli ſententia: *Beatior erit ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium.* Si diu nupta vixerit,

faltem

ſaltem unum tantummodo virum habuit, quod magis venit dignum eſt, quam ſi duos brevi temporis intervallo habuiſſet. *Idem.*

Remunerationes viduarum in Cælo aptabuntur earum ætati, ac meritis.

Tenendum eſt non omnium viduarum remunerationes pares eſſe futuras. Quæ jugum ſuſtinent ab adoleſcentia, gloriam majorem conſequentur, quam illæ quæ in ætate provectiori viris ſuis deſtituuntur. Adoleſcentiori viduæ plura ſuſtinenda ſunt prælia, hæc propter amorem Dei omnia difficultatum genera ſuffert: quæ vero provectiores ſunt ætate, nequaquam tantos conatus exerere debent, quia non tantis periculis obſidentur; ita illæ, quibus ſatis fortitudinis eſt, ut in florenti ætate viduitatem profiteantur, magis laudabiles ſunt præ illis, quas ſenectus attrivit, & quibus non multum laboris ſuſtinendum eſt, ut tueantur caſtitatem. Ita & præmia longe erunt alia, & difficultatibus congrua. Ponderandum eſt pretium, quod expectatur. Hæc ratio eſt efficiendi, ut facilis videatur virtus, quæ alioquin habetur difficilis, ubi ſola ſpectatur, quin ratio habeatur gloriæ, quam nobis procurat. *Idem.*

Ejuſdem argumenti.

Nihil diſcriminis intereſt viduas inter & virgines. Hæ ſæpe minus habent meriti, quia ſe ſe negotiis ſæcularibus immiſcent; ſed quæ *vere vidua eſt, & deſolata ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus, & orationibus nocte, & die.* Abrenuntiet ſæculi impedimentis, & ſit aptior ad pugnam, & ad recipienda præmia, quæ illi Deus pollicetur. Nequaquam credidi rationes omnes, quas huc uſque attuli, eſſe neceſſarias, mens non eſt eas improbandi, quæ operæ pretium ſe facturas putent, ſi iterum nupſerint; hortor illas ne terræ huic inhæreant, & vincula ſua confringant; ut perfecta libertate fruentes non niſi cæleſtia ſapiant, & cupiant, & Jeſu Chriſto adhærentes nihil viro ſuo indignum admittant. *Idem.*

Quænam eſſe debeat viduæ modeſtia inter ſuperioribus actionibus.

Omni niſu contendite, ne quid immodeſtum, ac leve in obtutu, inceſſu, geſtuque veſtro innoteſcat. Oris faciem habete ſeriam, ſuavem, & affabilem, verecundum corporis habitum, ſtatumque honeſtum, qui ſapientem ſpiritum, ac bene natum redoleat. Contendite hujuſmodi videri ubicunque, & cum quibuſcunque eſtis, præſertim vero coram ſuperioribus propter eam, quam illis debetis reverentiam. Reſulgeat ſemper in vobis ædificatio, & bonum exemplum, etiam cum ſolæ ſitis, ſemper enim eſtis coram Deo. Mulier ſapiens, & bene inſtituta, ubicunque modeſtiam præſeferre debet; non enim eſt modeſtia, ut hominibus placeat, quæ mera vanitas eſſet, ſed ut placeat Deo illam intuenti: *Modeſtia veſtra*, inquit Apoſtolus, *nota ſit hominibus, Deus enim prope eſt. Gobinet in inſtitutione ad Ieſcentia.*

Conjuge defuncto uxor vidua permanere poteſt, vel iterum nubere ad arbitrium.

Conſtat poſt primi conjugii diſſolutionem licere ad alterum, & ab altero ad tertium conjugium procedere. Gentium Apoſtolus, qui nihil ignoravit eorum, quæ fieri poſſunt in Eccleſia, palam docet, mulierem, quæ jacturam fecit viri ſui, poſſe in ſuo viduitatis ſtatu permanere, vel iterum nubere. Verum quidem eſt, ipſum addere; illam melius ſibi conſulturam, ſi ſic permanſerit, quin ſe recenti immiſceat connubio; tamen ſatis perſpicue docet, ſe id non vetare, ſed dumtaxat quaſi monitum ad perfectionem acquirendam præbere. *Auctor Sancta Familia.*

Exemplum Abraham, qui plures duxit uxores.

Et ſi Sanctorum Virorum exempla regulæ ſunt, quas citra errorem ſequi licet, Abrsham illos tuetur, qui non ſemel uxorem ducunt. Sacra Scriptura, quæ mentiri non poteſt, teſtatur, cum Deus diſpoſuiſſet de Sara, quæ prima fuit uxor magni hujus Parentis tot Nationum, in ſecundis nuptiis duxiſſe Ceturam, cum qua plures vixit annos. Fortaſſe, S. Auguſtinus ait, permiſit Deus ſecundas his nuptias viro tanti meriti, ut os obſtrueret omnibus Hæreticis, qui nuptias alteras damnare vellent; & ut mortales omnes doceret, conjugium alterum non minus, quam primum omni culpa vacare. *Idem.*

Utrum præſtet viduitatem ſervare, an alterum conjugium inire.

Sed licet ad alteras tranſire nuptias nulli ſit nefas, & licet ſtrenuis hiſce viduis, quæ ſexus ſui gloriam ſuſtinuerunt, ſummi deberi fuerint honores, ſemper dubitandi locus eſt, utrum utilius ſit in viduitate perſeverare poſt primum conjugium, an ad alterum gradum facere. Videntur illi, quibus primum non ſatis benevertit, imprudenter agere, ſi alteri ſe immiſceant; ſi enim alterum priori nihilo melius proceſſurum eſt, gravior illos manet pœnitentia, quod cum malum jam cognitum, atque exploratum evitare potuerint, ſe ſe eidem ultro rurſus objecerint. Horum conditio non differt admodum ab illa honeſti viri, qui cum mari iter eſſet ingreſſus, & ægerrime ex naufragio evaſiſſet, iterum navim conſcenderet, & iiſdem ac ante ſe ſe periculis objiceret: qui ſe recenti procella videt jactatum, damnat quidem, ſed ſero nimis ſuam temeritatem. *Idem.*

Qui iterum ducit uxorem caret gratiis quas Eccleſia concedit aliis, qui unicam duxerunt uxorem.

Sive ad alteras tranſire nuptias expediat, ſive ſecus, certum eſt his ſemper aliquid ineſſe dedecoris, quod pudore ſuffundit faciem eorum, qui eaſdem ſequuntur. Eccleſia ipſa, quæ illas permittit, gratias quaſdam largitur non ſequentibus eas, quas bigamis negat. Hac de cauſa ad ſacerdotii ſanctitatem non admittit eum, qui duas duxit uxores. Non quod hos judicet nocentiores, ſed quod hac in re aliquid indecorum eſſe videatur, quod hujus characteris dignitatem dedeceat. *Idem.*

Scriptura præcipit, ut viduæ in honore habeantur.

Si turpe eſt viro prioribus nuptiis contentum non eſſe, hoc turpius eſt mulieri; & ſancta Scriptura, quæ de maribus in ſua viduitate permanentibus minime loquitur, præcipit, ut viduæ mulieres in honore habeantur, cum modeſte vivunt, & ut ſuam decet conditionem; quia hic ſtatus eſt unus ex ſanctioribus, qui ſint in Eccleſia. *Auctor Sancta familia.*

Gloria, quâ acquirunt viduæ in ſua viduitate permanentes.

Prima, quæ viduis debetur gloria, illa eſt conſtantiæ primi amoris, quem inviolatum ſervare cupiunt, quin quemlibet in illius partem admittant. Teſtari volunt mentem, quæ illas a viris ſuis ſeparare valuit, ſatis fortem non eſſe, ut ſuam fidem frangere valeat. Gloria ſecunda, quam adipiſcitur Mulier permanens in ſua viduitate, hæc eſt, quod per conſtantiæ ſuæ firmitatem oſtendit, ſe non eſſe voluptatibus obnoxiam, ſe eſſe dominam corporis ſui, & ſuperiorem omnibus ſexus ſui infirmitatibus. Quilibet eam laudibus cumulat, vel proponit veluti exemplar; & omnia opera illius bona probantur, & celebrantur. Viri ſui conſanguinei non ultra illam tanquam alienam reſpiciunt; eodem amore proſequuntur, quo virum ejus; eamque conſiderant potius tam virtute, quam affinitatis jure acquiſitam. De hac tanquam de muliere forti loquuntur, quæ majorem gloriæ familiæ ſuæ partem conſtituit. Romani illam corona redimitam, tanquam victricem, triumphantemque deducebant. *Idem.*

Mulier, quæ iterum nubit locum præbet ſuſpicandi non fuiſſe caſtam in primis nuptiis.

Hæ laudes veræ viduæ deferuntur; ſed non iidem ſenſus foventur de illa, quæ facile ad alterum thalamum migrat. Hæc neſcio quam relinquit ſuſpicionem non ſatis accuratæ caſtitatis in primo, quod eo probabilius eſt, quod mulieres ipſæ teſtantur. Uxor bona alterius viri deſiderio teneri non poteſt; de ſecundis nuptiis non loquitur, niſi tanquam ſolatio, quod miſeris negari non poteſt, quæ hoc indigent remedio, licet turpi, ne in majorem confuſionem decidant, cum quibus agendum eſt tanquam cum iis qui procella jactati, ex naufragio nequeunt emergere, niſi illis conjiciatur tabula, cujus ope ſalventur. *Idem.*

Extrema ejus gloria, quæ ſemel nuptias implicare iterum poſt priorem thalamum detrectat, eſt charitas erga filios, quos præfert illi voluptati, quam ab altero connubio ſperare poſſet. Non deeſſe videtur quædam durities in patre, vel matre, ex priori thalamo cum ſuſceperint filios, alios quærunt ex altero. Non ne hoc eſt aditum aperire zelotypiæ, & diſcordiam ſerere in familia? *Idem.*

Filii thalami prioris ut plurimi alterius thalami filios ægre ferunt.

Magna opus eſt dexteritate ad hoc, ut prioris connubii filii, qui natu majores ſunt, ac ſe parvulos domus ſuæ dominos putant, æquo animo ſuſtineant eos, qui ex ſecundis nuptiis oriuntur, quos habent tanquam alienos, qui nuperrime in jura ipſorum ingrediuntur, ut ipſos de bonorum poſſeſſione deturbent. Filiis bene natis moleſtum eſt, quod qui recens acceſſere, ſibi patris, matriſve ſuæ amorem præripiant, quo nihil eſt ipſis antiquius. *Auctor Sancta Familia Tomo 3.*

Zelotypia inter utriuſque thalami filios ſæpe multa mala parit.

Quod ſi acciderit, nec deſunt exempla, hos prioris thalami filios, præter infortunium habendi vitricum, aut novercam, cujus ipſas etiam illecebras reformidant, intelligere, patrem, vel matrem ſuperſtitem affectum erga ſe mutaſſe, & ab illo non niſi novæ conjugis filios amari, quis prohibere poſſit, ne illi in deſperationem adducantur? *Idem.*

Magnus eſt filiorum dolor incidere in manus vitrici aut novercæ.

Nihilominus omnes fateri tenentur, maximo dolore confici filios, qui incidunt in manus vitrici, vel novercæ. Liquet quam odioſum ſit Novercæ nomen: verum eſt, ſi intelligatur, quomodo intelligendum eſt, & juxta primam nominis inſtitutionem nihil niſi amabile, ſignificari: innuit enim mulier in cor, & nomen bonæ matris ſuccedentem. Sed tot mulieres nomine hoc appellatæ fuerunt nihil habentes eorum, quod nomen ſignificat, ut hoc nomen vulgo pro injuria habeatur. *Idem.*

Ratio habenda Viduarum.

Depoſita quæcunque, viduarum autem potiſſimum, ſalva eſſe debent, aſſervanda ſunt diligentiſſime, ne pereant. Fidelitas, & bona fides in civili ſocietate omnino ſunt neceſſariæ, præſertim vero cum agitur de bonis viduarum, & orphanorum. Machabæorum hiſtoria præclarum nobis exhibet rei hujus exemplum. Quidquid depoſiti loco in Templo poſitum erat, propter viduas conſervatum fuit. Perfidus Simon Antiocho Regi aperuerat, ingentem auri, argentique vim in Templo aſſervari. Avarus Princeps mittit Heliodorum Jeroſolymam; venit in Templum; Summo Sacerdoti ſignificat Regis imperium, ſuique itineris cauſam. Summus illi Sacerdos reſpondet, pecuniam illam attingi non poſſe, quia ad viduas pertinebat, & deſtinata erat in orphanorum alimoniam. Adjecit Hircanum quemdam ſanctitate inſignem quamdam pecuniæ ſummam in Templo depoſuiſſe; illamque oſtendit Heliodoro, quæ ducenta erant auri talenta, argenti vero quadraginta. Hæc auferre conatus eſt Heliodorus, ut ea in Regis theſauros inferret. Sacerdotes omnes Sacerdotalibus induti veſtibus, in genua coram Altari procubuerant, & lacrymarum torrentem effundentes Deum vivum obteſtabantur, ut illos ex imminenti periculo liberaret. Summi vero Sacerdotis mutata facies dolorem, ac timorem ſuum oſtendebat; omneſque manus in Cælum attollebant Deum precaturi, ut ſuam legem defenderet. Interim Eques procero corporis habitu cœtui univerſo

Digitized by Google

verſo conſpiciendum ſe præbuit, cum duobus juvenibus ſimilibus ſui, qui omnium oculos in ſe convertentes irruerunt in ſacrilegum Heliodorum, percuſſerunt illum, & ſemianimem reliquerunt, ita ut nulla ei ſalutis ſpes affulgeret. Sed improbi hominis amici, illius calamitatis miſerti ſummum Sacerdotem exorarunt, ut ejus vitæ parceret. Quod cum obtinuiſſent, ac Heliodorus in ſe reverſus crimen illud confeſſus fuiſſet, cujus tamen non niſi fuerat inſtrumentum, gratias egit Summo Sacerdoti, & hoc oſtendit exemplo qua fidelitate, & cura ſervanda ſint depoſita viduarum. *Ex Officiis S. Ambroſii.*

*Thabita a S. Petro ad vitam revocata propter bona opera ſua.*

In actis Apoſtolorum cap. 9. legimus cum Sancta Mulier, Apoſtolorum diſcipula obiiſſet bonis operibus plena, ut loquitur textus ſacer; excitatum fuiſſe S. Petrum, qui miſertus lacrymarum egenorum, mortem ejuſdem plorantium, & prædicantium eleemoſynas, quas illa dum viveret large effuſeque donabat, atque oſtendentium veſtes, quas illis largiebatur, a Deo peteret, ut illi vitam reſtitueret, ad hoc ut in bonorum operum exercitatione perſeveraret, Apoſtolorum Principem preces effudiſſe, ac voti fuiſſe damnatum magna cum admiratione eorum, qui aderant, ac totius regionis. *Auctor recens.*

*De Viduarum Caſtitate.*

Viduæ ſæculi longe diſcrepant ab Evangelicis, quæ vitam ſuam traducebant in Templo in jejuniis, & orationibus. Potius illis ſunt ſimiles, quas improbat S. Paulus, & quæ in deliciis vivebant. Profecto videntur pluſimæ, quæ in amatoriis nugis verſantur, tanquam in ſuæ vanitatis elemento. Si putant, eo quod tot ſe ſe inſtruunt ornamentis ex auro, & ſerico, fuco, & unguentis, ſequi exemplum Judith, quæ hoc ipſum facere in Scripturis deſcribitur: vehementer errant, vel potius ſe ipſas fallere quærunt. Hoc enim in forti illa viragine fuit ſuæ virtutis effectus, & in his ultronea eſt ars mollitiei ipſarum; illa hoc triduo, ad ſummum quatriduo fecit, hæ in hac perſeverant; illa vim fecit ſolitudini viduitatis ſuæ, ut hoc ſtratagemate patriæ ſuæ inimicum ſuperaret; aliæ hanc ſibi vim faciunt, ut vires augeant inimicis pudoris ſui. Itaque tantum abeſt, ut in earum viduarum numero ſint, quas haberi in honore jubet Paulus, ut ſæpe mereantur contemptum eorum, qui teſtes ſunt earum impudentiæ. *Ex ſpecimine Orationum Abbatis de Aubignac, in Sermone de Incarnatione Filii Dei.*

*Conſolatur ad Viduam propter obitum viri ſui.*

Teſtantur omnes Infortunium, quod tibi contigit permittente Deo te ex ea parte vulnerare, in qua plurimus eſt ſenſus. Hoc illi ipſi, qui maxima pollent virtute fatentur; Verum cum non proſit dolorum ſuorum pondere ſuperari; neque dies jugibus lacrymis terere; nihil prætermittendum eſt, ut ad cicatricem revocentur vulnera, quæ neglecta ſiunt inſanabilia, & quæ ploratibus, tædiiſque magis, magiſque exaſperantur. Tibi igitur ſuadeo, ne ægre, & iniquo animo feras, quæ tibi ſolatium afferre quærunt, & ad tempus lacrymarum tuarum impetum cohibere. Hoc auſus non ſum aggredi, cum dolor tuus adhuc vigebat nimis acer, ac vehemens: præſtolatus ſum donec ille iis imminueretur lacrymis, quas effudiſti; ſed cum incipias oculos abſtergere, & aures præbere iis, quæ dicturi ſumus, adjiciam ſermones meos illis, quos mulieres tibi deſervientes habere jam potuerunt. *Ex Opuſculis S. Joannis Chryſoſtomi.*

*Adoleſcentulæ nondum rerum experientia eductæ graviori dolore afficiuntur ob virorum obitum.*

Mulieres magis obnoxiæ ſunt dolori, cum præſertim juniores ſunt, & mors inopina illis viros aufert, cum nullam habent rerum experientiam, cum repente multijuga curarum turba opprimuntur, poſtquam ſuperiores annos traduxerunt in voluptatibus, & gaudiis, quorum inexhauſti fontes erant opes, atque divitiæ. Mala, quæ incidunt cum omnibus his circumſtantiis illis non ferenda videntur, & niſi eas fulciret gratia, metuendum eſt, ne ratio confuſa deficiat: Hinc certiſſimam elicio concluſionem: tibi Deum palam patrocinari. Temet deſperationi tradidiſti, cum in te irrueret tanta malorum turba; mens tua nihil amiſit ſuæ tranquillitatis; homines hanc tibi malaciam procurare non valuerunt, ſed Deus Pater miſericordiarum, cujus ſapientia infinita eſt, & Auctor eſt omnis conſolationis: *Ipſe cepit, & ſanabit nos; percutiet, & curabit nos.* Donec vir tuus vivebat, particeps eras gloriæ ſuæ, experiebaris effectus curarum, & ſapientis adminiſtrationis illius; ſed poſtquam illum tibi abſtulit Deus, ipſe in illius locum ſucceſſit: *Dominus cuſtodit advenas, pupillum & viduam ſuſcipiet. Idem.*

*Oſee 6. 2.*

*Pſal. 145.*

*Conditiones, quas requirit S. Paulus in muliere, quæ inter viduas admitti poſtulat.*

S. Paulus volebat, ut quæ eligenda erat, ut in viduarum numerum recenſeretur, non eſſet natu minor annis ſexaginta. Ætas ad hunc merendum honorem non ſufficit; addit enim Apoſtolus: *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educavit, ſi hoſpitio recepit, ſi Sanctorum pedes lavit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtravit, ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt.* Hæc ratio eſt illas cognoſcendi, & probandi. Vult illis omnes ineſſe virtutes, ut oſtendat quanti faciat illas, cum enim dixerit: *Adoleſcentiores autem devita*, rationem addit: *cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt.* Quibus verbis S. Paulus ſignificat, mulieres, poſt virorum ſuorum deceſſum, fieri Sponſas Jeſu Chriſti: ſed has nuptias ſuaves eſſe, & in ſe nullam habere amaritudinem; quia ſemper licet illis ad recentem thalamum tranſire. *Idem.*

*Quanti S. Paulus faceret Viduas, & curam, quam de illis gerebat.*

Ex pluribus Epiſtolarum S. Pauli locis liquet, quo in pretio ille viduas haberet, & quam earum curam gereret: *Nam quæ*, ait ille, *in deliciis eſt, vivens mortua eſt; quæ autem vere vidua eſt, & deſolata, ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus nocte, & die*: & in Epiſtola ad Corinthios, *Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium.* Hæ præclaræ ſunt laudes Viduitatis. Hæc axiomata ex nova Lege diſcimus, quæ tantopere extollit ſtatum Virginitatis, ut non deleat prorſus gloriam viduitatis. Hæc quoque, ut illa, ſuum habet pretium. Ne putetis ergo ſtatum hunc, non ſecus ac Virginalem contumeliæ loco habeatis. Avertat Deus, ne adeo fallacia foveatis conſilia. *Idem.*

*Viduæ ſe ſe conſolari debent in obitu conjugũ ſuorum.*

Si obitus viri tui tot tibi mœrores parit, eos æquos eſſe non abnuo; neque enim in mundo univerſo invenies æque probum, humanum, cordatum, bonæ fidei, prudentem, ac integrum. Jure lacrymas effunderes, ſi mors illum ad nihilum redegiſſet; verum ſi eſt in tranquilliori ſtatu, ſi quieſcit in ſinu Domini ſui, major tibi eſſe debet lætitiæ cauſa, quam fletus. Mors hæc non aliud eſt quam mutatio manſionis; hoc eſt relinquere manſionem injucundam, ut aliam commodiorem inveniat, hoc eſt de terra in Cælum migrare; hoc eſt ab hominibus ſeparari, ut verſetur cum Angelis, & beata Dei viſione perfruatur. *Ex Opuſculis S. Chryſoſtomi.*

Si enim ſponſus tuus ex eorum eſſet numero, qui flagitioſam vitam ducunt, non utique ſatis plorare valeres illius vitam, & mortem; ſed quandoquidem Deo famulatus eſt cum zelo, non eſt cur illius deſiderio tenearis; ſed ingredi debes in Sancti Pauli ſenſum, qui ajebat: *cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*, quod ſine comparatione ulla mihi melius videtur. Sed velles adhuc videre conjugem tuum, illius frui conſuetudine, ab illo amari, ut amabaris; participem fieri gloriæ, exiſtimationis, & gratiæ ipſius, cujus hactenus tot tantoſque effectus experta es. Horum bonorum jactura te in triſtitiæ abyſſum conjecit, & in animum tuum denſiſſimas tenebras effudit. In te una ſitum eſt illam adhuc fovere amicitiam, quam cum illo fovebas; abſentia vincula hæc non perfringit; tempus, locorum diſtantia perrumpere nequit nodos, quibus duo corda vinciuntur. Nullus dubito quominus tibi ſit ardens illius iterum videndi deſiderium; ut hoc merearis, eſto illi fidelis, ne in thalami ſui partem voces virum alium, ſequere magna virtutis exempla, quæ tibi reliquit; hæc ratio eſt inveniendi illum, eumque poſſidendi, non ad brevem annorum numerum, ſed in omnem æternitatem. Virtutis ſimilitudo potius quam ſanguinis affinitas adducet te in partem beatæ regionis illius, qua ille modo perfruitur. *Ex Opuſculis S. Joannis Chryſoſtomi.*

*Exemplum S. Stephani. Charitas, qua cum viduis ſe ſe gerebat.*

Ut vos admoneam officiorum veſtrorum, ac rationis, quæ a vobis eſt habenda viduarum, hodie vobis propono Sancti Stephani exemplum. Magnus hic Sanctus propter concreditam ipſi Eccleſiaſtici theſauri curam, hanc provinciam non ſolum adminiſtrabat, verum etiam curam gerebat viduarum, quæ ſeorſim a mundo divino cultui devotæ vivebant. Illius erat eas erudire, conſolari, dirigere, ideoque ſæpe inter illas verſari, videre, & audire debebat. Hic Deus periculum fecit probitatis illius, hic refulſit integritas morum ejuſdem; & publicum teſtimonium illi æque utile fuit, ac neceſſarium. Neque enim exiſtimandum eſt, charitatem, immo neque ſanctitatem primorum fidelium illum ſatis defenſuſam fuiſſe ab aliqua cenſura, ſi quem huic locum præbuiſſet. E contra quo ſanctior erat Chriſtianiſmus, eo paratior eſſe debebat ad ſevere animadvertendum in leviſſimas uſque ſuſpiciones. Sed licet S. Stephani munus ſit converſari cum ſexu adeo fragili, ceterumque ſatis valido ad fortiſſimum quemque ſuperandum, quod unum eſt ex illis officiis, quæ ſemper anſam præbuerunt obtrectationi; per effectum prorſus oppoſitum hoc auget opinionem, atque æſtimationem de illo conceptam. Nominis ejus celebritas adeo ſolide erat inſtituta, ut cenſura quælibet illi parcere teneatur. Stephanus in ipſo ætatis flore, & in miniſterii ſui exercitatione verſatus cum mulieribus, dicam ne ſine ſcandalo? Hoc parum eſt, ſi vultis; dicam ne ſine reprehenſione? Hoc multum eſt: dicam ne ſine ſuſpicione? Hoc amplius eſt, ſed nondum ſatis: nam hoc præſtat cum honore, cum fructu, cum ædificatione, quæ ſeſe ad Eccleſiam univerſam communicat; quod eſt miraculo proximum. Licet S. Hieronymus nullam prætermiſerit cautelam in regimine illuſtrium Matronarum, quas pepererat Deo, quibus coloribus, licet fallacibus, nomini ejus officere mortales conati ſunt? Quibus apologiis opus fuit ut zelum ſuum probaret, licet ſanctum, ac intentiones ſuas licet puriſſimas? Quomodo hac de re ipſe conqueſtus eſt, & quomodo pluribus in locis explicat animum ſuum? *In Panegyricis P. Bourdaloue.*

*Viduarum regimini præfectus fuit S. Stephanus, quia plenus erat gratia Dei.*

S. Stephanus ſanctificatus per unctionem gratiæ, quæ homines perfectos efficit coram Deo, & Mundo, ad litteram appellari poterat *Operarius inconfuſibilis*, quo nomine Apoſtolus illum appellat, qui elata fronte poteſt incedere, quin pudore ullo ſuffundi poſſit. Ideo ſubdit S. Auguſtinus, illi mulierum committitur regimen, &

*2 Tim. c. 2. Auguſt.*

inde

inde accipit teſtimonium ſibi debitum purgatiſſimæ, ſolidiſſimæ atque abſolutiſſimæ virtutis: *Virgo præponitur feminis, & in hoc teſtimonium accepit integerrimæ caſtitatis*. Hæc nominis celebritatem acquirit, non ſolum apud domeſticos fidei, verum etiam apud alienos. Hinc de inimicis triumphat, qui furore acti, poſtquam nihil inauſum reliquerunt, ut illius opprimerent innocentiam, dentibus infrendent in illam; quia criminationes omnes, quæ in ipſum ingeruntur, ſibi invicem adverſantur, & nihil valent contra præclarum illud teſtimonium, quod, illis invitis, ei perhibet veritas. *Idem*.

[illegible]

Quod Vidua ſibi perſuadeat, ſe impune ſibi quodvis licentiæ genus permiſſuram, quin aliquis de ipſa obloquatur, & apud omnes audiat male, ſibi futurum fas quæcunque ſibi placuerint ineundi commercia, quin inde aliqua hauriatur illatio in honoris ſui detrimentum; ſibi jus futurum habendi amicitias, quæ cum periculo conjunctæ ſint, & quin inde aliquis ſcandalum ſumere debeat; & quidquid illa fecerit nemini eſſe credendum, nihilque ſuſpicandum, aut videndum alicui, vel potius unumquemlibet ſe ipſum obcæcare debere ut illam frugi, & caſtam exiſtimet, nonne perſuaſio hæc æque chimerica eſt, ac injuſta? Attamen hæc perſuaſio eſt tot mundanarum mulierum. Bene audire volunt, cupiunt ab omnibus exiſtimari virtute præditæ, quin ſibimet inferant vim, ac ulli ſubjiciant legi. Dicam melius, habere volunt virtutis, vitæ bonæ famam cum omni licentiæ, libidiniſque facultate. Ita videbitis feminas iis implicitas ſocietatibus, quæ ne indulgentiſſima quidem Charitas excuſare poteſt, neque in æquiorem partem interpretari, & nihilo ſecius gloriari, ſe ab omni labe immunes eſſe; velle ſe pro talibus haberi; iraſci, niſi habeantur, & inimicos vocare, qui dubitant, qui de earum operationibus detrahunt, idque innixæ Domini præcepto, quo de quoquam judicium ferre prohibemur. Quo quidem in præcepto amplificando, quoniam earum intereſt, ſunt eloquentes, quin conſiderent, ſi hoc principium tam late pateret, quam arbitrantur, turpiſſima quæque flagitia tranquille in mundo eſſe regnatura; quin liceret damnare rerum ſpecies, quæ nihilominus omne ſcandalum præbent, & ſpecies ita probatæ perniciosiſſimos foverent effectus. *Idem*.

Viduæ ſequi debent Sanctæ Monicæ exemplum erga filios ſuos.

Ad Sanctæ Monicæ exemplum componenda eſt veſtrorum filiorum cura a vobis habenda tanquam primum officium veſtrum, vobis pro illis Deo preces fundentibus, illos eidem offerentibus atque patienti, & æquo animo ferentibus negotium, quod vobis faceſſunt, neque ſpem abjicientibus fore ut ab erroribus ſuis avocentur, & in vias ſalutis revertantur. Reliqua bona opera, quibus vacatis, fieri debent ad hunc finem, exiſtimantes, cetera, quæ exercetis, pauperum viſitationes, ægrotantium curam in noſocomiis, cœtus charitatis, ſpiritualia, & temporalia ſubſidia, quæ calamitoſiſſimis, & maxime derelictis procuratis, omnes inquam actiones has ſæpe eſſe opera ſupererogationis; ſed præcipuum officium veſtrum eſſe, filiorum veſtrorum inſtitutioni vacare: hoc eſt charitatem veſtram, non eſſe ad alios extendendam, niſi poſtquam hoc maximi momenti officio defunctæ fueritis. Hinc Apoſtolus fert judicium de virtute, & ſanctitate viduæ: & hinc ducit initium inquirendi quænam eſſe debeat viduarum vita, & mores: *Si filios educavit*; & ſi minus nitent virtutes, quæ in hoc obeundo munere exercentur; tamen ſunt in mercede recipienda ſolidiores, ſtatui veſtro accommodatiores, & illæ, quas a viduis potiſſimum requirit Deus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

1 ad Timot. 5.

[illegible] Sancta Monica [illegible] Psalm. 115.

Monica poſt obitum Patritii viri ſui, jure Deo dicere poterat illa Prophetæ verba: *Dirupiſti vincula mea*; & nihil prohibere poteſt, ne tota tua ſim, ac ſine diviſione. Et profecto perfectius ſe ſe illi devovit, quamvis illi a teneris uſque unguiculis deſervierit. Sed S. Auguſtinus filius ejus fuit tanquam vinculum, & nodus, qui arctius illam conſtrinxit: videlicet, fuit occaſio, propter quam Deo preſſius hæreret per preces magis aſſiduas, & ferventiores, per jejunia magis auſtera, per uberiores eleemoſynas ut obtineret hujus filii converſionem, qui cum videret ſe majorem libertatem adeptum, & quaſi juris ſui factum, per obitum Patris, qui cum ſe ſe convertiſſet ad Deum, & Chriſtianam Religionem eſſet amplexus, filii vitia redarguere non deſiſſet, ſe ſe omni voluptatum generi mancipavit ita ut nullo habens in diſcrimine genitricis ſuæ ſanctiſſima documenta, de vitio incidit in hæreſim, & de morum licentia in licentiam fidei, donec tandem lapſus eſt in inſaniſſimos Manichæorum errores, qui duo agnoſcebant principia ſibi invicem oppoſita, & duo numina, quorum alterum jubebat bonum, alterum vero malum. *Idem*.

[illegible]

Nulla unquam mulier majorem erga virum ſuum conjunxit amorem cum conſtanti adhæſione omnibus Chriſtianæ Religionis officiis, neque vidua ulla melius omnibus ſtatus ſui officiis perfuncta eſt: eumque jam pridem intus ſe cogi cognoſceret ad mundi fugam, deinceps in id unum incubuit, ut ita domeſtica negotia ſua procuraret, ut illi præſentia ſua non indigerent, & ſequi poſſet vocationem ſuam, niſi primum a conſcientiæ ſuæ directore juberetur, qui & ipſe operam ſuam collocabat, ut in hunc finem omnia diſponerentur. Ejus mens non erat, ut ex epiſtolis ejus liquet, recentem Religionem inſtituere, ſed quoddam vivendi genus, ut iis, quæ illud amplecterentur, liceret poſt emiſſum tyrocinium, egredi ad bona opera facienda, clauſuram non obſervantibus, niſi quatenus eſſet neceſſaria ad ædificationem, Communitati adhærentibus per charitatem, quin ſe ſe eidem irrevocabilibus votis obſtringerent. *Auctor Recens*.

Bona opera Sanctæ hujus Viduæ magnam illi nominis celebritatem comparaverunt. Judith 8.

Cum Providentia nequaquam inſignem Sanctam hanc implicuerit Aulæ negotiis, jure de illa prædicari poteſt, quod inquit Scriptura de quadam ſancta vidua eidem ſimillima: *Erat hæc in omnibus famoſiſſima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum*. Non communis erat illius exiſtimatio; timebat quippe Dominum, & nemo de illa obloquebatur. Verum multo magis commendabilis erat propter virtutes quam propter genus. Poſt obitum viri ſui receſſerat in Aſceterium, ut ibi finem faceret diebus ſuis omnino a creaturis ſeparata, ut Creatori tantum ſuo deſerviret, & plures jam exceſſerant anni, quibus ſolitudinis ſuæ deliciis perfruebatur. Omnes admirati ſunt gratiæ theſauros, quos Spiritus Sanctus in anima hujus humilis Matronæ concluſerat; ſed quo magis interiorem illius partem perſpexit, minus in illa probavit guſtum ſolitudinis. Incepit illa exercere officia illius dignitatis, quæ ipſi demandata fuerat, tanta cum auctoritate, ac fructu, ut Religioſæ, quæ maxime adverſari viſæ fuerant reformationi, illam reſpicientes tanquam mox futuram Abbatiſſam ſuam, ſe ſe illi dociles præbuerint, & ratione duce ſeſe ſocias addiderint illis ex ſororibus ſuis, quibus plus inerat pietatis. Benedictiones, quibus Cælum zelum hujus cumulavit, non fecerunt tamen, ut primum conſilium abjiceret. Directoris ſui abſentia uſa eſt, ut ſcriberet inſtituta, & regulas a Sanctis Virginibus, quæ ſuo regimini ſuberant ſervandas: præparavit Deus ſenſim, & ſine ſenſu vias ad complementum operis, quod nondum perſpici patiebatur ab illis, qui ſecundum Providentiæ ſuæ conſilia præcipua illius futuri erant inſtrumenta. Vix Clauſtrum hoc ingreſſa eſt, cum ad eum, qui percrebuerat, rumorem integerrimæ reformationis ab eadem introducendæ, ex omnibus domibus confluere viſæ fuerint Religioſæ; quarum fervor eo uſque proceſſit, ut pleræque profiterentur, ſibi tantum eſſe virium, & firmitatis, ut regulam, quam Sancta illa Matrona ſibi ſumma cum auſteritate erat perſcriptura, ad apicem uſque ſervarent. *Idem*.

Non defuerunt unquam in Eccleſia mulieres virtute præditæ, & Viduæ Sanctæ.

Ex Actis Apoſtolorum, ac teſtimoniis, quæ Eccleſiaſtica nobis reliquit hiſtoria, diſcimus, nullo unquam tempore in Eccleſia defuiſſe mulieres virtute præditas, ſanctaſque viduas, quæ genere æque ac virtutibus præſtantes ſe ſe penitus addiderunt chriſtianæ charitatis operibus. Per earum miniſterium Providentia opem ferebat gravibus fidelium neceſſitatibus, qui coacti in cavernis perquirere perfugium contra furorem perſequentium, ſine earum ſubſidio inveniſſent finem crudeliorem omnibus illis ſuppliciis, quæ evitare conabantur. Earum largitates mulcebant amaritudines horum exiliorum, quibus nitebantur fatigare conſtantiam illorum, quos perfunctorii cruciatus deterrere non poterant: Nullum erat Cælum adeo remotum, ac inacceſſum, ubi earum charitas æque induſtria, ac prodiga non inveniret exitus, quibus ſe ſe effunderet. Religioſis illarum curis debet Eccleſia pretioſas tot Martyrum exuvias, quorum illæ cruentos, laniatoſque artus tenebrarum ope collegerunt: & hæc oſſa ſacra, quæ modo ſunt propoſita venerationi populorum, niſi earum extitiſſet cura, ſpectaculum eſſent opprobrii apud eos, in quorum mente Crux Jeſu Chriſti tanquam ſtultitia habebatur. *Ex Specimine Panegyricorum, Tomo 1*.

Viduæ filios non habentes in Deo debent confidere.

Si Viduæ filios habentes non carent ſubſidio; illæ tamen, quibus filii non ſunt, ſe deſertas eſſe credere debent, ſed ſpem ſuam in Deo debent conſtituere. Et quoniam liberæ ſunt, cum nullam habeant familiam, quam regant, nihil eas prohibet, quo minus ſe totas devoveant Deo, & reliquum vitæ ſpatium in precibus traducant. Hujus generis viduarum peculiarem curam Diſcipulo ſuo commendat Apoſtolus. En paucis imaginem Sanctæ Viduæ. Talis erat Propheteſſa illa, Anna nuncupata, quæ erat in Templo, cum Jeſus Chriſtus illi præſentatus fuit, de qua Sanctus Lucas teſtatur, quod *non diſcedebat de Templo, jejuniis, & obſecrationibus ſerviens die, ac nocte*. Talis erat Sancta, cujus memoriam hodierna die colit Eccleſia, *Annus Chriſtianus, Tomo 6*. Luc. 2. 37.

Deſcriptio Viduæ Sanctæ, & qualitatum illius.

Sancta Vidua induitur quidem ſecundum conditionis ſuæ qualitatem, ſed ſine luxu, ſine immodeſtia. Induitur fortitudine, & ornatur virtute. Præfert timorem Domini formæ ſuæ; & per pietatem ſe dignam præbet iis laudibus, quibus cumulatur. Sæculi noſtri Mulieres audiant S. Petrum dicentem illis: Nolite ornatum veſtrum in exteriori indumentorum pompa ſtatuere, non in cincinnis, & calamiſtris, neque in aureis veſtium veſtrarum ornamentis: ſed exornate interiorem, & abſconditum hominem; hoc eſt, cor puritate ſpiritus modeſti & verecundi, quod quidem locupletiſſimum eſt, & magnificum Petri 3. 3.

gnificum in oculis Dei ornamentum. Antequam ingrediantur in Templum, quo ſæpe inferunt ſecum omnem immodeſtiam, & vanitatem, legant hæc verba; Volo, mulieres, orare, indutas ut honeſtas requirit, verecundia & caſtitate exornatas, non comptos habentes crines, neque aurea ornamenta, non margaritas, neque veſtes pretioſas; ſed quales decebant mulieres, quæ pietatem profitentur, eamque bonis operibus teſtantur. *Annus Chriſtianus*, *Tomo* 12.

*Sancta Vidua, quæ aliquot habet bona, otioſa eſſe non debet, ſed e contra operari, ut pauperibus levet opem. Geneſ. 3.*

Mulier fortis non comedit otioſa panem ſuum, operatur conſilio manuum ſuarum, ut pauperibus opem ferat. S. Paulus inertes, otioſaſque mulieres condemnat, ſine ullo qualitatis diſcrimine, ne putent, ſe ab opibus ſuis diſpenſari ab ea pœna, quæ homini ſtatim poſt peccatum impoſita fuit verbis illis: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Si minus opulentis Matronis laborandum eſt, ut temporalem hanc vitam alant; ſane illis eſt laborandum, ut vitam conſequantur æternam. Non ſunt Chriſtianæ ut in otio, & mollitia vitam traducant; ſi Satanas minime invenerit illas occupatas, facile cordibus earum potietur. Igitur extra tempus illud, quod in familiæ ſuæ regimine, & in fundendis Deo precibus inſumendum eſt, aliquam inveniant congruam exercitationem. Pro pauperibus, vel pro Eccleſia operentur, quandoquidem illis deeſt, quod ſibi operentur. Vita earum tota in lucro illis eſſe debet: quia opibus diffluunt; ſed non ideo lucratæ ſunt adhuc Cælum, neque lucrabuntur illud nihil agendo. Illis Deo habendæ, agendæque ſunt gratiæ, quod cum ſint extra neceſſitatem pro terra hac laborandi, laborem ſuum referre poſſunt unice ad illum, & imitari Sanctam illam Viduam, de qua ſermo eſt in Actis Apoſtolorum, quæ poſt obitum ſuum, nacta eſt omnes pauperes feminas, quibus illa propriis manibus ſuis veſtes elucubraverat. Illa viduis indumenta texuerat; viduæ autem S. Petrum precibus exorarunt, ut illam revocaret in vitam. Ita locupletes Matronæ pro pauperibus labori vacantes, ſibimetipſis laborant. Non veſcuntur illæ quidem in terra pane, quem labore manuum ſuarum ſibi comparaverint; ſed beatæ erunt, quia veſcentur in Cælo fructu laborum, quos in terra ultro, alacriterque ſuſtinuerint. *Idem*.

*Viri, & bona opera Sanctæ hujus Viduæ exemplo eſſe debent omnibus Viduis.*

Sancta N. plures traduxit annos cum viro ſuo, quin illi moleſtiam ullam afferret, & ne tantillum quidem domus ſuæ tranquillitatem perturbaret. Timor, quo ſibi cavebat, ne Deum læderet, cauſa erat, propter quam ſolitudinem, & orationem amabat, quæ jucundiſſimum illius erat negotium; ſed non ideo tamen illi inhærebat, ut non libenter illam relinqueret ubi rei domeſticæ, & familiæ ſuæ regendæ vacandum eſſet. Potiſſima illius cura fuit filios in Dei timore educare. Cum famulis ea utebatur charitate, & ſuavitate, uti parens. Extendit charitatem ſuam ad ægros, quibus deſerviebat; ad pauperes in quorum ſinum effundebat arculas ſuas, & horrea, quæ a Deo mirabiliter replebantur; ad peccatores, quos correptionibus, precibuſque ſuis excitabat ad pœnitentiam, & ad inimicos, quorum contumelias, perſecutiones, & calumnias perferebat ſine querela, ſine murmure, ſine acrimonia. Se autem contemptui habebat, omnemque in ſemet auſteritatem exercebat. Juge cilicium, cruenta flagella, cubilis ſui duritie, moleſta ægrotantium cura, ſere jugis oratio, nihil ipſi videbantur collata cum iis, quæ perferre moliebatur, niſi Cuſtos Angelus intra chriſtianæ prudentiæ terminos illam cohibuiſſet. *Vita Jeſu P. Nover*.

*Sancta hæc in omnibus actionibus ſuis Sanctam Monicam ęmulabatur.*

Satis admirari non poſſumus, quod S. Auguſtinus ait de Parentis ſuæ ſanctitate, & de admirabili ratione, qua reliquum vitæ ſuæ ſpatium traduxit. Erat illa, inquit, ſerva ſervorum tuorum, Domine, & qui cognoſcebant illam, laudabant te, colebant, & amabant te in illa; quia ſanctitas vitæ ſuæ ſatis oſtendebat, te in illius corde eſſe præſentem. Unum habuerat virum, parentibus ſuis omnia mutuæ pietatis officia præſtiterat; ſumma probitate rexerat familiam ſuam; boniſque operibus ſuis eximiæ virtutis teſtimonia reliquerat; Filios maxima cura educaverat, illos toties parturiens quoties illos a te recedere conſpiciebat. Hoc præclarum eſt exemplum earum rerum, quas in Sanctiſſimis viduis deſiderat Deus, ſimulque magnum probrum eſt illis, quæ vivunt in deliciis, & ſuam æque ac filiorum ſuorum ſalutem negligunt. Heu! quid non egit Sancta N. ut obtineret a Deo filiorum ſuorum converſionem? Vidua hæc caſta, ſobria, & devota quales viduas eſſe vis, Domine, non ceſſavit pro illis lacrymas fundere coram te, ſemet excitans viva ſpe promiſſionum tuarum, ut quin negligentior fieret, nunquam vel requiem permiſerit ſuſpiriis ſuis, nec inducias lacrymis, neque finem votis, precibuſque, donec illam voti damnaviſti. Tunc videns completa deſideria ſua, cum nihil illi deſiderandum ſupereſſet in terra, in Cælum ſummo ferebatur anhelitu; & cum ex illa percontaretur, utrum timeret mori in loco, qui adeo a patria ejus tellure diſtabat; nullibi longe abſumus a Deo, reſpondit, quocunque in loco ſimus: *Nihil longe eſt a Deo, neque timendum eſt, ne ille non agnoſcat in fine ſæculi, unde me reſuſcitet*. Quandonam erimus ita a mundo divulſæ, & ſupremo veſtro bono conjunctæ? *Vita Jeſu, P. Noves*.

*Viduæ Sanctam hanc viduam imitari debet.*

Quam ſpecioſum eſt comparare id quod teſtatum nobis reliquit Evangelium de Sancta Anna vidua cum iis, quæ docet S. Paulus Chriſtianas viduas in Epiſtola ad Timotheum! Videtur in Sancto Paulo præceptum; videtur etiam in Anna præcepti complementum. Deus ad roborandum Apoſtoli ſui documentum permiſit, ut ſe illi Sancta hæc vidua ſubjiceret, & illud animaret exemplo multo ante, quam Apoſtolus adeo ſanctam legem tuliſſet. Inquit Apoſtolus: *Quæ vere vidua eſt, & deſolata ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus, & orationibus nocte, ac die*. Evangelium teſtatur *Annam nunquam diſcedere* conſueviſſe *de templo, jejuniis, & obſecrationibus ſervientem die, ac nocte*. Apoſtolus ait, *vidua, quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt*. Procul aberat, quod Anna viveret in deliciis, quandoquidem aſſidue jejunabat. Mortua erat in oculis hominum, quibus virtutes ſuas abſcondebat; vivebat autem coram Deo, qui non amovebat oculos ſuos ab anima adeo ſancta, & bonorum operum plena. Quam raro inveniuntur hujuſmodi viduæ, de quibus loquitur S. Paulus, quæ vere viduæ, & deſolatæ poſtquam jacturam fecerunt illius, quem illis amare licebat, ſanctum ineunt conſilium unice imposterum inhærendi ſponſo, qui illis auferri non poteſt! Quam raro inveniuntur hæ viduæ, quæ S. Pauli documenta ſecutæ in uno Deo confidunt, & dies, nocteſque in oratione traducunt! Viduitas hodie tanquam optabilis ſtatus habetur, ubi quovis excuſſo jugo nihil aliud faciendum ſit, quam ſibimetipſi indulgendum. Luſorii cœtus, hilares converſationes hodierna die apud has mundanas viduas habentur; domi ſuæ attrahunt luſores, ſodaleſque iis illecebris, quæ non improbantur amplius; Verecundia, quam ſervare debuerunt, efficit, ut magis magiſque libertatis dulcedine perfruantur. Elegantia, feſtivitas, opipara menſa, mollities, nihil prætermittitur earum rerum, quæ mundanos homines allicere poſſunt, & eos omnes, qui voluptate feruntur. Quin gemant eo in ſtatu, qui ex D. Pauli ſententia ſtatus eſt conſolationis; incipiunt vivere, reſpirare, numerare dies ſuos; nunquam voluptatis ſenſus ſit acrior, niſi ea quo ſunt in hoc ſtatu, qui ipſis vitæ ſuæ videtur feliciſſimus. Oculos tandem aperiant hæ viduæ, quas faſcinat voluptas, & ſi fieri poteſt intelligant terribilem Sancti Pauli ſententiam; quæ par eſſe poterit, efficiendo ut reſipiſcant, niſi callum penitus obduxerunt. *Vidua, quæ in deliciis eſt*. S. Paulus non ait, quæ in peccatis eſt, ſed *quæ in deliciis vivens mortua eſt*. Mortua eſt, quia egreditur e ſtatu ſuo, qui ſtatus eſt lacrymarum, & deſolationis, ſtatim ac Mundi gaudiis ſe mancipat. *Annus Evangelicus Lambert*, *Tomo* 1.

*Quanam fuerit commiſeratio Filii Dei erga pauperem viduam mœrentem ob filii ſui mortem.*

Dominus ad viduæ dolentis commovetur intuitum. Hoc ſatis ſuperque erat ad flectendum cor, quo nullum fuit unquam magis ad miſericordiam pronum. Hæc vidua eſt, cui unigenitus in ipſo ætatis flore præmatura morte præripitur. Amittere filium unice dilectum, amittere unigenitum, amittere filium unicum vitæ ſuæ præſidium, & columen, eumque amittere in ſtatu, qui moleſtus eſt, & pluribus amaritudinibus repletus; & eo tempore quo in ejus ætate confiditur, & quo nequaquam creditur morte labefactari poſſe florentem, robuſtamque illius juventutem: hæ omnes ſunt circumſtantiæ, quæ mœrentis, afflictæque matris cor ſauciant, atque tranſverberant. Hanc cum vidiſſet Dominus miſertus eſt; quomodo vero poterat non miſereri, quandoquidem tot in occaſionibus objecta minus permoventia, illum ad miſerationem flexerunt? Itaque non expectat Jeſus Chriſtus ſe ab hac vidua exorari; Status illius ſatis, ſuperque loquitur pro illa; ejus ſilentium plus innuit, quam verba valerent. Dolore contabeſcit; lacrymis ſuffuſa dolet, unico, quod illi ſupererat ſubſidio, deſtituta. Ad miſeri ſtatus hujus miſeriam redactam eſſe, loqui eſt eloquentiſſime apud eum, qui venit in hunc Mundum, ut afflictis ſolatium, & miſeris opem ferat. Neceſſe non eſt aliquid præterea quærere in Evangelica hiſtoria, ut plures maximi momenti veritates edoceamur; & diſcamus ſecreta conſilia, quæ ad agendum movent Dominum univerſorum in peccatorum converſione. Vidua Evangelica Eccleſiæ figura eſt. Status deſolationis ejuſdem extremam indigitat triſtitiam, qua Eccleſia Mater noſtra conficitur, cum dæmon illi ſurripit filios ſuos, gratiæ vitam illis auferendo. Mundi Salvator viduæ filium reſuſcitat, quia triſtitia, & lacrymis ejuſdem permovetur. Unde liquet quantum roboris, ac virium adſit Eccleſiæ gemitibus ad ciendam Dei miſericordiam, & peccatoris converſionem obtinendam. *Idem Tomo* 4.

Poſt pudorem modeſtia omnino eſt Sanctis Viduis neceſſaria. Pudoris objectum eſt averſio ab omnibus externis rebus, quæ oppoſitæ ſunt caſtitati, & quas neque in ſe, neque in aliis pati poteſt. Modeſtia vero tollit quidquid inordinatum, & indecens eſſe poteſt in externo corporis habitu, puta in intuitu, in inceſſu, in geſtu, in indumentis, in verbis, quarum rerum perturbatio ſignum, & effectus eſt ſpiritus inordinati. Virtus hæc ad ſummum optabilis eſt in vidua, quippe certiſſimum inditium eſt internæ virtutis, & ſpiritus ſapienter inſtituti. Spiritus ex actibus, & hominis Sapientia ex exteriori ſpecie dignoſcitur. Sapientia, Scriptura inquit, re-

nidet

nidet in ore Sapientis. Homo ex oculis cognoſcitur, & inceſſus illius aperit, quid ſit intus. Quamobrem Sanctus Ambroſius dicit, ſpiritus diſpoſitionem ex corporis poſitura cognoſci, & exteriorem motum quamdam eſſe vocem, quæ in ſpiritus agnitionem inducit. Ita ut ſi tibi fuerit ſapiens ſpiritus, & bene inſtitutus, hoc liquebit ex modeſtia exterioris habitus tui; ſed ſi extrinſecus fueris immodeſtus, ac abnormis, certum erit indicium, tibi ſpiritum eſſe levem, mobilem, indiſcretum, impatem ſeriæ cogitationi, & qui omnibus inſrubus, ineptiſque cogitationibus pariter ſe circumferri. Et inconditus hic, incompoſituſque habitus malum erit indicium pro præſenti, & deterius præjudicium pro eo, quod aliquando futurus es. Virtutem hanc toto vitæ ſuæ tempore fideliter Sancta Noſtra exercuit; nec perfectius vobis ad imitandum proponere poſſum exemplar in omnem vitæ veſtræ curſum: *Gobinet in inſtitutione Juventutis.*

Cura a Sancta hac vidua ſuſcepta, ut educaret filios ſuos.

Sancta hæc Vidua plures habuit filios, quos ut in cognitione, ac timore Dei educaret, talem ſuſcepit curam, ut dici poſſit illos bis genuiſſe, & hos non minus illi debuiſſe gratiæ, quam naturæ vitam. Non continebatur tamen zelus illius intra filiorum ſuorum inſtitutionem; eadem charitate inſtitutioni, & moribus domeſticorum ſuorum invigilabat. Hi non ſecus ac domini participes erant theſaurorum, quos Deus effundebat in illam, & in hac ſancta familia ſervi æque ac filii panem, Cæleſtemque hæreditatem partiebantur. Qui vidiſſet ipſos etiam ſervos a pedibus, & ancillas in aſceticis exercitationibus, qui eos vidiſſet frequenter in Templa ventitantes, & crebro ſacris ſe myſteriis reficientes, bene inſtitutos, orationi vacantes, ædificantes, optimumque præbentes exemplum iis etiam, quorum melior erat conditio, dixiſſet profecto domum illius potius Religioſam eſſe, quam ſæcularem; & ſi quid intererat diſcriminis, hanc non unum eſſe Aſceterium, ſed Seminarium plurium, & pleroſque famulorum ex domo illius non excedere, niſi ut aliquam ex reformatis Religionibus ingrederentur. Hujuſmodi erant occupationes, quibus in ædibus ſuis fortis hæc Mulier vacabat. Cum autem inde pedem efferret, pergebat in Templa, vel inviſebat captivos, & pauperes; cumque venerata fuiſſet Deum in ſolio ſuo, & in locis gloriæ ſuæ, quod ſupererat temporis, ad noſocomia, vel ad carceres opem latura ſe ſe conferebat. Sed quantuſcunque fuerit illius fervor in Cæleſtibus, viro ſuo adhuc ſuperſtite; alius omnino fuit, ex quo illum amiſit. Cum enim amor illius unicum dumtaxat haberet objectum, plane geminatus eſt; neque tantum unquam dilexit Deum ſuum, quam cum ab eodem hoc vulnere ſauciata fuit. Tunc illa ita ab omnibus abhorruit ſocietatibus, ut una cum viro ſuo ex hoc mundo exceſſiſſe videretur. Omnibus viſitationibus, quæ non niſi urbanitatis erant, non autem charitatis, nuntium miſit; & palam profeſſa eſt ſe teneri, ut melius impenderet tempus ſibi ad Æternitatem lucrifaciendam conceſſum. *Idem.*

# EXEMPLUM SANCTORUM.

## QUI NOBIS ESSE DEBENT LOCO PROTOTYPI, ut noſtrum quilibet, ſinguli in ſtatu, & conditione ſua propriam operetur ſanctificationem.

## MONITUM.

*Poſtquam actum eſt de variis ſtatibus, & characteribus Sanctitatis, deque illis, quos dignos cenſuit Eccleſia, qui in Beatorum albo recenſerentur; & poſtquam oſtenſum eſt, quam illa obtinuerit a Deo facultatem cogendi Fideles, ut illos tanquam hac dignitate præditos venerarentur poſt habitam juridicam eorum apotheoſis quæſtionem; mihi videor, non poſſe hujus argumenti melius finem facere, quam omnes ad eorum imitationem cohortando, & ſibi quiſque in exemplar eos proponendos, qui aliquam habent rationem cum ſtatu, & conditione, in qua ſingulos Providentia conſtituit. Quam ob rem pro viribus adniſus ſum media proponere, ac ſimul oſtendere, in quo ſita ſit vera ſanctitas, probando, exemplum Sanctorum, qui iiſdem in muneribus eademque in occaſione vixerunt, quam nos, omnes nobis obices, & difficultates auferre; ac tandem eos, qui nobis præceſſerunt, in iiſdem occaſionibus, & circumſtantiis, ut ita dicam, nobis iter ſtraviſſe. Hinc omnes prætextus, excuſationes, aſſertaque impedimenta omni prorſus carent fundamento, & ſunt mera proprii amoris illuſio, quandoquidem tot alii iiſdem in officiis, & conditionibus noſtris adepti ſunt ſanctitatem.*

---

# EXEMPLUM SANCTORUM,

## qui eſſe debent loco prototypi, ut noſtrum quilibet, ſinguli in ſtatu, & conditione ſua propriam operetur ſanctificationem.

Admirabilis Sanctorum varietas componentis Regnum Cælorum.

Ut comprehendere valeatis admirabilem Sanctorum varietatem, qui Regnum cælorum componunt; mementote ſolum, illic adeſſe Patriarchas, qui Eccleſiæ primordium dedere primis Mundi hujus temporibus; Prophetas, qui per ſummum prodigium illius annales ſcripſerunt pluribus ante ejus nativitatem ſæculis; Apoſtolos, qui prædicationibus ſuis ejus fundamenta jecerunt; Martyres, qui illam ſanguine ſuo irrigarunt, & uberem effecerunt vulneribus ſuis, quæ audaci quidem, ſed vero vocabulo fidelium martyria poſſunt appellari: *Vulnera Martyrum martyrium fidelium.* Doctores, qui illam ſcriptis ſuis propugnarunt, luminibus ſuis illuſtrarunt, laboribuſque extenderunt; Confeſſores, qui illam virtutibus ſuis exornarunt; Anachoretas, qui in deſerta illam pertulerunt; Cœnobitas, qui illam a mundo ſecreverunt, illam in Clauſtris ſuis concludentes; Virgines, quæ illam ſua puritate multiplicaverunt; Viduas, quarum opera in earum familiis floruit, & quaslibet alias conditiones, quæ illam ornarunt, & quas, nominibus deficientibus, exprimere non valemus. *In Panegyrico Sanctorum omnium P. Senault Oratorii.*

Admirabilis conſenſus, & ſubordinatio, quæ inveniuntur inter SS. in Cælo.

In hac tamen adeo admirabili varietate, quæ ſtuporem injicit illam ſibi fingere adnitentibus, nulla confuſio eſt, nulla invidia. Singuli ibi locum inveniunt meritis ſuis parem; ſinguli coronam gerunt, teſtem ſuorum laborum, atque mercedis; ſinguli æquiſſimum operibus ſui honorem naniſcuntur: *Ubi dignitas, Sanctitas.* In Principum aula fortuna ut plurimum virtuti præripit palmam; Reges ſua ſequuntur ſtudia, & non tantum in eos oculos figunt, qui ſibi ſunt utiliores, quantum in eos, qui iiſdem ſunt jucundiores: cumque in eorum cordibus nequeant inſpicere, non ſemper agnoſcunt eos, a quibus impenſius amantur; ſed eos, qui melius ipſis amorem ſuum teſtari, ac perſuadere didicerunt: Cumque ipſi nequiſquam ſua beneficia pro meritis diſtribuant, non deeſt in ipſis quidem injuſtitia, & in ſubditis eorum invidia. Sed in Jeſu Chriſti Regno hujus voluntas ipſa juſtitia eſt, præmia diſtribuens, ordines dirigens, coronas largiens, & favores illis etiam concedens, quibus conceſſit & merita. Etenim ſecundum Theologorum axiomata, gratia ipſa meritum conſtituit; & meritum dirigit gloriam, & gloria meritum remuneratur: *Gloria fons meriti, meritum ſemen gloriæ, & gloria merces meriti.* Ita in Cælo inveniuntur, ſine perturbatione, & ſine murmure varietas; eumque beatorum ſinguli pro meritis excipiantur, nemo queri poteſt, & nemini invidere; ſed tantum abeſt, ut adeo ignavos ſenſus foveant, ut de aliorum felicitate lætentur; & per miraculum quod in hoc mundo non ſatis intelligitur, Divina Eſſentia ſeſe totam omnibus largiatur, & eorum diſcrimen efficiens, ſimul requiem, & felicitatem illorum conſtituat. *In Omnium Sanctorum Panegyrico P. Senault.* D. Thom.

Bona, quæ in Cæleſti gloria inveniuntur, eorum debent in nobis deſiderium excire.

Fierine poteſt, Auditores, ut tot bona, quæ in cæleſti gloria inveniuntur, eorum in vobis deſiderium non cieat? Fierine poteſt, ut res adeo excellens, ac tanti pretii nullum ſui in vobis gignat amorem? Conquerimini, quod veritas mendacii fraudibus ſuperetur in terris, quod illius pulchritudo non agnoſcatur, quod ſui amatores illam derelinquant, & divina hæc Dominatrix inhibere nequeat mobilitatem ſervorum ſuorum. Cur ergo non anhelatis in cælum, ubi veritas victrix eſt; ubi de mendacio triumphat, ubi omnes ſuas pandit illecebras, & ubi ſubditos ſuos ab impotentia, & iniquitate liberat? *Ubi victoria, veritas.* Illius gloria cum veſtra conjuncta eſt; illi inferri nequit contumelia, niſi inferatur & vobis; & ſi illam diligitis, vobis optandum eſt, ut regnet, ut & ipſi cum illa regnetis. Mente igitur, ac deſiderio voſmet in cælum attollite, ubi ultionem ſumit de inimicis ſuis, ubi amatores ſuos remuneratur, ubi ipſa illorum victoria eſt, atque triumphus. *Ubi victoria, veritas. Idem.*

Hic

*Hominum injuſtitias, & ingrati animi vitiū efficere debent ut ad beatorum gloriam anhelemus.*

Hic humi improbatis hominum injuſtitiam, qui non meritum, neque virtutem remunerantur, qui favori, ac generi tribuunt dignitates, & qui eruditos viros, ac juſtos ſine honore, ac præmio relinquunt. Cur ergo non contenditis ad beatorum gloriam, ubi præmia laboribus paria ſunt, ubi coronæ bonis reſpondent operibus, & ubi ſanctiſſimus quilibet idem eſt honore cumulatiſſimus: *Ubi dignitas, ſanctitas*. Reges, quorum præclariſſima virtus liberalitas eſt, inani ſpecie plerumque falluntur; non ſatis cognoſcunt merita, & ſæpe vitium remunerantur, rati ſe remunerari virtutem. Sed, quem colimus Deus, ingenti lumine pollet: legit in cordibus deſervientium ſibi; intelligit actiones eorum, quarum principium gratia ſua eſt, & omnes voluntatis noſtræ motus conſpiciens nullum ſupplicio crimen impune abire patitur, neque virtutem ullam remuneratione vacuam abire permittit. *Ubi dignitas, ſanctitas*. Præmium homines excitat, & generoſiſſimus quiſque in bonis operibus, quærit vel gloriam, vel utilitatem. Cur ergo in Cælum non contenditis, ubi æquiſſimus judex ſingulos pro meritis remuneratur, & nullam habens rationem vel generis, vel gratiæ juſtitiam tantum, & ſanctitatem conſiderat? *Ubi dignitas, Sanctitas. Idem.*

*Duities conditionis noſtræ hic in terris nos impellere debet ut a terrenis rebus avulſi ad cæleſtia anhelemus.*

Hic in terris gemitis ſub duro conditionis veſtræ jugo, conqueriminor ſemper vobis enſe diſtricto incedendum eſſe, ut pugnetis, vos undique ſeptos eſſe inimicis, eoſque etiam in ſinu veſtro geſtare. *Et inimici hominis domeſtici ejus:* vos eſſe theatrum inteſtini hujus belli, in quo caro veſtra pugnat cum anima veſtra, in quo vos eſtis oppugnantes, & propugnantes, victores, & victi, in quo de victoria veſtra lætari vobis non licet, niſi ſimul de clade doleatis. Relinquite ergo miſeram hanc ſedem, ubi vita tentatio eſt, & certamen, & contendite ad jucundiſſimum illud domicilium; ubi pax incolarum felicitatem conſtituit, & ubi Sancti victores ſunt, ac triumphantes: *Ubi pax, felicitas*. Doletis hic partem veſtri contra partem alteram inimicitias exercere, & quotieſcunque utramque ſimul conciliari conamini, ſemper nova exardeſcere prælia. Cur ergo mente, ac deſiderio non tenditis in cæleſtem patriam, ubi vobiſcum conſentietis, ubi cum nihil adſit vel intra, vel extra vos, quod vos perturbet, inter pacis delicias locupletiſſima felicitate perfruemini? *Ubi pax, felicitas. Panegyricus Patris Senault in die Omnium Sanctorum.*

*Perfectio ſecundum Deum non ſita eſt in eo, ut magna faciamus.*

Noſtra ſecundum Deum perfectio non ſita eſt in eo, ut plura faciamus. Hic fuit error Marthæ, quam J. C. reprehendit. Neque in eo, ut faciamus magna. Maximi ſunt coram Deo Sancti, qui nihil magni fecerunt, propter Deum; Sancti quorum vita obſcura fuit, & abſcondita, & quorum actiones minime nituerunt, & coruſcarunt, & de quibus homines ſiluerunt, magni erant ſanctitate, ſed tota eorum ſanctitas in rebus parvulis ſita erat; & efficiebat Deus, ut illi ea in ſanctitate, qua modica illa operabantur, infinitos gratiæ theſauros naniſcerentur. Magni erant humilitate; eiſque humilitas ſuadebat ſua, ut noviſſima quæque ſibi depoſcerent munera, aliis relinquentes illa, quæ cum nitore conjuncta erant, indignos ſe rati, qui talibus præficerentur miniſteriis. Denique perfectio noſtra non exigit, ut mira, & ſingularia faciamus. Hæc ex quo ſunt ſingularia, & præter conſuetudinem, rara ſunt, & infrequentes eorum occaſiones; tamen perfectio noſtra in iis eſſe debet, quæ magis nobis habitualia ſunt, in iis, quibus ſæpius occupamur, in iis, quæ jugiter nobis præ manibus verſantur, in iis, quibus dies, & anni vitæ noſtræ replentur. *P. Bourdalove in Aſceticis receſſibus.*

*Ejuſdem argumenti.*

Hinc ſequitur a vulgatioribus actionibus noſtris pendere eam perfectionem, ad quam a Deo vocamur. Hæ quippe actiones ſunt propriæ ſtatus, & profeſſionis noſtræ; ideoque illæ ſunt, quas Deus præſertim expetit a nobis; quandoquidem per gratiam ſuam nos in hunc ſtatum adduxit, ut ibi viveremus, & ageremus ſecundum ordinem ab illo inſtitutum. Cæterum liquet, Dei voluntatem eſſe cauſam noſtræ ſanctificationis; illam tribuere pretium quibuſcunque rebus, quas facimus: ſine hac Dei voluntate, maximas quaslibet actiones noſtras nihilum eſſe, & cum illa actiones licet minimas eſſe meriti præclariſſimi. Hinc ergo inferendum eſt, me nonniſi per officiorum meorum, maxime communium coram Deo perfectum futurum. Quid fecit Jeſus Chriſtus annis triginta? Nihil quidem memoria dignum juxta mundi æſtimationem, & nihil niſi abjectum in oculis hominum; ſed quia faciebat voluntatem Patris ſui; quia in omnibus, ut ille dicebat de ſe, ea faciebat, quæ

*Joann. 8. 29.*

Deo maxime placebant; *quia ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper:* actiones, quæ in mortalium oculis erant abjectæ, objectum erant, in quo Deus ſibi complacebat. *P. Bourdalove ibidem.*

*Perfectionem noſtrā in obligatione officiorum noſtrorum invenimus.*

Quodnam nobis eſt argumentum conſolationis! Neceſſe non eſt eminus noſtram quærere perfectionem. Hæc prope nos eſt, & in nobis. Meam nanciſcar in officiis meis, & in quotidianis meis exercitationibus. Perfectio extra hæc exercitia, & quæ non conducat ad obeunda mea munera, mihi erit perfectio inutilis, & exlex, quam Deus non probaret, & quæ a mundo quoque reprobaretur, quæ mihi ſuperbiæ ſpiritum afflaret, & me ſexcentis objiceret noxis; cum e contra hæc vitæ communis perfectio & a Deo, & ab hominibus comprobatur. Hæc ædificat, hæc non inflat, hæc ſubjecta non eſt vanitati: creditur facilis, & talis re vera eſt theoretice; ſed ut diu in praxi, conſtanterque exerceatur, quot difficultates ſuperandæ ſunt, quænam vis ſibimet inferenda non eſt; ſimulque quot præmia non ſunt obtinenda. *Idem.*

*Sanctificari poſſumus bene, & coram Deo quotidiana opera noſtra facientes.*

A Sancto Auguſtino didicimus, Sanctitatem totam in vitæ noſtræ innocentia & puritate actionum noſtrarum conſiſtere. Docebo vos, ſi volueritis, rationem laudandi Deum integris diebus: *Suggero remedium unde tota die laudes Deum, ſi vis; quidquid egeris, bene age, & laudaſti Deum*. Hoc eſt, omnia fac ea mente, ut in omnibus, & ſingulis placeas Deo. Illum præ oculis habete, tanquam ultimum finem, quem vobiſmet proponitis. Non in re ipſa tantum, ſed in minimis quoque circumſtantiis actionum veſtrarum eſtote illi fideles; ita ut nihil elabatur vobis, quod mutet diſpoſitionem, in qua eſſe vos decet, & vita veſtra nihil erit niſi jugis laus, & oratio perennis. *Regula Sancti Benedicti Tomo I.*

*Chriſtianæ ſanctitatis fundamentum.*

Quænam ſunt Chriſtianæ Sanctitatis fundamenta, qualem nobis Jeſus Chriſtus propoſuit? Evangelici adoleſcentis exemplum ea nobis palam oſtendit. Hic ſe a Deo commotum ſentiebat, ſuam ſalutem, atque ſanctificationem operari cupiebat; & hac de re conſulit divinum hunc Præceptorem, ad quem omnes undique confugiebant, ut ex ore illius æternas hauriret veritates. Quid autem re adhuc integra Dei Filius reſpondit? Num illi ſermonem inſtituit de omnimoda abrenuntiatione bonorum, quæ ab illo poſſidebantur? Explicuitne myſticas gratiæ ſuæ operationes? allocutus eſt illum de ſublimibus peculiaribuſque donis orationis minime

*Matth. 19.*

vulgaris? Nequaquam auditores; ſed *Serva mandata*, divinus ille magiſter reſpondit. Ecce quid tibi præ cæteris faciendum eſt, & niſi ſuper hoc fundamento ſuperædificaveris, omne ædificium perfectionis tuæ arenæ incumbens per ſe corruet, teque obruet ejuſdem ruina. *P. Bourdalove in Dominicali.*

*In via ſalutis ſemper procedendum eſt.*

Sanctitas opus eſt adeo diuturni laboris, ut hominis ætas ad extremum perducta ſenium nimis brevis videatur ut illum ad ſummum perfectionis apicem adducat; Sanctiſſimus quiſque ſemper fieri ſanctior poteſt: *Sanctus*

*Apoc. 22.*

*ſanctificetur adhuc*, & illius virtus habet incrementa ſua, quoad videat Dominum in Sion: *Ibunt de vir-*

*Pſalm. 83.*

*tute in virtutem; videbitur Deus Deorum in Sion*. Ipſe etiam Apoſtolus poſtquam ad tertium uſque Cælum raptus fuit, nonne vidit aliquam fieri ſuæ ſanctitati acceſſionem, nonne ſemper deinceps majori eum ardore labores ſuſtinuit? Scit, quænam ſit merces Sanctorum; & credit non ſatis unquam fieri poſſe, ut illam ſibi certam faciat; & quod rei hujus teſtis fuit, ideo timet, ne eadem habeatur dignus, quantumvis, ut ita dicam, illius arrhas perceperit. *Non quod jam acceperim, aut*

*Pſalm. 3.*

*perfectus ſim*, ait ille, *ſequor autem, ſi quo modo comprehendam . . . Ego me non arbitror comprehendiſſe: unum autem, quæ quidem retro ſunt obliviſcens, ad ea vero quæ ſunt priora extendens me ipſum ad deſtinatum proſequor ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu*. Quænam iſtic haberi poteſt comparatio, fideles, inter viam quam vos in perfectione feciſtis, & eam quam fecit Apoſtolus? Tamen arbitramini vos ſatis jam proceſſiſſe: & ex hoc ipſo vobis judicium ferendum eſt, vos nondum primum protuliſſe pedem. Sanctiſſimus quiſque, qui ſicut gigas viam illam percurrit, vix ſe procedere ſentit, & profecto immenſum eſt iter juſtitiæ. Ne igitur metuatis nimis aliquid a vobis fieri, & contendite iter ad mortem uſque proſequi, quin ne ad breve quidem momentum gradum ſiſtatis. *Ne verearis uſque ad mor-*

*Eccl. 18.*

*tem juſtificari, quoniam merces Dei manet in æternum. P. Segneri in Meditationibus.*

*Oportet nullis nos quidem deterreri difficultatibus in via ſanctitatis.*

Num nos ab incepto deterret labor Sanctitatis acquirendæ. Heu! quid! tanto ne ſtat nobis pretio, quantum non meretur poſſeſſio Dei ipſius? Terrent difficultates; labor animum frangit. Inanes metus, timor panicus, commentitiæ difficultates, quæ ſtatim evaneſcant, ubi ſtadium ingredimur. At nullus ne labor eſt in opibus cumulandis, in ambiendis honoribus, & aliquibus dumtaxat gradibus acquirendis? Nullo ſtat ſumptu, chimæricam ſibi ædificare fortunam? Quot hauriendi labores? Quot mœrores, quot amaritudines vorandæ! Quænam adeo nitens fortuna æquavit curas, faſtidia, humiliationes, abjectiones, quæ fuerunt ſuſtinendæ? Nulla in mundo via eſt, quæ non ſit plena ſpinis, periculiſque; tamen terribilis iſte difficultatum acervus neminem terret. Arduum eſt Sanctum fieri; verum eſt, mortificandæ ſunt cupiditates, prælia ſuſtinenda, vincendum eſt, ſed fatendum eſt Deum ſecretam effundere unctionem in cor amicorum ſuorum, quæ jugum illius delinit. Non deſunt cruces in illo; ſed fructus illius dulcis eſt. Quanta conſolationum ubertas inter rigores auſteriſſimæ pœnitentiæ? Sed licet inveniretur ſolum amaritudo in calice, & ſpinæ in viis hujuſmodi, num dubitandum eſt, cum agatur de æterna beatitudine, vel de æterna calamitate? *P. Croiſet in Aſceticis.*

*In perfectionis via gradum ſiſtere cura*

Timor amittendæ immarceſcibilis hujus coronæ novus eſſe debet aculeus, qui vos cogat ſingulis diebus in viam ſanctitatis procedere. Si enim gradum ſiſtitis, S. Gregorius

*Feliciter pi-culum nequit.*

gorius ait, locum præbetis furibus, ut ante terminum vos aſſequantur, & theſaurum veſtrum eripiant. Unum crimen efficere poteſt, ut Cæli jacturam faciamus. Extra peccati pericula noſmet nequaquam ſtatuimus, niſi prout illius cauſas in nobis delere contendimus, quæ noſtræ ſunt animi cupiditates; & evitamus leves noxas, quæ ſenſim, & ſine ſenſu in graviores impellunt. Noſmet magis, magiſque emundemus, ſine ulla intermiſſione naturalibus ſtudiis noſtris obluctemur; hoc dicitur noſtram operari ſanctificationem; hoc Spiritus Sanctus in Eccleſiaſtico præcipit, ut nunquam ad ipſam uſque

Eccli. 18.

mortem facere ceſſemus. *Ne verearis uſque ad mortem juſtificari.* Ne credatis igitur fideles vos ſatis puros eſſe; ne putetis vos ſatis jam præliorum ſuſtinuiſſe, ut ultra vobis metuendum non ſit. Momentum, quo fortaſſe vosmet recreare velletis, fortaſſe illud erit lapſus veſtri, ex quo deerit vobis exſurgendi ſpatium, & quod vobis præripeɾet coronam, quam falſo jam vos obtinere opinati fueritis. *P. Segneri in Meditationibus ſuis in delectos Scripturæ locos.*

*Noſtra cum J. C. ſimilitudo ſemper perfici poteſt, imo debet.*

Licet cor tuum eſſet omnino Jeſu Chriſti per charitatem, nihil tamen eſſet prætermittendum, ut illum ſemper magis diligeres, & in dies ſingulas nova illi præberes amoris tui documenta. Hoc innuit Apoſtolus ſuadens per hæc verba, ut *Creſcamus per omnia.* Sæpe de illo cogitemus; ſæpius loquamur cum illo, quæramus recentes modos illi placendi eumque glorificandi; *Creſcamus per omnia.* Nam ſicut corpus non creſcit niſi partium ſingularum incremento; ita anima non creſcit ſanctitate, niſi quatenus facultates illius perficiuntur exercitatione virtutum, quæ illis ſunt propriæ; præſertim vero, cum ſatis ſtudere neſcimus, nec ſatis intelligere. Tamen ubi corpus ad ſtatam crevit menſuram, ulterius creſcere nequit; anima vero ſemper ſanctitate creſcere poteſt. Huic non creſcere decreſcere eſt: non procedere juxta Patrum ſententiam retrocedere eſt. *In via Dei non progredi, retrogredi eſt.* Ratio, propter quam ibi ſubſiſtitis, ubi eſtis, ea eſt, quod vos ſtadii metam creditis attigiſſe. Hoc ipſum *retrogredi eſt.* Phariſæus Publicano poſthabitus fuit, ex quo credidit ſe cæteris

Luc. 18.

antecellere. *Non ſum ſicut cæteri homines.* Si averteretis oculos veſtros ab eo bono, quod agitis, ut de eo cogitaretis, quod vobis deeſt; intelligeretis, vobis adhuc plurima ſupereſſe facienda, ut perfectionem aſſequeremini. Sed cenſetis vos ad altiſſimum evaſiſſe perfectionis faſtigium, quia illius extenſionem juxta fallaces conceptus veſtros vobis proponitis. Ut bene agnoſcatis, ubi ſitis, voſmet cum Sanctis dimetiminor, illi plura ſubierunt prælia præ vobis; illi magis magiſque in perfectionis via proceſſerunt; illi millies Jeſum Chriſtum dilexerunt magis, quam vos, & tantum abeſt, ut via ſanctitatis eos delaſſaverit, ut nihil cogitent, niſi ut in dies in Dei amore concreſcant. Cæterum ſublimis perfectionis gradus, quem vobis propono, animum veſtrum debilitare non debet. Si vobis ſuademus, ut novos quotidie conatus exeratis, ut in ſanctitate progrediamini; hoc vobis faciendum eſt cum Salvatoris ſubſidio. Hic vos per omnipotentem virtutem ſuam fulcire debet, & infirmitati veſtræ ſupplere. *P. Segneri in Meditationibus Tomo 3.*

*Sanctitas veram magnitudinem noſtrā conſtituit.*

Solus homo, qui magnus eſt coram Deo, vere magnus eſt. Magnitudo illius in ſanctitate ejus conſtituta eſt; & Deus, qui falli nequit in judiciis ſuis, nihil aliud in nobis æſtimat. Sanctitas maximum eſt omnium donorum illius; ipſe unus pretium ejus cognoſcere poteſt, ac illud æterna felicitate remuneratur. Sanctitas ergo noſtra veram conſtituit magnitudinem, idque independenter ab omnibus ſæculi bonis, & ab iis rebus omnibus, quæ in hominum oculis magnæ videntur. Fides nos aliter cogitare vetat. *P. Segneri in meditationibus.*

*Perfecti eſſe debent non aliqui tantum, ſed Chriſtiani omnes generatim.*

Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Salvator ait. Obligationis hujus praxis nonne facere debet ex Chriſtianis omnibus totidem Sanctos, quo nomine paſſim illos Sanctus Paulus appellat? Quam igitur afferre poſſumus excuſationem, niſi contenderimus, ut perfecti evadamus, & fiamus Sancti? Si exemplum quod habemus tot aliorum, qui ſemet ſanctificarunt in tot diverſis vitæ ſtatibus, nos minime excitat, nos damnabit. Igitur non ad cœnobitas tantum, ſed ad omnes fideles loquitur Filius Dei, cum illos ad perfectionem hortatur; neque ad Religioſos tantum ſcribebat S. Paulus, cum dicebat illis: Qui poſſident bona, illis utantur, quaſi non poſſiderent illa. Qui conjugii vinculis alligati ſunt ita vivant, quaſi alligati non eſſent; & qui hoc mundo utuntur, ita eodem utantur, quaſi non uterentur. Quæ perfectio! Et profecto opus eſt, ut Chriſtiani, ſi officia ſua obire velint, avulſi ſint ab omnibus divitiis; humiles inter honores, & in voluptatum perfruitione moderati, atque mortificati. *P. Neveu in Chriſtianis animadverſionibus.*

*Sanctorum felicitas in terra non invenitur.*

Fatendum eſt, in terris locum non eſſe vera felicitate perfruendi; neque enim niſi imperfectiſſime hic eadem poſſumus perfrui. Verum ſi quam nobis in hoc mundo fingere poſſumus; ſemper verum eſt, hanc unice in ſanctitate conſiſtere. Quemadmodum vita nequaquam data eſt homini, ut hic poſſideat veram felicitatem; ejus in hoc mundo felicitas in eo tantum ſita eſt, ut alterius acquirat felicitatem, modo felix eſt quantum eſſe poteſt, ubi in eo ſtatu ſit, ubi poſſit aliquando eſſe vere beatus. Hoc nobis ſpondet verbum Dei. Jeſus Chriſtus verba faciens de beatitudine eorum, qui ſunt in terra, ſemper vitæ hujus felicitatem conſtituit in ſpe beatitudinis æternæ. *Auctor recens.*

*Cordi bene ſatis eſt videre exempla Sanctorum, ut ad eorum imitationē excitetur.*

Sanctorum exemplum nos excitare debet, ut Sancti efficiamur, ut illi. Illi ideo beati ſunt, quia ſanctam vitam duxerunt. Gloriæ illorum participes eſſe non poſſumus, niſi eorum ſanctitatem fuerimus imitati. Sed ne putemus ſanctitatem eorum effectum eſſe beatitudinis ſuæ, non autem virtutis. Sanctitas illis pluribus ſtetit ſumptibus; illis iidem obices ſuperandi fuerunt, qui nobis, nos eadem habemus ſubſidia ac illi, & eandem mercedem expectamus, & ſi ipſi illos vicerint, noſmet excuſare non poſſumus impotentiam prætexentes. Si nobis eadem ſunt ac illis acquirendæ ſanctitatis adminicula, nimiam difficultatem cauſari nequimus. Sed licet majores adhuc eſſent difficultates, quandoquidem ad eandem contendimus remunerationem, quam Sancti conſecuti ſunt; nobis eadem eſſe debet fortitudo, quæ illis ad eas ſuperandas, vel eandem mercedem abdicare debemus. Helias, ad conſolationem noſtram, iiſdem erat obnoxius infirmitatibus, quibus ipſi ſepti ſumus: Sancti etiam, quia Sancti fuerunt, non ideo erant impeccabiles: & ipſi habuerunt infirmitates, defectus, cupiditates, uti nos; & hæc ipſa nonnihil ad eorum ſanctitatem contulerunt. Quam prætexere poſſumus cauſam, ne ſanctitatem noſtram operemur? Nunquid temperamentum? Nunquid hoc nobis ardentius eſt, quam Petro, vehementius quam Paulo? Illi hoc ipſo uſi ſunt ad acquirendam ſanctitatem. Num noſtri cordis affectio? Quinam cor habuit erga creata propenſius Maria Magdalene? Hæc tamen novit illud erga Creatorem convertere. Num vis pravorum habituum noſtrorum? Cuinam validiores, magiſque inveterati in libidinibus erant habitus, quam Sancto Auguſtino? Ille autem gratiæ ſubſidio eos debellavit. Num ſcelerum noſtrorum multitudo atque diuturnitas? Bonus latro nonniſi in Cruce peccare deſiit, & momento Sanctus, & beatus evaſit. Num conditio noſtra, ſtatus, officium, ætas, ſexus? Nonne Cælum repletum eſt Sanctis cujuslibet conditionis, ejuſdem officii, ejuſdem ætatis, & ſexus, cujus nos ſumus? ergo non licebit id facere, quod illi fecerunt? Cur non & ipſi laborabimus, ut ſanctificemur, ut illi? *Non poteris, quod iſti, & iſtæ?*

*D. August. l. 9. Conf.*

*P. Neveu in Chriſtianis animadverſionibus.*

*Nobis ſuppetunt eadē ac Sanctis ſubſidia ad ſanctitatem acquirendam.*

Fortaſſe nobis deſunt ad ſanctitatem acquirendam eadem ſubſidia, quæ Sanctis fuere? Num id aſſerere audebimus, quin mentiamur conſcientiæ noſtræ teſtimonium? Nonne eidem famulamur Domino, cui illi? Nunquid hic Dominus erga nos minus eſt ſuavis, & mitis? An minus potens? an liberalis minus? An minus in illius ope confidendum eſt nobis? Num minus ille meretur amorem noſtrum? An non idem nobis eſt Evangelium? Nunquid Evangelium hoc regula noſtra non eſt? Regula hæc difficilior eſt, quam ſequamur? Hoc Evangelium non minus habet luminis, ut nos illuſtret? An non eadem nobis ſunt Sacramenta? Virtus dominici ſanguinis, quæ in illis continetur, num minorem habet ad nos ſanctificandos ſalutem? Gratiæ, quæ ſunt hujus ſanguinis pretium, minorem habent efficientiam ad nos movendos, & convertendos? Quare eadem media non gignunt in nobis eoſdem effectus, quos in Sanctis pepererunt? Quia nobis non ſunt eædem affectiones ac illis; quia hæc ipſi media negligimus, quia illis abutimur; quia hæc noſtræ ſalutis adminicula in ejuſdem ſalutis impedimenta convertimus, per eorundem abuſum. Si hactenus abuſi ſumus, Domine, gratia tua, ne ſinas hoc ultra contingere; ſed bonitas tua quæ te impellit, ut nobis tot ad noſtram ſanctificationem media ſuppedites, te nobis largiri ſuadeat gratiam iiſdem utendi. *P. Neveu in Chriſtianis conſiderationibus.*

*Omnes fideles tenentur ſequi exemplum Sanctorum, qui eodem in ſtatu ſanctificati ſunt.*

Quilibet fidelis ſequi debet exemplum Sanctorum, qui in eodem ſtatu, & conditione, in qua ille verſatur, ſanctificati ſunt; ſtultum quippe eſt arbitrari, quin ſequamur viam Martyrum, & pœnitentium, poſſe nos invenire ſemitam ſuaviorem, atque pulchriorem, quæ nos in Cælum deducat. Hinc proficiſcuntur fallaces illi conceptus, quos nobis fingimus commodæ pietatis, harum relaxationum, quæ noſtram dedecent profeſſionem, & Baptiſma noſtri votis adverſantur. Hinc irrita illa conſilia noſmet devovendi Deo, quæ nunquam ad effectum perducuntur; conſilia tamen, de quibus gloriamur, & quorum Deum rationem habiturum eſſe ſperamus. Abjiciamus, Auditores, pernicioſum errorem hunc, diſcamus nobiſmet abrenuntiare; & geſtate cruces in ſpiritu, & ad exemplum Jeſu Chriſti. Hoc arduum quidem eſt, ſed S. Auguſtinus ait, illis tantum videtur arduum, qui minime conſiderant mercedem horum officiorum complemento inhærentem, cum enim animus advertitur ad pulchritudinem loci, quo itur, facile pedibus calcantur ſpinæ, quæ inveniuntur ſecus viam, qua tranſeundum eſt. *Sermones Morales Tomo 2.*

*Sanctitas plures continet partes, ſi conſideratur.*

Sanctitas eundem in omnibus Chriſtianis parit effectum. Protheus eſt admirabilis, qui diebus ſingulis faciem mutat, quin mutet naturam. Hæc eſt amor juſtitiæ, zelus publici boni in Magiſtratibus, Principibuſque viris.

Sub-

Submiſſio eſt, & obedientia in parvulis. Caſtitas in Virginibus, fortitudo in Martyribus. Eſt ſal divinum, de quo loquitur Scriptura, a corruptione præſervans omnes vitæ ſtatus, eiſque, ut ita dicam, impertiens chriſtianæ perfectionis ſaporem. Denique eximia eſt operatrix, cujus opus totum hominis ſalus. Ad id omnes adhibet conditiones in quibus repetitur, tanquam materiam, quam per ſe non novit, ſed quam ex Providentiæ manibus recipit. Nullam repellit earum quas Lex Chriſtiana permittit; neque aliud quærit, quam perfectum hunc conſenſum, qui efficit, ut cum omnes inter ſe tantum differant, omnes ad eundem finem colliment, juxta illud Biblicum effatum: *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. Sermo tertius oblatus Academiæ anno 1675.*

*Rom. 8.*

Unum illud neceſſarium de quo loquitur Filius Dei, proprie ſanctitas eſt.

Sanctitas unum illud eſt neceſſarium, quod Dei Filius nobis etiam, atque etiam commendat. Hæc nobis eſt unum neceſſarium quoad Deum: in hoc enim terminatur omnis ejuſdem voluntas de nobis. Nobis eſt unum neceſſarium quoad nos; eſt enim extremus ille finis, qui continet perfectionem, ac beatitudinem, quam in terra poſſumus reperire. Denique unum eſt nobis neceſſarium quoad omnia exteriora bona, quæ ad nos pertinent: quia nihil inquirendum eſt in his omnibus, quam bonus earum uſus, qui totam conſtituit ſanctitatis occupationem. *Sermo idem.*

Praxis, non autem ſola cognitio virtutum in terra noſtrâ cõſtituit felicitatem.

Conſtat autem nos neque per cognitionem, neque per deſiderium, neque per habitus, ſed per ſolam chriſtianarum virtutum praxim, eſſe poſſe vere beatos; Quid enim prodeſſet illas cognoſcere? & quis eſſe poſſet fructus horum luminum otioſorum, quæ non aliud ſunt, quam vana memoriæ ornamenta, & quæ leviſſima cupiditatum noſtrarum nubecula poteſt obſcurare? Quid parerent hæc inutilia deſideria, quæ cupiditas ipſa non oppugnat, cum regno illius non adverſantur, ſed quæ illa jugulat, ex quo conantur contendere ad praxim harum virtutum, quæ amabiles inveniuntur. Habitus ipſi per actus præcedentes contracti, nullam tribuunt actibus præcedentibus ſoliditatem, niſi praxi roborentur. Chriſtianæ virtutes ex natura ſua non ſunt theoretica diſpoſitio, ſed actio; earumque interpellare exercitia, eſt earum fructus differre. Verum eſt hoc in ſtatu felicitatem eſſe, ut ita dicam, ſemiſopitam, eamque recentibus conatibus excitari; ſed ſaltem confitendum eſt languidam hanc requiem Chriſtiani minime triumphantis, cum pro illo ſit victoriæ ſopor, ſoporem eſſe etiam felicitatis ipſius. *Sermo quartus oblatus Academiæ anno 1707.*

Vera Sanctitas in eo potiſſimum ſita eſt, ut quilibet ſtatus ſui obeat officia.

Quanta eſt Dei bonitas, cujuslibet ſanctitatem in eo conſtituentis, ut quiſque ſtatus ſui expleat officia? Poteratne ille hanc propiorem efficere ſingulorum conditioni? Poteratne illam reddere faciliorem, ideoque nobis omnem excuſationem auferre? Num Religionis ſtatum ſumus ingreſſi? in accurata inſtituti noſtri, ejuſque Regularum obſervantia ſublimis ſanctitas ſita eſt. Nunquid ad prima honorum ſubſellia evectus es? Quodnam meritum aſſequeris in dignitatis tuæ officiis obeundis? & quæ fulgidior virtus illa, quæ bonis tuis exemplis inhæret? Natalium humilitas, generis ſordes, paupertas, infirmitas, calamitas ſunt efficaciſſima media ad eminentem Sanctitatis gradum obtinendum. Ipſa etiam proſpera fortuna nunquam fuit obex ad eam aſſequendam. Clemens eſſe oportet, patiens, charitate refertus; & tales eſſe licet quolibet in ſtatu. Crucibus opus eſt, in Cælum ingreſſuris: Deus ſapientiſſimo conſilio illas ubertim effudit in omnes mundi conditiones. Earum ſanctus uſus faciendus eſt, ut ſancti fiamus. Opera bona ſunt neceſſaria: quot fieri poſſunt, quin pes domo efferatur? Familiæ ſuæ cura præcipua ſunt unicuique virtutis officia; quodnam ergo facilius medium ad ſanctitatem ibi acquirendam? *P. Croiſet in Aſceticis Tomo 5.*

Unica ratio noſmet ſanctificandi eſt conditionis noſtræ officiis defungi.

Licet commendabiles, ac pretioſæ ſint omnes pietatis praxes, nunquam tamen certiores ſumus eas a nobis exerceri, quas ad noſtram ſanctitatem expetit Deus; quam cum illis operam damus, quæ conditionis noſtræ ſunt propriæ. Servorum non eſt ſibi eligere miniſteria; dominorum eſt illis locum ſtatuere. Labores moleſtiſſimi, maximæ in agendo ſollicitudines parvi æſtimantur, niſi ad nutum eorum ſuſcipiantur. Quænam horum mortalium illuſio, qui communia ſtatus ſui negligunt officia, ut aſſertæ devotioni ſuæ ſatisfaciant, rati ſe ita poſſe ſanctificari: devotioni inquam, quæ tamen non aliud eſt, quam perſonata amoris proprii diſſimulatio. Igitur ſanctitas vera in eo ſita eſt, ut omnes conditionis ſuæ obeant officia: Hæc tutior eſt ad ſanctitatem indipiſcendam vis. Alia quævis devotionis, & Sanctitatis idea fallax eſt, & illuſoria. Licet omnia feciſſemus pietatis opera, licet ferventiſſimum zelum exercuiſſemus, licet omnes vitæ noſtræ dies tranſegiſſemus in exercitationibus operum miſericordiæ; vere devoti eſſe non poſſumus, neque noſmet ſanctificare, ſi conditionis noſtræ officiis deſumus. Omnes ſtatus luſtrate; nullum invenietis Sanctum, qui viam hanc ſecutus non fuerit. Aliam quamlibet ſecuti viam aberrant. Quæ voluptas eſt, ſingulos in conditione ſua invenire hanc gratiarum affluentiam, hanc ſubſidiorum multitudinem, hanc mediorum, exemplorumque copiam! Sed quis dolor, & quæ deſperatio hoc non cognoviſſe, & nunquam uti voluiſſe! *P. Croiſet in Aſceticis Tomo 5.*

Bipalmaris error eſt credere vias ſanctitatis eſſe invias.

Hæc communis eſt inimici Salutis noſtræ verſutia, qua efficit, ut ſanctitas conſpiciatur tanquam exoticarum regionum fructus, in vertice tantum ſublimium montium germinans. Fallacium horum præjudiciorum ſub umbra, nunquam videmur aſſequi poſſe ſanctitatem. Noſtra imaginandi facultas eminus tantum illam nobis exhibet, & cum coloribus parum communibus. Sumus in mundo? Sanctitas non conſideratur niſi tanquam in clauſtris ſecluſa ſub macerationibus, & auſteritatibus ſtatus religioſi. Vitam Religioſam ſumus amplexi? in via perfectionis animum deſpondemus; quia nobis fingimus ſanctitatem tanquam ſitam in fulgentibus illis operationibus, in iis pœnitentiæ miraculis, in donis altiſſimæ contemplationis, quam in vita celeberrimorum Sanctorum admiramur. Corrigamus hodie fallacem hunc conceptum, & excuſſo hoc errore detegamus hunc ipſum theſaurum in nobis. Nobiſmet perſuadeamus, perfectionem noſtram ſtatus noſtri officiis inhærere. Spiritus Sanctus mulierem fortem commendat ex iis, quæ vulgaria videntur; quod videlicet rei œconomicæ invigilaverit, quod familiæ neceſſitatibus proſpexerit, quod viri ſui voluntati paruerit. Tale decet eſſe Chriſtianæ matronæ encomium. Deo non placent prolixæ ſtationes veſtræ in Templis, frequentes viſitationes veſtræ in Xenodochiis, ſi ex abſentia veſtra familia aliquid patitur detrimenti. Nulla virtus eſt ſi extra ordinem eſt. Hunc vos evertitis, ex quo vacare negligitis muneribus ſtatus veſtri. Omnia tempus habent: ita omnia ſuis temporibus facite, ſi veſtrorum operum vultis ſanctificationem. Habete quidem alienæ ſalutis zelum, ſed veſtram nolite negligere. Tempus quod in operibus ſupererogationis tranſigitis nonniſi ex ſubciſivis horis deſumatur. Erogate quidem eleemoſynam; ſed opificibus, qui vobis operam ſuam locarunt, ſatisfacite, conflatum æs alienum diſſolvite. Hæc lectio maximæ eſt neceſſitatis. Nulla ſanctitatis ſpes affulget, ſi conditionis, ſtatuſque ſui negliguntur officia. *Idem ibidem.*

Quantum proſit ad virtutem, & ſanctitatem inſpirandã Sanctorum exemplum

Certum eſt piorum hominum exemplum multum valere ad aliis virtutis, & ſanctitatis amorem ciendum. Hæc muta eſt eloquentia, verbum activum, quod ſenſim, & ſine ſenſu obrepit in animam, paulatim mulcet cor, & ſuavi, jucundaque perſuaſione, voluntatis dominium acquirit. Nos natura ipſa ad imitandum proni ſumus; vulgo facimus, quod ab aliis fieri videmus, & homines hominum exempla ſequuntur. Priſci Philoſophi oleum operamque perdiderunt hortantes diſcipulos ſuos, ut virtutis viam ſequerentur, atque probantes ſubtilibus argumentis, atque excogitatis ratiociniis nihil eſſe utilius, pulchrius, ſuavius: Semper enim homines nacti ſunt plures actionum ſuarum imitatores, quam doctrinæ ſectatores; & quidquid conati ſunt, ut illos de hac re perſuaderent, nunquam ſermonum ſuorum puritate illos impellere potuerunt, ut virtutis ſemitam ingrederentur, a qua illi ipſi per morum ſuorum corruptionem recedebant; ita ut poſt plurimos fruſtra ſuſceptos labores omnes confiteri debuerint veritatem hanc primum a Sanctis Patribus, & præſertim a S. Cypriano allatam, vocem actione infirmiorem eſſe; vitam magis loqui, quam linguam, exemplum magis perſuadere, quam verba. Et ſane, qui alium manu ducit, tutius eum ponit ſecus viam, quæ tenenda eſt, quam qui huic illam indigitaret voce, & digito. Ita videmus igitur per certiſſima argumenta, parentes, & ſuperiores in quolibet ſtatu, & conditione vitæ longe efficientius bonis exemplis ſuis viam virtutis, & Sanctitatis oſtendere filiis, ſubditiſque ſuis, & paribus etiam, quam ſermonibus valeant: Quod palam S. Auguſtinus innuit per illa verba: *Verba ſonant, exempla tonant:* Quoniam efficienter perſuadet eos, qui teſtes ſunt, & qui illa oculis ſuis ſubjecta intuentur. *Chriſtiana inſtitutio puellarum.*

Velle Deo partim partimque mundo ſervire inſignis eſt ſtultitia.

Cum admodum pauci ſint Fideles illi, qui ſerio ad perfectam contendant ſanctitatem; poſſumus quoque aſſerere non multos eſſe, qui decreverint vitam ſuam in nequiſſimorum flagitiorum cœno ad exitum uſque traducere. Major eſt eorum numerus, qui aliquod perquirunt inter utrumque extremum temperamentum; qui vellent, ſi fas eſſet, conſcientiam ſimul, & concupiſcentiam conciliare, Deum cum mundo conſociare; Mundo ſimul & Deo deſervire; Præcipua obire Chriſtianæ Religionis officia, quin mundi ſpiritui, placitiſque abrenuntient. Vellent Jeroſolymæ quidem eſſe Iſraelitæ, Babylone vero ſemipagani. Ita Deo quidem ſimulque Mundo morem gerere vellent, & utrumque conciliare ſemet bipartientes, ut ita dicam, ut alteri quidem modo, modo vero alteri deſerviant. Sed id irrito labore contendunt; hæc enim bipartita diviſio neutri ſatisfacere poteſt. Hoc eſt nihil dare Deo, dimidium dumtaxat dare. Immo dimidium ne mundo quidem ſatis erit. Nunquid acquievit unquam mundus parti exiguæ? Omnia vult, aut nihil. Quantumvis modicum mundo tribuatis, jam nihil ſupereſt, quod Deo detis; hoc eſt illi negare totum. Vel ſanctos eſſe debemus, vel peccatores, niſi arbitramur, nos ſpiritu ſolum ſanctos eſſe poſſe, corpore vero mundo addictos; quod in natura monſtrum eſſet. Num ſatis magnam hanc veritatem intelligimus? Hæc maximi momenti eſt. Neceſſe eſt, ut alterutram partem optemus; vel pro Deo toti ſtare debemus, vel toti

mundo mancipari. Velle ex dimidio utrique inſervire inſaniſſima inſania eſt, execrabilis eſt impietas, ſpecies idololatriæ, quam ſatis perhorreſcere non poſſumus. *P. Croiſet in Aſceticis Tomo 5.*

Vera devotio eſt, quod quilibet ſtatus ſui muneribus perfungatur.

Non omnis devotio idonea eſt omnibus conditionibus. Quæ aliorum ſanctitati prodeſſet, aliorum officeret ſanctitati. Hæ, ex Evangelio, ſunt veluti totidem arbores, quarum ſingulæ ferre debent fructum ſuum, ſed ſecundum ſpeciem ſuam; quæ res ignaviam ac infidelitatem noſtram magis inexcuſabiles facit. Si nobis acquirenda eſſet perfectio ſtatus diverſi ab eo, ad quem nos Deus evocavit; hoc nobis pluribus ſtaret laboribus, & virtus eſſet ardua. Sed quam prætexere poſſumus excuſationem cum ſciamus veram ſanctitatem in eo eſſe poſitam, ut ſtatus noſtri officiis perfungamur? Religioſus, ut ſemet ſanctificet, nil aliud præſtare tenetur, niſi accurate omnia ſua munera obire, & regulas ſervare; & ejus perfectio conſiſtit in perfecta regularum ſuarum obſervantia. Pater, & mater familias inveniunt perfectionem ſuam concluſam, ut ita dicam, in praxi domeſticorum officiorum. Hæc negligere, ut alia majoris perfectionis opera fiant, inſignis eſt illuſio. Luſtrare Templa, & Noſocomia, cum interim inſtitutio filiorum domeſticorum curæ relinquitur; hic gravis eſt error. Negligere ſtatus ſui officia, regulas inter clauſtra non ſervare, ut aliis bonis operibus vaces, multum quidem laborare eſt, ſed in irritum hæc omnia cedunt opera. Quantumvis ſanctus ſit aliunde zelus noſter, quantumvis recta ſit intentio noſtra; opera omni merito carent immo reprehenſione ſunt digna, ex quo ſimul eſſe non poſſunt cum præſcriptis noſtri ſtatus muneribus. Deus ſibi ſerviri vult ſecundum voluntatem ſuam, non autem ſecundum libidinem noſtram; & Deo placere non poſſumus, niſi Dei mandata exequamur. *P. Croiſet in Aſceticis. Tomo 5.*

Alias exercere devotiones ab illis, quæ propriæ ſunt ſtatui noſtri, hoc eſt facere aliud ab eo, quod Deus petit a nobis.

Certum eſt, Deum vere velle, quemlibet ſanctificari, ſed non minus verum eſt, neminem ſanctificatum iri, niſi, adamuſſim expleverit ejus ſtatus officia, in quo nos Deus ipſe conſtituit. In hoc potiſſimum vera conſiſtit devotio, ſine qua nemo poteſt ſanctificari. Quilibet Sanctitatis, & pietatis conceptus, qui hujus characteris non eſt, fallax eſt. Praxes pietatis, quæ parum decent ſtatum noſtrum, meræ ſunt ſuperbiæ noſtræ, vel amoris proprii illuſiones. Salutis noſtræ inimicus fallaci hoc nitore fallit animæ ſimplicis credulitatem. Quælibet devotio, quæ nos movet loco, error eſt. Quiſnam error hoc deterior? Quiſnam hoc vulgatior? Aliam quamcunque perſonam gerere placet, ab ea, quæ nos decet; Deo ſervire volumus longe alio modo, ab eo, quem ille cupit. Domeſticus, qui ſecundum arbitrium ſuum ſerviret, non diu ſerviret. Præceptorum obſervantia, innocentia, mortificatio, omneſque Chriſtianæ virtutes decent omnia mortalium genera, ſed non omnia praxis pietatis decet omnes. Aſſiduitas orationis, rerum ſæcularium ignorantia, conſanguineorum oblivio, virtutes ſunt propriæ Religioſorum; ſed Faber, opifex, Magiſtratus, Paterfamilias reprehenſibiles eſſent ſi conditionis ſuæ officia negligerent. Vera devotio in hoc ſita eſt, ut hæc expleas officia, ut fideliter ea facias, quæ Dominus jubet. Inſignis igitur error eſt credere, non poſſe vere ſanctum, & pium eſſe, niſi qui in Templo verſatur, orationi tantum intentus, cum teneatur quilibet primum obire ſui ſtatus officia, & munera familiæ ſuæ. Ex hactenus dictis inferri igitur poteſt, devotionem & ſanctitatem in omnibus Patrisfamilias agris æque ac in ſolitudinibus germinare, & hoc omnibus Chriſtianis inſigne ſolatium eſſe, ſcire, ſe in omnibus vitæ conditionibus poſſe ſanctificare. *P. Croiſet in Aſceticis Tomo 5.*

Generatim Chriſtiani omnes ſancti fieri tenentur.

Ad Chriſtianam Religionem vocari idem eſt ac vocari ad eminentem ſanctitatem. Quam innocentiam, quam morum integritatem, quam vitæ puritatem non exigit ab omnibus fidelibus glorioſum nomen Chriſtiani? Eſtote Sancti, ſicut Pater veſter Cæleſtis Sanctus eſt. Sanctitas Dei ipſius nobis tanquam exemplar proponitur. Quæ perfectior puritas? Vel leviſſimum impuritatis deſiderium, vel minimam cogitationem condemnat. Ipſum nomen proſcriptum eſt: *Nec nominetur in vobis.* S. Paulus ait. Quæ conſtantior ſenſuum omnium mortificatio! quæ modeſtia, quæ verecundia, quæ cura in ſancta hac vita, quam Chriſtiani ducere debent. Nulla eſt imperfectio, quæ damnata non ſit. Quinam perfectior amor Dei! Quæ charitas erga proximum magis univerſalis, & ſincera! Ulluſne fuit conceptus perfectionis, & ſanctitatis illo perfectior, quem nobis noſtra aſtruit Religio? Nullus fidelis eſt, qui per ſuam vocationem ad Chriſtianiſmum non teneatur ſemet ſanctificare, & inceſſanter ad eminentiorem ſanctitatem contendere. Hic Evangelii ſpiritus eſt; hic Spiritus eſt Salvatoris ipſius. Conamini quoad vobis libitum fuerit hanc vitæ ſanctæ neceſſitatem cum vita molli, ac mundana plurimorum fidelium conciliare; jam non eſt ultra ſanctitas; ſed eſt tantum corruptio. *Idem Tomo 5.*

Epheſ. 5.

Nonniſi gradatim, & cum labore ad Chriſtianam perfectionem aſcendimus.

Quantumcunque ſit ſubſidium, quod præſtolamur a Deo, ſperandum tamen non eſt, fore ut repente ad altiſſimum perfectionis apicem evehamur. Eo perveniemus, ſed ſenſim, illuc gradatim aſcendemus ut ait Propheta. Nonniſi pauciſſimis conceſſum eſt, ut ita loquar, eo convolare & illuc brevi ſpatio ferri. Et hæc potiſſima ratio eſt, propter quam adeo infrequenter ſanctitatem indipiſcimur. Plerique vellent ab ipſo ſtadii ſui carcere ſtatim ad metam pervenire; ſed id non patitur Deus. Vult nos de virtute progredi in virtutem, ut ſenſim ad perfectionis faſtigium perveniamus, ut magis magiſque mereamur per niſus juges, quos exerimus paulatim aſcenſuri. Eamus, dicebat Elias, aſcendamus ad montem Domini. Quodnam eſſet Prophetæ meritum, ſi Angelus qui admonebat illum, ut ad montem Oreb aſcenderet, commodaſſet illi alas ſuas, ut in ictu oculi eo raperetur? Meritum illius fuit dies noctesque incedere per viam deſertam, & aſperam, & poſt multos exantlatos labores ad terminum pervenire. Ita dux ille, qui in perfectionis viam nos deducit, licet eſſet Angelus de cælo dilapſus, nunquam ſine labore nos ad ſanctitatem adducet. Fulciet nos, confirmabit nos, ne animos deſpondeamus; ſed cum omnibus hiſce ſubſidiis nobis adhuc diu laborandum ſupererit, & nonniſi per gradus, ac paulatim aſſequemur illum ſanctitatis apicem, ad quem contendimus. Domine, præſerva me ab illuſionibus eorum, qui ad ſublimem pervenire vellent perfectionem, ex quo ingreſſi ſunt viam, quæ illuc adducit. Intelligam, me nunquam aſſecuturum eſſe beatum hunc terminum, niſi procedendo de virtute in virtutem, & memet elevando ad te per varios gradus, quos mihi in Evangelio indigitare tibi placitum eſt. Perfectionis via ardua, & aſpera eſt, & quo magis progrediar, illa mihi ſterni, & facilior fieri videbitur. Prolixa eſt, ſed gratia tua, Deus, & merces, quam conatibus meis polliceris, fortitudinem meam ſuſtinebunt, & excitabunt mea deſideria. *P. Segneri Tomo 5. Meditationum.*

Te Dei auxilio confidimus, quatenus fideles erimus, elevare nos ad illum per gradus nobis indigitatos.

Juſti, de quibus hic ſermo eſt; juſti qui Sancti fieri volunt, in ſpeculatione fatentur, paulatim dumtaxat nos ad ſanctitatem pertingere poſſe; ſed in praxi non videntur ultra idem eſſe; non ingrediuntur in ordinem, & ſeriem mediorum, quæ illos ad ipſorum finem adducerent. Cogitantne igitur ſatis eſſe, ſi ſibi proponant ſanctitatem ut re ipſa fiant Sancti? Nonne opus eſt ut ad id in nobis eas diſpoſitiones collocemus, quæ ad id ſunt neceſſariæ; *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit?* Dei enim auxilium nos ad ſanctitatem minime adducet, niſi & nos cooperemur. Dominus tunc non ſolum nobis afferret auxilium; ipſe faceret omnia; quod nequaquam poſtulandum eſt nobis. *Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit!* Quæ verba nobis ſimul oſtendunt & vim gratiæ, & neceſſitatem in qua ſumus eidem pro virili parte cooperandi. *Idem.*

Pſalm 83.

Inceſſanter operam demus perfectioni noſtræ in ſtatu, in quo nos Deus collocavit.

Operantes noſtram Sanctificationem duarum rerum, quæ maximi momenti ſunt, meminerimus. Harum prior eſt, nos eſſe in lacrymarum valle, in loco evagationum, tumultus, ſollicitudinis, tentationum, ubi ideo ne unam quidem virtutem in perfectu grado ſcimus acquirere. Itaque ne deſpondeamus animum, quamvis parum ad perfectionem procedere videamur; ſed contendamus ſemper eodem niſu, & ardore pari, & perveniemus, quo Deus nos pervenire jubet: Sed caveamus præſertim ne cedamus retro, & virtutis viam deſeramus. *Idem.*

Nobis enim tendendum eſt, ut noſmet ſanctificemus in eo ſtatu, in quo Deus nos collocavit.

Alterum illud quod oblivioni tradendum non eſt; debere ſingulos perfectioni vacare eo in ſtatu, in quo Deus illum conſtituit. *In loco, quem poſuit.* Ita S. Auguſtinus explicat Regis Prophetæ verba. Ne igitur imitemur illos, qui nullum in virtute progreſſum efficientes ſtatui ſuo ſuccenſent; & ſemper inquieti, ſemper inconſtanter delibare vellent, ſi fieri poſſet, omnes, quotquot ſunt vitæ conditiones. Quis error! Sancti in qualiber profeſſione inveniuntur; ſi igitur in tua ſanctus non es, tibi uni ſuccenſeas. Non dicimus, ſi tibi vacat adhuc ſtatum ingredi, tibi illum eſſe eligendum, quem magis idoneum exiſtimaveris; ſed cum optio hæc jam facta ſit, nihil ultra curandum eſt, niſi ut tuo te in ſtatu perficias. Dominus æque præſto eſt, ut in hac, vel in illa profeſſione ſuam tibi gratiam largiatur. *Pater Segneri Tomo 5. Meditationum ſuarum.*

Sanctitate non creſcere, eſt periculo ſeſe objicere in priſtina flagitia relabendi.

Hæc ſummi momenti veritas eſt, quam omnes Sancti Patres notarunt, neceſſe eſſe quotidie progredi in viam bonam, ubi ſemel illam ſumus ingreſſi; non enim ſatis eſt illam ingreſſos eſſe, in eadem ambulandum eſt per fidem charitate illuſtratam, atque animatam. Si igitur nobis curæ non eſt induere novum hominem, prout veterem exuimus: timendum eſt nobis ne retrocedamus, quin procedamus. Plantæ, quæ non creſcunt poſtquam enatæ fuerunt, quam primum moriuntur, ac ſimili ratione dicere poſſumus, ſi charitas noſtra non creſcit, & paulatim non diſſipat prava ſtudia noſtra, & incompoſitos habitus; arguendum eſt in nobis eſſe ſecretos quoſdam obices, qui obſtant, ne creſcat; & qui fortaſſe apti futuri ſunt ad eam penitus extinguendam. *Chriſtiana locutio pro prima Dominica Adventus.*

Mera illuſio eſt credere nos non teneri ſemper, ut ad altiorem ſanctitatem aſcendamus.

*Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt;* inquit Salvator. Irrito labore aures obſtruimus, ne audiamus ſecretam vocem, quæ ſæpe ad cor noſtrum loquitur, nobiſque dicit, quod cum digni habiti ſimus, qui Dei illuſtris hujus Patris filii habeamur, non poſſe nos ſuſtinere tantæ cogitationis dignitatem, niſi ardentem habuerimus zelum evadendi in Sanctos viros, atque perfectos, ſicut ipſe eſt; ſaltem quoad naturæ noſtræ

anſir-

infirmitas patitur. Verum eſt noſtræ conditionla nihilum ſemper ad relaxationem contendere, & ſemper conari nobia hac in re perſuadere, cum ita infirmi ſimus, ut ſumus, nequicquam adeo ſublimem fovere ſpem; nobis ſatis ſuperque eſſe, ſi cognoverimus noſtram fragilitatem, eamque cognoſcentes adniſi fuerimus noſmet expedire a crudeli tyrannide furentium cupiditatum, & cor noſtrum docuerimus fugere periculoſas voluptatea, quæ illud veneno inficiunt, & quæ guſtantibus illas inferunt mortem. Si noſmet continentes inter juſtos cancellos, quos nobis Religio præſcribit, nequaquam lapſi fuerimus in illa ſcelera, quæ nobis lex interdicit: eſſet enim alioquin nimis dura lex, & jugum non ferendum, ſi exigeret, ut inceſſanter operaremur, ad perfectionem acquirendam, & ſemper in vitæ ſanctitate procedendum eſſet; nec poſt aliquot victorias de nobiſmetipſis, & de vitiis noſtris deletia relatas, non liceret frui nobis fructibus noſtrarum victoriarum, rati ſatis eſſe perveniſſe ad aliquem perfectionis, & ſanctitatis gradum, qui creditur ſatis eſſe poſſe, quin nos tot motibus torqueamus, ut majorem perfectionem acquiramua, abuſua, illuſiones, errores ſtrenue evincendo. Nihil enim magis a veritatis ſpecie abhorret, quam dicere, nequaquam præſcribi poſſe cancellos inquietæ ſollicitudini, qua nobis ſemper contendendum eſt ad altiorem perfectionis gradum, & ad Sanctitatem eminentiorem. *Auctor recens.*

*Ad Sanctitatem minime contendere eſt dedecore afficere SS. ctam Eccleſiam, Deum ac noſmet ipſos.* Hæc ignavia, & hæc negligentia, qua in Sanctitatis, & perfectionis ſemita nequaquam procedimus, nobis ſpectanda eſt tanquam inſigne dedecus, quod in nos æque incidit ac Religionem, quam profitemur. Hac enim in re nonne videt Deus ut ita dicam, illuſa conſilia ſua? Cur igitur nos elegit? Elegit profecto nos, ut eſſemus homines ſpiritales, qui ad ipſum dumtaxat pertinerent, qui id unum cogitarent, quo pacto gloriam illius procurarent non communi ſanctitate; qui eſſent veluti milites ſtrenui pugnantes, quin unquam ponerent arma: animæ ſanctitatis amore flagrantes, quæ in perquirendo perfectionis apice nullam ſibi quietem permitterent. Hoc ſane Apoſtolis, & in eorum perſona fidelibus omnibus dixit Dei Filius; *Poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis.* Ergo ex Salvatoris ſententia, ut in perfectione, & vitæ ſanctitate creſcatis. Quod pertinet ad contumeliam, quam Religioni, quam profitemur, inferimus; hæc nos in Communione Sanctorum excepit, ea mente, ut evaderemus perfecti, & Sancti, juxta exemplum, quod illi nobis propoſuerunt. Illa nos educavit, ac ſervat hac ſpe; & illa quodam in ſenſu pudore ſuffunditur videns, media, quibus tanta cum utilitate uſa eſt erga tot alios, irrita facta fuiſſe in nobis propter ignaviam, atque negligentiam noſtram; cumque nequeat evitare probra, quæ ipſi hac de cauſa ingeruntur, mœrore conficitur ſibimet dicens:
*Iſaiae 1.* *Filios enutrivi, ipſi autem ſpreverunt me.* Hoc autem probrum exigui profectus, quem in ſanctitate referimua, in nos etiam redit propter promiſſionem, quam fecimua per fœdus, ut ita loquar, a nobis cum Sancta Eccleſia ſancitum, & quod quotidie perfringimus. Etenim nonne in Dei Eccleſiam ingreſſi ſumus, ut Sancti evaderemus? Nonne noſmet conſiderare debemus tanquam ſydera, quæ ſemper clareſcere debent lumine, & attrahere non ſolum noſtros concives, ſed etiam alienigenas gentes ad Sanctam Religionem, quam ſequimur? Via juſti lumen eſt, cujus imminutio ferenda non eſt. At ad altiorem Sanctitatis gradum nequaquam contendere idem eſt ac deeſſe neceſſitati noſmet in Chriſtiana Eccleſia ſanctificandi: ita ut Chriſtianus, qui non dat operam, ut Sanctitatem acquirat, nullo pacto ineluctabile ſibi munus commiſſum adimpleat unius rei illius, propter quam Deus illum in albo filiorum Eccleſiæ recenſuit. *Recens Auctor.*

*Ut ſancti ſiamus nobis obſervandum eſt, quo tendant cogitationes, verba, facta noſtra.* Ad examen pauliſper vocemus, quidquid fecerimus tot annos, ut Sancti fieremus, & ut perfectionem adipiſceremur. Nunquid perfectam de cupiditatibus noſtris victoriam retulimus? Nunquid iis omnibus abrenuntiavimus, quæ nos ab hoc fine divellunt? Num mortui ſumus omnibus affectionibus, ſtudiiſque noſtris? Num ſpiritum, ac voluntatem noſtram omnibus divinæ Providentiæ nutibus, legique divinæ ſubjecimus? Num noſmet collegimua, ac interiorem ſolitudinem ſervavimua, quæ efficit ne unquam a Dei conſpectu recedamus, ac illius in nobis jugem memoriam tueamur? Heu! quid fecimus hactenus, ut hanc recordationem foveremus? Quid egimus, ut ſuperaremus hanc antipathiam, quam in officiis noſtris obeundis experimur, & quæ venenatua fons eſt tot peccatorum? Inter millia inutilia verba, inter millia opum, honorum, dignitatum meditamenta, quæ cordibus noſtris alimus, quid in præſens uſque tempus egimus, ut coerceremus ingenium hoc moroſum, aſperum, querulum, litigioſum, quod efficit ut adeo raro cum proximo conſentiamus? Quid a nobis actum eſt, ut figeremus hanc evagationem, & noſtrum metipſorum effuſionem extrinſecus, adeo oppoſitam ſolitudini interiori, quæ nobis ſervanda eſt, ſi velimua ſancti eſſe, & perfecti, uti polliciti ſumus, ubi ſancto eluendi baptiſmate, noſmet nuncupatis Deo votis obſtrinximus? *Auctor recens.*

Deua ita magnitudinis ſuæ characterem in omnibus operibus ſuis impreſſit, ut ne unus quidem divinas illius perfectiones ignoret. Quod ſi hoc in naturalibus locum habet, multo magis habet in Sanctis, qui ejuſdem ſunt viventes imagines. Ita videmus Scripturam, quæ quibuslibet rebus pretium novit tribuere, ubi loquitur de operibus, quæ Deua in natura produxit, dicere ſolum: Magna ſunt opera Domini: ubi vero conſiderat Sanctos, qui Deo perfruuntur in Cælo, exclamare: Mirabilis Deus in Sanctis ſuis! Heu! quantam nobis conſolationem nobis afferre debet hæc cogitatio; quoniam beatæ animæ illæ conſtituunt partem Eccleſiæ Jeſu Chriſti, cum ſint membra ejuſdem corporis cum nobis, cujus ille caput eſt; & cum adhuc nobis conjuncti ſint per vinculum charitatis, quæ, ut S. Paulus ait, nunquam deficit. Hinc Sanctus Auguſtinus docet Eccleſiam militantem, & Eccleſiam triumphantem, unam tantum futuras in beatæ æternitatis poſſeſſione, ſicut modo una ſunt vinculo charitatis. Ita illi nobis ſunt fratres natu majores, tutores, ac patroni noſtri. Et profecto donec ſumus hic in prælio, illi pro nobis Deum deprecentur, & ab eo pro nobis neceſſaria petunt ſubſidia, quibus adjuti glorioſas referamus victoriaa de inimicis ſalutis noſtræ, ut aliquando futuri ſimus felicitatis eorum conſortes. Quod ſi Beati in cælo non obliviſcuntur noſtri; nonne æquum eſt, ut & nos accurate ipſis obſequia noſtra præſtemus in terra, quorum primum eſt illos colere, & imitari, & id ſecundum Divini Præceptoris noſtri ſenſum; qui loquens de filiis ſummi Sacerdotis Heli ait: *quicunque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* *1. Reg. 2. 30.* Ad hæc, cum Sanctos colimus, colimus Deum; quia beati Spiritua illi ſunt ejus, & ſunt membra Jeſu Chriſti; quapropter Sanctus Ambroſius ait, quicunque colit martyrea, colit Jeſum Chriſtum, & quicunque illos contemnit, contemnit Dominum. Quod ſi honorem adhibemua Parentibus noſtris, omnis enim paternitas, ut Sanctus Paulus ait, originem habet a Deo: ſi Principea & magiſtratus veneramur tanquam imagines potentiæ Dei, & Sacerdotes tanquam peculiariter ejuſdem miniſterio devotos: cur non colendi erunt nobis ſummi Heroes illi, qui poſt obitum ſuum, poſtquam vitam traduxerunt in praxi virtutum omnium, & ſanctitatis; quandoquidem præſertim, honor hic, quo eos colimus, nullam infert injuriam cultui ſupremo, quem debemus Deo? Quis enim ignorat, ſicuti fatemur in Deo excellentiam infinitam, ita cultum, qui debetur illi, nullis finibua, aut cancellis contineri debere? E contra vero cum excellentia Sanctorum finibus ſuis includatur, ita honorem his debitum finitum, & circumſcriptum eſſe, & toto cælo inferiorem illi, quo Deum adoramus. Deus unus eſt, cui ſupremus cultus præſtari poſſit, quippe qui rerum omnium finis eſt, & principium; & cui cultus omnis abſolute debetur; Sanctis vero, quippe qui creaturæ ſunt, præſtare debemus honorem, qui ad Deum referendua eſt, quippe ab ipſo Deo excellentiam, & ſanctitatem ſuam receperunt. Martyres ipſos veneramur cultu dilectionis, & ſocietatis, quo coluntur Sancti Dei in hac vita; ſed cultus hic illis majori cum certitudine ac devotione tribuitur, poſtquam de cruciatibus retulere triumphum. Hinc autem honor in eo ſitua eſt, ut cum pietate feſtos illorum dies celebremus, vitæ ipſorum hiſtoriam legamus cum mentis attentione, & cor habeamus plenum obſequio erga illos, ſemper de illis cum honore loquamur, eorumque virtutes imitemur. *Peau in ſchola Jeſu Chriſti.*

*De noſtris erga SS. ctos, qui æterna fruuntur gloria, officiis.*

# DE SOCIETATIBUS, COETIBUS,
## CONFRATERNITATIBUS, CONGREGATIONIBUS
## in Eccleſia ſub variis titulis Inſtitutis,

## M O N I T U M.

*Prater varios characteres Sanctitatis, & multiplices vias, quas ſecuti ſunt illi, qui Sanctorum titulum aſſecuti ſunt, de quibus jam verba fecimus, ſciendum eſt non deeſſe in Eccleſia Congregationes, Confraternitates, Cœtus, Societates, quæ nonnihil conferunt ad fidelium pietatem, & quæ quin ſub aliquo ſtatu peculiari contineantur eorum, de quibus in ſuperiori tractatu verba fecimus, viam ſemel ſanctificandi ſecuti ſunt, atque ſe obſtrinxerunt vitæ quæ magis regularis eſſet, quam reliquorum vulgo fidelium, fideliter eas ſecuti regulas, quæ adhærent Societati, quam ultro elegerunt probante Eccleſia, ac ipſorum Paſtore.*

*Ad intelligendum fructum, quem in Eccleſia ferunt Cœtus hujuſmodi, ſciendum eſt illos in varias claſſes eſſe diſtinctos; quarum alia in uſu ſunt in Religioſis domibus per Sanctæ Sedis auctoritatem, & probationem, quæ etiam conceſſit Indulgentias, aliaſque gratias illis, qui recenſeri vellent ſub titulo, quem eorum gerit Inſtitutum; & pauci ſunt Ordines Religioſi qui ſibi merito non vertant, fovere id genus Sodalitia ſub peculiari titulo ad Dei gloriam conſecrata. Alia vero, quæ non-minus communes ſunt, & quæ magno cum fructu Paſtorum cura in Paroeciis, & ſub Epiſcoporum auctoritate exercentur, cujus generis ſunt Confraternitates Sanctiſſimi Sacramenti, adorationis Crucis, cultus Beatæ Virginis, ſeu in Mœrentium ſolatium; alia denique communes omnibus ſtatibus, conditionibus, & profeſſionibus vitæ, mercatoribus, opificibus artium omnium, qui ſuum habent ſymbolum, quo diſtinguuntur, ratione habita Myſteriorum, vel Sanctorum, quos ſingillatim ſe colere profitentur per actiones pias, Sacrificia, ſupplicationes, aliaſque id genus maximæ ædificationis cæremonias. Cum de ſingulis hujuſmodi Societatibus ſermonem habere nequeamus, ſatis erit de illis generatim verba facere, niſi fortaſſe de aliquibus inſignioribus, ut hinc judicium ferri poſſit de utilitate, quam ex aliis refert, ac pretio, in quo alias habet Eccleſia.*

---

# DE SOCIETATIBUS, COETIBUS
## Confraternitatibus, Congregationibus ſub multiplici Titulo in Eccleſia Inſtitutis.

Quod pertinet ad Confraternitates, vel Aſſociationes particulares, operæ pretium nos facturos cenſemus admonere eos, quibus honos, pietas ſuadet, ut huic, ut ita dicam, militiæ dent nomen, & in illa recenſeantur: Ex tanto numero, quarum vix nomina cognoſci poſſunt; nos de illis tantum verba facere, quas Sancta Sedes probavit, & quæ nulli cenſuræ ſunt obnoxiæ, vel quas Epiſcopi utiles eſſe arbitrantur ad pietatem ſovendam, & alendos optimos mores in ſuis Diœceſibus, quod illas ab omni ſuſpicione, ac ſuperſtitione immunes oſtendit. Hoc autem præſupponendum eſt; nam ſub pietatis, ac devotionis ſpecie, ibi tenentur aliquando conventus, & cœtus Reipublicæ noxii, & quibus Principes, & Magiſtratus ſapientiſſime interdictum voluerunt, tanquam cœtibus ſeditioſis. Denique ſicuti optimi corruptio peſſima eſt, Summi Pontifices jure ſuo nonnullas abrogarunt, quæ ſub publicorum pœnitentium nomine ſecretam celabant licentiam, & nonnunquam etiam publicam; quamobrem quæcunque Societas neque ſancta, neque licita eſt, ſine auctoritate Eccleſiæ. 2. Neceſſe eſt etiam ad argumenti hujus intelligentiam reſpicere numerum harum Societatum, quas Confraternitates vocamus; nam licet magna earum ſit multitudo, ut vix earum numerum aſſequi valeamus, animadvertendum eſt tamen eas ad tres diverſas ſpecies referri. Quarum prior nomen deſumit vel ab aliquo Jeſu Chriſti myſterio; exempli gratia Confraternitas Sanctiſſimi Sacramenti &c. in qua qui recenſentur, profitentur ſe deſervire Deo, ſub hoc titulo peculiari; non quod alia non venerentur myſteria, ſed quia hoc ſibi peculiariter deligunt honorandum, atque imitandum. Species altera geſtat titulum aliquorum myſteriorum, feſtivitatum, vel prærogativarum Mariæ Virginis, quæ infinitis propemodum Confraternitatibus variis in regionibus, & in ſingulis fere civitatibus nomen fecit. 3. In honorem aliquorum Sanctorum, qui præter Inſtitutionem Ordinum Religioſorum, qui ex illorum nominibus appellantur, conſociarunt privatos utriuſque ſexus fideles in praxi obſervantiarum ſuarum, quemadmodum fecerunt S. Dominicus, SS. Franciſcus Aſſiſinas, & Paulanus, inſtitutor Carmelitarum, aliique nonnulli ſub aliis titulis de quibus ſingillatim verba facere non poſſumus neque ſermonis materiam ſuppeditare in ſingulas id genus aſſociationes, quas Confraternitatum nomine complectimur, quarum ſpecioſa varietas non parum confert ad Eccleſiæ ornamentum, & Sanctitatem. Nobis ſatis eſt hortari vulgo fideles ut rite ſervent ea inſtituta, quæ continent, tanquam aptiſſimum medium ut chriſtianam vitam ducant, & operentur ſalutem ſuam majori cum fructu, atque facilitate. Sed operæ pretium cenſemus illos admonere, ne ſibi perſuadeant ſatis eſſe in has ſocietates admitti ut certi ſint ſalutis ſuæ, ſed hoc duntaxat medium eſſe, ut efficientius illam operentur, ſumma officii fide ſervantes regulas, atque ſtatuta illis inhærentia. Ad hæc animadvertendum eſt, quemadmodum ſodalitia, & confraternitates in honorem Beatæ Virginis ab Eccleſia probatæ hodierna die frequentiores ſunt, in dubium revocari non poſſe, quominus ſint validiſſimum vallum contra impetum inimici ſalutis noſtræ, & præſens amuletum contra ſæculi corruptionem, & præſertim arrha peculiaris protectionis Deipatæ erga omnes Confratres. Celeberrimæ ſunt illæ Roſarii, & Scapularii. Utrique nomen date; ſed pro viribus contendite ut omnia utriuſque adimpleatis officia. Nulla Sodalitas aptior eſt ad promerendum Beatæ Virginis patrocinium in omnibus neceſſitatibus veſtris; nulla utilior ſchola eſt veris Mariæ famulis, dummodo ſint aſſidui, & earum Congregationum inſtituta ſequantur.

Proprie loquendo Eccleſia Catholica non aliud eſt, quam Cœtus fidelium Chriſtianorum, a quibus nomen accepit; ſed hic pulcherrimus, & auguſtiſſimus Cœtus eſt, qui ſit in Cælo, & hæc reliquorum omnium eſt mater. Caput illius eſt Jeſus Chriſtus, & ut ita dicam primus confrater; alii vero ſunt omnes Chriſtiani. Dei Filius dignatur illos fratres ſuos nuncupare; & habere tanquam ejuſdem Patris filios; quilibet talem ſe gerere debet damnationis pœna propoſita, & Deus pro filiis ſuis habere nollet illos, qui tales non eſſent. Sociorum numerus nimius eſſet, ut bene regeretur in ſingulis membris illam componentibus; & quod videbatur illi ornamento futurum eſſe, nonnunquam illam contemptibilem fecit: tum licet nemo ingrediatur niſi per innocentiæ januam, & omnes certe plenariam lucrentur Indulgentiam eo die, quo in eadem recipiuntur, quia dies eſt, quo baptizantur; nihilominus plures vitæ decurſu dedecorant illam, & Sanctitas, quæ eſſe deberet magni hujus corporis anima, longe imminuta eſt, ex quo tam late ſe extendit. Primis illis temporibus nullus erat Confrater, qui eſſe nollet perfectus Jeſu Chriſti imitator; omnes gloriæ ſibi vertebant imitari virtutes illius; paupertas, dolor, atque contemptus totam Societatis hujus ambitionem conſtituebant. Fatale hoc nomen meum, ac tuum quod tantum ciet rumorem in mundo, & conjunctiſſimas ſolvit amicitias, in eorum ſermone locum non habebat, Omnia erant communia; inter eos nulli erant ditiores, nulli pauperiores; nihil proprium poſſidebant; cor illorum Deum unice reſpirabat. *In libro, cui titulus: Familia Sancta P. Corderii Tomo 2.*

Tempus illud Apoſtolicum, & ratio vivendi primorum fidelium ne integrum quidem ſæculum obtinuit; prout ignis Spiritus Sancti deferbuit; natura gratiam ſuperavit, ac priſtina jura iterum adepta eſt; pro terrenarum rerum contemptu, quem Cæli amor peperit in his animabus, oborta eſt avaritia, pro humilitate, honoris deſiderium invaluit, & in locum odii corporis ſui, ſucceſſit

Eccleſia Catholica eſt Confraternitas, cujus Caput eſt J. C.

Voluit, Deus efficere, ut reviviſceret Spiritus Chriſtianiſmi in perſona Religioſorum utriuſque ſexus, qui peculiarem conſtituunt ſocietatem.

ceſſit voluptas, & præclara illa Jeſu Chriſti imago, quam quilibet impreſſam gerebat in corde ſuo, modo hoc, modo aliud amittebat lineamentum, & ita ex majori parte obliterata fuit, ut poſt elapſa aliquot ſæcula nihil priſtinæ ſimilitudinis ſupereſſet. Hoc tempore Deus, qui ſemper habere vult ſanctos ſuos in Eccleſia inſpiravit primordia Ordinum Religioſorum ſexus utriuſque, ut reſuſcitaret ſpiritum primorum fidelium, & faceret, ut pietas, quam mortales omnes perſequebantur, aliqua tamen nanciſceretur perfugia, ubi tuto vivere poſſet. Communicavit illis interiores primitivæ Eccleſiæ ſenſus, eoſque tanto fervore animavit, ut in terris viverent non ſecus ac Seraphin Cælo. Alii horrentes conquirebant ſolitudines, ne mundi ſpiritus illos in devotionibus ſuis perturbaret: Alii videntes monita ſua, ac integerrimæ vitæ exempla iis prodeſſe poſſe, qui non illius conditionis ſunt, ut in deſertis vivere poſſint, per ſpiritum charitatis ſeſe in civitatibus continuerunt; ſed cum iis inſtitutis tantum abhorrentibus a placitis publicæ licentiæ, ut nulla ſit Arx tam forte vallo, aggeribuſque ſepta contra externos militum impetus, quale ipſorum inſtitutum eſt contra vitium. *Idem*.

Ordines Religioſi ſunt Confraternitates, quorum numerus multiplicatus eſt.

Ordines Religioſi proprie non aliud ſunt, quam illuſtres Confraternitates, quarum pietas Chriſtianiſmi ſpiritum inſtauravit. Plurimi, qui ſopiti erant in pravis criminum ſuorum habitibus; ad aſpectum tanti luminis excitati ſunt, & ſtatuerunt imitari Cœnobitas, non quidem in rebus omnibus, quoniam minori ſumptu ſalus comparari poteſt; ſed virtutem excolendo juxta vires ſtatus ſui, & ſerio cogitando de maximo ſalutis negotio. Ut autem facilior ſalutarium conſiliorum ſuorum expediendorum eſſet ratio; inſtitutæ fuerunt Confraternitates, ubi exiguus aliquis numerus piorum hominum, a nimis libera vulgi conſuetudine abhorrentium, ſtatis temporibus ſimul conveniunt, ut majori cum zelo chriſtianæ vitæ occupationibus vacent. Hinc ortæ omnes Congregationes ſub Nomine Beatæ Virginis apud Jeſuitas, Confraternitates Roſarii apud Patres S. Dominici: Confraternitates Sancti Sacramenti, Familiæ Sanctæ D. noſtri, & Joſeph, aliæque plures, quas Summi Pontifices probarunt, & locupletarunt pluribus Indulgentiis cum pro viventibus, tum pro defunctis. Hac in re Eccleſia ſuum prodidit zelum, ut Deum in terra glorificaret: quemadmodum glorificatur in Cælo ab illa triumphanti Hierarchia, ubi adeſt Ordinum varietas, tanquam tot ſocietatum, quibus unus ſcopus eſt honorandi, & glorificandi divinam Majeſtatem. *Ex libro cui titulus, Familia Sancta R. P. Joannis Corderii. Tomo 2.*

Utilitas, quam percipimus cum ingredimur in aliquam Confraternitatem.

Nulla confraternitas eſt, in qua non inveniantur quinque, vel ſex res commendabiles, & confratribus utiles. Habet protectionem perſonæ illius ſub cujus præſidio inſtituta eſt. Noſtræ infirmitates ſatis nobis oſtendunt neceſſitatem, quæ nobis eſt valentium patronorum, qui noſtras res agant apud Deum. A quibus autem majus ſubſidium ſperare poſſumus, quam a magnis illis Patriarchis, qui ornaverunt Eccleſiam meritis virtutum ſuarum, & mundo ſtuporem injecerunt magnitudine miraculorum ſuorum? Quantumvis boni modo ſimus, fortaſſe præteritum non ſemper æque bene fuit inſtitutum, ac præſens; & licet hoc eſſet, cum non ſint homines adeo ſancti, ac inſontes itaut nunquam peccent; nemo eſt, qui non aliquid reliquum debeat juſtitiæ Dei pro pœna peccatis ſuis debita. Huic ſatisfaciendum, vel in hac, vel in altera vita eſt: neque melius hoc fieri poteſt niſi per applicationem meritorum Jeſu Chriſti, Beatæ Virginis, & omnium Sanctorum, per indulgentias. Hæ gratiæ, adeo liberaliter conceduntur Confraternitatibus, ut nullus abeat anni menſis, quo Sancta Sedes non largiatur plenarias Indulgentias illis, qui in hujuſmodi Congregationibus deſcripti ſint. Præter quam quod ſi nos noſtram ignaviam cognoſcimus, ſcimus quanta ſit virtus bonorum exemplorum, quæ in his nobilibus cœtibus non deſunt, ubi quilibet certatim contendit, ne quid prætermittat eorum, quæ agenda ſunt. Bonorum fervor ſecum fert neſcio quem igniculum, qui tepidos fovet, eiſque imminuit timorem pœnæ, praxi illis oſtendens virtutem inertibus ſolum eſſe difficilem. *Idem*.

Subſidia ſpiritualia, quæ ex Confraternitatibus percipiuntur.

Magnus ad virtutem obex eſt neſcire, quid ſit agendum. Non deſunt quidam qui præclare ſeſe gererent, ſi diceretur illis, fac hoc, fac illud. Hoc ſubſidium, & monita nunquam deſunt in Congregationibus. Ibi frequentes habentur hortatiunculæ, ad quas habendas eliguntur viri, qui ad cor potius, quam ad aures loquuntur; & licet omnes obmuteſcerent concionatores, regulæ loquerentur, & ſingillatim docerent quid faciendum ſit. Omnia mundi hujus officia intereunt in morte, Mundus enim non ultra procedit; ſed hic non ſubſiſtit harum Congregationum charitas; adhæret lectulo veſtro dum ægrotatis; vobiſque omnia præſtat officia, precum, conſolationis, & cujuslibet alterius ſubſidii, cujus egetis. Vos deducit ad tumulum, nec deſerit, niſi omnem impendent auctoritatem, quam apud Deum habet Eccleſia, ut vos ad Paradiſi fores adducat. Nunc licet vobis, Auditores, eligere, quid vobis faciendum ſit. Salvari poſſumus, quin ulli confraternitati, quam Eccleſiæ aſcribamur; non inficior; hoc præceptum non eſt, ſed conſilium tantum, ut id genus ſubſidiis utamini; ſed mature conſideranda ſunt quæ dixi; & deinceps ſtatuendum. Præcipue vero conſiderare languorem noſtrum id genus eſſe, ut niſi re aliqua excitetur, neque illud operabitur, quod neceſſitatis eſt; peculiares enim Dei gratiæ non conceduntur inertibus, & negligentibus media Salutis, quæ Deus illi offert. *In libro qui inſcribitur, Familia Sancta, R. P. Joannis Corderii Tomo 2.*

Liquido conſtat ab ipſis Eccleſiæ primordiis non defuiſſe, qui profiterentur vitam ſeveriorem illa quam vulgo homines ſequebantur, & quæ conformis fuit non præceptis tantum, verum etiam conſiliis Evangelicis, ſive in communi, velut primi illi S. Marci Diſcipuli Alexandriæ, ſive in particulari in deſertis locis, non ſecus ac illi, de quibus loquitur Sanctus Paulus; qui in ſolitudines, & ſpecus ſecedebant procul a mundi commercio, qui talibus viris dignus non erat. Sed cum primum hoc vitæ genus ſubſiſtere non potuerit, cum perſecutiones deſævirent, alterum mirum in modum auctum eſt fuga plurimorum fidelium, qui ut Tyrannorum rabiem eluderent, & ſuppliciorum cruciatus, ſeceſſerunt in remotiſſimos locos, ubi ſanguinis martyrium in illud pœnitentiæ mutabant. Denique cum Tyrannorum clade perſecutiones ceſſarunt, cum fama ubique celebraret Magni Antonii miracula, attrahebat undique ad illum quamplurimos, & illius imitandi deſiderium illos ita inceſſerat, ut quam primum ædificata fuerint cœnobia in montibus regionis illius, quæ circum Thebas in Ægypto eſt, ubi una cum antiquis Solitariis, qui eo conceſſerunt, illos in communi vivere docuit ſub regula, quam illis ipſe præſcripſit. *Auctor recens.*

De Congregationibus ſub nomine Beatæ Virginis inſtitutis.

Licet nomen congregationis indiſcriminatim conveniat omnibus Cœtibus pietatis qui habentur in Eccleſia; tamen peculiariter tribuitur illis, quæ in honorem Mariæ Virginis habentur in Collegiis, & Domibus Societatis Jeſu. Hæ comparari poſſunt fonti, quem vidit per ſomnium Mardochæus, & qui in ipſa origine erat admodum exiguus, ſed qui ſubinde in progreſſu creſcens produxit fluvium, qui ſeſe in terram univerſam effudit. Hæc devotio in Collegio Romæ duxit initium a pietate Religioſi juvenis, qui Dei ſpiritu afflatus & cupiens imprimere in diſcipulorum corde teneram erga Matrem Dei devotionem ſapientiorea morabatur, eiſque auctor erat, ut preces funderent ad aram, quam ipſe exornaverat. Cum pueri illi inter cæteros modeſtia, ac pietate eniteſcerent, plures in eorum numerum petierunt admitti qui brevi auctus eſt ita, ut anno 1563. erigenda fuerit Congregatio in Deiparæ honorem, ſub titulo Annuntiationis ejuſdem a Patribus Societatis Jeſu dirigenda. Regulæ, atque conſtitutiones ejus conſcriptæ fuerunt, & aliquot annis poſt Gregorius Papa XIII. videns bona, quæ hæc devotio gignebat in omnibus urbibus, illam Apoſtolica auctoritate approbavit, & Bulla ad id explicite edita illam gratiis, indulgentiis, favoribus, ac privilegiis locupletavit. Hujuſmodi Congregationes, nobilium, magiſtratuum, aliorumque poſtmodum conſtitutæ ſunt ſub regimine Patrum eorundem, cum eadem fere pietatis praxi. *Recens auctor.*

Confraternitas Scapularii.

Si homines ſibi honori ducunt, quamplurimos eſſe, qui ſuis coloribus incedant amicti, veluti nota imperii, atque auctoritatis, dubitare non poſſumus, quominus Virgo Deipara ſingulari honore ſe affectam putet ab illis, qui ejuſdem habitum gerunt, videlicet Scapularium, quod indicio eſt, nos illius eſſe, nos illius ſervituti eſſe devotos, nos eſſe ex numero domeſticorum illius, & in ejuſdem clientela verſari. Et ſane ſicuti Eccleſiaſticus a Sæculari ex indumentorum genere dignoſcitur, & Eques alicujus Ordinis ab eo, qui non eſt ex pallio, & funiculo; miles a mercatore ex enſe; ita Virginis Scapularium a nobis habendum eſt tanquam nota, qua illi ſecernuntur, qui eidem inſerviendo ſe devoverunt. S. Gregorius Nazianzenus loquens de pallio, quod reliquit Elias Eliſæo diſcipulo ſuo, cum ſublatus in cælum fuit, hoc nomine illum appellat: *pretioſam Prophetæ hæreditatem*: quippe hoc totum erat illud, quod in terris poſſidebat Elias; & Pallium hoc, ut ita dicam, induit Eliſæum duplici Spiritu magiſtri ſui; mox enim factus eſt hæres dignitatis, & munerum ejus. *Unctio facit Prophetam: Pallium autem contubernalem, & ſocium. Auctor recens.* Sed de hac re fuſius locuti ſumus in tertio tomo Myſteriorum.

De Confraternitate B. Mariæ Agonizantium nuncupata.

Inter Sodalitia communia in Deiparæ Virginis honorem inſtituta, ſi quid addere fas eſt, credo illam præcellere, cujus ipſa nomen gerit, & cujus fructus nobis certiſſimus videtur, ac titulus ipſi Mariæ honorificentior; Congregationem videlicet Mariæ Agonizantium nuncupatam. Prolixo opus eſſet ſermone ad referendam occaſionem, quæ impulit plurimos fideles ut in unam coaleſcerent ſocietatem, cujus finis eſt orare pro morientibus, qui in agone ſunt poſiti, illiſque procurare ſubſidia, quibus indigent in mortis articulo, ut certam ſibi faciant æternam felicitatem; Scire ſufficiat, vix Sanctæ Sedi propoſitam fuiſſe hanc ſocietatem cum intellexit Summus Pontifex, quantam eſſet utilitatem paritura in Eccleſia, ideoque non ſolum approbavit illam, verum etiam indulgentias, & privilegia conceſſit ad excitandos fide-



Digitized by Google

fideles ut illam ingrederentur; & mox longe plurimi ex omni ſtatu, & conditione Cardinales, Præſules nomen dare illi voluerunt cum pro zelo, & ſalute proximi, tum pro ſua, & præcipue, ut in honore haberent Matrem Dei, quæ in hoc pleniſſimo charitatis officio illis veluti exemplar præfulget, quippe quæ adfuit Salvatori de Cruce expiranti. Fructus, & utilitas, quæ inde cedit Sodalibus, eſt peculiari jure ſibi promereri præſidium Sanctiſſimæ Virginis in mortis agone ubi aliquando futuri ſunt, ac illi fidenter hanc Eccleſiæ orationem dirigere. *Tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe. Idem.*

Præſtantia Confraternitatis Roſarii. Non vereor aſſerere, Roſarium Beatæ Mariæ Virginis devotionem eſſe optime initutam, ideoque aptiſſimam ad promerenda ejuſdem ſubſidia, & impetrandas a Deo gratias, quas per eandem conſequi optamus, ſive conſideremus Myſteria, quæ continet, & quorum ciet in nobis recordationem, ſive cogitemus communionem bonorum, quibus illa in Cælo cumulata fuit, & quæ quodammodo illi ob oculos ſubjicimus; ſeu denique ea ipſa, quæ petimus, & quæ illa nobis largiri deſiderat. Liquet quot Socios illa jactet Reges, Principes, ſummos Pontifices, & millia ſupremæ Nobilitatis, qui gloriæ ſibi vertunt famulari Reginæ cælorum. Hoc proculdubio pietatis officium gratiſſimum eſſe debet Deiparæ, quandoquidem illi ob oculos ſtatuit beatiſſimum illud momentum, quo Angelus felix attulit nuntium, illam jam delectam fuiſſe in Æterni Verbi Matrem, & jam conſtitutam Spiritus Sancti Sponſam, a quo obumbrata ſinu conceptura erat illum quem Angeli adorant, ac tandem Creatori ſuo vitam datura. Qualitas, favor, dignitas, qua evehebatur ad altiſſimum dignitatis apicem, ad quem pervenire poterat mera creatura. Nunc autem illud unum reliquum eſt, ut ſciatis, quid ſit Roſarium quod recitatis, & cujus devotio adeo commendabilis facta eſt, ut vobis hac de re ſit perſuaſum. Hæc myſtica eſt corona partim conflata ex iiſdem verbis, quæ protulit Angelus in glorioſa illa legatione ſua, quibus admiſcetur oratio, quam mundi Salvator tradidit Apoſtolis ſuis, ut eſſet exemplar cæterarum, quas Deo effundere poſſumus. Noſtis præterea numerum victum, quibus repetitur non vacare myſterio, cumque diſtinguatur exterioribus ſignis, quæ adhibentur ad juvandam memoriam, efficere tanquam orbem, & coronam, quæ glorioſæ Dei Genitrici offertur ad eam colendam, unde factum eſt, ut pia ſimplicitas primorum Inſtitutorum Cultus adeo Religioſi, fecerit illi nomen Roſarii, quaſi huic Reginæ cælorum offerretur corolla Roſarum juxta eorum temporum conſuetudinem decorandi hoc munuſculi genere perſonas vel meritis, vel dignitate conſpicuas. *Auctor Sermonum &c.*

Hac in re haberi quæſtio poteſt non difficilis, quæ ſolvatur; videlicet, ſicuti hæ ſodalitates, vel cœtus pietatis plurimas habent regulas, & devotionum praxes, quæritur cujuſmodi ſint obligationes eorum, qui ſeſe illis aſtringunt. Nonne hoc eſt, aliquis inquiet, fortaſſe recens ſibi onus imponere, quod deinceps crucem figat conſcientiæ, cum per fragilitatem, vel aliquam pœnitentiæ ſpeciem, violamus onerofam legem, quam nobiſmet irrogavimus fortaſſe nimis temere, ac imprudenter; vel cum per relaxationem, quæ nimis communis eſt in aſceticis exercitationibus, oſcitanter peragimus ea, quæ imprudenti fervore peragenda ſuſcepimus? Nonne hoc eſt in caput ſuum convertere illam Prophetæ Ierem. 48. maledictionem: *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter?* Vel tandem nonne hoc eſt ſibi ponere offendiculum, & quærere occaſionem in multa ruendi ſcelera? Dei mandata, & Eccleſiæ, ſi ad unguem obſerventur, nonne ſatis ſunt, quin ex libidine nova nobis onera injiciamus? Hæ fere ſunt objectiones, quas hæretici, & mortales in omnem licentiam effuſi contra Religioſum ſtatum comminiſcuntur, quibus illud ipſum reſponderi poteſt, quod tot eruditi Patroni ſtatus hujus ad Salutem utiliſſimi reſponderunt. 1. Has leges vel inſtituta, quibus ultro ſe obſtringunt non eſſe divina præcepta, ſed tantum ad majorem perfectionem ſpectare; eorum inobſervantiam non eidem pœnæ, vel peccato eſſe obnoxiam, ac perfractionem rigoroſi præcepti, cum harum regularum obſervatio ſit ſemper meriti amplioris. 2. Iis exceptis, qui ſeſe concepto voto vitam magis regularem ſe ducturos pollicentur, crimen negligentiæ, vel fervoris defectum non eſſe peccatum grave, cum interim contemptus aliquorum id genus mediorum ad melius ſervanda præcepta, quibus obligamur, poteſt nos ſontes efficere, non ſontes diligenter procuratæ Salutis. 3. Quemadmodum libere alicui ex his Confraternitatibus nomen damus, ita tanquam prima conditio conſtituitur, eum qui nomen dederit, nolle ſuæ conſcientiæ crucem figere, & ſine præjudicio aliorum negotiorum, vel officiorum ſtatus ſui, in quo a Deo fuerit conſtitutus, ſe recentis inſtituti munus obiturum, & ſemper illud ſibi ante oculos propoſiturum, tanquam opus ſupererogationis, a ſe poſt reliqua adimplendum. *Recens Auctor.*

De votis, & promiſſionibus quæ in hujuſmodi Confraternitatibus fiunt. Nemo in aliqua harum Confraternitatum ab Eccleſia approbatarum admittitur, qui non emittat jusjurandum, votum, aut promiſſionem in manu eorum, qui ad illos excipiendos præpoſiti ſunt, ſe obſervaturum ſtatuta, & regulas; ideoque ſemper adeſt formula quædam communis, cui eſt ſubſcribendum. Hæc autem formula continet votum, vel promiſſionem factam vel Deo, vel Beatæ Virgini, vel Sancto, ſub cujus nomine Confraternitas inſtituta eſt; quamobrem operæ pretium eſt callere naturam, diſcrimen, obligationem, quam imponit votum, vel promiſſio facta, dum aliquis in illa Confraternitate recenſetur. En igitur quid ſciendum eſt.

Docet D. Thomas, vota, quæ Sanctis, vel Superioribus fiunt, duas promiſſiones complecti; alteram, quæ Sanctis fit; & hæc, inquit ille non eſt formaliter votum, ſed voti materia. Alteram, quæ fit Deo, & hæc formaliter votum eſt. Ita qui dicit: Voveo Beatiſſimæ Virgini me peregre profecturum in locum aliquem illi ſacrum; promittit Virgini ſe hoc iter aggreſſurum; & hæc promiſſio votum non eſt. Sed pollicetur etiam Deo, ſe fidem præſtiturum ejus rei, quam Virgini vovit, & hoc votum eſt. Alii dicunt, nos Sanctis nuncupare vota, non quatenus creaturis rationabilibus; ſed quatenus amicis Dei, qui in illis eſt, deinde vota, quæ illis nuncupantur referri ad Deum: non ſecus ac injuriæ, quæ in illos proferuntur, blaſphemiæ vocantur, quia convicium fit Deo, qui in eorum perſonis per gratiam, & gloriam reſidet. Juxta hanc ſententiam vota, quæ Sanctis fiunt, directe reſpiciunt Deum; Sanctos vero relative, ac dependenter. *Ex libro, cui Titulus: Vera devotio erga Beatam Virginem P. Joannis Craſſet.*

Multum diſcriminis intereſt inter promiſſionem, quæ Deo fit, & quæ Sanctis. Promiſſio, quæ fit Deo teſtimonium eſt animi grati ob tot gratias quas ab illo recipimus, tanquam a primo principio Entium omnium, & bonorum omnium auctore: & hæc promiſſio votum eſt, & cultus Latriæ, quem nulli creaturæ tribui fas eſt. Sed promiſſio, quam Sanctis nuncupo, ſignum eſt gratitudinis erga illos tanquam mediatores, atque interceſſores, qui nobis aliquam a Deo gratiam obtinuerunt. Itaque votum hoc non eſt cultus Latriæ, ſed Duliæ, ut loquuntur Theologi, qui creaturæ Dei amicæ tribuitur. Quamobrem voti nomen æque ac illud adorationis generale vocabulum eſt quod Deo, & Sanctis convenit. Sed modo longe alio. Adoratio, quæ Deo præſtatur tanquam Enti primo cultus eſt Latriæ incommunicabilis creaturæ. Sed Sancti adorari poſſunt tanquam amici Dei, quos ille conſtituit gratiæ, & gloriæ ſuæ participes. Hoc ipſum de voto dicendum. Si reſpicitur Deus tanquam auctor bonorum omnium; hic latriæ cultus eſt, qui nulli creatæ rei licet perfectiſſimæ tribui poteſt; ſed ſi reſpicit Sanctos tanquam mediatores, atque interceſſores, hic cultus eſt Religioſus cedens in gloriam Dei, licet promiſſio facta ſit Angelo, vel homini. Votum igitur promiſſio eſt facta Deo, & Sanctis, tanquam advocatis, ac mediatoribus noſtris hujuſmodi bona procurantibus. Immerito igitur hæretici impugnant vota quæ beatæ Virgini, Sanctiſque nuncupamus, & hæc impugnantes praxim, ac devotionem totius Eccleſiæ condemnant. *Liber cui titulus: Vera devotio erga Beatiſſimam Virginem P. Craſſet.*

Narrat Tertullianus Ethnicos accuſaſſe primos Fideles, quod nocturnos haberent cœtus, in quibus ſeſe nequiſſimis polluerent iniquitatibus. Alii politici nequam hoc fictionis, ac ſeditionis nomine inſimulabant. Magnus ille vir omnes has refellit calumnias in erudiſſima Apologia, quam pro Religionis cauſa lucubratus eſt. Narratio, quam affert eorum, quæ fiebant in illis orationum locis, nobis eſſe poteſt loco Apologiæ ad tuendas Congregationes, in quibus, quoad fieri poteſt, primorum fidelium pietatem imitamur. De illorum pietate hæc ait. Opus eſt, inquit, ut in apricum proferam ea, quæ fiunt in his fidelium cœtibus, qui factionis nomine traducuntur; & poſtquam exuffla vero calumnias, quæ nobis injiciuntur, operæ pretium erit, oſtendere, quid in illis fieri conſueverit. Sumus, ait, corpus unum conflatum ex mortalibus eandem Religionem profitentibus, eandem vitæ normam habentibus, eandemque Paradiſi ſpem foventibus. Convenimus autem una, & congregamur, ut ſimul conjuncti, tanquam in manu forti obtineamus a Deo ea quæ petimus: nam *hæc vis Deo grata vis eſt*. Ibi autem fundimus preces etiam pro Imperatoribus, eorumque miniſtris, pro Magiſtratibus, & pro ſtatibus etiam ſæcularibus. Precamur a Deo populi pacem, & convenimus, ut ſanctas Litteras perlegamus, ut Dei verbum audiamus, & aliquod capiamus conſilium in præſentibus neceſſitatibus, & ut futuris temporibus proſpiciamus. Fidem noſtram alimus ſanctis ſermonibus, ſacriſque Canticis, elevamus ſpem noſtram in Cælum, omnem confidentiam noſtram in Deo collocamus: ac interea non ceſſamus loqui de mandatis illius, ad ciendam eorum memoriam, atque indicendam eorum obligationem. *Ex libro P. Craſſet ſuperius laudato.*

Dei Filius promiſit olim Diſcipulis ſuis, ubi duo, vel tres eſſent congregati in nomine ſuo ſe certiſſime eſſe

in

Dei Filius approbat Confraternitates, & Cœtus.

in medio eorum. Nonne affirmari poteſt, promiſſionem hanc palam adimpleri in illis, qui ſimul conjuncti, & congregati ob finem eundem ſerviendi Deo ſunt veluti corpus, quod ſub vexillis ſuis in aciem deſcendit, ut mundi placita impugnent, quia hæc ſocietas fit in nomine ejus; quia per peculiarem vocationem conſtituunt partem ſejunctam a vulgo fidelium, ut vitam ducant magis chriſtianam. Dicere igitur poſſumus Salvatorem juxta promiſſionem ſuam vere eſſe in medio illorum, tanquam caput quod eos tanquam teſtis, & ſpectator, qui æquo, ac benigno illos oculo reſpicit, tanquam protector, qui eos a procacium hominum irriſione tuetur, tanquam Paſtor, qui quærit & defendit electum gregem. Quamobrem tantum abeſt, ut Socii illi rubore ſuffundi debeant, ut immo debeant gloriari, ſe illi priores eſſe tanquam amicos fideleſque illi ſocietate conjunctos: *In medio eorum ſum. Auctor Recens.*

Duplex genus Societatum, quæ aliis vivere in communi, aliæ in particulari.

Inter ſocietates illorum, qui vitam magis frugi profitentur, prætermittendum non eſt duplex eſſe genus, aliis vivere in communi, & quamdam familiæ ſpeciem conſtituere, quarum plures infra unius, vel etiam alterius ſæculi ſpatium inſtitutæ ſunt in Gallia, & Italia, & aliis aliquot Regnis, quarum Inſtitutores fuerunt perſonæ, meritis, atque auctoritate præcellentes, quamvis hæc inſtituta nequaquam votorum vinculis conjuncta ſint, ducunt tamen vitam ſanctam, & religioſam, & plurimum conferunt ad animarum ſalutem, & gloriam Eccleſiæ. Alterum Societatum genus eorum eſt, qui non aliam habent conjunctionem, niſi quamdam devotionis praxim, quæ omnibus communis eſt; cujuſmodi ſunt illi, qui in aliquam ingrediuntur harum confraternitatum, de quibus verba facimus, quin conditionem, vel vivendi formam mutent, cum eorum vita abnormis non eſt: Fateor equidem primum illud Societatis genus, vel potius Communitatis eſſe perfectius; ſed alterum non caret merito ſuo, quippe referunt imaginem vitæ, quam ducebant primi fideles, qui ſtatis diebus vel horis ad laudes Domini concinendas congregabantur. *Idem.*

Utilitates quæ percipiuntur ex hujuſmodi Sodalitiis.

Si noſſe cupimus bona, quæ ex hujuſmodi cœtibus percipiuntur, hæc ferme ſunt, quæ in dubium revocari non poſſunt. 1. Peculiaris eſt Dei gratia, & favor ad illa præ aliis vocari, & diligi; ideoque ſingulare beneficium eſt, propter quod Deo nobis agendæ ſunt gratiæ. 2. Propter conſenſionem Confratrum, qui hanc Societatem conſtituunt, fit Communitas quædam, vel potius communicatio meritorum, gratiarum, precum, & benedictionum, quas effundit Deus in corpus totum ita ut ſingula verba de cæterorum bonis communicent. 3. Dubitari nequit, quominus preces unius Corporis, vel unius Communitatis peculiarem habeant vim, atque virtutem ad obtinendas gratias, vel favores; quin immo totius cœtus orationes favorabilius exaudiantur, quam ſi ſinguli ſeorſim preces effunderent. 4. In hujuſmodi Societatibus fervor in cultu Dei, ut plurimum major eſt propter mutuum exemplum quod ultro citroque ſibi ſuppeditant, ſicuti videmus, plures ignes minores ſimul conjunctos majus efficere incendium, & ſingulos calefacere, qui propius accedunt. *Idem.*

# DE MIRACULIS SIVE IN FAVOREM SANCTORUM, SIVE IN CONFIRMATIONEM FIDEI, & Catholicæ Religionis.

## M O N I T U M.

*GLoria Filii Dei eſt non ſolum fideles habuiſſe Servos, quemadmodum vidimus in hoc Tractatu, neque defuiſſe Sanctos omnium ſtatuum, & characterum, qui illum coluerint, & glorificaverint. Hic Dei Filius eos viciſſim honorificare voluit, & cognoſcendos illos præbere per ea miracula, quæ in eorum gratiam operatus eſt. Profecto Eccleſia ſemper hoc præſtolata eſt teſtimonium, atque ut loquitur Sanctus Auguſtinus, hic Cæli ſermo ad illos Sanctos declarandos, & efficiendum, ut illis præberetur honor, & cultus, quem meriti ſunt, hoc illud eſt, quod commune fuit omnibus, cujuſcunque ordinis eſſent, & characteris; & ſi in Martyrum beatificatione, ſatis fuit probare illos mortem ſubiiſſe pro Jeſu Chriſto, hi plerumque illi fuerunt, in quorum gratiam Deus majora, certioraque prodigia operatus eſt. Hoc autem argumentum, quod placuit Deo præbere Sanctitatis eorum, qui fideliter voluerunt in illius ſervitute perſeverare eo in ſtatu, & conditione, in qua illos conſtituit, manifeſtum eſt documentum ſuavitatis Providentiæ in Electorum ſuorum regimine, quippe oſtendit, quin eorum mutetur officium, vel ſtatus, in ipſis ſitum eſſe, Sanctos inſignes evadere, cum hic Deus bonitatis, & Miſericordiæ voluerit, ut ita dicam ſeſe eorum ingenio, & conditioni accommodare. Quod ſi noſtrum cauſa non operatus eſt miracula; ſatis eſt illum plura operatum fuiſſe, ac per intervalla operari, ut nos confirmet in fide, futurum ut noſtra virtus eo majori cum gloria eniteſcat, quo magis delituerit.*

*Cum hoc de Miraculis argumentum non ideo habeatur ad probandam ſolum eorum ſanctitatem, quos Eccleſia in Beatorum numero recenſet, ſed aptiſſimum etiam videatur, ad fidem confirmandam, & omnes Religionis noſtræ veritates probandas; dicet quiſpiam fortaſſe hic extra locum ſitum eſſe; ſed præterquam quod Tomum hunc ampliorem, & æqua ac alios magnitudinis efficit: poteſt etiam prodeſſe ad confirmandas veritates, quæ in variis voluminis iſtius partibus continentur.*

# DE MIRACULIS SEU IN SANCTORUM gratiam, ſeu in Confirmationem Fidei, & Catholicæ Religionis.

Sunt in Eccleſia vera miracula, quæ naturalibus cauſis accepta referri non licet.

NOvus error eſt quorumdam hujus ſæculi Criticorum, naturalibus cauſis tribuere, quas Deus unus cognoſcit, miracula probatiſſima divina prorſus virtute peracta, tum in fidei confirmationem in primæva Eccleſia, tum ad declarandam prorſus divino hoc ſermone virtutem, & meritum eorum, quos Eccleſia in Sanctorum Albo recenſet.

Error hic ſtatim confutatus fuit a viris in Eccleſiæ fide, ac in Traditione verſatiſſimis ita ut ſpes adſit, non longius proceſſurum: quam ob rem nequaquam prolixius hac de re verba faciemus. Satis eſt dicere, quamvis plura miracula olim facta fuerint in gratiam Ethnicorum, aliorumque Religionis inimicorum, nullum tamen unquam factum fuiſſe ad probandum mendacium, vel doctrinam pravam, quia Deus non poteſt auctor eſſe mendacii. Hinc ſæculi hujus, ac ſuperioris Proteſtantes nullum unquam probare potuerunt in gratiam novæ eorum fidei, cum interim pene infinita contigerint in gratiam Fidei Catholicæ, & Romanæ; quæ totidem ſunt argumenta veritatis Doctrinæ ejuſdem. Nihil prodeſt aſſerere non defuiſſe fallacia quædam miracula, horum enim fallacitas aliorum probat veritatem, cum fallacitas neceſſario veritatem ſupponat: ita ut hæc miracula rite probata fuerint probatiſſima argumenta veritatis Chriſtianæ Religionis, & multum contulerint ad eandem conſtituendam. Ita quin iſtic immoremur ſingula probaturi, ſatis erit admirari infinitam Dei poteſtatem, qui, ubicunque ſibi libitum fuerit, operari poteſt, tanquam Dominus, & evertere leges naturæ, quas ipſe conſtituit. Quam ob rem latius verba faciemus tantum de utilitate, quam inde percipere poſſumus, quæ eſt nos confirmare in veritate fidei, atque Doctrinæ Eccleſiaſticæ.

Miracula non ſemper ſanctificant eos, qui faciunt ea.

Miraculorum gratia longe utilior eſt illis in quorum gratiam fiunt, quam illis, a quibus fiunt. Gratia hæc non ſanctificat ſubjectum ſuum, licet illius ſanctitatem ſupponat, & ſit inſtar mercedis. Non defuerunt reprobi, qui miracula operati ſunt. Judas qui propter ſimilia inclaruit portenta, non ſecus ac alii Apoſtoli, factus eſt infelix dæmonis victima, poſtquam de illo triumphavit. Alii Diſcipuli, qui ſpiritibus immundis præceperant, ut de obſeſſis corporibus egrederentur, & qui in Jeſu Chriſti virtute ejecerant illos, in aliquod vitium inciderunt ob ſecretam oblectatiunculam, quam hæc illis ingeſſerat facultas, quam a Dei Filio receperant,

rant, per prælationem, qua ſuper reliquos homines ob ipſorum merita, fuerant inſigniti. Jeſus Chriſtus, cui acceptam referebant gloriam horum prodigiorum, quæ in illius nomine operabantur, dixit illis, gaudendum non eſſe ipſis eo quod eorum imperio dæmones ſubjicerentur, ſed quod eorum nomina in vitæ libro eſſent deſcripta. *Recens Auctor.*

Frequentia miracula aliquando excæcant videntes illa, & quæ ſunt frequentiora, eo ſunt viliora, & fides ipſa miraculis probata minus perfecta eſt.

Frequentia prodigia, quæ Deus olim in Judæorum gratiam operatus eſt, conjecerunt eos in quamdam cæcitatis ſpeciem, & plurimum ad duritiam cordis eorum contulerunt. Quo plura videbant, eo minus illis afficiebantur. Quemadmodum ſordeſcunt ea, quæ ſunt magis familiaria: miracula per humanæ infirmitatis effectum fierent contemptibiliora, ſi fierent vulgatiora. Hæc erat Sancti Auguſtini ſententia loquentis de Univerſorum regimine, quod juge miraculum eſt, ſed quod non admirantur homines, quia juge, & cui ita aſſueverunt ut ne animum quidem ad illud dignentur advertere. Ita Deus inhibet curſum miraculorum, ne illa contemptui objiciat, & poſtquam uſus eſt illis ad detegendam ſanctitatem eorum, quorum miniſterio eadem operari gaudet, eos in myſtico relinquit ſilentio, quod indicat æternam requiem, qua in gloria ſunt perfruituri; ita Deus olim miracula operatus eſt per plures Legis Evangelicæ Sanctos, immo etiam plurium deinceps annorum ſpatio poſt obitum eorum. Sed tandem hæc ceſſavit miraculorum frequentia, neque enim amplius erant neceſſaria vel ad gloriam Sanctorum, qui jam inclaruerant, vel ad ſalutem fidelium, qui non indigebant amplius hac ope, ut illis perſuaſum eſſet de veritatibus Religionis, & fidei, quæ minus perfecta ſit, cum ſemper oſtenditur per ea, quæ ſenſibus ſubjecta ſunt, & nonniſi ſenſibilibus miraculis alitur. *Recens Auctor.*

Miracula ſunt manifeſtum argumentum veræ Religionis, cum eorum donum nunquam concedat Deus ad fallacem doctrinam confirmandam.

Matth. 12.

Nihil aptius eſt ad mentes perſuadendas, quam miracula, ideoque eorum patrandorum privilegium conceſſum fuit divinis hominibus, extra ordinem miſſis de cælo, ut converterent homines. Hinc Dei Filius dixit Phariſæis; *ſi in digito Dei ejicio dæmonia: igitur pervenit ad vos regnum Dei*; Quaſi dixiſſet, recipere debetis doctrinam meam, ſi a Deo eſt. Liquere autem debet nobis, originem ejus cæleſtem eſſe, neque enim Deus ſignorum efficiendorum nobis poteſtatem concederet, ut auctoritas accederet doctrinæ, quæ ab illo non proficiſceretur. Quamobrem Salvator in Evangelio teſtatur, Judæos nunquam futuros ſontes negatæ ſibi fidei, niſi illis inſpectantibus ea edidiſſet miracula, quæ nemo ante ipſum adhuc fuerat operatus; ſed cum ipſe ea feciſſet quorum illi teſtes fuerunt, eorum incredulitatem nullo unquam pacto excuſari poſſe. Id autem confirmatur præclara reſponſione cæci nati, quam tradidit Phariſæis dicentibus, ſe ignorare, cujus eſſet ille, a quo ſibi aciem oculorum redditam affirmabat. Mirum eſt, dixit illis cæcus, qui viſum receperat, vos ignorare, quis ille ſit, & nihilominus mihi oculos aperuit. *Ex Specimine Panegyricorum.*

Ratio Dei qua in vita ſua operatus eſt miracula.

Rationem hanc conſtanter ſecutus eſt Mundi Salvator in miraculis, quæ mortalis vitæ ſuæ tempore operatus eſt, conjungens infinitam potentiam ſignorum certiſſimorum illius amoris, quo homines proſequebatur. Hanc ob cauſam, ut Sanctus Chryſoſtomus animadvertit, volens manifeſtam facere divinitatem ſuam per ſummam illam poteſtatem, quæ erat illi in univerſam naturam, nequaquam inſtaurare voluit veterum Prophetarum prodigia, non elicuit ignem de Cælo, ut Elias, non Solis curſum inhibuit, ut Joſue, neque Moyſis exemplo maria partitus eſt, quem omnipotentiæ ſuæ ſequeſtrem Deus feciſſe videbatur. Sed Verbum hoc Incarnatum nequaquam uſum eſt illa, quæ ſibi naturalis erat, & propria, niſi ut de nobis benemereretur, ut conclamatiſſimos morbos curaret, mortuos jam elatos ſuſcitaret, mutis loquelam, cæcis a nativitate oculorum aciem redderet:

Act. 10.

*Pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes.* Nam licet alia portenta, quæ majorem illi adepta fuiſſent admirationem, modico eidem labore ſtetiſſent, & illi majorem gloriam peperiſſent, nihilominus nobis nequaquam fuiſſent æque utilia, & illa, quæ nobis oſtendere voluit, & quæ longe plura fuerunt, ſatis, ſuperque extiterunt ad probandam miſſionem ſuam, ac totidem probatiſſima fuerunt divinitatis ejuſdem documenta. *Auctor Sermonum in omnia Argumenta.*

Nos in Religione confirmat veritas miraculorum, illam veram eſſe probantium.

Duo eſſentialia ſunt argumenta, quæ ad nos in Religione confirmandos quamplurimum conferunt. Primum eſt conſtans veritas miraculorum, quæ in Chriſtiana Religione patrata fuerunt, & quæ citra teterrimam temeritatem negari non poſſunt. Alterum eſt veritas Religionis hujus miraculorum certiſſima auctoritate probata. Videlicet, primum vera non deſunt miracula in Religione vera, deinde, hæc miracula invicte probant, Religionem hanc unam eſſe veram, ideoque quidquid admirantur hæretici, Athei, & in omnem licentiam mortales effuſi, qui contra miracula tanto furore feruntur, ea non poſſe ulla ratione in dubium revocari; unde neceſſario inferendum eſt, fidei noſtræ veritatem innixam miraculorum teſtimonio labefactari non poſſe. *Idem.*

Religionem negat, qui negat miracula in ea facta quandoque.

Pertinaciter negare, miracula facta fuiſſe in Religione Chriſtiana, eſt negare hujus Religionis veritatem; illam mendacii inſimulare, illius, ut ita dicam prima fundamenta ſubvertere; quoniam illa recepta, atque conſtituta non fuit, neque longe, lateque prolata cæteras ſectas evertit, niſi per miracula. Quamobrem non minus conſtat omnium generum prodigia numero carentia effecta fuiſſe, ita ut volumina illis repleri potuerint, & ſatis manifeſta, ut omnis dubitandi locus auferatur, ut liquet Religionem hanc hactenus vigere, & ſupereſſe Chriſtianiſmum, & Chriſtianos inter homines. Ita cum Sancto Auguſtino dicere poſſumus, hoc futurum fuiſſe miraculum miraculorum omnium maximum ſi hæc Religio, quæ continet adeo mirabiles veritates, rationem ipſam ſuperantes, quæ docet placita adeo ſenſibus, ac naturalibus ſtudiis oppoſita, & quæ imponit præcepta adeo ardua, ac difficilia, ſi, inquam, hæc Religio ſine miraculis fuiſſet recepta, quæ teſtata fuiſſent veritatem, & quæ fuiſſent probationes validiores ipſa ratione, auctoritate, conſuetudine, omnibuſque præjudiciis in oppoſitum, & denique ſententia omnium populorum, & ſæculorum omnium, quæ huic Religioni adverſari videbatur. *Idem.*

per hæc recepta, & conſtituta fuit.

Quod ſpectat ad miracula, quæ unum ſunt ex præcipuis argumentis credibilitatis fidei noſtræ, ulla ne ſpecies eſt omnia illa ficta eſſe & tot tantoſque viros, adeo ſanctos, & celebres, & ex tot conditionibus, & quæ tam variis floruere temporibus deceptos fuiſſe? Patres antiqui, ac præ cæteris Tertullianus, Origenes, Sanctus Cyprianus, Sanctus Hieronymus, Sanctus Ambroſius, Sanctus Auguſtinus teſtantur ſe oculatos fuiſſe teſtes plurimorum miraculorum. Nunc autem libenter ex his præclaris ingeniis, quæ de re qualibet dubitant, quærerem; utrum hujus auctoritatis viri conjuraverint ad fallendos populos, & nunciandas res fictas, propter quas ævo ſuo ſine redarguti, correptique fuiſſent, quo tot adeſſent infelliſſimi Chriſtianæ Religionis inimici, ac tot in ipſa Chriſtiana Religione contentiones? Quod ſi vera facta ſunt miracula, quorum Deus Auctor fuit, ſicuti rationabiliter nequit dubitari, Deus per hæc miracula confirmavit, & Eccleſiæ Sanctæ doctrinam probavit, & jure dicere poſſumus cum Sancto Auguſtino libro 22. de Civitate Dei, vel miracula Religionem noſtram ſolidarunt, vel illa ſine miraculis confirmata eſt. Si primum concedatur, jam obtinemus, quod cupimus; ſi nullum voluerint admittere miraculum, ſaltem hoc cogentur admittere, quod maximum eſt, tantam hanc hominum multitudinem, quorum ſapientia regebantur Imperia, qui electionem cæcorum more nolebant efficere in re tanti momenti cujuſmodi erat Religio; & qui perdite Religionis antiquæ dignitatem tueri cupiebant, fidem ſuam obſtrinxerint ad credenda ea, quæ omnem rationem, & morum placita excedunt, & ipſis naturæ ſtudiis adeo adverſantur. *P. Antonius de S. Martino a Porta.*

Intereſt noſtra cognoſcere veritatem miraculorum ad nos confirmandos in fide.

Fert animus hodierna die vos adducere ad excutienda miracula, non quidem ut Judices, ſed tanquam eos, quorum intereſt illorum veritatem cognoſcere, ut confirmemini in fide divinitatis, & doctrinæ illius, qui eadem operatus eſt; & præterea his addere nonnulla ex aliis, quæ deinceps patrata ſunt in nomine ipſius, & per communicationem potentiæ ſuæ ad confirmandam Chriſtianam Religionem, vel fidelis alicujus ſanctitatem, ſed hoc fiet, ut longe alia concluſio eliciatur ab illa, quam intulerunt Pontifices, & Phariſæi in Evangelio: illinc enim inferre contendo, non ſolum Auctorem eorum a nobis agnoſcendum eſſe verum Dei Filium juxta miraculorum ejus teſtimonium; verum etiam veritatem fidei noſtræ per rationem validiſſimam, atque invictiſſimam, videlicet Deum minime poſſe probare mendacium per ea, quæ potiſſima ſunt veritatis indicia. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Major eſt mentis infirmitas in credendis miraculis, quæ probata ſunt, quam in credendis omnibus.

Vetus Teſtamentum perhibet teſtimonium miraculis Moyſi: quatuor Evangeliſtæ qui nobis ea narrant, quæ Dei Filius operatus eſt: Acta Apoſtolorum, & Annales Eccleſiaſtici, in quibus illa Sanctorum continentur, pro nobis teſtes ſunt irreprehenſibiles: ſcio non deeſſe ſuperſtitioſas credulitates, quæ nimia facilitate recipiunt facta, de quorum veritate non ſatis liquet, vel quæ non ſatis ſunt admirabilia, ut hoc nomine appellari mereantur; ſed nullus dubito plus infirmitatis eſſe, quam fortitudinis non admittere vera miracula pro eo, quod ſunt. Spiritus hi, qui nonniſi per impudentem audaciam fortes ſunt, diſcant, brachium Domini non eſſe abbreviatum; diſcant dixiſſe Deum, eos, quibus viva fides fuerit, pares futuros efficiendis miraculis, quæ majora ſint eis, quæ ipſe operatus eſt. Si videreris mortuos ex tumulis emergentes; Solem in ipſo curſu detentum, crederetis, ut loquimini; ergo credite, quoniam hæc miracula, quæ Religionem in ſua origine confirmarunt, æque vobis eſſe debent certa, ac ſi vos oculati eorum teſtes fuiſſetis. Sed juſte judicate, fideles animæ; Chriſtiani qui non credunt miracula Filii Dei & Sanctorum narrata a tot Auctoribus fide dignis, non crederent illa, etiamſi ipſis inſpectantibus fierent. Impii in libro Sapientiæ teſtes inquirunt eorum, quæ ſunt in altera vita, & qui in omnem licentiam effuſi ſunt eadem quærere audiuntur. Epulo dives in inferno obteſtatur Lazarum, ut oret Deum, qui ſibi permittat in mundum reverti, ut fratres admoneat de miſerrimo ſta-

tu;

æ, ad quem ſua ipſum vita inter epulas, ac delicias tranſacta redegit, ut erudita exemplo lapſus ſui, non labantur in eandem calamitatem; ſed illi reſponſum ſuit, non deeſſe fratribus illius in Lege & Prophetis lumina, quæ ad illos convertendos ſufficiant, ſi velint; & ſi ille in mundum reverteretur; eos æque voci illius, ac voci Prophetarum ſurdos futuros. *Ex Specimine Panegyricorum.*

Licet Prophetæ Meſſiæ adventum prædixiſſent, Judæi per ſe cognoſcere valebant hujus prophetiæ veritatem.

Tempus a Prophetis prænotatum, quo Meſſias naſciturus erat, locus natalis ejuſdem quem ignorare non poterant, ac tot aliæ circumſtantiæ requirebant proculdubio maturam, ac ſeriam deliberationem, non quidem ad excogitandas artes ſupprimendi rumoris, ac lucis, quam hæc prodigia emittebant, ſed ut viderent, & utrum ſibi agnoſcendus, colenduſque eſſet ille, qui adeo inſignia, ac certa Miſſionis ſuæ præbebat inſignia: Sed æternis damnabitur opprobriis execrabilis eorum politica, conſilium, quod ceperunt in celebri eo conſilio, & cæcitas, qua percuſſi fuerunt, eo quod perſpectæ veritati reſtiterant, & in hominis interitum conjuraverant, cujus gloria officere eorum exiſtimationi, ipſorumque auctoritatem imminuere videbatur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Miracula diſtinguunt veram religionem a ſectis particularibus.

Nihil magis veram a falſa Religione ſecernere poteſt, quam miracula, quippe ea ſola vera eſt, quæ oſtendit Deum in illius gratiam ipſas naturæ leges fuiſſe prætergreſſum. De divinitate legis per Moyſem antiquis Judæis traditæ non dubitamus; quia fidem habemus miraculis hujus legislatoris. Credimus Jeſu Chriſto, quia credimus miracula ipſius in Evangelio enarrata. Duplex eſt miraculorum genus, quæ indubium Romanæ Religioni perhibent teſtimonium. Priora infinitam innuunt poteſtatem, & nonniſi per vim naturæ illatam contingere poſſunt; exempli cauſa mortui reſurrectio. Ille unus, qui per infinitam potentiam animam noſtram cum corpore noſtro conjungit, ubi hæc invicem fuerint diſſoluta, poteſt illas iterum connectere, & colligare. Altera vero humanas vires excedunt, & naturaliter tamen accidere queunt; ſubita curatio febri laboranti, quem morbi vis ad extremum perduxit; cæci ſanatio, corporis incorruptio; hæc ſunt, quæ vires, & cognitiones excedunt; quæ tamen nobis impoſſibilia non viderentur, ſi rerum naturalium vis occulta nobis eſſet perſpecta. Deus unus priorum miraculorum Auctor eſſe poteſt; poſteriora dæmon etiam, Deo permittente, operari poteſt, nobiſque os ſublinire per eam, quam obtinet, naturæ cognitionem; & per materialia quædam organa, quæ movet, pluviam poteſt excitare, cæcum illuminare, & corporis corruptionem prohibere. Sed verum eſt dicere, Deum illi nec paſſim, nec diu hanc poteſtatem permittere: & plurimas eſſe notas, ex quibus hoc pſeudomiraculorum genus valeat dignoſci. Ad abſolute rejicienda miracula noſtra, oſtendendum eſſet, Catholicos omnes conſenſiſſe, ut univerſo imponerent mundo; probandum eſſet acta omnia, quæ publica auctoritate probante conſcripta fuerunt, eſſe ſuppoſititia, vel nulla, ita ut nullam fidem mereantur. *Auctor Recens.*

Fallacia eſt Novatorum aſſerentium nulla fuiſſe miracula in primæva Eccleſia.

Quod Hæreticorum nonnulli jactitant, primis Eccleſiæ temporibus, nulla extitiſſe miracula, omnino falſum eſt; ſive illi pro primis ſæculis intelligant tempus Apoſtolicum, quo primi fideles floruerunt, ſeu tempus quod illud ſubſecutum eſt, videlicet tempus perſecutionum, quo tot Martyres, qui pro fide ſanguinem ſuum effuderunt, (quod proculdubio erat inſigne miraculum,) tot tantaque operati fuerunt prodigia. Oportet non legiſſe hiſtoriam Eccleſiaſticam, vel aliam ſibi peculiarem effingere, ut quis aſſerat nulla facta fuiſſe miracula primis Eccleſiæ ſæculis. Novatores eorum originem tribuunt imaginibus; Cauſam autem dignoſcere difficile eſt. Quam enim occultam vim habere poſſunt imagines, ut repente fiat tranſitus a tempore, quo nulla fiat miraculorum mentio, ad tempus quo tanta in copia inveniuntur? *Idem.*

Impudentia eſt omnino negare miracula.

Fateor equidem, plures deceptos fuiſſe in hoc miraculorum argumento, & fateor etiam non defuiſſe: qui de induſtria alios decipere auſi fuerint. Deus hoc permiſit, Tertullianus ait, ut ſuos probaret electos, ſed velle omnes ſine ulla exceptione fuiſſe alterutrius ex his characteribus, & in tanto Sapientum, Sanctorumque numero narrantium effectus minime communes potentiæ Dei, & aſſerentium ſe illos vidiſſe, ne unum quidem vera narraſſe; hæc profecto Gerſonis Cancellario videtur ſententia, quæ ſapit impudentiam, & quam proferre nequeat homo, cui aliquid rationis, & verecundiæ ſuperſit. Profecto cum S. Auguſtinus in eximio tractatu de Civitate Dei, narrat miracula, quæ ævo ſuo ſiebant Carthagine, eum ait ſe ibi cum toto Civitatis illius Clero interfuiſſe; eum minimas etiam eorum deſcribit circumſtantias, nemo rationis compos, cordatuſque vir audet illum inſimulare mendacii, nam affirmare Sanctum Auguſtinum ſibi viſum fuiſſe videre, quod reipſa non videbat; vel illum malæ fidei redarguere, quaſi oblectatus fuiſſet mundo verba dare, & ſerere inania commenta in re tanti momenti; hoc illud eſt, quod ſola deſperatio ſeſe contra veritatem tuendi animæ infideli poteſt ſuggerere. *P. Bourdaloue in Dominicali.*

Fatentur omnes Jeſu Chriſti miracula generatim conſiderata, quin ratio habeatur utilitatis peculiaris, quam illi perceperunt, in quorum gratiam fuere perfecta, in ſemet publica eſſe beneficia, ſine quibus aliæ ipſorum actiones, quæ magis immediate hominum ſaluti profuerunt, fuiſſent inutiles; nam ſine illis Mundus nequaquam illum cognoviſſet, neque legem, & Religionem ejus fuiſſet amplexus; unde infertur, miracula tum ea, quæ ipſe ille patravit in vita ſua, cum illa quæ deinceps facta fuerunt in nomine illius, eſſe non ſolum validiſſimum argumentum veritatis fidei noſtræ, quæ hac tantum ratione conſtituta eſt, verum etiam primum, ac fundamentale, ad quod tandem redeundum eſt, ubi expendantur rationes, propter quas credimus myſteria adeo incomprehenſibilia, & doctrina adeo contraria naturæ: ita ut ſi evincere poſſum, non deeſſe in Chriſtiana Religione vera miracula, eaque nemo ſenſatus in dubium valeat revocare, haud temere arguam; igitur Religio hæc ſola vera eſt, ſimulque in reliquis Sectis, aut Religionibus nihil eſt niſi infidelitas, hæreſis, vel calumnia, ubi hoc teſtimonio nequaquam probentur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Atheorum verſutia, ut negent miracula, eaque in ludibrium traducant.

Nulla fraus, verſutia, vitium eſt, quo fidei inimici uſi non fuerint, & non utantur ad hanc quoque diem ad infirmandum teſtimonium, & eludendum argumentum, quo Atheiſmus ſimul, hæreſiſque ſubvertitur, & quod nullam reliquam facit excuſationem, aut locum manifeſtæ huic perſuaſioni reſiſtendi. Conemur igitur illam invictis rationibus roborare, & redarguere primum Atheos, & Infideles, quos ſimul permiſceo, licet in ſententiis ſuis nequaquam conſentiant; mox Hæreticos, qui cum hoc nequeant uti argumento ad errores ſuos comprobandos, illud Orthodoxis conantur ſurripere; ac tandem homines in effuſiſſimam licentiam datos, quorum alii in dubio verſantur, & nullo habent in diſcrimine ea, quæ ad Religionem pertinent: alii vero ſibi peculiare comminiſcuntur ſyſtema, & ea ſolum credunt, quæ volunt, ut ſibi vivere liceat, ut libet. Hæc illa ſunt tria mortalium genera, quæ negant miracula, eaque ſibi vertunt in ludibrium, ſed hæc arma ſunt, quibus certiſſime poſſunt impugnari. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Negare miracula, eſt idem ac negare Evangelium.

Neque immorabor in refellendis Atheis, & Infidelibus, quos aliis rationibus, aliiſque in ſermonibus impugnavimus, dicere ſatis arbitror, illis ut noſtra miracula veluti calumnias traducant, neceſſario negandum eſſe Evangelium, audacter omnium ſacrorum, profanorumque Hiſtoricorum fidem improbandam; malæ fidei inſimulandum eſſe ſanctiſſimum, & oculatiſſimum quemvis qui eorum teſtis fuit, ut ad hunc uſque cæcitatis, & furoris exceſſum evadat. Sed ſi fidei ſeſe ſubjicere noluerint, ſaltem negare non poſſunt ſeſe victos dare rationi; vel ſi illam non audiunt; neque ipſi audiendi ſunt, vel neque laborandum eſt nobis, ut ſenſus illorum reſiſtemus. Ex iis igitur quæro utrum vel minima probabilitas, & veritatis ſpecies adſit, id quod Evangelium narrat de Salvatore ad arbitrium confingi potuiſſe? Quidnam veri, certique eſſe poteſt in Mundo, ſi prodigia, quibus Judæam univerſam replevit, non habent omnes veritatis characteres, & deeſt illis aliquis certitudinis gradus? Quid intererat Evangeliſtarum nos fallere? Secuti ne fuiſſent hunc hominem quem traducere voluiſſent pro Filio Dei, niſi hoc illis perſuaſiſſent actiones ejus, quas propriis oculis intuebantur? Illaſne mundo univerſo annunciaſſent, cum periculo ſeſe objiciendi, ut calumniæ redarguerentur a tot mortalium millibus, qui tunc vivebant cum Evangelium hoc ſcriberetur, ſi teſtati tantum fuiſſent, neminem vel hæc vidiſſe miracula, vel audiiſſe neminem, qui de illis loqueretur? Sed quis contradixit? quis refutavit? Nonne ſola Jeroſolymæ civitas teſtis fuit reſurrectionis Lazari? nonne commota fuit, & concitata? Populus nonne in triumphi morem excepit magnum hujus prodigii Auctorem, tanquam ſummum Prophetam? Quid certius, melioribuſque circumſtantiis probatum, quam cæci nati curatio? Infeſtiſſimi ejus inimici, qui illum oderant eique invidebant, nonne convicti fuerunt, omneſque cogitationum ſuarum artes deprompſerunt, ut illud portentum diſſimularent? Ethnici ipſi, & Gentiles illecti fama, quam hæc ciebant miracula, nonne videre cupierunt illum, de quo tot, tantaque mirabilia facta fuiſſe audiverant? *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Idem ſequitur argumentum.

At enim, inquies, hoc Chriſtiani dicunt; ejus diſcipuli hæc narrant; dic potius hæc dici ab illis, quos hæc miracula ad ejus ſequelam pellexerunt, & quos perſuaſerunt, ut fieri vellent ejus diſcipuli, ut illi, qui antea diſcipuli erant S. Joannis Baptiſtæ, alios vere tot prodigiorum teſtimonio coactos credidiſſe ſibi illum ſequendum eſſe, & pro Meſſia recolendum. At requiris Ethnicorum teſtimonia omni ſuſpicione carentia, & maximum omnium miraculorum, quod naturam omnem obſtupefecit, & Gentilibus ſuſpicionem injecit, aliquid ſupra naturæ vires, ac divinum ſubeſſe, fuit eclypſis portentoſa, quæ in illius morte contigit. Miraculum illud Sole ipſo fuit clarius, totus orbis illud ſenſit, & quin refutatum fuerit, narratur ab Ethnicis, connotatum eſt in Romanis Faſtis, ne illius memoria intercideret, & nemo unus ignorat, animadverſum fuiſſe ab uno ex

Areo-

Areopagi judicibus, qui admiratus exclamavit, aut naturæ auctor patitur, aut mundi machina diſſolvetur. *Idem*.

*Hæretici erroribus ſuis convicti fuerunt per vera noſtræ Religionis miracula.*

Quod ſi perſpecta Miraculorum veritas omnes Ethnicas delevit ſuperſtitiones, & coegit Nationes omnes, ut Dei crucifixi fidem amplecterentur, non minorem vim habent redarguendi Hæreticos de ipſorum erroribus, quoniam non ſolum verum eſt in Chriſtiana Religione vera accidiſſe miracula, ſed verum eſt etiam ea accidiſſe tantum in Eccleſia Catholica, & in vera fide; itaur nullus unquam hæreticus in fidei ſuæ confirmationem ulla patraverit, & quælibet ſectx recentior, quæ proferre nequit indubia miracula, pro fallaci habenda eſt, non ob hanc ſingulariter cauſam; quoniam ideo ſunt hæretici, qui mordicus aſſerunt errores Eccleſiaſticæ Eccleſiæ contrarios. Sed dico notam hanc, & hunc characterem, quo Deus Chriſtianam Religionem probavit, non inveniri in iis, qui a veris Catholicis ſeceſſerunt, ſejungentes ſe ab Eccleſia a Filio Dei conſtituta. Ratio facilis erit, ubi vos admonuero, hæreticos omnes non minori pertinacia impugnare miracula, quam ipſi Infideles, atque Athei, illis exceptis quæ in Evangelio cæteriſque bibliorum libris recenſentur, quæ ſacta ſunt revelata, & quæ negare non poſſunt, niſi ſemetipſos infideles fuerint profeſſi. Sentiunt illi quidem vim illationis, quæ contra illos eruitur ex aliis miraculis, quæ deinceps facta fuerunt: credunt ſua intereſſe potius negare omnia, & inſimulare Catholicos aut verſutiæ, quia illa ſuppoſuerunt, aut levitatis, quia leviter nimis illis habuere fidem, & redarguere populorum ſimplicitatem, vel piorum hominum inventionem, qui ſibimet de illis perſuaſerunt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

*Veritas ibi invenitur, ubi miracula facta fuerunt.*

Si quæ fuerunt miracula in Eccleſia, qua de re dubitare non licet, & ſi nonniſi in fidei confirmationem facta ſunt, neceſſe eſt, ubi peraguntur, vel peracta fuerunt quovis tempore, ibi quoque inveniri veritatem. Progredior; nam ſicut quælibet ſecta, quæ ab Eccleſiæ corpore ſecedit, quod ſemper fuit, per ſenſus particulares oppoſitos iis, quæ hactenus credita fuerunt, probari debet his exterioribus ſignis: alioquin licet illam pro ſchiſmatica habere, & erroris ſpiritu acta; dico, ex iis omnibus, quæ nos tenere debent firmius Eccleſiæ Catholicæ inhærentes, unum illud potiſſimum eſſe, ſi in ea facta fuerit omnibus ſæculis infinita miraculorum multitudo, & ne unum quidem probabitur in illis Sectis, quæ pro hæreticis a nobis habentur. Itaque propoſitio hæc bipartita eſt: ſcilicet & nobis non deeſſe miracula, & hæc hæreticis deeſſe; & utramque hanc veritatem conferre debere ad nos in certitudine confirmandos, quod ſimus in vera fide. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

*Non deeſt cæcitas, ac pertinacia in iis, qui in dubium revocant miracula, quæ probabilia habentur ab Eccleſia.*

Ad revocanda in dubium miracula, quæ recognoſcit Eccleſia, voluntaria requiritur cæcitas pari pertinacia ſuffulta, quæ efficere poſſit, ut quædam veluti conjuratio fiat. Hoc enim eſt calliditatis argutæ quidquid fuit Sanctorum hominum, atque cæleſti lumine illuſtratorum ab ipſis Eccleſiæ incunabulis, & immerito abrogare fidem omnem Auctoribus, quibus in reliquis rebus negari minime poteſt. Omnia poſſem luſtrare ſæcula, & vobis oſtendere ne unum quidem abiiſſe vacuum miraculis adeo conſtantibus, ut non ferenda eſſet temeritas, illa dumtaxat in dubium arceſſere. Nam iis omiſſis, quæ inter Martyrum cruciatus acciderunt, & quæ ſæpe converterunt carnifices, atque tyrannos, qui illos perſequebantur; neque recenſitis perennibus iis miraculis, quæ ad hanc quoque diem perſeverant, & quorum teſtes eſſe poſſunt illi etiam, qui magis abhorrent a fide, illis tantum immoror, quæ facta ſunt in confirmationem alicujus articuli de fide qui hodie in dubium vocatur a Neotericis Hæreticis, & quorum aliqua contigerunt coram Regibus, Pontificibus, & Imperatoribus, & alia referuntur a teſtibus oculatis, de quorum fide ne hæretici quidem auderent dubitare. *Idem*.

*Exemplum plurium miraculorum, quæ olim acciderunt coram Regibus in ſepultura confirmationem.*

Quis ignorat quid accidit Heraclio Imperatori, cum geſtare admiſus eſt Crucem Salvatoris Jeroſolymæ, ad celebrandam cujus portenti memoriam in Eccleſia peculiaris dies feſtus inſtitutus eſt, & quid Eudoxiæ Auguſtæ contigerit per occaſionem vinculorum S. Petri, & quid S. Ludovico Galliarum Regi, qui noluit ſeſe conferre in Templum viſurus puerum, qui palam in Sacrata Hoſtia conſpiciebatur, dicens ſe non indigere miraculis, ut haberet fidem myſterio, de quo nunquam dubitaverat, quin verba faciamus de aliis id genus ſexcentis, quæ facta fuerunt tota civitate, ac exercitu inſpectante, veluti illud S. Franciſci de Paula, qui ſuper pallium ſuum traduxit fretum Siculum, & qui in tali ſtatu conſpectus fuit a toto Meſſanenſis civitatis populo, qui ad tantum hoc miraculum oculis ſuis uſurpandum confluxit? Facta hæc adeo inſignia miracula eſſe, non credo, Hæreticos ipſos negare. Quinam teſtes digniores fide, quam Reges, & Imperatores? Illud vero illos debet confundere, quod facta fuerunt in confirmationem fidei noſtræ, vel ſaltem quod ſua auctoritate confirmant ſenſus Eccleſiæ Catholicæ, quandoquidem confirmant cultum Crucis, venerationem Sanctorum, Reliquiarum, & imaginum ipſorum. *Idem*.

*Miracula confirmata teſtimonio SS. Ambroſii, & Auguſtini.*

Quod ſi quis mordicus inhærere vellet in ſuſpicionem vocando Scriptorum, qui illa enarrant, fidem, ſatis eſſe puto teſtimonium duorum inſignium Eccleſiæ Doctorum Ambroſii, & Auguſtini, quorum hic refert duo ſupra viginti inſignia miracula ævo ſuo patrata vi Reliquiarum Protomartyris S. Stephani; inter quæ ſex mortuos in vitam revocatos, & addit ingentia impleri poſſe volumina aliorum, quæ prætermiſit, & quæ nihilominus certa, ac vera ſunt æque ac ea quæ memoravit. Sed quid reſponderi poteſt iis, quæ ait de corporibus Sanctorum Gervaſii, & Prothaſii, quæ integra, & adhuc cruore manantia S. Ambroſius invenit, qui admirabile prodigium deſcribit; & quorum miracula in ſemetipſo, & in amicis ſuis, qui aderant facta, idem S. Auguſtinus exponit? Negare igitur poſt hæc facta fuiſſe miracula in gratiam ſententiarum Eccleſiæ, quibus adverſantur Hæretici opus eſt, ut S. Auguſtini ipſius vocabulis utar, opus eſt eſſe prodigium, vel potius monſtrum pertinaciæ; cum audacter illos provocare poſſimus, ut ipſi unicum in medium proferant non equidem dico, quod propius accedat ad certitudinem eorum, quæ nos aſſerimus, ſed quod vel minimam habeat probabilitatem in favorem eorum dogmatum, quæ ipſi tradunt. *Idem*.

*Reſpondetur iis, qui miraculis credere nolunt, & ea eſſe putant naturales effectus.*

Reliquum eſt igitur, ut reſpondeamus æquo licentioribus hominibus, quo nomine intelligo eos, quibus nullus ineſt Religionis ſenſus, & qui alioquin non audentes ſeſe palam profiteri Atheos, noſtra myſteria, potiſſimum vero miracula noſtra in irriſionum ſuarum argumenta traducunt; ſed cum rationibus agendum eſt, nihil aliud inquirunt: Numquid tu oculis tuis hæc vidiſti miracula? Quot mortales, pro miraculis accipiunt ea, quæ effecta ſunt mere naturalia? Quot falſa deprehenſa fuerunt? Quare igitur modo ſunt adeo infrequentia? Sed arduum non eſt illis reſpondere. Si enim aliqua fallacia fuerunt, hoc manifeſtum eſt argumentum, vera non defuiſſe; nam rerum falſitas non dignoſcitur, niſi cum veritate comparetur; & ut S. Auguſtinus ait, veritas ſemper præceſſit mendacium, quod non utique cognoſceremus, ſi nobis deeſſet notio illius rei, quæ pro vera habenda eſt. Si igitur quædam miracula ſunt falſa, ſequitur ne inde omnia eſſe fallacia; & nulla eſſe vera? Hinc ſane poteſt inferri ea diligentibus curis ad examen eſſe revocanda, neque leviter eſſe credendum; ſed cum de facto conſtat poſt ſedulam perquiſitionem, & poſt omnes præcautiones excogitabiles, qualis eſt Eccleſiæ praxis in perquiſitione vitæ illorum, quos refert in album Sanctorum, credere omnia eſſe ſuppoſititia, hic effectus eſt pertinaciæ, quæ parum religionis ſignificat; ſimiliter velle in omnibus non deeſſe illuſionem, & omnes fuiſſe deceptos, vel mundi partem ad fallendam partem alteram conjuraſſe, hæc injuſta contentio eſt, & recto ſenſui oppoſita: Etenim utri potius jus erit ac ratio, numquid homini huic æquo licentiori, qui mendacii redarguit omnes Hiſtoricos, omnia acta publica, omnem teſtium fidem, omnes juridicas quæſtiones, an probo huic viro fidem habenti iis, quæ omnibus hiſce teſtimoniis comprobantur? *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

*Deus ſatis multa operatus eſt miracula ut homines educeret de cæcitate. Iis non eſt nitro petendi pro ſua ab illo prodigia.*

Miracula erant neceſſaria in primis Eccleſiæ primordiis ad Religionem inſtituendam, namque in ea cæcitate, & errore in quo tunc mundus omnis verſabatur, nemo unquam fuiſſet amplexus legem ſenſibus, ac naturæ ſtudiis oppoſitam, quin cogeretur manifeſta vi probationum: ſed ubi fides ſemel recepta, & conſtituta eſt, non ne tenemur præteritis fidem habere miraculis, quin illa ſingulis diebus inſtaurare ſit opus? Æquum ne eſt, ut Deus ſingillatim uniuſcujuſque curioſitati ſatisfaciat? Si enim hic credere non vult teſtimonio eorum, qui plura oculis ſuis eſt intuitus, & ſi alia quærit a ſe videnda, ut mentem ſubjiciat ſuam, alius idem ſibi jus vindicabit: & hoc pacto hæc miraculoſa ſigna miraculorum nomen amittent, & non alium habebunt effectum, præter illum, quem ipſi in natura videmus, ordinatum Aſtrorum curſum, ordinem variorum anni temporum quibus ne animum quidem advertimus, & quæ, ut S. Auguſtinus loquitur, *aſſiduitate viluerunt*. Deus ſatis, ſuperque miracula operatus eſt, ut univerſum Mundum converteret, & omnea ad credendum impelleret; & ſi modo petimus alia, ut victas veritati manus demus, hic nonniſi eſſe poteſt ſecretæ infidelitatis effectus, qui nititur auferre miracula, quæ validiſſima ſunt credibilitatis argumenta, quemadmodum illa Theologi appellant, videlicet invicte probantia, Chriſtianam, Catholicamque Religionem unicam veram eſſe. *Idem*.

*Tract. 24. in Joann.*

*Utilitas, quam primi fideles præ nobis habuerunt, eo quod teſtes fuerint tot miraculorum, quibus coacti fuerunt credere veritates fidei, & ſuũ cruorem effundere, ut illam tuerentur.*

Quamvia primi Chriſtiani nobis præſtitiſſe videantur eo quod tot miraculorum teſtes fuerunt, idcoque minorem habuerunt difficultatem ad credendum, quæ res erat in cauſa, propter quam ad effundendum ſanguinem ſuum ad fidem tuendam præſto eſſent: tamen Dei Filius altera ex parte beatiores eos duxit, qui credunt, quin viderint, & qui novis non egent miraculis, quæ fidem eorum excitent: licebat has cupere probationes, & hæc teſtimonia in ipſis Chriſtianiſmi natalibus; & jure ſuo poterant poſtulare prodigia, ut cederent veritatibus adeo miris, & myſteriis, quæ longe rationem ſuperabant; ſed poſtquam fides recepta fuit, ac tot miraculis confirmata, nova flagitare, non ferenda eſt præſumptio, & conditio noſtra nobis in hoc utilior eſt conditione primorum fidelium, quia fidem ut dicam puram, putam

exer-

exercere poſſumus; quia credimus, quin viderimus, ut ait ipſe Dei Filius: *Beati, qui non viderunt, & crediderunt. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Joann. 20.

Idem ſequitur argumentum

Licet crebro ſatis dicatur, miracula nos inducere ad credendas Religionis noſtræ veritates; & nos ad id cogere quodammodo per invictiſſimam probationem, quæ cæteris præſtat; non ideo tamen intelligendum eſt, eas eſſe fidei noſtræ cauſas, videlicet credendam eſſe veritatem, aut myſterium aliquod, eo quod miraculo aliquo fuerit confirmatum: unice illa credenda ſunt, quia Deus qui eſt veritas prima, revelavit illa, & quod verbum illius certiſſimum eſt, & miracula, quæ fiunt ad illud confirmandum non aliud ſunt, quam teſtimonia hujus revelationis, videlicet, non pati, ut dubitemus, utrum illa proficiſcatur a Deo, qui ea nobis per hæc ſenſibilia argumenta manifeſtat. Itaque in eo conſenſu, quem adhibemus alicui veritati de fide duo ſunt, quæ a nobis oportet ſecerni; Adeſt auctoritas Verbi Divini docentis, quod nunquam fallere poteſt; adeſt & modus, quo revelat, & quo nobis hanc ſignificat veritatem. *Idem.*

Reprehenſiones, quibus Dei filius redarguit illos, qui cum vidiſſent miracula, quæ fecerat, tamen in infidelitate ſua permanſerunt.

Nunquam Dei Filius acrius corripuit aliquem, quam eos, qui cum vidiſſent miracula, quæ ipſe fuerat operatus, nihiloſecius in cæcitate, ac infidelitate ſua permanſerunt; quia vel non credebant, hæc vera eſſe miracula, vel quia inde non eliciebant æquas illas illationes quæ erant hauriendæ. Sed addam ne probrum, quod æquiſſimo jure objici poſſit Chriſtianis hujus ævi, eſſe modicum fidei, quam habemus miraculis, & nullus dubito, quo minus pertinacia, quam plurimi teſtantur in non credendis iis, quæ probant, & confirmant Religionis noſtræ veritatem, argumento ſit, quod ipſi illi dubitent de Religionis hujus veritate. *Idem.*

Nemo unus dubitare poteſt utrū in Chriſtiana Religione fuiſſent miracula & utrum hæc ſint argumenta veritatis Religionis ejuſdem.

Si liquet non defuiſse in Chriſtiana Religione miracula, hoc igitur manifeſtum eſt argumentum, eorum veritatem amplius in dubium revocari non poſse, per quæ Religio hæc pro vera habita eſt; nam, ut ſuppono, fieri non poteſt, ut veritas ipſa calumniam, mendaciumque valeat probare, quod eveniſset, ſi Religio hæc ſolum humanæ mentis opus fuiſset: ita ut ſi decepti eſsemus, nos Deus ipſe decepiſset, conſentiens ad ſtatuendum mendacium, & ſua abutens potentia ad ea comprobanda, quæ verſutia, & nequitia humana excogitaſset. Cum autem hæc cogitatio cadere nequeat in mentem cordati viri, propter hanc rationem Dei Filius confudit Judæorum pertinaciam, & inexcuſabilem reddit ipſorum infidelitatem; *Si mihi non creditis, operibus credite.* Non peto a vobis, ajebat ille, ut mihi aſſerenti fidem habeatis; aliud habeo argumentum ad probandas veritates, quas vobis annuncio, cui reſiſtere non poteſtis; Eſt autem opera quæ ipſe facio, & quæ vos oculis veſtris intuemini: *Opera, quæ ipſe facio, ipſa teſtimonium perhibent de me:* & addit, hæc eadem illis irritas facturas eſse omnes eorum excuſationes, atque prætextus; quoniam ratio hæc nullam eis relinquit probationem, quæ valeat admitti: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Joann. 10. & 15.

Joann. 5.

Joann. 15.

Concilium a Judæis habitum ad inhibendū curſum miraculorum, quæ Dei filius operabatur.

Inimici Dei celebri eo in Concilio, quod habuere, præviderunt, quid profecturum eſset ex miraculis, quæ Dei Filius operabatur, ut media excogitarent, quibus inhiberent progreſsum, quem illius doctrina quotidie obtinebat. Videmus, ajebant illi, quod hic homo ſignis, ac prodigiis replet univerſam Judæam; & hæc omnia eo ſpectant, ut quam primum habeatur tanquam Meſſias. Malum hoc prævertendum eſt, & nobis conandum, ut illum de medio tollamus, ut conſulere poſſimus generatim Reipublicæ tranquillitati, & potiſſimum noſtræ auctoritatis ſecuritati. Altera quidem ex parte melius argui non poterat; ex altera vero nulla iniquior inferri concluſio. Argumentari enim, miracula ejus effectum hunc habitura, ut ille pro Meſſia coleretur, & pro Filio Dei, qui novam hanc legem ſtatuerat, hæc quidem naturalis erat illatio; Inde autem arguere curſum illius eſse prohibendum, ipſumque de medio quam celerrime auferendum; hoc erat ratiocinium illius cupiditatis, qua contra ipſum erant incenſi. *Idem.*

Quoniam nobis perſuaſum eſt non deeſſe in Religione noſtra vera miracula, vere ſequitur dicimus Religionem hanc eſſe a Deo.

Nos igitur certi ſumus, & nobis perſuaſum eſt non deeſſe miracula in Religione, quam Salvator inſtituit, & annunciavit: hæc igitur Religio a Deo eſt, quoniam gerit characterem divinitatis optime connotatum, atque certiſſimum: Ad hæc, cum hæc miracula probent ea, quæ dixit, doctrinam ejus, placita, veritatem earum rerum, quas nobis revelavit; & nihilo ſecius de illa dubitare, eamque impugnare, & illi contradicere, hoc eſt in Deum ipſum inſurgere. Deinde cum hæc miracula non niſi in vera fiant Eccleſia, quæ eſt ſenſuum illius ſequeſter, & quemadmodum illam S. Paulus appellat præſidium, & columen veritatis, in dubium arceſsere nefas eſt, cum in hac Religione facta fuerint, hodieque fiant frequentiſſime, nefas, inquam, eſt ambigere, utrum ſimus in via tuta, & quidquid inde recedit, in errore verſari. Ita ut ſi per *adynaton* nos viam hanc ſecuti deciperemur, Deo reſpondere poſſimus cum quondam S. Patre, quod cum ille nobis cognoſcendam tradiderit legem ſuam argumentis adeo perſpicuis, ſimulque validis ille minime poſſit errorem hunc crimini vertere, cujus ille cauſa extitiſſet; nam quemadmodum miracula a nobis fidem expetunt; ipſa quoque viciſſim fidem ſua probant auctoritate; ſi nihil eſt, quod tantam fidem mereatur, quam quod tot teſtes viderunt nihil eſt, quod majorem fidem aſtruat, quam ſcire illa in fidei noſtræ confirmationem facta fuiſſe. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Cum Deus per miracula probaverit, ea, quæ dixit, vera, nobis non ſupereſt locus ulterius petendi prodigia ut credamus.

Si enim nos credere jubet Deus, tunc jubet poſtquam evicit, ea quæ dixit eſſe credibilia, & ſeipſum revelaſſe ea nobis per hæc ſigna, quæ nullum dubitationi locum relinquunt. Ita mortales licet cæci, & pertinaces, fatentur, ſe daturos victas manus, ſi vidiſſent miraculum aliquod certum, ac manifeſtum. Sed ita mordicus obfirmato ſunt animo, ut oculis tantum ſuis credere velint, quemadmodum incredulus ille Diſcipulus affirmabat: *Niſi videro, non credam.* Opus ne eſt, ut in eorum gratiam Deus invertat ordinem Providentiæ ſuæ, & ſingulis momentis operetur miracula? Inficias ire nequeunt infinita omnibus ſæculis patrata fuiſſe miracula, & ut de hac re dubitent abroganda eſt omnis humana fides, & omnis certitudo factorum, quorum veritas eſt probatiſſima; Si ergo rationes poſtulant, ut ſeſe ſubjiciant, ac Religionis veritatibus cedant, tot illis tribuo, quot extiterunt miracula, quæ in gratiam illorum fuerunt peracta. Sed pertinax voluntas intuita portenta, æque moveretur, ac Pharao, obduratum illud cor, quod neſciebat quid diceret, vel quid reſponderet, ubi videbat prodigia, quæ ob oculos ejus Moyſes operabatur; Sed ubi miracula eadem ceſſabant, in priſtina obſtinatione perſeverabat: *Neſcio Dominum & Iſrael non dimittam:* Vel contingeret quod de divite nequam teſtatur Evangelium: qui æternis ignibus tortus, precibus urgebat Abraham, ut mitteret pauperem Lazarum ad quinque fratres ſuos, ut hos ad mutandam vitæ rationem impelleret, & affirmabat futurum ut certiſſime converterentur, ſi quem a morte reducem intuerentur, ipſis prædicantem. Cui Sanctus ille Patriarcha reſpondit, illos certiores habere teſtes, quos ſi minus audiunt, cum etiam ad illis prædicandum mortui reſurgerent, eoſdem in pertinaciſſima obduratione ſua perſeveraturos. *Idem.*

Joann. 20. 31.

Exod. 5.

Miracula a J. C. coram Judæis patrata hos nequiores effecit.

Jeſus Chriſtus ſpectantibus Judæis Lazarum ſuſcitavit a mortuis. Numquid ideo illi meliores evaſerunt? Hoc prodigium illos minus excuſabiles, & magis nocentes effecit. Hæc eſt figura obſtinationis plurimorum infidelium, & argumentum inutilitatis miraculorum ad obduratorum nocentium converſionem. Hoc quo vivimus ſæculo mens non caret luminibus; ſed cor indiget docilitate, ac æquitate. Qui rebellis eſt fidei luminibus, mortui ſuſcitati prædicationi ſe non præberet dociliorem. Numquid merito fidem haberetis voci phantaſmatis, quod nunquam ſuſpicione vacuum eſt, potiuſquam Verbo Dei? Nequaquam viſibiles apparitiones, nec peculiares revelationes, neque miraculoſæ aſpirationes per ſe vim habuerunt gignendi fidem, ſpem, charitatem, ſpiritum mortificationis, vel pœnitentiæ; ſed interior Jeſu Chriſti gratia. Gratiam hanc habes, vel ſaltem in te ſitum eſt habere illam, petendo eam, uti opus eſt. Hac igitur utere, & ſatis erit, ut inſigni Sanctitate virum evadas: ſi enim talis minime evadis per media communia, quæ tibi exhibet Providentia, nunquam evades, licet illa tibi ea largiretur non conſueta ſubſidia, quæ audes flagitare. *P. la Neuville, libro tertio Moralis novi Teſtamenti.*

Certum eſt facta fuiſſe miracula, & Deum operatum fuiſſe illa, vel per ſe, vel per fideles famulos tuos.

Quod attinet ad miracula, alterutrum verum eſſe neceſſe eſt; vel extitere miracula, vel ſecus. Si alterum hoc, accuſandi ſunt calumniæ plerique Profanorum Auctorum; vel potius cum S. Auguſtino dicendum eſt, quod videre ab univerſo Mundo J. C. fidem recipi ſine miraculo, hoc majus eſſe miraculum eodem miraculo; Sed ſi non defuere miracula, hæc non aliud habere potuerunt principium, niſi naturam, aut Dæmonem, aut Deum. Affirmare naturam ea peperiſſe, hoc eſt prima Philoſophiæ fundamenta ſubvertere. Nemo poteſt oculorum aciem cæco reſtituere, nec vitam mortuo, ab his privationibus ad hos habitus non datur regreſſus. Dicere Dæmonem miraculorum auctorem, quæ ſpecies adeſt veritatis? Numquid prodigia fuiſſet operatus, ut cultum ſuum everteret? Numquid ille ſacrilegis labiis obtemperaſſet? Ex ſimulacrorum corporibus egreſſus fuiſſet vi Exorciſmorum Eccleſiaſticorum? Reſtat igitur, ut Deus Auctor fuerit Miraculorum. Ita fidei Chriſtianæ veritas comprobatur; ſi enim ille eorum Auctor extitit, potuitne approbare mendacium, & per non communes conatus errori, ac ſuperſtitioni auctoritatem conciliare? *Ex Moralibus Sermonibus. Tomo primo.*

ADDI-

# ADDITIONES
## AD QUINTUM TOMUM SUPPLEMENTI
# BIBLIOTHECÆ
## CONCIONATORUM,

Ubi agitur de Communi Sanctorum Generatim, videlicet Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum &c.

## MONITUM.

*Licet Tomus hic ſatis copiæ amplectatur ad pertractationem cujuslibet tituli, & characteris Sanctitatis, tamen non ſatis argumentorum ad pertractandum inventum eſt, ut volumen hoc ad eam excreſceret molem, qua cætera, quæ exæquare, quantum in nobis fuit, ſumus conati. Hæc res nos impulit, ut ſequentes Additiones ſubnecteremus, in modum Tractatuum vel potius Sermonum, qui a propoſita ſcribendi ratione non abhorrerent: etenim profutura ſunt tum ad populos erudiendos, eiſque oſtendendum, ipſos poſſe ſemet ſanctificare & in ſtatu, in quo illos Providentia conſtituit, cum ad eos excitandos, & inflammandos, ut ambulent ſecus vias, quas ejuſdem profeſſionis Sancti ſecuti ſunt: & ut ad eundem finem perveniant, videlicet ut ſeſe ſanctificent, quemadmodum illi ſanctificati ſunt.*

---

## SERMO PRIMUS.

### Salvari poſſumus in quolibet ſtatu, & conditione in qua nos Providentia conſtituit.

Ecce quid confundere debeat eos, qui hodierna die putant, duci non poſſe chriſtianam vitam una cum iis curis, quæ ſuæ inhærent profeſſioni; vel qui credunt, ſe a ſtatu ſuo, munere, officiiſque diſpenſari, ne ſuæ vacent ſanctificationi. Mira illuſio, auditores, quæ non minus periculoſa eſt, quam uſitata in Mundo, ubi nihil aliud auditur quam excuſationes, prætextus, difficultates, & obices, qui afferuntur, vel quos potius ſe invenire comminiſcuntur in praxi virtutum, & in officiis ſuis obeundis; ſed illuſio quam hodierna die diſſipare contendam. Fallax prætextus, quem exſufflare conabor, vobis oſtendens, nullam eſſe conditionem, nullum ſtatum, vel munus, in quo noſmet ſanctificare non valeamus. Argumentum hoc magno eſſe debet ſolatio omnibus fidelibus; palam quippe videbunt non ſolum ſe poſſe fieri Sanctos in conditione ſua, verum etiam debere efficere, ut ſua ipſa conditio ſit medium ad ſalutem, & ſanctitatem ſuam.

Quemadmodum nunquam deliberatur de poſtremo fine, ad quem mortales omnes ſuopte ingenio, & neceſſitate quadam feruntur; ita non percontor, utrum velitis ſanctificari, & æternum eſſe beati; ſed dicam omnium veſtrarum deliberationum argumentum eſſe oportere electionem mediorum magis idoneorum, quibus hunc finem aſſequamini; cui rei illud tantummodo adjiciam, nihil eſſe ubi majores nanciſcamur difficultates, & nobiſmet plures obices comminiſcamur. Alii conqueruntur, ſe non poſſe ſimul de Deo, deque ſuis rebus eſſe ſollicitos; alii provinciam ſuſceptam ſimul eſſe non poſſe cum pietate, & virtute; alii denique negotiis ſuis omnes curas, & cogitationes ſuas abſorberi; & quod præ cæteris magis metuendum eſt, hominum improbitatem effeciſſe, ut nulla periculis careat conditio, & vitium, moruumque corruptionem ubique ſcopulos poſuiſſe. Fert igitur animus oſtendere vobis, hæc omnia inanes eſſe prætextus, quos plerique ſibi fingunt in ſuis flagitiis, & quibus probare nituntur licentiam ſuam rejicientes in ſtatum, vel munus ſuum difficultates, quæ ea prava mentis, & cordis ſui affectione procedunt. Meum igitur eſt hodierna die omnes has fallaces cauſas evertere, oſtendendo primum, nullam eſſe conditionem, ubi non liceat nobis inſervire Deo, ac noſmet ſanctificare; Secundo autem, nunquam melius a nobis impleri munera ſtatus, & conditionis noſtræ, quam cum in hac ſalutem noſtram operari, & Deo deſervire contendimus.

1. PARS. Poſſe nos famulari Deo, & ſalutem noſtram in omnibus conditionibus operari, cum veritas ſit, quæ hinc quidem inanes omnes adimit prætextus, quos affert ignavarum mentium negligentia; inde vero ſedat omnes tumultus, quos timor, ac diffidentia in infirmis cient animabus; admittendum eſt, ut ſolidius, quam fieri poſſit, comprobetur. Mihi autem videor duas, vel tres rationes inveniſſe aptas ad perſuadendum, ſi quis attentius illas ad examen revocare voluerit, quarum princeps eſt, quod quilibet vitæ ſtatus, atque conditio proprias habet gratias, & particularia ad id ſubſidia. Semper autem de iis vitæ conditionibus loquor, quæ permiſſæ ſunt, & legibus probatæ, atque inſtitutæ ad ſervandum ordinem Reipublicæ, quæ conſtat ea hac ſtatuum, & conditionum varietate, quarum aliæ aliis periculo propiores ſunt propter occaſiones lædendi Deum, quæ ſunt frequentiores; iterum dico nihilominus nullum eſſe ſtatum, vel vitæ conditionem, quæ careat gratiis ſuis, & ſubſidiis ad operandam ſalutem ſuam, & ad ſanctitatem acquirendam. Huic innixus veritati, quæ in dubium revocari non poteſt; Deum vocare omnes homines, & optare, ut ſinguli utiliter operentur ſalutem ſuam: *Omnes homines vult ſalvos fieri & ad acquiſitionem veritatis venire.* 1. Ad Timoth. At poteſtne quiſpiam ſemet ſanctificare ſine ſubſidiis, & gratiis ad id neceſſariis? Hic fidei eſt articulus, de quo dubitare non licet. Ergo in omnibus ſtatibus, atque conditionibus gratiæ ſunt, & media ad ſalutem ſuam operandam, & per illationem manifeſtam, nullus ſtatus eſt, in quo Deo ſervire nequeamus, & omnia obire Chriſtiani hominis officia.

Gratia, S. Ambroſius inquit, agens eſt univerſale, quod ſeſe accommodat omnibus effectibus, præter propter veluti Aſtrorum influxus, qui cum omnibus particularibus cauſis concurrunt, vel ſi mavis, veluti ros de Cælo dilapſus, qua comparatione utitur hic Pater, qui cum in ſe non ſit, niſi Ens ſimplex, tamen tot varios habet effectus, quot ſunt in terris diverſæ ſpecies plantarum: ita gratia, quam Sacra Biblia rorem cæleſtem appellant, generalis eſt cauſa, quæ cuilibet profeſſioni, cuilibet muneri, cuilibet ſtatui vitæ ſingillatim ſe accommodat, ut omnia ſingulorum impleamus officia, & obligationes. Gratia, exempli loco, cadit in nobilem virum, & inde efficit cor generoſum, ſtrenuum, zelo ſuccenſum gloriæ Dei, & honoris Principis ſui: Ecce quo pacto hujus conditioni ſe accommodat; deſcendit in animam judicis, in eaque gignit cordis rectitudinem, juſtitiæ amorem, vim, ac robur utramque lancem librandi, quin modo vel in favoris, vel cupiditatis lancem propendeat, immoratur modo in viro negotiis impedito, eique probatiſſimam fidelitatem inſpirat; in Eccleſiaſtico, eumque reddit divinum hominem exemplo vitæ ſuæ ſuſtinentem characteris ſui ſanctitatem; in Religioſo, & Sanctum facit. Hæc eadem eſſe poteſt gratia; ſed quæ ſe aptat variis mortalium ingeniis, & conditionibus, in quibus illos Deus collocavit; idque, ſeu gratia ſemper ſit eadem, & varia dumtaxat ratione variorum effectuum, quos parit, ſeu, quod dicere videtur Princeps Apoſtolorum, ſit vere diverſa,

pro

pro perſonarum diverſitate; & Deus, qui omnes novit illius ſpecies, omnes proprietates, & uſus omnes illas accommodat ſtatui, ſtudiiſque ſingulorum; *Multiformis gratia Dei.*

1. Petr. Quomodocunque ſit, conſtat, quemadmodum generalis quædam eſt providentia, quæ rebus omnibus magni hujus mundi invigilat, ubi omnia rectiſſime conſtituta ſunt, ita aliam eſſe peculiarem, quæ reſpicit diſtributionem gratiarum, eaſque aptat ſtatui, & conditioni mortalium; ex quo argumentor, ſi quilibet ſtatus, & quodlibet vitæ genus ſuas habet ad ſalutem ſibi procurandam, & ad ſerviendum Deo gratias; affirmare, ſe virum bonum eſſe non poſſe, neque ſalutem ſuam operari in hac, vel illa conditione, hoc eſſet idem ac Deum injuſtitiæ redarguere, quod eum a nobis exigat cultum, quem illi adhibere non poſſumus, velle, ut ordo Sapientiæ ſuæ cauſa ſit ſcelerum noſtrorum; illum criminum noſtrorum conſortem, noſtræque calamitatis auctorem efficere, eo quod nos in eo ſtatu collocaverit, ubi ſalutem noſtram operari non poſſemus; hoc tandem eſſe divinam illius Providentiam deſtruere, quæ cum hoc inter homines diſcrimen conſtituerit, ſingulis ſuum in mundo locum præbuerit, & varias paritus fuerit conditiones; illis minime contuliſſe neceſſaria ſubſidia, ad officia ſua perſequenda. Quod ſi negare non poſſumus, has nobis adeſſe gratias, atque ſubſidia; hinc igitur ſequitur hanc ineptiſſimam eſſe excuſationem, ac prætextum nulli innixum fundamento, rejicere in ſtatum, & conditionem ſuam cauſam negligentiæ ſuæ in Dei cultu, & modicæ ſollicitudinis in ſalutis ſuæ procuratione: *Omnis ad bene agendum provocatur ſexus, omnis ætas, & dignitas,* S. Ambroſius exclamat: *Nemo igitur publicis ſe excuſet aliibus.*

Ambroſ. Serm 7 de Milit.

Verum eſt, Auditores, quemadmodum in regno Monarcha, non eandem ab omnibus ſubditis operam petit, neque omnes idem munus exercent, nec omnes eadem gerunt arma contra hoſtes illius, neque omnes inter cuſtodes, aut conſiliarios ejus numerantur, & nihilominus, nemo eſt, qui quatenus ſubditus illius, qui non teneatur pro modulo ſuo illi deſervire; ita ſi minus exigit a vobis Deus tantam perfectionem, quantam petit ab Eccleſiaſtico, & Regulari, ſi minus evocavit vos ad ſtatum adeo ſanctum atque ſublimem, vos tamen eſtis ex numero ſervorum ejus, & ſi minus a vobis requirit eundem virtutis gradum, neque eaſdem obſervantias, nihil vos diſpenſabit quominus regulares ſitis in profeſſione veſtra, vel etiam perfecti ſitis ſecundum ſtatum veſtrum. Igitur, dicam iterum, vel munus veſtrum prætexere, ut vos a jure communi diſpenſetis, hoc eſt pro excuſatione afferre cauſam ipſam, quæ vos obligat; Deus enim vult, ut hoc ipſo munere veſtro illum glorificetis; vult, ut in hac conditione illi ſerviatis, quia ſeſe illi accommodat gratia; in hac vobis laborandum eſt provincia, & hoc, quem tenetis, loco; ad id enim in eo Deus vos conſtituit, ut verbo me expediam, debetis vacare profeſſioni veſtræ, eandemque in veſtræ ſalutis ſubſidium convertere, quia in eadem præcipua collocavit ſubſidia, quæ toto vitæ veſtræ ſpatio eſtis habituri.

Hinc videtis ſtatum, ac munus noſtrum conjunctum eſſe cum ordine prædeſtinationis noſtræ: videlicet Deum qui prædeſtinat homines ad gloriam, nequaquam id facere inordinate ac indeterminate; ſed ſingulis locum ſuum, ordinemque obtinendum deſtinare, eiſque connotare omnia adminicula, quibus uti poſſunt, & finem, quo illis incedendum eſt, ut illuc perveniant. Oportet igitur, ut hæc via, & hæc media aliquam habeant relationem, ideoque nonniſi effectus nequitiæ noſtræ eſſe poteſt, obicem ſtatuere ſaluti, & ſanctitati noſtræ ex iis ſubſidiis, quæ nobis ſuppeditat Deus, ut eo perveniamus; itaque extremo judicii die hoc unum erit ex præcipuis capitibus, propter quæ condemnabimur, eo quod perperam perfuncti fuerimus eo munere, quod nobis Deus demandavit, & unum erit ex iis, de quibus exiget ille a nobis rationem tanquam unius ex præcipuis adminiculis, quibus donati fuimus, ut ſalutem noſtram operaremur. *Redde rationem villicationis tuæ.*

Luc. 16. Neque ſatis eſt, quod conditio quælibet ſuas habeat gratias, atque ſubſidia; quælibet enim ſecundo loco habet propria, & ſingularia præ cæteris ad hunc finem commodi, propter quem creati ſumus, quamobrem dico etiam, nullam eſſe conditionem, in qua inſignes Sanctitate viri fieri nequeamus, quod ex ipſis Dei mandatis

1. AdTheſ. argumentor: *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra.* Hinc enim hoc poſito, Deum videlicet a nobis petere, ut ad altum Sanctitatis gradum perveniamus, eumque locupletiſſimas propoſuiſſe coronas, & prima regni ſui ſubſellia iis, qui meritis ſuis ea ſibi comparaverint; inde vero, dubitari non poſſe quominus peculiari ſapientiæ ſuæ diſpoſitione factum fuerit, ut tot varias conditiones inſtituerit, quod ſemper præſuppono: quis ſtatim non arguet, quemadmodum Sapientia ejuſdem hæc ſtatuum varietas ordinata fuit, bonitatem quoque illius eandem ad æternam ſalutem retuliſſe, tanquam media ad finem ſuum, & in ſingulis adeſſe quædam auxilia, quibus adjuti illuc perveniamus: alioquin in hac diſtributione, in qua tantam conſpicimus inæqualitatem, licet Deus nihil debeat cuipiam, homines tamen ſe læſos eſſe putantes aliquam haberent cauſam invadendi alienæ felicitati: quærendi ſibi onus impoſitum ſupra vires fuiſſe; vel ſaltem exiſtimandi, ſe quodammodo a Deo neglectos fuiſſe in aliorum comparatione.

Quam ob rem dici poteſt, hoc præter propter tanquam in ordine naturalis providentiæ ſuæ contigiſſe, ubi Deus æquiſſime compenſavit bona, & mala, quæ in qualibet conditione inveniuntur ut quælibet ſua habeat propria, & peculiaria, ut quivis voti ſui compos in terris vivat, quæ in conditionibus aliis minime reperiuntur.

Hoc ipſum dicere poſſumus, Auditores, de ſupernaturali Providentia, quæ adeo ſapienter diſpoſuit univerſa, ſingulis conditionibus ineſſe præ aliis bona ſua, ad ſalutem ſuam operandam, & plurima apud Deum promerenda. Et profecto in facultate, ac poteſtate omnia faciendi, ſibique permittendi omnia, qui ſcopulus eſt, in quem viri principes allidi conſueverunt, quamnam habent bene agendi facilitatem? Quippe per auctoritatem ſuam plurima prohibere poſſunt crimina, flagitia evitare, quam ſexcenti Concionatores poterunt toto vitæ ſuæ ſpatio; & ſolum eorum exemplum plures poteſt ad virtutem, & pietatem illicere, quam ingens Sanctorum, ac zelotum Regularium numerus; quippe qui ſimiles ſunt, abſit invidia verbo, primis ſyderibus, quæ ſua pernicitate reliqua ſecum trahunt. Divitum conditio in Evangelio improbatur, quia divitiæ latiſſimam ſternunt omnibus criminibus viam, quia nobis ſuppeditant, unde noſtris cupiditatibus facere ſatis valeamus, ideoque objecta ſunt maledictionum, atque anathematum Filii Dei: *Væ vobis divitibus.* Attamen hæ ipſæ divitiæ, ſi uti velimus illis, uti opus eſt, quodnam auxilium ad ſalutem acquirendam non afferrent? Peccata eleemoſynis redimi poſſent; omnia Charitatis opera, quibus adjacet Cæli promiſſio, quonam pacto, & a quibus niſi per opes, & a poſſidentibus illas melius poſſent exerceri? Nonne dici poteſt, ſi opulenti bene uti vellent bonis ſuis, illos ſine difficultate, ac labore habituros id, quod aliis ſtat ſumma vi, validiſque conatibus? Luc. 6.

Hinc ſequitur, Auditores, errorem eſſe, & illuſionem a noſtræ felicitatis inimico profectam exiſtimare, ſi nos alio eſſemus in ſtatu ab eo, in quo nos eſſe vult Deus, & in quo nos ipſe conſtituit, nos eidem melius eſſe deſervituros; cum interim relinquimus media, & præſentia ſubſidia, quæ nobis præ manibus ſunt, alia commentitia optaturi, & nunquam fortaſſe futura ſunt, militis inſtar animo foventis ea, quæ facturus eſſet, ſi vel eſſet dux exercitus, vel imperator, & qui nihilominus remanet miles ignavus, & vecors. Exempli gratia artifex putat ſibi plus otii futurum, quo de Deo, deque ſalute ſua cogitaret, niſi neceſſitas ab eo laborem exposceret; interim vero ſalutem ſuam negligit, ac tempus amittit: qui bipalmaris eſt error.

Alia ex parte audio Mulierem hanc, quæ inutili pœnitentia conficitur eo quod ingreſſa non ſit Religionem, ad quam ſe vocari credebat, & quæ inter œconomicæ rei impedimenta cogitat, quam beatius viveret ſi procul a familiaribus curis, & moroſo viri ſui ingenio, nonniſi de Deo, ac ſalute ſua eſſe deberet ſollicita. Uni huic magno, magnique momenti negotio operam darem, ait illa; ſi Deo me devoviſſem inter clauſtra, modo vero non vacat mihi de eo cogitare. Hæc erant cogitanda, donec tibi erat integrum delectum ſtatus habere: Si antea de hac re Deum conſuluiſſes, ac ad liberam revocaſſes partis utriuſque momenta, ſi prudentis directoris conſilium ſecuta fuiſſes, fortaſſe melius elegiſſes; hodie vero cum electio a te fuerit habita, ac jam ceperis conſilium, hæc mera tentatio eſt, quæ prohibet, ne facias, quod tibi faciendum eſt, donec mentem diſtineas tuam ad ea cogitanda, quæ faceres, ſi alio in ſtatu permaneres.

Pariter vir ille cogitat, ſi minus ſeſe implicuiſſet ei magiſtratui, quem abdicare non poteſt, plura ſibi ad ſalutem operandam non defutura ſubſidia; ſed modo negligentiæ ſuæ cauſam prætexere, mera illuſio eſt, Auditores, quæ vos detinet in chimæricis meditationibus, donec vobis elabi ſinitis media pro Deo laborandi. Secretum igitur a quo noſtra ex parte pendet prædeſtinatio, eſt bene eligere, bene conſulere Deum, frequentibus precibus ab eo lumen petere, & conditionem ad quam nos evocat rite ad examen vocare; ſed poſtquam ſemel alicui voſmet implicuiſtis negotio, ex quo nullo pacto emergere fas eſt, non ultra deliberandum eſt, ſed agendum, utendumque omnibus conditionis veſtræ ſubſidiis; quod, ut Epheſii facerent, auctor erat S. Paulus: *Obſecro vos, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis.* Ad Epheſ. 4.

Sed, Chriſtiana ſocietas, quod hac in re ſolatium afferre debet mortalibus omnibus, & quod tertiam hujus propoſitionis partem conſtituit, illud eſt, quod præterquam cuilibet conditioni ſua ſunt media, & propria, & particularia ſubſidia, meliorem etiam eſſe, & commodiorem ad ſalutem operandam, & ſanctitatem adipiſcendam. Hoc ex iiſdem principiis arguo; ſi enim Deus hæc omnia vitæ genera inſtituit, & poſuit hanc varietatem conditionum urbes, ac Regna conſtituentium, & ſi in hoc emicat Dei Providentia, & Sapientia, quæ diverſa hæc ſtudia, ac talenta, ſecretoſque inſtinctus impertit hominibus, qui alii quidem huic, alii alteri negotio vacant, ut hoc pacto civilem ſocietatem ſuſtinerent: *unicuique*

*ſicut*

*1. ad Cor. 7.* *ſicut diviſit Dominus*, ut Apoſtolus inquit; Deus igitur illis diverſas perſonas applicuit, quas ſpeciali vocatione appellavit; nam quicunque vult finem, vult etiam media neceſſaria illatione. Alioquin ſi hæc Dei Providentia non tendit ſolum ad communem ac univerſalem mundi hujus utilitatem, verum etiam ad bonum cujuſcunque ſingillatim, in quo differt ab Hominum providentiis, quæ pro publico bono ſacrificant peculiare; hinc ſequitur, ubi Deus nos ad aliquam evocat conditionem, aut aliquod vitæ genus, citra metum dici poſſe, ipſum hoc nobis optimum, ac utiliſſimum judicaſſe, & in quo per æternam præſcientiam prænovit nos facilius, ac felicius ſalutem noſtram operaturos, ſi illius mentem ſecuti fuerimus.

Igitur in præſentiarum quin conqueramini de hac divina Sapientia, quæ vos in hoc loco conſtituit, quin inutilia foveatis deſideria ejus rei, quam vobis nequaquam duxit utiliorem, cur non omnes conatus exeritis, ut impleatis ea conſilia, quæ ille habuit de vobis? Videlicet cur non conamini ſervire illi, & voſmet ſimul ſanctificare eo in ſtatu, in quo vos eſſe voluit? nequaquam hic non aliud eſt, quam fictus color, quem mortales ſuæ alliniunt negligentiæ, cum in medium proferunt negotia ſua, honores, conditiones, ut ſeſe ab officiis hominis Chriſtiani diſpenſent, & ut curam ſuæ ſalutis abjiciant: *Quod ipſi gerunt*, S. Ambroſius inquit, *officiis ſuis aſcribunt*. *Ambroſius loco ſupra citato.* Rejiciunt in ſtatum ſuum vitia ſua. Haud quidem veſtra conditio prohibet, ne ſervistis Deo, ſed unice mala voluntas hoc vetat veſtra. Omnes hi prætextus fallaces ſunt & inutiles; quis nos non ſolum noſmet ſalvare poſſumus, ſed etiam in quovis conditionum genere ſanctos evadere poſſumus, & perfectos.

Hac de cauſa pro certo habeo juxta curioſam ſapientum virorum animadverſionem nullum inveniri poſſe munus, nullum in Republica magiſtratum, in quo non adſit aliquis ab eadem Eccleſia pro Sancto habitus, ad probandum, quemadmodum conditiones, & ſtatus varii illi non ſunt, qui Sanctos efficiant, ſed vitam quæ ibi ducitur, & fidelitas, qua eorundem officia adimplentur; quod Tertullianus de Chriſtianis ævi ſui dictitabat: *Nihil refert, ubi ſitis; extra ſeculum eſtis*. Quid intereſt, cujus tandem profeſſionis ſitis, dummodo vos Deus ad illam vocaverit? Ita ego non illud quæro, utrum ſæculares ſitis, an Regulares, Sacris Ordinibus initiati, an conjugio impliciti; ſed illud, quod omnibus eſſe debet commune, cujuſcunque tandem conditionis ſtatus illi ſint, ut procul ſitis a ſæculi ſordibus, & corruptione, quod in omni conditionum genere fieri poteſt.

Et profecto inter Principes viros, qui ex fidelibus illi eſſe videntur, quibus plures adſint ad ſalutem obices, ſexcenti & ultra leguntur in Sanctorum album relati postquam vixerunt in Aula profana, quin vitiorum contagione inficerentur, quæ eorum incolatum adeo periculis plenum efficiunt. Quænam eſt conditio, in qua ſit plus licentiæ & minus religionis, quam militum? tamen plures fierent exercitus militum eorum, qui ea in profeſſione ſanctificati ſunt, nec defuere legiones integræ, quæ vitæ jacturam pati maluerunt, quam abdicare fidem. Inter viros negotiis implicitos, quænam ſunt ſalutis pericula? Quæ impedimenta? Attamen non defuerunt plura hujuſmodi mortalium millia, quæ ibi numeris omnibus abſolutiſſimam virtutem tulerunt præ ſe, & ad ſummum etiam Sanctitatis apicem evaſerunt.

Hæc autem Sanctorum cujuslibet generis, & conditionis multitudo ex Apoſtoli ſententia nubes eſt teſtium, qui tandem aliquando contra nos teſtimonium dicturi ſunt, & ignaviam noſtram improbaturi: *Tantam habentes teſtium nubem*. Eorum numerus perſpicuum, & manifeſtum erit argumentum, nos quoque Sanctos eſſe potuiſſe; & nos nonniſi eſſe in culpa, ſi minus fuerimus Sanctitatem adepti. *Teſtium nubem*. Nubes eſt ſuper noſtrum caput poſita, & medio in aeris ſpatio pendens, innuens, illos in terris fuiſſe, quin affectu illis inhærerent, & inter curas, ac negotia vixiſſe, quibus obruti videbantur, ac inde ſeſe per pietatem extuliſſe, & de Cælo tantummodo cogitaſſe. *Ad Hebr. 12.* *Teſtium nubem*. Nubes eſt, quæ fert imbres gratiarum, quas obtinet a Deo pro illis, qui iiſdem muneribus impliciti eaſdem experiuntur difficultates. Sed caveamus ne hæc nubes aliquando ſuper caput noſtrum diſrumpatur, & erumpat in fulmina proferens damnationis noſtræ ſententiam, ſi ita miſeri fuerimus, ut pereamus.

Eheu! quam triſtis nos conficiet dolor, Auditores, cum Deus nobis oſtendet ſubſellia, quæ nobis deſtinaverit inter eos, qui ejuſdem erant ordinis, & conditionis, ac nos. Quid reddet ille, qui periit ea in conditione, in qua tot aliorum millia, quibus plura non erant media, vel ſubſidia, ſalvi facti ſunt? tunc inſurgent illi in ipſum, ac teſtabuntur, hunc unice culpa ſua periiſſe, & conditionem hanc illi ingenti eſſe potuiſſe adjumento, ut Cælum acquireret. Quid reſpondere poterit hic Magiſtratus, vel Judex, qui in muneris ſui exercitationem damnatus fuerit, illi, qui in eodem obeundo ſalutem fuerit conſecutus, licet non plura nactus fuerit auxilia & illi fortaſſe in idem Tribunal ſucceſſerit? Hoc onus, quod juſtitiam vendens polluiſti; eſt ne cauſa damnationis tuæ? dicetur illi; Non ita, quandoquidem me ſalvum fecit, tu vero non reprobatus fuiſti, niſi quod abuſus es poteſtate, & auctoritate, quam tibi permittebat.

Tu igitur exitii tui cauſa es, non munus tuum, quod tibi modum præbebat temet ſalvum faciendi. Hoc ipſum dico de reliquis vitæ generibus, in quibus qui ſanctificati ſunt, primi erunt, qui aliorum damnationem urgebunt, poſtquam exemplo ſuo probaverint non ſolum nos ſalutem noſtram operari, & Deo ſervire poſſe in quovis genere conditionum; verum etiam nos nequaquam melius perfuncturos eſſe officiis conditionis noſtræ, quam cum fidelius ſervierimus Deo, & noſmet ſanctificare adniſi fuerimus.

Ita ſane Auditores, altera hæc propoſitio non eſt minus manifeſta, quam prior: nunquam melius ſatisfacimus officiis muneris noſtri, & noſtræ conditionis, quam cum melius famulamur Deo, & fidelius ſalutem noſtram operamur; & tantum abeſt, ut duo hæc ſimul eſſe non poſſint, ut mutuo ſibi dent manum, & alternis ſeſe fulciant auxiliis. *PARS II.* Ut hoc nobis perſuaſum ſit, afferendæ non ſunt acutæ argumentationes; afferam ſolum duo, vel tria ex probatiſſimis argumenta, & quæ omnes facile intelligere poſſunt; videlicet Chriſtianiſmum, & cultum Dei nullam habere cum ſtatu noſtro oppoſitionem; ſed econtra ſeſe accommodare cum omnibus conditionibus, ac ſtatibus, & nobis opem ferre, ut earum officia repleamus; ad hæc noſtram conditionem nobis ſuppeditare poſitive media præſtandi Deo quamcunque operam ille ex nobis valeat expetere; ac tandem omnem ſanctitatem noſtram in eo poſitam eſſe, ut acquiramus perfectionem propriam ſtatus, & conditionis, in qua nos Dei Providentia conſtituit. Singulas percurramus, ſi vobis lubet.

Primum autem quodnam hoc eſſe poſſet abſurdum inter Dei ſervitium, ac ſtatum noſtrum? Nonne verum eſt, omnes homines, quocunque in ſtatu ſint, & quamcunque profeſſionem fuerint amplexi, vivere debere, ut Chriſtianos decet? Quandoquidem Deus ipſe, qui eos vocavit, vocavit quoque ad Religionem Chriſtianam, & ſicuti Deus ſibi nequit adverſari, etiam permittere nequit, ut alterum ullo modo alteri officiat. Quamobrem Chriſtiani qualitas titulus eſt tranſcendentalis, qui ad omnes pertinet qualitates, qui omnibus ſe muneribus immiſcet, ac in omnibus ſtatibus reperitur.

Videlicet, Auditores, vos, qui Judices eſtis, & Magiſtratus, vos, qui mercaturam exercetis, vos qui eſtis Domini, Nobiles, Milites, & quidquid vultis, ſcire debetis, vobis ſimul duplex eſſe officium. Vos non ſolum Judices eſſe, ſed Chriſtianos Judices, & utrumque hoc munus ſua habere jura, & officia; & ea vobis ſejungenda non eſſe ſine interitu veſtro, ſi neglexeritis officia utrique muneri adhærentia. At enim, inquies, implicitor negotiis, commercio, jugibus impedimentis: quomodo ergo vis, me Deo inſervire, me pietati vacare, ut Religioſum decet? Hominem hunc audientes diceretis, hoc eſſe ordinem Mundi ſubvertere velle, ab illo virtutem, & bonorum operum praxim exigere. Sed dicito mihi, num ſolum mercator eſt? An ſimul & Chriſtianus? Cur ergo tempus omne illi in temporalibus negotiis tranſigendum eſt? Æquumne eſt ut ſalutis cura minima ſit omnium curarum? Cur conſcientiæ tuæ ſtatus perturbatior eſſe debet ſtatu domus tuæ? Undenam tantum ſedulitatis in rationariis veſtris ſervandis, ac tantum negligentiæ in reddenda ratione Deo, quod opinione celerius contingere poteſt?

Cum alter ille ſe nobilem mihi jactitat, ſibique ſecundum nobilitatem ſuam ſibi vivendum; Heus tu! quis id negat? vel quis vetat? Sed nonne ſimul Chriſtianus es? Heu! ſi præclarum hunc titulum abnegaſſes, mortalium omnium ignaviſſimus, & nequiſſimus eſſes. Quam igitur ſimulas adeſſe oppoſitionem inter nobilitatem, ac ſalutem tuam? Inter officia amplitudinis, & Religionis tuæ? Inter Evangelium, & fulgorem natalium tuorum? nulla ſane, niſi recentes aliquas reminiſceris, & tantum abeſt, quod hæ ſimul eſſe non poſſint, ut ea ſeparare, idem ſit ac temet utraque indignum præbere; nam unum ex primis Chriſtiani hominis officiis eſt fideliter replere fide ſumma ſui ſtatus officia; ideoque tantum abeſt, quod ſimul eſſe non poſſint, ut alterum nobis ſuggerat rationes propter quas alterius muneribus debeamus perfungi, & novam adjiciat actionibus noſtris perfectionem, eas Chriſtianas efficiens, quæ morales, vel mere naturales erant. Quinam eſt ergo, amabo vos, hic prætextus, quem affers modicæ curæ, qua Deo famulariis, deſumptus a neceſſitate ſtatus tui, vel tuæ conditionis? Nam quo fidelius ſervies Deo tuo, eo diligentius implebis munus tuum, faciens, quod tibi faciendum eſt majori cum attentione, conſcientia, affectu, & integritate.

Poſt hæc, primus non es, qui hanc provinciam obieris, qui in hac conditione vixeris, qui ſimilia negotia tractaveris, & munus hoc exercueris. Sexcenti, qui tibi præceſſerunt, ſeſe geſſerunt, ut decet ſimul honeſtos viros, proboſque Chriſtifideles. Si ergo aliquid difficultatis, impedimentorum, vel impotentiæ eſt, ut aſſeris, a te proficiſcitur, non autem a munere tuo; nam de cæteris dici poteſt, quod S. Hieronymus dicit de militari ſtatu, verba faciens de Centurione, cujus elogium celebrat Spiritus Sanctus in Actis Apoſtolorum: *Non nocuit paludamentum, & balteus, & apparitorum turba*. *Hieron. ep. 56.* Non militare ſagum, non armorum licentia, non quidquid

magis

magis adverſatur in bellica re pietati promoverunt, ne juſtus eſſet, ne Dei timorem foveret. Veſter igitur ſtatus, & munus veſtrum non minus vos prohibet, quam illum ſuus; ſed avaritia veſtra, quæ tanquam perditum reſpicit, quidquid impenſum non eſt ad augendos redditus veſtros; mollities veſtra, quæ ſua tantum commoda aucupatur, & quæ nollet vel minimam ſibi auferri voluptatem, ut placeat Deo in piaculum ſcelerum veſtrorum; ambitio veſtra, quæ vos fatigat, ut in hoc mundo magis niteat; quaſi poſt vitam hanc nihil ultra eſſet ſperandum, vel metuendum: hæc ea ſunt, quæ afferam hanc gignunt impotentiam. In ſtatum hunc affertis vitia, & cupiditates, neque has unquam ſuperare contenditis; mirumne eſſe debet, ſi in pereundi diſcrimen inciditis? Hæ id ipſum in alio quolibet efficerent; & ſi nequaquam eaſdem conditiones inveniretis, aliæ vobis occurrerent fortaſſe periculoſiores, & eas vobiſmetipſis inquireretis. Mercaturam aggredimini hoc callido ingenio; illud ipſum in aliud quodcunque munus inferetis, quoniam ipſum in vobis eſt, & nunquam fideliores eritis in jure dicendo, quam in exercenda mercatura. Ita cum nullus ſit ſtatus, ubi ſalutem veſtram operari non valeatis, nullus eſt, in quo veſtram operari poſſitis, donec Chriſtiano more non vivitis, & non utimini iis ſubſidiis, quæ ſtatus veſter ſuppeditat vobis.

Sed iterum dico; hæc unice culpa veſtra eſt; nam ſecundo loco, qualibet conditio ſuppeditat media præſtandi Deo cultum, quem expectat a nobis, & recenti laborum, dolorumque acceſſione, agentes eadem, quæ agimus, & tractantes eadem negotia quæ tractamus, noſmet poſſumus ſanctificare; quia nulla eſt actio adeo vilis & abjecta in quovis munere, quæ bonis animari nequeat intentionibus, & cæleſtem mercedem acquirere. Itaque ad hoc ut ſalutem veſtram operemini, ac ſerviatis Deo non ideo jubemini mundo extremum vale dicere, negotiorum veſtrorum curam abdicare; bonis, præſidiiſque veſtris abrenuntiare; quæ nihilominus vobis eſſent facienda, niſi aliter ſaluti veſtræ poſſetis conſulere; ſed Deus, ut ita dicam, vobiſcum paciſcitur; non jubet vos vitæ rationem, ac munus immutare, ſed jubet vos recte vivere, & omnibus officiis veſtris perfungi.

Nobilis ille vir a me ſciſcitatur, quo pacto conciliare poſſit gladium cum Evangelio, ſtrenuum, fortemque videri, ſimulque virtute præditum. Hoc non ita fortaſſe arduum eſt, ut cogitatis; immo ſi volueritis, hæc ratio erit, qua Deo utilem operam præſtare valeatis. Fateor equidem, ſi Nobilis viri officium in eo conſtituitis, ut ferocius inſultet omnibus, ut Regum more imperitet, ut tanquam exiguum Tyrannum in alienis agris ſe gerat, nequaquam ingredimini viam ſalutis veſtræ procurandæ; verum addo hac in re voſmet a nobilitate veſtra degeneres eſſe, & in hac ipſa conditione voſmet minoribus ſumptibus ſalutem aſſequi poſſe, quam iis, quibus vobiſmet comparatis interitum. Enſis iſte, quo præcincti eſtis nonniſi in Religionis, & Principis veſtri commodum e vagina educatur; non autem ad ſuſtinendas privatas lites, eaſque etiam contra divina, humanaque jura evacuandas. Hoc a vobis requirit Deus; hæc fortitudo genere veſtro digna in reipublicæ ſalutem, non in oppreſſionem eorum, qui vobis ſubditi ſunt, exerceatur: Tunc quin pietas, ac virtus vos dedecore afficiat, præcipuum erit ornamentum veſtrum. Illa hunc domui veſtræ nitorem, & hanc majoribus veſtris gloriam comparavit; hæc ipſa eamdem vobis propriam faciet, ac tuebitur, eamque ad veſtram traducet poſteritatem.

Nequaquam, Judices, & Magiſtratus, ut ſalvi ſitis, neceſſe non eſt, ut hanc dignitatem abjiciatis, in qua vos omnes metuunt, & colunt; utimini hac auctoritate, quam Deus in manibus veſtris collocavit, ut aliis jus diceretis, ut in improbos animadverteretis, ac innocentiam tueremini: uno eodemque tempore duo illa perficietis, quæ Deus præſtolatur; Eximii Judices eritis, eximiique Chriſtiani: Providentia omnia ita diſpoſuit, ut quo melius munere veſtro perfuncti fueritis, eo melius, ac facilius ſalutem veſtram operabimini.

Nequaquam, Nobiles Matronæ, nequaquam metuite; non quæro, ut ad ſalutem veſtram procurandam, confugiatis in clauſtra; id unum quæro, ut pietas, quæ ſexus veſtri pars eſt, ſit paulo in vobis ferventior, plurima efficere poteſtis bona, ſine magno labore, veſtro duntaxat exemplo; & nunquam vitam ſtatui veſtro magis conformem duceretis, magiſque divino de vobis conſilio congruam, & magis mortalium omnium approbatione dignam, quam cum verecundiam, modeſtiam, pietatem ſequemini. At jam probe noſtis, quid vobis faciendum ſit, quin me doctore egeatis: illud unum adjiciam quod cum ſalutem veſtram operari facilius valeatis in ſtatu veſtro, quam in aliis plurimis, id ni feceritis, vos nequiores, magiſque inexcuſabiles futuras.

Illud vero mortalibus omnibus notandum eſt, quidquid eſt de eſſentia cujuslibet muneris, vel conditionis nequaquam officere poſſe noſtræ ſaluti, & ſanctitati. Huic nihil obeſſe poteſt, niſi ea, quæ ipſi adjicimus: nam quærere ibi victum, vel occupationem, & ſe ſe reipublicæ utilem præbere; hæc de cujuslibet muneris, vel officii eſſentia eſt; & donec intra hos cancellos ſubſiſteris, dicere audeo, virtutem perfecturam opera tua, non ſecus ac viciſſim opera tua conferent aliquid ad virtutis exercitationem. Sed Satanas, quem Tertullianus appellat corruptorem operum Dei, his immiſcens ſua; Satanas, inquam; detorquet illa, iiſque abutitur in uſus prorſus oppoſitos naturæ, & inſtitutis eorum; cum ſequimur placita quæ ſuggerit nobis, & hæc eſt cauſa malorum omnium, quæ in civili, & morali Mundo contingunt.

Vis hoc in munere, ac ſtatu opes congruere; hoc unum ſeſtinas; ideoque hæc cauſa eſt tot injuſte factorum, tot fraudum, tot laborum, qui minime ad locupletandum ſunt liciti. Hac arte creſcere vis, & ſupra cæteros ejuſdem ſtatus eminere; hinc oritur luxus, hinc pretioſa ſupellex, hinc ſervorum caterva, hinc ſumptus inſani. Otium fallere quæris, hinc alea, hinc ludi, ſolatia, convivia, omniumque ſocietatum frequentia, quæ totidem ſunt obices muneri tuo, ſimulque tuæ ſaluti; ſed attende, ea omnia, quæ te ad peccandum impellunt, eſſe aliena a munere tuo; & ea omnia, quæ aliquid conferunt, ut conditionis tuæ officiis fungaris, te ſimul ſanctiorem, & virtuti propiorem efficere, & ita duo hæc non ſolum mutuis ſubſidiis firmari, ſed etiam hæc unum illud eſſe, quod a nobis expetit Deus.

Ut igitur ſermoni huic finem faciamus per ea, a quibus exorſi ſumus; ſi in omnibus conditionibus ſalvari poſſumus, qua de re dubitare non licet, quinam erit aliquando mœror, quæ pœnitentia videre, tot inter vias, ac media ſalutis operandi aliquem in nullam redditus ſpem interiiſſe! Quid non exprobrabit huic reprobo Deus? Ego te ibi conſtitueram, ubi facile cælum mereretis; ego te eo in loco poſueram, ubi plures tibi paterent in cælum viæ: memet tuo aptaveram ingenio, ſtudiiſque tuis, appellans te in ſtatum hunc, & nihilo ſecius auxilium meum neglexiſti, & periiſti! *Perditio tua ex te, Iſrael.* Te igitur perdidit voluntas tua; tu juxta voluntatem tuam æternum eris miſer. Oſee 13.

Quam in hoc miſero deſperationem non ciebit crudelis hæc exprobratio? Tunc jure dicere poterit hæc verba: *Non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis.* Nequaquam me in hoc ſtatu poſuerat Deus, neque ad munus hoc appellaverat ut in hoc perirem, & fierem objectum indignationis ſuæ, ſed ut meæ ſaluti conſulerem. Non accuſabit ille ſtatum hunc, neque hanc conditionem, vel munus, ſed hujus hominis infidelitatem, qui abuſus eſt cum iis commodis, quæ illi conditio ſua ſuppeditabat, ut ſe redderet infelicem; tum Dei beneficiis, ut in caput ſuum ea detraheret mala, quæ patitur, & munere ſuo, ut ſua ſcelera tegeret. Deus omnia ad illius ſalutem diſpoſuerat, & ille effecit, ut omnia in ſuam damnationem converterentur. Hæc erit cauſa rabiei, & crudelis, inutiliſque pœnitentiæ, ac dolorum, quibus cor illius in æternum torquebitur. 1. ad Theſſal. 5.

Noſtrum igitur eſt, Auditores, hæc mala prævertere; nobis Dei conſiliis obtemperandum eſt, ac ſedulo laborandum, ut in ſtatu, & conditione, in qua nos ille collocavit, ſanctificemur; quoniam omnes excuſationes, omneſque prætextus, qui a nobis afferuntur, omni carent fundamento. Si nondum certam aliquam vitæ rationem ſumus amplexi, deliberandum eſt, neque cæcorum more, Deoque inconſulto noſmet conjicere debemus in ſtatum aliquem, a cujus delectu ſalus noſtra pendet in æternum. Sed ſi delectus jam habitus eſt, ſi ſtatum aliquem ſumus ingreſſi, ibi omnino Deo ſerviendum eſt, & ſtatus ipſe convertendus eſt in medium noſtræ ſalutis, & ſanctitatis.



Digitized by Google

## Vult Deus omnes homines Sanctos fieri quacunque ſint in conditione.

*Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum.* Levit. 2.

SI præceptum, quod irrogavit hominibus Deus, ut Sancti eſſent, vobis injicit admirationem, quia ejus executio æque difficilis eſt, ac urgens, & inevitabilis eſt obligatio; audeo dicere nihil melius oſtendere poſſe ardens, ſincerumque deſiderium Dei ipſius illos æternum felices efficiendi. Tandem enim hinc inferendum eſt, eidem ſatis non eſſe eos creaſſe in finem hunc, iiſque ſuppeditaſſe neceſſaria adminicula, ut eo pervenirent; verum etiam illos urgere, & cogere, ut viam ingrediantur, quæ ad ſupremum hoc bonum adducit; quia ſicut nihil inquinatum introire poteſt in regnum Dei, & meritis tantum via patet ad illud; Sanctitas, quæ conditio eſt, qua poſita Cæli gloria nobis promiſſa eſt, ſita eſt tum in fuga peccati, quod nobis aditum poteſt intercludere, cum in praxi virtutum, quibus hanc mercedem promeremur. Sed quemadmodum Sanctitas facta eſt violenta naturæ corruptæ, & exigit, ut aſſiduos exeramus in nobiſmetipſis conatus ad illam indipiſcendam: Deus ut præceptum nobis reddat facilius, Sanctorum gloriam proponit, tanquam potiſſimum objectum, quod in nobis animum valeat excitare. Rationes per ſe patent, & illas exhibere ſatis eſt, ut de illis omnibus perſuadeatur. Has autem depromo ex ipſis qualitatibus gloriæ hujus, quæ ſimul eſt noviſſimus finis noſter, & merces laborum noſtrorum, & quæ neceſſaria illatione noſtram beatitudinem, noſtrumque ſupremum bonum conſtituit. Latius paulo rationes has amplificemus, & animum, quæſo, advertite, ut illas intelligatis.

Primum Deus, qui fecit hominem ad imaginem ſuam, illum quoque, ut noſtis, unice fecit propter ſe; ita ut ille ſit principium noſtrum, ſimulque noſter ultimus finis, & ex clara viſione divinæ hujus eſſentiæ, ejuſdemque poſſeſſione fiet, ut hæc imago, quæ opus eſt manuum illius, recipiat noviſſima lineamenta ſimilitudinis ſuæ, quemadmodum dilectus ejuſdem Diſcipulus profitetur: *Similes ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt*. Quam nobilis hic finis eſt, Chriſtiani, & quam ſpectabilis coram Deo, quandoquidem factus eſt, ut ipſo Deo perfruatur! Sed quod recte intelligere, & nunquam obliviſci oportet, id eſt, nobilem hunc, ſublimemque finem acquiri non poſſe, niſi per media congrua & idonea, videlicet per virtutes, & actiones ſanctas, quæ homo divina ope ſuffultus neceſſario debet exercere, ut ſanctificetur, & reſpondeat conſiliis, quæ de illo Deus fovet. Dico autem cogitationem, & intuitum finis hujus præſtantiſſimi excitare debere Fidelem ad ſancta opera agenda, quod dicitur laborare ad acquirendam Sanctitatem, quæ unica & inevitabilis via eſt, per quam perveniamus ad gloriam, ad quam anhelamus. Quare? quia hoc diſcrimen intercedit inter hominem, & entia, anima & ratione carentia, quod illa ad finem ſuum feruntur per naturalem inſtinctum, in ipſo eſſentiæ ſuæ fundo impreſſum, quin unquam aberrent, vel ne latum quidem unguem deflectant. Norunt viam ſuam; callent media, quibus utendum eſt ad hunc finem, & nunquam falluntur in eorum uſu. Cum igitur illis neque deliberandum ſit, neque eligendum, quibus rebus idonea minime ſunt; non eſt, cur impellantur; tuto procedunt, vel potius naturæ ipſius propenſione feruntur.

Hoc autem de homine dicendum non eſt: cum finis, ad quem Deus illum deſtinavit, ſupra naturam ſit, natura ad illum deducere non poteſt. Sæpe ignorat quænam ſibi ingredienda ſit via, ut illuc perveniat, & alieno eget ſubſidio, cum ex ſe non habeat ſatis virium, ut illuc tendat. Illud autem magis mirum eſt, quod majores difficultates ad id ſuperandæ ab ipſo proficiſcuntur; quia hæ ſunt vitia, animi ægritudines, perverſæ cupiditates, totidem videlicet obices huic fini. Scio equidem Deum nequaquam creaſſe hominem hac in perturbatione mentis; ſed poſtquam ille ſemet in illam conjecit per peccatum, Deus ibi eum reliquit, & ſatis eſſe cenſuit opem illi præbere ſuarum gratiarum, quibus difficultates has ſuperaret; aperire illi Cælum, quod ſibi per rebellionem obſtruxerat; & ut omnia verbo complectar, præceptis, & exemplis ſuis viam indigitare, quam ſequeretur. Veruntamen via hæc aſpera eſt adhuc, difficiliſque, naturæ corruptæ ſtudiis oppoſita; & opus eſt, ut hic homo impellatur, & excitetur ad ambulandum ſecus ſemitam illi indigitatam a Deo, quæ Sanctitas eſt, ſine qua nemo ad beatum hunc finem poteſt pervenire. Sed iterum dicam, quidnam validius excitare illum poteſt, niſi aſpectus, & cogitatio hujus finis, cujus efficax, fervenſque deſiderium efficit, ut animoſe ſuſcipiantur ea media, quæ difficillima videntur, & quæ natura ipſa perhorreſcit?

Profecto Sanctitas, quid aliud eſt, niſi congeries virtutum omnium, exercitatio omnium operum bonorum; acervus meritorum, & actionum piarum, per quas acquirimus gloriam, quam nobis Deus deſtinavit? Cumque finis prima ſit omnium noſtrorum operum cauſa; & omnes difficultates noſtras cieat; niſi hunc nobis finem propoſuerimus, niſi ſæpe hunc terminum reſpexerimus, & ad gloriam hanc, qua Sancti fruuntur, & qua cum illis aliquando fruituri ſumus, contenderimus, & ſerio fuerimus meditati, nequaquam video, quomodo ſatis fortitudinis, animique haberi poſſit ad amplectenda ea media, quæ ad illam acquirendam ſunt neceſſaria. Tandem enim ſanctitas plurimo labore ſtat naturæ, curam poſcit, vigilantiam, vim quoque ſibimet inferendam. Magnum igitur quiddam requiritur ad excitanda languentia deſideria noſtra, ad erendum ſpiritum ſemiſopitum, ad vellicandam ambitionem naturalem proponendo illi pro objecto tantum hoc boni: alioquin nonniſi tenues conatus exeremus, ac parum proficiemus in hoc adeo moleſto ſtadio Sanctitatis.

Itaque ſublimem nobiſmet adſtruamus ideam ſummi hujus boni, attollamus identidem oculos noſtros in Cælum, animo luſtremus beatam ſedem illam, & contemplemur gloriam, qua Sancti perfruuntur, & nobiſmet ipſis dicamus: en ad quid creatus ſum: hoc Fides mea, ac Religio me docent. Sancti, qui illius poſſeſſionem adierunt, me expectant ſocium ſuæ felicitatis, ut Regius inquit Propheta: *Me expectant juſti*. Eheu! objectum illud adeo ſuave par non eſt inflammando quidquid ignis & ardoris eſt in noſtris deſideriis? Non cognoſcimus quidem veritatem, & magnitudinem hujus boni, neque aſpicimus fulgorem hujus gloriæ; ſed Apoſtolus, qui ad tertium uſque Cælum raptus fuerit, ubi nonnihil ejuſdem fuerat intuitus, ſatis ea teſtatur, quæ nos excitare poſſunt, ut omnia audeamus illam aliquando poſſeſſuri, cum inquit, ea, quæ beata in ſede nobis præparavit Deus, majora eſſe ſenſibus noſtris, & excedere quidquid cor humanum capere, & cupere poteſt: *Quod oculus non vidit, neque auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum*. Pſalm 141

1. ad Cor.

Quin inutilibus conatibus noſmet torqueamus, ut æquam nobis fingamus imaginem hujus loci, metiamur ſolum hujus boni magnitudinem ex captu cordis noſtri, qui quidem infinitus eſt, dicamuſque, bonum illud, quo cor meum replendum eſt, finis eſt meus, ad illud factus ſum, & propter hoc tantum in terra ſum. Hoc ſatis eſt. Vagum hoc, atque indeterminatum deſiderium felicitatis, quæ efficit, ut propter hoc unum agamus, tunc certum habebit ac determinatum objectum, videlicet gloriam Sanctorum, & nos coget viam deligere, per quam illuc perveniamus, & videntes non aliam adeſſe præter Sanctitatem, noſmet excitabimus eam ſecuti per illa Principis Apoſtolorum verba: *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis*. Hoc unum illud neceſſarium eſt, de quo loquitur Evangelium, ſed ne putetis, vos illud alia via, quam ſanctitate aſſecuturos eſſe, quæ in eo ſita eſt ut malum quidem fugiamus, bonum vero operemur: *Satagite per bona opera*.

Ecce autem, Auditores, fontem omnium malorum, ac vitiorum omnium, in quæ plerique homines incidunt; fere nunquam animum advertunt ad finem propter quem creati ſunt, atque tantum abeſt, ut illum cogitent, ut pro fine habeant ea media, quæ illis conceſſit Deus, ut eo pervenirent. Neque enim aliam habent cogitationem, vel deſiderium, quam locupletandi in hoc mundo, nihilque illis antiquius eſt, quam ſuam provehere fortunam. Sexcenta nutriunt ambitioſa conſilia, nonniſi mundanam, fluxamque gloriam aucupantur, unde evenit, ut ſicut finis hic noxius eſt, media, quibus utuntur illuc perventuri, minime ad ſanctitatem concedant. Heu! *Filii hominum uſquequo gravi corde; Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium!* Exclamat Propheta, vobiſmet pro fine fallacia tantum Mundi hujus bona proponentes. Sectamini umbram fugientem, & nihil ſolidi habentem: ſed quia illam deperitis, nihil inauſum, atque intentatum relinquitis, ut votorum veſtrorum ſummam conſequamini. Utique homines vani, & amatores mendacii, vitæ rationem inverteretis, ſi verum finem veſtrum intueremini; illius poſſidendi cupiditas efficiet, ut media vobis ſuavia, ac facilia videantur. Horrentes haſce imagines, quas vobiſmet fingitis pœnitentiæ, mortificationis, auſteriſſimarumque virtutum ſtatim evaneſcent, ubi cucurreritis in via mandatorum Dei, ut loquitur Propheta, ubi cor veſtrum dilataverit ardentibus, ignitiſque deſideriis, quæ erga hunc finem fovebitis, qui nonniſi per ſanctitatem obtineri poteſt, quia hæc ſimul eſt merces laborum noſtrorum. Pſalm. 4.

Hoc

Hæc ſecunda qualitas eſt, quam connotare debemus in hac gloria, & quæ nobis perſuadere debet, ſive nobis a Deo deſtinata fuerit ante, ſive poſt præviſa merita noſtra, quam quæſtionem pertractare non hujus eſt loci; nequaquam nobis eſſe concedendam, niſi tanquam pretium noſtræ ſanctitatis, & tanquam æquiſſimam noſtrorum meritorum remunerationem. Quam autem impreſſionem, amabo vos, non efficiet in frigidiſſimis, & ignaviſſimis cordibus hujuſmodi conſideratio? Cum vere illis perſuaſum erit, gloriam, qua Sancti perfruuntur, non eſſe remunerationem bonorum fortunæ, vel naturæ, non eſſe bona mentis, vel corporis, honores, dignitates, magiſtratus; quia res hujuſmodi non pendent a nobis, neque ſemper eſt in poteſtate noſtra illas poſſidere. Sed hæc gloria eſt remuneratio virtutum, & actuum, qui Sanctos efficiunt: videlicet, ſibimet emori per pœnitentiæ exercitia, abditam in J. C. vitam ducere, divulſam ab iis omnibus, quæ mortalia ſunt, ut Deo uni adhæreat; ſe ſe conformare ad Evangelii placita, & ut omnia verbo complectar, omnia juſtitiæ officia adimplere. Hæc ea ſunt, quæ fecerunt Sanctos; hæc illos conſtituerunt in poſſeſſione gloriæ, qua perfruuntur in cælo; & hoc ſignificare voluiſſe videtur Apoſtolus per hæc verba: *Sancti per fidem vicerunt Regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſionem.*

Beati Sancti illi, quos veneramur, eo quod didicerint Sanctitatem unicum eſſe bonum, quod noſtras in hac vita curas, operamque meretur! Sed beatiores, quod his laboribus, crucibus, ærumnis gloriam hanc pro mercede meriti ſunt! Mercede opima, affluenti, conferta, & coagitata, ut loquitur Evangelium, cujus alia in occaſione adumbrationem quamdam vobis præbere adniſus ſum. Eam hic ſupponamus ſpe noſtra majorem, & ampliorem omnibus deſideriis noſtris, quantumvis hæc ſint ampliſſima, & dicamus, ſi hæc incomprehenſibilis remuneratio, quæ omne poſſibile bonum complectitur, nam ipſe Deus illius objectum eſt, non poteſt nobis ſanctitatis amorem immittere, quæ unica via eſt ad promerendam illam; opus eſt, ut Mundi hujus illecebræ nos omnino ſeduxerint, ac ita faſcinaverint, ut nunquam animum adverterimus ad magnitudinem ejus boni, quod eſſe debet pretium ſanctitatis, virtutis, & laborum, quos ſubituri ſumus ad illud adipiſcendum.

Si enim nihil ita periculoſum, & difficile eſt, quod non aggrediamur leviſſima etiam illecti ſpe, ſi corona eminus nobis propoſita, non efficit, ut noſmet graviſſimis objiciamus periculis, & omnes infringamus obices, qui conſiliis noſtris adverſantur, ſi omnibus etiam vitæ hujus deliciis nuntium mittimus pro tenui honoris umbra, ſi quotidie videntur, qui crucem figunt libertati ſuæ, & naturæ ſuæ vim inferunt, & ab æquiſſimis abſtinent ſolatiis, ut mortalia alicujus Principis gratiam aucupentur; ſi denique omnia nobis videntur facilia, cum ſperamus nos id conſecuturos, quod deperimus,
*Geneſ. 25.* & tanquam graviſſimum bonum intuemur: *Videbantur pauci dies præ amoris magnitudine*, Sacer Textus ait, ubi loquitur de Jacob, qui cupiebat obtinere Rachelem in pretium laborum ſuorum, & cui tot anni aſſiduorum laborum, nonniſi pauci dies videbantur: Sanctitas licet moleſta, ac difficilis, videbiturne ardua, & inhoſpitalis, cum remunerationis magnitudinem intuebimur? Levis laboris momentum nobis negotium faceſſet? Tum una cum Apoſtolo conſiderabimus, illud exceptum iri immenſo pondere gloriæ? Conqueremur de vi, quæ nobis paulisper erit inferenda libertati noſtræ, ubi cogitaverimus id nos pati ut mox longe glorioſius per omnem æternitatem eadem perfruamur? Graviſſimi quilibet labores, contumeliæ acerbiſſimæ, ac teterrimæ mortificationes; quæ nobis maximum cient horrorem, deliciis affluere nobis videbuntur, ubi alte nobis perſuaſum fuerit, nos poſt has pœnitentiæ auſteritates, æternum gaudiis, & voluptatibus cumulatum iri.

*Felix pœnitentia!* dixit olim Sanctus quidam vir, qui
*S. Petrus de Alcantara in ejus vita.* poſt obitum ſuum gloria circumundique amictus Sanctæ apparuit Thereſiæ: *felix pœnitentia, quæ talem mihi promeruit gloriam!* Felix pœnitentia, quæ me introduxit in poſſeſſionem gloriæ, qua fruor! Felices labores, qui tam celeriter effluxerunt, & quos beatitudinis æternitas remunerabitur! Auſteritates & mortificationes, quarum exercitationes duræ adeo videntur, & quarum vel nomen ipſum ignorare volunt homines delicati, quandonam temperatæ non eritis iis conſolationibus, quibus cumulat Deus cor, quod fidele permanere vult in cultu illius? Quanam ſuavitate perfunditis illum, qui immortalem ſperat gloriæ coronam? Sanctitas, uno me expediam verbo, quam amabilis videris illi, qui cogitat de mercede ſua! Utique; qui ſerio hanc meditaretur, quam primum omnibus mundi vanitatibus abrenuntiaret; reſpiceret quidquid nos allicit, & noſmet in iiſdem moratur, tanquam nugas & ineptias; & uti Moyſes, teſte Apoſtolo Paulo, mallet cum Dei populo affligi, quam Ægypti regnum poſſidere. Heu! quid magno huic Legiſlatori ſenſus adeo nobiles inſpirabat? Sanctus idem
*Hebr. 11. 26.* Apoſtolus rationem reddit: *Aſpiciebat enim in remunerationem.* Spectabat mercedem ſibi paratam. Quam eo quod hominum plerique non ſpectant, tot motibus, laboribuſque torquentur ad aucupandam famam doctorum, eruditorum in arte ſua valentium, & in negotiis gerendis ſumma dexteritate pollentium; cum interim noviſſima illorum cura ſit, ſemet ſanctos, perfectoſque Chriſtianos efficere. Tamen Apoſtolus noſter exclamat parum rationabile eorum factum admiratus: *& hi, ut*
*corruptibilem coronam accipiant.* Hi mortales, qui tot exhauriunt labores, qui tot ſubeunt pericula, non aliam habent mercedem, niſi coronam corruptibilem, & brevi duraturam, cum fideles incorruptam, atque æternam remunerationem videlicet Sanctorum expectent: *Nos autem, ut incorruptam.* *1. Ad Cor.*

Conſideratio hæc in nobis efficere debet impreſſionem eo validiorem, ac vividiorem in mentibus, & cordibus noſtris, ut nos ad Sanctitatem alliciant; quia hæc tertia qualitas eſt, vel potius tertius gloriæ hujus effectus, ut nos neceſſario, & perfecte felices efficiat; quia proprium eſt finis extremi, ſimul eſſe ſupremum illorum bonum, qui ad eum pervenerunt; videlicet omnia eorum explere deſideria, & nihil reliquum facere, quod cupiant. Huc Sancti pervenerunt, adepti ſunt cumulum felicitatis ſuæ, & Beatorum nomine, non ſecus ac Sanctorum appellantur, ad oſtendendum ipſos per vitæ ſuæ ſanctitatem ſummum hoc bonum conſecutos fuiſſe. Hoc eſt paucis verbis multa complecti; & nihil ſcio neque validius, neque aptius ad vos ad Sanctitatem hortandos, quam ſæpius iterare, hoc unicum eſſe medium ad æternam, perfectamque beatitudinem promerendam.

Jam dixi vobis, naturam nobis integram nequaquam reliquiſſe, ut felicitatem minime optaremus. Neceſſario beatos eſſe volumus, tunc etiam cum longius a vera beatitudine noſtra per vitia, & crimina noſtra recedimus: neque neceſſe eſt prolixos habere ſermones, ut habuit S. Auguſtinus, ut nobiſmet perſuadeamus. Sed cum Chriſtiana tantum Religio docuerit homines, qua in re conſiſtat hæc ſumma felicitas; videlicet in poſſeſſione ſupremi boni, quod ipſe Deus eſt, una hæc eadem Religio docet nos viam, per quam illuc perveniamus, quæ Sanctitas eſt; ita ut ſi veram obtinere volumus felicitatem, quæ ſola cumulare poteſt deſideria noſtra, & nos perfecte beatos reddere, nos votorum noſtrorum compotes efficiens; laborandum nobis ſit, ut acquiramus Sanctitatem. Fruſtra impii, & mundi hujus mancipia conantur ſatisfacere cupiditatibus ſuis, ut in hac vita ſuam inveniant beatitudinem? Hanc enim conſequi nequeunt, & in horum bonorum perfruitione nonniſi amaritudinem, & ſpiritus afflictionem inveniunt. Fruſtra congerunt opes, atque theſauros tanquam medium ad obtinenda ea, quæ poſſunt optare; cognoſcuntur ſollicitudines & mœrores, quibus exagitantur, & qui prohibent ne quæſita requies inveniatur. Fruſtra quæruntur ardore tanto voluptates, propter quas plurimi libenter alterius vitæ voluptatibus abrenuntiant; ipſe enim Deus non ſinit, ut illis libidinoſi tranquille perfruantur. Eos perturbat, ſexcentis conſcientiæ aculeis ſollicitat, eos timore judiciorum ſuorum, juſtitiæque ſuæ terribilibus exemplis exagitat: ſed præterquamquod Sanctitas efficit, ut in hac ipſa vita perfruamur pace, & tranquillitate conſcientiæ, quod inexplicabile bonum eſt, & omnes ſenſus noſtros ſuperat, ut loquitur Apoſtolus, hæc una nobis jus præbet ad ſupremam alterius vitæ felicitatem; quandoquidem hæc illa eſt conditio, quam ipſe Deus ad illam promerendam conſtituit, quemadmodum patet ex Evangelio de octo Beatitudinibus, qui fuit primus ſermo, quem palam habuit Salvator, in populo; in quo continetur, quidquid faciendum eſt, ut Cælum mereamur, & qui ex ipſis beatitudinibus nomen accepit; quia nobis certam facit æternam beatitudinem, conſtituens noſtram Sanctitatem.

Itaque ad intuitum gloriæ Sanctorum, quam Eccleſia ob oculos nobis conſtituit, abjicere debemus duos errores inſignes, qui pleroſque mortalium fefellerunt, & qui in cauſa ſunt, ut tam pauci ad Sanctitatem adipiſcendam contendant; alterum illorum eſt, qui ſummum quidem bonum inquirunt, pro quo omnes creati ſumus, vel qui putant ſe illud in mundo invenire poſſe per inſignem cæcitatem, quam omnia Chriſtianiſmi lumina diſſipare non valuerunt; licet Ethnicorum Sapientiſſimi ſua docti experientia cognoverint nihil hic nos efficere beatos poſſe, neque ullam nobis ſolidam afferre voluptatem, quia hic non eſt niſi nitor mendax, &
figura, quæ præterit, S. Paulus ait: *Præterit figura hujus mundi.* Fallax beatitudo, quæ inflat ſuperbos in elevatione ſua, pauperes facit in copia miſeros etiam in proſperis rebus eorum; ficti honores, qui nobis moleſtiſſimas pariunt pœnitentias, qui nos palpant, & ſeducunt, qui habentur tanquam præeminentiæ, qui conciliant reverentiam; ſed qui in rerum veritate non aliud ſunt, quam ſpecioſæ ſervitutes. Fallacia bona, quæ nonniſi multo cum labore acquiruntur, cum ſollicitudine aſſervantur, & quæ nonniſi ſummis cum mœroribus amittuntur. Fallax tandem potentia, quæ ut plurimum miſeros efficit, & ſontes. *1. Ad Cor.*

Sed error alter, quem gloriæ Sanctorum meditatio homini Chriſtiano debet auferre, eſt credere alteram eſſe viam perveniendi ad veram beatitudinem, præter Sanctitatem; quoniam labori tantum merces debetur,

& meritis gloria, & utrumque ſanctitas dimetitur: hæc enim mens eſt Eccleſiæ, tunc cum nobis oſtentat generatim gloriam Sanctorum; nam ſimul nobis in mentem revocat memoriam earum rerum, quas illi fecerunt, ut inæſtimabilem hanc beatitudinem aſſequerentur: *Beati*
Matth. 5. *pauperes ſpiritu . . . Beati miſericordes . . . Beati, qui lugent . . . Beati, qui perſecutionem patiuntur &c.* Alii generoſe ſanguinem effuderunt, ut fidem ſuam propugnarent: alii pœnitentiæ lacrymas ad expianda peccata profuderunt; ibi Confeſſores ſexcentos labores paſſi ſunt, ibi Virgines ſeſe a mundi labe præſtiterunt immunes. Hic ex parte videtis Anachoretas, qui ſeſe in ſpecus, ac deſerta receperunt; ex alia Cœnobitas ferventes, qui ex corporibus ſuis fecerunt hoſtiam viventem, ut loquitur S. Paulus. Videtis demum Beatos ex omnibus ordinibus, ætatibus, ſexibus, conditionibus, regionibuſque, quemadmodum oſtendit Deus dilecto diſcipulo ſuo; ſed omnes ſunt Sancti, omnes geſtant palmas in manibus ſuis in victoriæ ſuæ monumentum. Omnes meruerunt hanc beatitudinem diverſis quidem rationibus; ſed ſanctitas medium fuit generale, quo adepti ſunt gloriam tanquam juſtitiæ coronam, quemadmodum illam Sanctus Paulus appellat: *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi juſtus Judex. Corona juſtitiæ*, quia nonniſi Juſtis & Sanctis debetur, & quia merces eſt bonorum operum, atque virtutum: *Corona juſtitiæ*, quia nonniſi pro bonis actionibus tribuitur; verum hoc aſſumendo in Scripturæ ſenſu pro Sanctitate, quæ efficit homines juſtos coram Deo. *Corona juſtitiæ* tandem, quam juſtus Judex non largitur niſi in præmium operum juſtitiæ: *Repoſita*
2. ad Timotheum. *eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi juſtus Judex.* Verum poſſumuſne acquirere hanc juſtitiam, & ſanctitatem, cui hæc debetur corona, gloria, & ſummi boni poſſeſſio? Ita ſane, hoc enim invicte nobis perſuadet exemplum Sanctorum.

II PARS. Si hinc quidem Sanctitas unica via eſt, tuta ac certa, quæ ducit in cælum, & ad Sanctorum gloriam perfruendam, bona fide conſitendum eſt etiam, viam hanc aſperam eſſe, inviam, arduam, ſalebroſam, & inutile futurum excitare aliquem ad illam ingrediendam, niſi oſtenderetur quænam ſemina eligenda eſſent, quinam evitandi ſint ſcopuli, ac ſuperandi obices, ut tandem ad beatum hunc terminum perveniatur. Ad id autem illud primum eſt animadvertendum: quemadmodum hæc via arcta eſt, difficilis, ac parum frequens, qualem Dei Filius nobis repræſentat, nobis hanc ſternendam fuiſſe, nobiſque intelligendum qua ambulandum ſit, aliquo duce nobis præcedente. Secundo loco, quemadmodum in tota hac via non deſint laquei & inſidiæ nobis ubique poſitæ: *Mun-*
1 Joannis. *dus totus in maligno poſitus*, ut loquitur Scriptura, ideo tutis ducibus opus fuiſſe, a quibus illas effugere doceremur, & demum ſicuti adſunt terribiles, & formidabiles inimici, qui noſtris adverſantur conſiliis, & in ſingulos fere gradus nos morantur, nos indigere doctoribus rerum experientia doctiſſimis, qui nobis oſtendant quomodo dimicandum ſit; alioquin quemadmodum non poteramus in hac ambulare via, quæ ducit ad Cælum; ita nunquam perveniemus ad gloriam, quam poſſident Sancti. Igitur paucis oſtendamus, Sanctorum exempla nos in rebus omnibus deducere, ideoque oſtendere nos poſſe gloriam eamdem acquirere, quam illi promeriti ſunt.

Primum, ſi uti ſuperius dictum eſt, fruſtra ad æternam anhelamus felicitatem, quæ ille terminus eſt ad quem contendimus, niſi veram ingreſſi fuerimus viam, quæ illuc ducit; idem peccatum, quod a mundi origine, nobis aditum intercluſerat, tot tenebras, tantamque ignorantiam mentibus noſtris offuderat, ut nos lateat quænam via illuc ſit redeundum; utque hac de re doceremur opus fuit ut Deus de cælo deſcenderet, præcederet nobis, viamque nobis præceptis, atque exemplis ſuis ſterneret. Sed cum hæc via ſit adhuc ardua & difficilis, & ſanctitas, quæ unica via eſt pluribus licet laboribus acquirenda; hic hominum Salvator ſatis eſſe non putavit, ſi ſeipſum nobis in exemplum proponeret, & nos illum ſequi cogeret; noverat ille futurum ut difficultas alios deterreret, & via virtutis nimis anguſta & inhoſpita videretur, ejuſque prolixitas alios averteret; alios poſtquam ardenter ſtadium erant ingreſſi, medio in curſu ceſſaturos, ac poſt terga reſpicientes iterum in mundi vias abituros, ubi excidium eorum eſſet inevitabile. Noverat hominis ingenium, & ſtudium cordis ejus, unde futurum erat, ut præſens voluptas futuri ſpem ſuperaret; noverat quam perdite hujus terræ bona conſectetur; & quam modico in diſcrimine habiturus eſſet promiſſiones Dei, licet certæ, atque infallibiles eſſent; prævidebat quonam impetu humanæ conſuetudinis torrens illum raperet in omnia flagitia; verbo, noverat hinc quidem neceſſitatem in patriam noſtram redeundi per vias Crucis & mortificationis, quæ pariunt Sanctitatem, inde vero quot obicea, ac difficultates in hac via invenirentur; ita ut quemadmodum flagitioſorum hominum exemplum nos detrahit in ſcelera & efficit, ut in latam perditionis viam decurramus: e contra Sanctorum exemplum nobis Cæli viam oſtendit, nos docet, quid nobis faciendum ſit, ut eo perveniamus videntes, quid fecerunt alii, quomodo virtus, & Evangelii placita exercenda ſint, & conſiderantes, quomodo illi hæc in praxim redegerint.

Itaque de Sanctorum exemplo id dici poteſt, quod Tertullianus ait de exemplo Filii Dei; hanc videlicet ſolutionem eſſe omnium difficultatum, quæ afferri poſſent de neceſſitate cælum per ſanctitatem acquirendi: *Solutio totius difficultatis Chriſtus eſt.* Hoc omnes reſolvit difficultates, omnes enodat dubitationes, omneſque prætextus aufert. Chriſtianus enim ſpectare tantummodo debet omnes ordines, qui conſtituunt triumphantem hanc Beatorum ſocietatem, ut videat quocunque in ſtatu ille eſſe poſſit, ſemper ſibi ob oculos verſari plurimos, qui ſibi illud iter ſtravere. Ab his diſcet quomodo ſibi terrenis bonis utendum ſit, ut mereatur cæleſtia; ab aliis diſcet paupertatis miſerias pati. Hi docebunt illum perferre injurias, perſecutiones, contumelias, ut augeant coronam ſuam ſexcentis actibus patientiæ; alii vero præbebunt abſolutiſſima pœnitentiæ exemplaria per hujus vitæ auſteritatem. Aliqui oſtendent illi quomodo in elatione ſervari poſſit humilitas; alii quomodo humilitas ſervari poſſit in honoribus, & in ampliſſimo loco, quem in mundo obtinuerunt; alii fidelem eſſe in obeundis vitæ Chriſtianæ officiis in magna negotiorum turba, a qua honor, & magiſtratus ſui illos diſpenſare non valent; verbo, cum aliæ, atque aliæ viæ ad beatam ſedem illam aperiant aditum, & non omnes Sancti eamdem fuerint ſecuti, noſmet componere poſſumus ad eorum exempla, qui ejuſdem ordinis fuerunt, ætatis, profeſſionis, vel qui in iiſdem muneribus, negotiiſque verſati ſunt.

Hoc pacto, in quo Sanctorum exempla tamdem efficere nequeant impreſſionem, quam effecit olim in animo Ignatii, qui adhuc mundi gloriam appetebat, quam ſe per arma ſperabat aſſecuturum, eſt nemo. Cum enim forte legiſſet, quomodo Sancti mundi hujus gloriam deſpexiſſent; quam ille deperibat; & quid illi tanto cum periculo auſi fuiſſent, tantum eorum fortitudinem admiratus eſt, & tanto exarſit illorum imitandorum deſiderio, ut ex eo temporis articulo generoſum illud inierit conſilium mundo abrenuntiandi, & impoſterum contendendi ad immortalem hanc gloriam. Hoc Sanctorum exemplum ſæpe in hominum mentibus peperit; & hac mente nobis ob oculos ponit illud, nam hac in re plerique fidelium ſimiles ſunt ignavis Iſraelitis ad terram promiſſam explorandam miſſis, qui non aliud nuntiarunt niſi graviſſimas difficultates potiundi regionis illius, quin verba facerent de ſummis commodis, quæ felix illa expeditio peperiſſet.

Terra, quam vidimus, inquiebant, devorat habitatores ſuos, ſexcenta monſtra deterrent eos, qui illuc pedem inferunt. Hoſtilis eſt regio, ubi procedere non licet, niſi quatenus mucronis acie via patet; & ubi tot fere ineunda certamina, quot proferendi ſunt gradus. Ecce, Auditores, quænam ſint effutiſſimæ licentiæ verba ne viam ſequantur ejuſdem ſtudiis oppoſitam. Terror primum ignavos efficit, ubi ſermo eſt de Sanctitate acquirenda; nam ad id nuntius mittendus eſt voluptatibus ſenſuum, caro eſt mortificanda, infringenda ſunt vincula, quibus arcte adeo mundo adhæreſcunt; ſed Sancti, qui in hanc terram promiſſam ingreſſi ſunt, qui illius intuentur mirabilia, qui illius deliciis perfruuntur, & beata illa in ſede lætantur, aliud longe nobis nuntiant, & aliam longe diverſam illius imaginem exhibent. Fatentur illi quidem ſummis ſibi ſtetiſſe laboribus illuc pervenire, ſed guſtatam ibi voluptatem, toto cælo ſuperare laborem, viam hanc, licet anguſta & arcta vocatur, non eſſe tamen inviam ac inhoſpitam; quandoquidem multi ante nos illam ſtraverunt. Illorum exemplum evincit homines æquo licentiores, virtutem, & Sanctitatem non eſſe ita deſertas, ut putant, neque Cæli viam ita inacceſſam eſſe, & ita infrequentem, & ignaviam noſtram eſſe in cauſa, propter quam nobis tam ardua, ac aſpera videtur.

Secundo loco, Auditores, quemadmodum prudentia neceſſaria eſt ad evitandos laqueos, qui nobis in hac via Cæli tenduntur, non ſecus ac virtus, & animi robur ad omnes difficultates ſuperandas: ad id nobis prodeſt plurimum Sanctorum exemplum, qui prorſus divina ſapientia illuſtrati, & peculiari de ſurſum auxilio adjuti, detexerunt nobis lumine ſuo fraudes & inſidias, quibus dæmon uſus eſt, ut illos falleret, & in inſidias a ſe illis poſitas traheret. Et ſane quibus artibus uſus non eſt, ut eorum fidem quidem tentaret, & patientiam laceſſeret? Quas quidem tentationes aliqui paſſi non ſunt, alii vero quot ſubiere pericula? Quibus ſpecioſis prætextibus uſus eſt ſanctitatis, & beatitudinis illorum hoſtis, ut illos averteret ab officio? Nonne millies eorum fallere vigilantiam adniſus eſt? Nonne ſæpius illos in delicatis occaſionibus implicare conatus eſt? Nonne millies ſecretis artes, & machinamenta expertus eſt, ut illos ab inito conſilio dimoveret, ut eos a juſtitiæ tramite deterreret? Ergo Sanctorum exempla nos docent omnes id genus laqueos evitare, & quomodo noſmet gerere debeamus in hujuſmodi occurſibus, & circumſtantiis? Nonne docent, quomodo nos vigilare deceat adverſus calliditatem, ac dolos amoris proprii, qui nequiſſimus eſt ſanctitatis inimicus? Quo pacto reſiſtere debeamus cupiditatibus noſtris, quæ non minus ſubdolæ ſunt, quam violentæ, & qua ratione noſmet a voluptatum illecebris cavere nos deceat? Tandem enim in eadem via ſumus, in qua illi fuerunt; iiſdem periculis ſumus obnoxii,



Digitized by Google

quibus illi patuerunt, eædem nobis evitandæ ſunt inſidiæ, eædem animi affectiones ſubigendæ, eædemque metuendæ tentationes. Heu! Undenam melius edoceri poſſumus de his rebus, quam eorum exemplo, qui eaſdem tentationes experti ſunt, qui primi ante nos viam hanc deambulaverunt, qui hos nobis ſcopulos indigitarunt, has inſidias detexerunt, de his periculis admonuerunt, & qui hæc omnia adeo feliciter evitaverunt? Eorum igitur exemplum eximius eſt magiſter, qui non minus docet quid ſit fugiendum, quam quid faciendum eſt, ut tuto ambulemus in via ſanctitatis, & ad cælum feliciter perveniamus.

Ut autem hæc in praxim redigamus, Auditores, ecce, exempli gratia hominem, qui ſe Deo deſervire, ac ſemet ſanctificare conſtituit, quandoquidem hoc illi perſuaſum eſt; unicum eſſe medium, per quod in æternum eſſe poſſit beatus; ſed per ſummam infelicitatem aberravit a via, quæ ad cælum perducit ab ipſa adoleſcentia ſeſe conjiciens in mundi commercium, cujus ſpiritum ac placita didicit. Quid huic dicetis aptius ad illum in conſilio ſuo confirmandum, & a priſtino errore revocandum, quam ſub oculis ejus collocare peccatorem converſum, qui generoſe pœnitentiam amplexus eſt, & quin ejuſdem rigores eum deterrerent, credit ſe nihil unquam facere poſſe, ut juſtitiæ læſi Dei ſatisfaciat? Hic alius terrenis implicitus eſt negotiis propter ſtatus, & muneris ſui impedimenta: quid melius poteſt erudire illum, opus eſſe, ut ſe Deo præbeat fidelem, quam exemplum eorum, qui eo in ſtatu innocentiam ſuam conſervarunt, ac ab aeris contagione, quæ tot alios infecit, ſe incolumes præſtiterunt per jugem in ſemet vigilantiam; & ut mundi illecebras, & inſidias evitet fuga, quemadmodum illi laqueos ejuſdem, ac fraudes evitarunt; ſecuti lumina, & placita Evangelii.

Quod ſi quis ſe in Cælo putat locum inventurum, & adepturum ſanctitatem ſine tanto labore, ac tot præcautionibus; quoniam nimium frequentes hodierna die ſunt, qui putant ſe conciliare poſſe placita ſæculi cum ſenſibus Chriſtianæ religionis, vitam ducentes mollem, inertem, ſemotam quidem a graviſſimis criminibus, ſed quæ nullam ſibi vim infert, & nulla merita acquirit. Si hæc vita illi tuta videtur & commoda, quia non deprehendit in illa crimina enormia, & flagitia, quæ ſcandalum pariant, ad illum a periculoſo hoc ſtadio revocandum, illi repræſentare debemus, Sanctos nequaquam ſecutos fuiſſe viam hanc, ut ad Cælum pervenirent, & alia inſiſtere via ab ea, quam illi ſecuti ſunt, idem eſſe ac ſequi viam perditionis: nam quamvis plurimis recta videatur, qui illius periculum videre detrectant, tamen deducit ad interitum, ut loquitur Sapiens: *Eſt via*
Prov. 14. *quæ videtur homini juſta, & noviſſima illius ducunt ad mortem.*

Occurrunt alii, qui profecto viam ingrediuntur tutiorem, amplectentes ſtatum ſanctiorem, vel Eccleſiæ inſervientes, vel ſeſe charitatis operibus mancipantes. Hæ, fateor equidem, viæ ſunt, quæ rectius, quam priores ducunt in Cælum, ſed quæ tamen ſatis frequenter incidunt in laqueos, quos Sancti ſumma cura evitarunt, eo quod ſe ſe non conformant eorum exemplo, quo docemur, ſtatum aliquem non eſſe eligendum per avaritiam, vel per humanos reſpectus, & ſatis non eſſe pietatis opera facere, niſi fiant propter Deum, & propter cauſas, & chriſtiana, & ſupernaturalia conſilia. Itaque in omnibus actionibus noſtris imitari debemus Principem illum, qui in omnibus actibus conſulebat imaginem Patris ſui, ſecundum quam ſemet formare cupiebat ad examen vocabat, quid ille ſimili in occaſione feciſſet, ſi adfuiſſet. Hoc nobis faciendum eſt, Auditores, in vitæ noſtræ variis circumſtantiis; conſulendum eſt, quid fecerint ſimili in occaſione Sancti, quomodo ex id genus periculoſis occaſionibus evaſerint, ubi de eorum conſcientia, & ſalute agebatur.

Tertio denique loco accedat, præter inſidias, quæ nobis ſtruuntur in via Sanctitatis, adeſſe quoque magnos obices, qui ſuperandi ſunt, & plures inimicos, cum quibus eſt dimicandum; quos tamen vincere, noſtrum eſt; quia ad id ſuppetunt nobis neceſſaria ſubſidia, ideoque noſtra tantum ignavia prohibere poteſt, ne Sancti ſimus & nobis cæli aditum obſtruamus, quia Sancti, qui illum ſibi aperuerunt, homines erant, uti nos, iiſdem obnoxii infirmitatibus, & cupiditatibus, ac nos; & illi ſæpe etiam violentius laceſſiti fuerunt, quam nos. Et ſane vita eorum, prælia, victoriaſque percurrite; nonne illis æque ac nobis vincendum fuit, quidquid in mundo eſt maxime funeſtum, ac innocentiæ pernicioſum? Quidquid timendum eſt in opibus, & in mundi hujus honoribus? Quidquid hominum potentia potuit efficere ut eos ab officio detorqueret? Et demum quidquid in morte fuit terribilius, ut eos ad fidem, ac Religionem ſuam ejurandam impelleret? Maluerunt omnia perdere, omnia vicerunt, & de rebus omnibus triumpharunt. O Deus, quam ſtetit illis Sanctos eſſe! Quot cruciatus, & ſuppliciorum genera paſſi ſunt Martyres? Quot prælia, & perſecutiones Confeſſoribus ſuſtinendæ fuerunt? Quæ calamitates, & contradictiones Juſtis hauriendæ fuerunt, ut ſuam oſtenderent fortitudinem, fidem, fidelitatem, conſtantiam?



Nonne igitur modo in cælis dicere poſſunt, quod de illis, ac de ſeipſo ſuper terram dicebat S. Paulus: *Spectaculum facti ſumus mundo, Angelis & hominibus?* 1. ad Cor. Illos eſſe ſpectaculum noſtræ expoſitum admirationi non ſolum, verum etiam imitationi: videtur quippe unuſquiſque eorum oſtentans nobis actiones, quæ illis promeruere coronas, quas geſtant, docens nos, ut dimicemus, atque vincamus: *Spectaculum facti ſumus.* Reſpicite hoc exemplum, Auditores, ſed illud ſimul imitamini. Pugnate ut illi, ſi gloriæ ipſorum vultis eſſe participes. Spectaculum! exemplum! Quam impreſſionem efficere non debetis in mentibus noſtris! Quam potenter nos edocetis! quandoquidem adeo ſenſibilibus argumentis oſtenditis, nos fieri poſſe, quod eſtis; quia fuiſtis, quod ſumus; & nulli ſunt obices, quos ſuperare non valeamus, quandoquidem vos ex illis victoriam retuliſtis? Nunc cum ſitis admirabiles per ſanctitatem veſtram, & quacunque ex parte commendabiles, inſignes propter prælia quæ geſſiſtis, & propter triumphos quos retuliſtis exempla veſtra totidem ſunt ignaviæ, negligentiæ, & nequitiæ noſtræ exprobrationes. Utique ad tot exemplorum aſpectum homines fateri coguntur imbecillitatem ſuam, & modicum laborem ſuum ad acquirendam ſanctitatem, intuiti quid Sancti pro cæleſti gloria paſſi ſunt. Nam cum tot viri præclaro loco geniti (ut ſibi ſuadent) ſine honore indecoram vitam ducerent, ſi ſe ſe ſecundum Evangelii placita componerent; S. Ludovici, Eleazarii, Amedæi, qui ex ampliori genere, quam illi duxerunt originem, & qui adamuſſim obſervarunt Legem Dei, & virtutes proprias ſtatus ſui, nonne in illos inſurgunt, & nonne illos fateri cogunt; ſe decipi, ſi credunt, pietatem nequaquam eſſe partem Principum virorum? Cum vir negotioſus ſanctum Regem David conſiderat, qui ingentis Regni curis diſtentus diebus ſingulis plures impendebat horas in meditatione legum Dei ſui; Cum matrona nobilis in deliciis innutrita, & in corporis ſui cultu occupata, dicet gravem eſſe ſibi, & non ferendum noſocomii alicujus odorem, poteritne non ſuffundi rubore, ubi cogitaverit, Sanctas Eliſabeth, ac tot alias Principes mulieres in deliciis habuiſſe inviſere pauperes, eorumque vulnera attrectare? Verbo me expediam, cum tot ignavi fideles ſibi proponent ob oculos heroica Sanctorum facta, & ea virtutum exempla quæ nobis reliquerunt, nonne illis ſumma cum verecundia confitendum erit, modicam fidem ſuam, magnam vero infirmitatem prohibere, ne Sanctos imitentur futuri eorumdem gloriæ participes?

Itaque fideles quandoquidem vidiſtis hactenus Sanctorum CONCLUSIO. gloriam debere nos ad Sanctitatem excitare, quæ unica via eſt ad ſupremum illud bonum, quo illi perfruuntur; & aliunde eorum exemplis nobis oſtendi, nos quoque eamdem Sanctitatem acquirere poſſe, quantumvis ardua nobis exhibeatur, mihi toti huic ſermoni finem impoſituro nihil ſupereſt dicendum, niſi quod omnino inutile, & vacuum eſt ad hanc gloriam contendere per aliam viam, quam ſanctitatem; omnes enim virtutes huc tandem collimant. Hoc eſt, pluribus modis ſancti fieri poſſumus; ſed ſine ſanctitate gloriam non poſſumus adipiſci; ideoque ut noſmet ad ſanctitatem acquirendam excitemus; & ad eam, quantum in nobis eſt, contendamus; cogitemus gloriam mereri, ut illam omnibus excogitabilibus laboribus comparemus; licet juxta complurium Sanctorum exemplum nobis abrenuntiandum eſſet effectu ſimul æque ac affectu iis omnibus, quæ poſſidentur in mundo; licet recedendum eſſet in ſpecus & ſolitudines, quod nonnulli factitarunt; licet totum vitæ noſtræ ſpatium in pœnitentiæ lacrymis traduceremus, induti ciliciis, horrentique ſetis ſubucula, quæ olim Anachoretarum erat conſuetudo; licet denique omnia Martyrum tormenta ſubiremus, tunc enim dici cum Apoſtolo poſſet, nullam inveniri proportionem laborem inter, & præmium: *Non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Verum Deus qui infinite liberalis eſt, & magnificus multo minora petit, & ſancti eſſe poſſumus, ut ita dicam, minori ſumptu; ad id enim ſatis eſt obire hominis Chriſtiani officia, fideliter Dei mandata ſervare, & ſtatus ſui munera implere.

Hoc nobis perſuadet exemplum plurimorum Sanctorum, qui gloriam adepti ſunt per eoſdem actus, quos quotidie exercemus. Heu! ad id ſufficeret tantumdem facere propter Deum, quantum facimus, ut Mundo ſerviamus. Sed cum Beatorum exemplum nobis oſtendat, quid faciendum ſit, objiciens oculis noſtris ea, quæ fecerunt, evincit quoque ſanctitatem non eſſe ſupra vires noſtras; quandoquidem illi ad hunc finem pervenerunt & ex parte Dei gratias, & auxilia, quæ ſunt neceſſaria, nunquam nobis eſſe defutura. Igitur difficultatem cauſari, idem eſt ac ignaviam ſuam profiteri. Heu! oſtendamus inter honores, & magiſtratus, inter familiæ occupationes, inter impedimenta negotiorum, quibus noſtra nos implicant officia, poſſe nos ſervire Deo, prædeſtinatorum vitam degere, & Sanctorum gloriam mereri: quoniam tot illam meriti ſunt permanentes in iiſdem impedimentis, nec alia habentes ad ſemet ſanctificandos ſubſidia, quam quæ nos habemus. Laboremus ergo adepturi ſanctitatem, quæ tantam hanc felicitatem habet pro remuneratione. Adnitamur, ut ſancti evadamus, ſi æternum beati eſſe volumus: *Filii Sanctorum ſumus.* Hi de ſummo cælorum vertice Tob. 2.

 reſpi-

reſpiciunt nos tanquam teſtes actuum noſtrorum, noſtris compatiuntur ærumnis, & infirmitatibus, nobis offerunt patrocinium ſuum apud Deum; ſua intereſſe putant noſtram felicitatem. Ne quæramus inanes cauſas, ut noſmet ab eorum exemplis ſequendis diſpenſemus, ne quando inſurgant in nos; & hæc eadem exempla ſint totidem exprobrationes, quas nobis objicient, & quæ evincent nequaquam impoſſibile fuiſſe nobis vivere, ut illi vixerunt, quia id olim erant quod hodie ſumus; ſed ſi illos imitati fuerimus, hoc erit medium obtinendi gloriam, qua perfruuntur, & eadem cum illis æternum perfruendi.

# SERMO TERTIUS.

## Ad acquirendam Sanctitatem cura habenda eſt rerum etiam minimarum, quæ ad Dei cultum pertinent.

AD acquirendam Sanctitatem fidelitas, quam Deo debemus, generalis eſſe debet, & ſeſe extendere etiam ad minima qualibet: nam obedientia, quam præſtamus legibus, & mandatis illius, nullam admittit exceptionem; & non ſatis cognoſcit, quid illa mereatur, qui magnum, a modico ſecernit, cum agitur de illius gloria, vel de noſtra ſalute. Nam exilia quæcunque principia augeſcunt minimis incrementis, quæ vix percipiuntur; & deſinunt tandem in effectus inexpectatos. Quapropter fert animus apud vos hodierna die verba facere de neceſſitate nihil negligendi in cultu Dei, eique fidem ſervandi in minimis etiam quibuslibet officiis, cum nulla tutior ſit ratio non ſolum ad prohibendum in graviſſima crimina lapſum, ſed etiam aſſequendum altiſſimum perfectionis gradum eo in ſtatu, ad quem Deus nos collocavit.

Opportune animadvertit Tertullianus, Deum in Scripturis nomen Domini tunc ſolum uſurpaſſe cum jam primum creavit hominem, eique impreſſit ſimilitudinis ſuæ lineamenta, & magnitudinis ſuæ characteres; quaſi ante id tempus nullos habuiſſet ſubditos, quibus poſſet imperare. Profecto Cæli, terra, ſydera, & elementa audire quidem poterant vocem illius, ut ejus facerent imperata; ſed carebant libertate, ita ut præcepta illius non valerent obſiſtere; ſed ſimulac effinxit eximium hoc manuum ſuarum opus, tunc ſibi vindicare cœpit Domini nomen, & jure ſuo uſus eſt, legem irrogans Adæ, eique præceptum proponens, quod frangere non potuit, quin in exitium laberetur. *Ante Deus*, dicit hic Pater, *vero Deus, nunc autem Dominus*. Sed quod alii nonnulli Patres addunt, mihi aditum præbent, ut in argumentum ingrediar, cum inquiunt, Dominum hunc magnum in re modica præceptum irrogaſſe, interdicto cavente, ne veſceretur ex fructu quodam, quem illi indigitavit, ut illum fidelem eſſe cogeret pro utilitate totius generis ſui de cujus æterna felicitate agebatur; quoniam hæc felicitas cum Adæ obedientia ita erat conjuncta, ut per teterrimum ſupplicium, quod Deus deinceps ſuſceperit de alio quocunque ſcelere, crimen unius mortales omnes ſontes effecerit, & in cauſa fuerit omnium noſtrarum ærumnarum; unde Sanctus Auguſtinus argumentatur, obedientiæ magnitudinem non ſemper deſumi ab imperatæ rei magnitudine, ſed a Legiſlatoris poteſtate, & dignitate. Ita Deus tunc primam, & maxime neceſſariam ex legibus ſuis conſtituit in re, quæ leviſſima videbatur, ut doceret omnes homines exemplo Capitis eorum, ſe ab illis generalem exigere obedientiam in rebus tum magnis, cum modicis; & in omnibus fidem illi eſſe præſtandam.

Ne putetis ideo, me hoc in loco aſſerere velle, non dari levia contra Dei leges peccata, quippe error eſt quorumdam veterum philoſophorum, putantium peccata omnia eſſe æqualia; ſed leviora nonnunquam magnos exitus habent, & ſenſim, & ſine ſenſu ad funeſtiſſima quæque deducunt, & e contra minima quæque, ubi agitur de Sanctitate, ſubjectum eſſe virtutum præclariſſimarum, & efficere, ut veluti per gradus aſcendamus ad cumulum perfectionis; unde ſequitur nihil eſſe negligendum in cultu Dei; & nihil eſſe tam exiguum, quod non magnos habeat in utramque partem ſive in malum ſive in bonum effectus.

Hoc igitur re adhuc integra nos cogere debet, ut fideles ſimus Deo, & in omnibus officiis noſtris accurati, & diligentes ſine ullo diſcrimine ſive magna illa ſint, ſive modica; quia difficile eſt, ne dicam moraliter impoſſibile, deficere in aliis, quin ſimul infideles evadamus in aliis, & quin incidamus in damnationis periculum. Hoc Sapiens teſtatur dicens, qui contemnit modica, ſenſim in majora prolapſurum, & Salvator noſter nos docet, eum qui fidelis eſt in iis, quæ videntur leviſſima, fidelem quoque futurum in iis, quæ majoris erunt momenti. Licet autem hoc Oraculum ab eadem veritate prolatum ſufficere debeat, ut nobis integerrimam ſuadeat diligentiam in omnibus muneribus noſtris, ut acrius ea intelligamus, quæ ſunt conſecutura; permittite, quæſo, ut inde deducam rationes, quibus Oraculum hoc inniti videtur.

Has autem ex tribus rebus deſumo, quas primum peccatum in omnibus reliquit hominibus, & quas quodammodo in ipſo Eſſentiæ noſtræ fundo impreſſit. Prima eſt error mentis; altera voluntatis propenſio; tertio cupiditas, quæ in appetitu dominatur. Hi tres ſunt funeſti noſtrorum malorum fontes, qui efficiunt, ut cum agitur de peccato, facile ſit magnum cum parvo confundere; quippe error mentis efficit ut ſæpe alterum pro altero uſurpemus; voluntatis proclivitas natura ipſa nos de uno in alterum agit, & cupiditas præſtat, ut ſenſim, & ſine ſenſu de uno in alterum prolabamur.

Ut hæc enucleemus, & latius expendamus; dico primum errorem, qui mentem noſtram prævenit, ſæpiſſime efficere, ut magnum malum pro levi accipiamus; & nihil eſſe facilius & vulgatius, quam nos falli in judicio, quod hac de re ferimus. Et ſane quamvis ſit infrequentius minima pro magnis accipere, videntur tamen qui ſunt hoc errore præventi, ſaltem in praxi; & qui religioni ſibi vertunt res alioquin nullius momenti, ſed qui nullo habent in diſcrimine ea, quæ maxime ſunt neceſſaria. Hoc enim Dei Filius Phariſæis exprobrabat, qui totam Legis perfectionem collocabant in levibus obſervantiis, quas ſibimet præſcripſerant, & qui pro nihilo habebant, maxima Legis præcepta negligere; qui merito ſibi ducebant humanas traditiones ſervare eo uſque, ut in locum officiorum æquiſſimorum, & maxime naturalium eas ſubrogarent; & credidiſſent ſe magnum ſcelus admiſiſſe, ſi accubuiſſent menſæ manibus illotis; ſed qui ſe innocuos eſſe putabant, ſi ingentibus inquinati eſſent ſceleribus, cujus generis ſunt injuſtitiæ, impotentiæ, fœnora, aliaque id genus, quæ quotidie patrabant. Nonne hic error erat, qui ad ſtultitiam uſque procederet? & qui vix crederetur cadere poſſe in mentem Phariſæorum per illorum præſidentiam, niſi etiam inter fideles id genus mortales complures intueremur, qui omnem collocant pietatem ſuam in levibus quibuſdam conſuetudinibus, ſed qui nullo habent in diſcrimine ultiones, detractiones, omiſſiones plurimas, eaſque maximi momenti, ut ſtatus ſui obeant officia? Nonne hæc manifeſta eſt deceptæ mentis illuſio, quæ fallacia ſibi proponit principia pro regula vitæ deſumens acceſſorium pro eſſentia rei, & modica pro magnis?

Numerus eorum ſatis magnus eſt, ſed longe abeſt a multitudine eorum, qui in alterum incidunt extremum. Quæ non minor eſt illuſio; quamvis opponantur Phariſæis, eorumque error in eo ſitus ſit, ut magna aſſumant pro modicis. Error craſſus profecto, ſed pernicioſus, atque funeſtus; nam ſibimet permittendo peccata quædam, quæ levia creduntur; ſine ulla religione, atque conſideratione informatur conſcientia ſecundum ea præjudicia, quæ fallaci judicio acta nobiſmet fingimus iis in negotiis, in quibus amor proprius ſuam invenit utilitatem. Hinc emanant fallacia præjudicia, quæ plurimi non verentur aſſumere tanquam regulas tutas & certas. Sibi, exempli loco, ſuadent verſutiam, malamque fidem, quamdam eſſe induſtriam, atque dexteritatem, cujus uſum conſuetudo probavit, converſationes periculoſas, nimium libera colloquia, & licentiam cum praviſſimo exemplo conjunctam lepores eſſe, & jocos crimine vacuos. Profecto diſtinguine poſſunt adhuc a parvis magna, cum imitamur lepidum hilaremque virum, qui fovere novit, ac recreare feſtivam converſationem; cum putamus, irriſiones in iis, quæ ad Religionem, & ſacra pertinent, nihil eſſe niſi feſtivi ingenii jocos, licet meræ ſint impietates? Cum ultiones, & odia manifeſta deſumimus pro primis iracundiæ motibus, quos accepta contumelia parere ſolet re adhuc integra? Quot ſunt, qui legitimum lucrum putant, quod vera uſura eſt, dummodo illam alia aliqua ex parte diſſimulare ſciant, & quot, qui oblectari videntur fallentes ſemet hac in re, cum intereſt ſua? Deinde ex hujuſmodi præjudiciis perperam conſtitutis num mirum eſt, ſi in mente ſua ſibi fingunt fallax judicium practicum, ut morum ſcientia loquitur, quod efficit, ut malum aſſumatur pro bono, & malum magnum pro modico? Nam ſicut peccata catervatim influunt in talem conſcientiam, ibi facile confunduntur, quin deinceps valeant diſtingui.

Hac in re uti mihi licet verbis Apoſtoli; *nemo vos ſeducat inanibus verbis*; nam ſicuti error nunquam magis officit, quam cum de peccatis ſermo eſt, nunquam vulgatior eſt; quippe amamus errorem, qui noſtra palpat ſtudia, & tantum abeſt ut illum abjicere quæramus per ea lumina, quæ ſunt neceſſaria, ut noſmet in eo confirmantes

illi

illi conſcientiam noſtram conformemus. Eſto enim, minime pares ſitis, ut injuſtum aliquid, violentum, ac turpe admittatis: quia hæc flagitta aliquid habent quod ſtatim conſcientiam exulcerat; nunquid non alia ſunt crimina, quæ quia fœda non ſunt in oculis hominum, non ideo ceſſant eſſe magna coram Deo, qualis eſt ambitio, & ſuperbia? Nonne quædam ſunt, quæ nobis merito vertimus, ac laudi, veluti ultio, & id genus alia, quorum oblivionem facile immittunt, ubi patrate fuerunt, mundi hujus impedimenta: hujuſmodi ſunt maximi momenti officia. Cæterum quis ignorat, cum ſæpe lateant limites, qui ſecernunt ea quæ licent, ab iis quæ ſecus, quis ignorat, inquam, nihil tam facile eſſe, quam falli? Etſi minime citra ſubſiſtimus vigili præcautione, nonne periculum ſubimus, ut prætergrediamur terminos, quos non ſatis diſtinctos videmus, vel quos per ignorantiam affectatam nolumus intueri?

Heu! *Nemo vos ſeducat inanibus verbis*. Cavendum vobis eſt igitur, ne fallacibus ſermonibus vobis dari verba patiamini; ſatis eſſe obedire Deo in iis, quæ magni momenti ſunt: exilis ingenii characterem eſſe modicis rebus perturbari; meros eſſe ſcrupulos nimis coarctatæ conſcientiæ in omnibus legem ſequi velle, quandoquidem Spiritus Dei ſecum affert libertatem. Ita ſane loquitur ſpiritus mendacii, qui eadem calliditate augee in imaginatione noſtra apparens illud bonum, quod in peccato invenitur, ut nos in illud pertrahat, & e contra imminuit magnitudinem veri mali; nobis ſuadens hoc tantum non eſſe. Its eſt; per duplicem corruptæ imaginationis errorem noſmet fallimus magnum pro levi crimine deſumentes; quemadmodum ſæpe fallimur, aſſumentes ſpeciem exigui boni, pro magno ſolidoque bono, quod nobiſmet deprehendere videmur in peccato. Nonne igitur manifeſtum eſt periculum a levibus noxis ad graviores gradum faciendi; quandoquidem falli adeo facile eſt, & error hac in re, quin nos juſtificet, vel excuſet, efficere poteſt magnum crimen ex levi per affectatam negligentiam quærendi lumen circa dubium, quod nobis eſt, juxta receptum illud ab omnibus Doctoribus principium, graviter peccare, qui leve dumtaxat peccatum admittit dubitans, utrum peccatum hoc grave ſit, an leve: *Nemo vos ſeducat inanibus verbis*.

Sed ſi hoc periculum ita metuendum eſt propter mentis errorem, qui efficit, ut alterum pro altero deſumamus; numquid minus eſt propter ſtudium voluntatis, quæ ſenſim, & ſine ſenſu ab uno in alterum nos transfert? Magna eſt in crimen propenſio; arduum eſt ſiſtere pedem in lubrico, cum jam primum protulimus gradum; ita ut non alia ſit ratio ſeſe ab inſignibus vitiis præſervandi, quam ſibimet tum in magnis, cum in minimis præcavere: hoc ait Spiritus Sanctus, cum inquit, nos ex nobiſmetipſis in malum ferri, omnes ſenſus noſtros patere ad illud quærendum, vel recipiendum, nos habere corpus peccati, ut addit Apoſtolus; videlicet nos intra noſmetipſos habere principium, atque materiam omnium peccatorum; nonne ergo hoc eſt ſeſe objicere maximo cuique ex his peccatis ſibi minimis non cavere? Cum enim ab uno ad alterum extremum tranſitus non fiat ſine medio, & cum ſcelerum abyſſus ſuos habeat gradus, per quos fit deſcenſus: res minimæ faciliorem præbent hunc tranſitum paulatim diſponentes voluntatem, & veluti per gradus imminuentes metum, qui illam remorabatur, & eam aſſueſacientes ad aliquid remittendum de magna hac ſeveritate, quam ſibi præſcripſerat, ut deinceps ſe ſe ad maxima quæque flagitia emancipet.

Ita ut ubi ſemel aditus apertus eſt vitio, non ſit adeo levis momenti labor ſibi præſcribere cancellos, quia per viam hanc nonniſi per inſenſibiles progreſſus incedimus, & dominans naturæ noſtræ pondus vulgo longius nos trahit, quam cogitaverimus: nam ſi adhuc magni criminis horror nos retinet; levia peccata nonne ſenſim, & ſine ſenſu metum hunc, & horrorem imminuunt? Habitus, qui eſt tanquam pondus recens additus naturali propenſioni, nonne paulatim coaleſcit; & ubi convaluit, quid non poteſt? Per hunc imaginatio decepta, & ante cætera ſuperata mulcet horrorem, qui primum quidem nos perterrebat, & efficit, ut lapſu temporis omnia evadant mitiora. Ita eſt, dicere audeo, tot ſiunt ingentium ſcelerum ſpecimina, quoties aliquis in modica labitur crimina, & obſtupeſcimus, poſtquam adeo exigua præcautione a levibus noxis abſtinuimus: obſtupeſcimus, inquam, videntes noſmet in horribiles corruiſſe impietates, quia re adhuc integra non ſentimus funeſtos progreſſus, quos in ſcelere facimus. Impedimentum ex modicis vinculis initium ducit, quæ in infinitum multiplicantur. Hoc impedimentum mox convaleſcit, ac tandem eo evadit, ut in illum deſinat terminum, e quo, re adhuc integra, animus abhorrebat. Idcirco primum illud effatum, quod in filiorum inſtitutione obſervatur, eſt ſtatim exiguas noxas corrigere, quibus ſunt obnoxii, prudenter enim arguitur fore ut exigua hæc peccata in majores illos impellerent culpas, ſi impunes illi abire permitterentur, proclivitatem hanc, quam habent in mendacium, ludum, furtum, et licentiam nequaquam ſemper intra fines eoſdem eſſe permanſuram; ubi ætas, illam veluti concluſam tenet, niſi maturate illi obſiſteretur, niſi prave hæc natura corrigeretur, & niſi ſumma cura ad virtutem inflecteretur. Quod autem, jure optimo prudenter extimeſcimus in ſtudiis filiorum, hoc generatim metuendum eſt in mortalibus omnibus: quia, Tertullianus ait, vitium æque ac homines diverſas habere ætates, & in infantia, cum incipit per ea, quæ ſunt leviſſima mox adoleſcere ac ſeſe roborare, prout conſeneſcit, ita quærit objecta congrua ætati, & concupiſcentiæ quæ primum quidem modico acquieſcebat, nullum ſervat modum, ubi crevit cum tempore. Itaque ne putetis blaſphemum hunc primum ſtatim incepiſſe hæc horribilia juramenta proferre, quæ in ſingula verba evomere auditur; pedetentim, ac ſenſim ad hos exceſſus evaſit per crimina leviora, quæ illi abſtulerunt horrorem eorum, quæ in ſingula evomit momenta. Impius, & Atheus ipſe non corruit in ictu oculi in impietatis abyſſum, ubi marceſcit, neque dicto citius jugulavit omnes ſenſus Religionis, quos natura ac fides immiſerant. Initium duxit non eam adhibens reverentiam, quæ præſtanda eſt ſacris rebus, perrexit in jocum traducens ea, quæ pertinent ad devotionem, & ad auguſtiſſimos ritus Eccleſiæ: hinc evaſit uſque ad contemptum noſtrorum myſteriorum, ac tandem per apertiſſimum Atheiſmum abjecit timorem, ac fidem Dei. Et undenam, amabo vos, profecta eſt mundanæ hujus mulieris licentia, quæ adeo libidinoſam vitam ducit? Neque enim re adhuc integra ex gravi aliquo ſcelere duxit initium; ſed a converſationum hilaritate, quæ omnia illi pietatis ſaporem abſtulerunt, e lectione librorum, quæ illi nimium teneros affectus immiſit; hinc gradus factus eſt ad nimis libera colloquia, & in privatis hujuſmodi allocutionibus blanda excepit verba hominis in omnem licentiam effuſi, qui ſuum eidem ardorem ſuggeſſit, cavit, qui ignem in corde illius inflammavit, quo tandem aliquando ſe flecti paſſum eſt. Et ecce illam prolapſam in infamiam, & univerſæ civitatis contemptum; adeo verum eſt a leviſſimis initiis ad graviſſima uſque perveniri flagitia, propter proclivitatem, qua proni ſumus in malum, quod nos trahit, & ſenſim, & ſine ſenſu de uno in alterum adducit.

Addamus tertio loco, quod miſeræ proper ſunt accedens cupiditas nos rapit, vel præcipites proruit ſine ulla conſideratione ex levioribus noxis in graviſſima crimina: neque enim ſcire tantum oportet, quis ſit violenta animi ægritudo, vel quid illa poſſit, ut alter judicetur, & ut plus moderationis in ejuſdem progreſſibus expectetur. Vocatur motus animæ, cujus motus ubi in ac impreſſus eſt, ac receptus, non adeo levis momenti eſt, illum, ubi velis, compeſcere; vehementior enim eſt omnibus conſiderationibus, quæ ad id afferuntur. Hoc autem, quæſo, ut diligenter attendatis, has cupiditates in ortu ſuo infirmas eſſe, ut cætere; ſed mox ignis inſtar exardeſcere, qui cum in ipſa origine parva ſcintilla ſit, in teterrimum evadit incendium, & parit vaſtitatem, atque excidium, quod nullam patitur medicinam. Ita eſto, vanitas, exilis invidia, levis ira, tenuis avaritia, levis ob illatam injuriam dolor, non ſint quidem gravia peccata, neque mala adeo timenda, quæ ſi ſtatim in ipſo ortu jugularentur, nullum haberent moleſtum exitum; tamen ad quæ extrema non perducunt illos, qui iiſdem ſe falli ſinunt. & qui cupiditates reprimere negligunt? Fingite vobis quicquid deterius eſt in moribus, ac pernicioſius in novitatibus ad Religionem ſpectantibus, quidquid magis impium in hæreſibus, horribilius, & maxime funeſtum in bellis, quidquid crudeliſſimum, & ab omni humanitate remotiſſimum in urbium depopulatione; ac dicite, undenam hæc omnia fuerint profecta? Si altius horum malorum cauſam repetierimus, videbimus omnia ex levi cupiditate emanaſſe.

Nolo equidem hoc in loco, vobis ob oculos ponere funeſtas earum calamitatum imagines, quas ſuperiori ſæculo peperit hæreſis, neque ſermonem habere de ea errorum colluvie, quæ tot populos infecit, & Eccleſiam, atque Religionem ſubvertit. Ne repetamus horrores eos qui æternæ oblivioni tradendi eſſent. Sed quod ad rem noſtram pertinet, crederetiſne ſi altius evolveritis ſæcula omnia, tot malorum cauſam inquiſituri, inventuros tandem levem vanitatis, invidiæ, zelotypiæ, avaritiæ, aut ultionis cupiditatem cauſam adeo tragicorum effectuum fuiſſe; & non a gravioribus initiis tanta hæc mala profecta fuiſſe? Etenim ut de aliis taceam, quis ignorat Lutheri vanitatem ignem in Germania univerſa excitaſſe; deſiderium nominis celebritatem acquirendi ſeſe illuſtri adverſario opponendo, primum impuliſſe illum, ut ad eum refellendum in nonnullos errores incideret, mox vero cum ſuſtinere non poſſet palinodiæ recinendæ verecundiam, atque deinceps ferre non valeret Romana monita, atque cenſuras, eo furoris evaſiſſe, ut ad ſeſe ulciſcendum eetrema quæque tentare auſus fuerit; & ipſi noſtis quantum incendium parvula ignis ſcintilla pepererit. Sed undenam tandem hoc cœpit incendium? Ex nonnullis invectivis adverſus quoſdam aſſertos abuſus Eccleſiæ; hinc gradus factus eſt ad refellenda dogmata, & ſolidiſſimas veritates labefactandas; mox a moralibus veritatibus via facta eſt ad myſteria; *Ecce quantus ignis, quam magnam ſylvam incendit!* Jacob. 3.

Quiſnam arbitratus eſſet ab adeo tenui principio adeo funeſtos exitus profecturos?

Memoria repetite alios hæreſiarchas, qui eum præceſſerunt, vel ſubſecuti ſunt: aliane errorum ſuorum habuere principia, quam inconditam cupiditatem, quæ ſuffulta favore virorum potentium, quos illi in partes ſuas pertraxerant, ad exceſſum evaſit? Quod in fide, & Religione contigiſſe vidimus, non minus cæteris in rebus palam fit. Quo enim evadit animi perturbatio, quæ primum negligitur, & quæ in ipſis primordiis fere nihil eſt? Nunquid ſatis validi inveniuntur aggeres, & valla ad eam coercendam? Et ſane, nonne levis animi dolor in Saule in odium crudele adverſus Davidem exarſit? Ambitio in Abſalone contempta nonne in rebellionem, ac parricidium, ſaltem voluntate conceptum, erupit? Avaritia nonne incœpit in Juda ex levibus furtis, & nonne eo uſque proceſſit, ut Domini, Magiſtri, Deique ſui ſanguinem venderet? Quid non peperit incompoſitus amor in Salomone? Ejus erga pellices ſuas indulgentia nonne adegit ipſum, ut delubra ædificaret, ac thus adoleret idolis earum per nequiſſimum ſcelus? Adeo verum eſt, dicam iterum, animi ægritudinem, quantumvis modica videatur in ipſo primordio, ſi reprimere negligatur, nos in extrema quælibet præcipites dare! Itaque videte quam facile ſit ex levibus noxis in teterrima vitia labi; quia noſtræ mentis errore ſæpiſſime fit ut alterum pro altero accipiamus, ut noſtræ voluntatis propenſio nos ab aliis in alia trahat, quin fieri poſſit, ut aliter tantum hoc malum evitemus, niſi per præcautionem nobis adhibendam, ne leviſſimos negligamus lapſus in iis, quæ ad Dei cultum, & noſtram pertinent ſalutem. Sed ſi ex minimis noxis ſenſim in graviora ſcelera labimur, non conſtat minus, minimas etiam res, in quibus noſmet diligentiſſimos probamus, materiam eſſe maximarum virtutum, & quoſdam veluti gradus, per quos uſque ad Sanctitatis apicem aſcendimus.

II. PARS. Arguendi ratio eſt ſatis vulgata, & æqua, oppoſitas haurire concluſiones ex principiis oppoſitis: ita ut nobiſmet perſuadeamus de neceſſitate nihil negligendi in acquiſitione virtutis, & adhibendi accuratiſſimam diligentiam in minimis etiam rebus, quæ ad Dei cultum pertinent, ſufficiat, contraria accipere eorum, quæ de levibus noxis dicta ſunt, & inferre, quemadmodum a minimis vitiis ad majora deſcenditur, per leves virtutis actus ad majores gradum fieri, & ſenſim uſque ad abſolutiſſimæ perfectionis cumulum perveniri. Adjiciendum tamen eſt, non idem prorſus de virtute dici poſſe, quod de peccato, & oppoſitionem non eſſe in tota ſua extenſione æquam. Non modicæ virtutis actus coram Deo locum tenent maximarum virtutum apud Deum, quod dici non poteſt de levibus erratis; & præterea minimæ virtutes accumulatæ, ut ita dicam, aliæ aliis ſuperadditæ magnas virtutes conſtituunt, quod negat Theologia univerſa cum de peccatis agitur: quia omnia peccata levia ſimul conjuncta grave & lethale peccatum non poſſunt efficere. Denique minimæ res, quæ regulariter fiunt, ſunt apertiſſimo argumento, in homine ineſſe magnum virtutis fundamentum; & data occaſione illum majora facere, ac præſtantiora: quod de peccato dici non poteſt, in quo illatio, & conjectura laborarent; ſi quis velles arguere, hominem inſignem eſſe ſceleſtum, quia modicos habet defectus. Sed ex tribus hiſce rebus, quibus virtus vitio præſtat, totidem haurio valida argumenta vobis probaturus ſummam fidelitatem e nobis adhibendam in minimis etiam ad Dei cultum ſpectantibus: etenim hoc illuſtriores efficit Sanctos, hæc tutiſſima via eſt ad perfectionem, & tandem argumento eſt eum, qui hæc fecerit jam aſſecutum illam fuiſſe, Hæc, ſi vobis lubet, percurramus.

Primum res minimæ, ubi agitur de virture, locum tenent coram Deo rerum maximarum, qui ſæpe non tantum conſiderat quod fit, ſed modum quo fit, & ne parvula quidem dedignatur munuſcula, quæ illi animo magno offeruntur: *Non quantum, ſed ex quanto*, ait quidam Eccleſiæ Pater. *Fe..ys B'ejenſir in Job.* Non ſemper actionis magnitudo majus conſtituit meritum: leviſſima pro magnis accipiuntur, & æſtimantur, ubi facta fuerint, uti facienda ſunt. In uno tantum crine colli ſui Sponſa Canticorum vulneravit cor Sponſi cæleſtis, & fortis Mulier, cujus elogium in Scripturis celebrat Spiritus Sanctus, nomen hoc non ſibi comparavit per actus heroicos, vel fortia facta, ut olim Debora, & Judith, neque per labores invicta conſtantia ſublatos, ſed per actus modicos, & propria ſui ſexus officia: *Digiti ejus apprehenderunt fuſum.* *Prov. 3.* Et magnificentia, qua Deus remuneratur in cælo, & ſæpe etiam in terra, minimas, quæ ipſi præſtantur, opellas, ſatis oſtendunt nihil eſſe modicum, & parvi pretii, quandoquidem qui omnia appendit æquiſſima trutina, ſtatuit pro pretio æternum gloriæ pondus, quod nullam habere videtur proportionem: *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, intra in gaudium Domini tui.* *Matth. 25.* Diceres, quemadmodum in natura, potentia, atque ſapientia magni hujus opificis nunquam admirabilior videtur quam in rebus minimis, ita bonitatem, & magnificentiam ejus nullibi magis eluceſcere, quam in acceptatione operum noſtrorum minimorum, in merito, quod illis adnectit, in oblectatione, quam illi pariunt, & in approbatione, quam illis largiri dignatur. Nam quidquid eorum pretium commendare poteſt, ab ipſo conſideratur, quo minoris momenti præceptum videtur, eo major videtur noſtra fidelitas, quo minor eſt actio, eo magis diligentia noſtra renidet, quo plures ſunt prætextus ſe ſe ab hoc munere diſpenſandi; alacritas, intentio, facilitas, affectio, omnia poſſunt actionis noſtræ meritum amplificare coram illo, qui cor noſtrum novit, & ſæpe accidit, ut leviſſimus quilibet actus profectus ex corde, quod fidelius eſt, ardentius in Dei amore, & in officiis ſuis obeundis diligentius plus habeat meriti, quam alia majoris momenti, vel quæ magis nitent; quia Deus illa metitur ex animo, affectu & ardore, quem in illius cultu teſtamur.

Hinc autem ſequitur hoc punctum Ethicæ diſciplinæ, ad quod non ſatis attendimus, tunc cum negligimus modica, nos ſubire periculum nihil unquam pro Dei cultu faciendi, quippe occaſiones faciendi magna non ita frequentes occurrunt, in illis efficiendis prætexiमus difficultatem, & vim nobiſmet inferendam: amor proprius, qui ſe ſe quærit ubique, non caret unquam excuſatione, aut cauſa, quam prætexat. Deus ipſe, qui magnam habet cauſam diffidendi de noſtra fidelitate nos in periculum non adducit, metuens ut vincamur; ideoque ſi eidem negligimus opellam noſtram præſtare in rebus minimis, quid propter illum, & ad æternam felicitatem promerendam faciemus? Quandoquidem vidimus alibi infidelitatem, atque inobedientiam eo minus eſſe excuſabilem, quo faciliora imperantur: *Et ſi rem grandem dixiſſet tibi, certe facere debueras*, dicebant famuli legato Damaſceni Regis, contemnenti remedium, quod Propheta Eliſeus illi imperaverat, ut mundaretur a lepra: *Quanto magis, quia nunc dixit tibi, lavare, & mundaberis?* *4. Regum.* Ita eſt, faciendum eſt tibi, quod jubet Propheta, quod quo facilius eſt, nulla ab eo exequendo te ratio diſpenſat. Similiter ſi minime facis propter Deum ea, quæ adeo modico labore ſtarent tibi, quæ in ſingula occurrunt momenta, quorum occaſiones nunquam deficiunt; quid boni facere poteris, & quam exercere virtutem, quoniam hæc modica illa ſunt, quæ vulgo Deus requirit a nobis?

Præterquamquod ſecundo loco in hac quoque re id accidit, quod in rerum natura, ubi magna quælibet a modicis ducunt initium, in modicis ſubſiſtunt, per modica progrediuntur, & tandem in modica revertuntur. Auferte modica, jam non ſupererunt majora, quia majora ut plurimum nonniſi ex modicorum congerie ſubſiſtunt. Majores ſummæ ab unitate inchoantur, diuturnior temporis duratio a momento; majora quælibet corpora ab atomo; ita & florentiſſimæ civitates fiunt ex congerie domorum, quæ aliæ aliis accedunt, & in ipſa origine nihil ſunt aliud, quam male ſarta mapalia. Flumina, quæ Provincias, & integra alluunt Regna, ac uberes tot agros efficiunt, non aliud ſunt, quam parvulorum rivorum congeries, quæ augent illa, & quorum origines non aliud ſunt, quam ſtillæ perennes. Tandem locupletiſſimi quicunque theſauri nonniſi paulatim coacervantur, aureis, argenteiſque nummis, qui in arcam inferuntur, & poſt aliquod temporis ſpatium in vim immenſam exceſcunt.

In hoc etiam parvuli virtutis actus differunt a modicis peccatis, quod hæc quotcunque ſint nunquam lethale peccatum efficient; quamobrem omnes, quæ afferuntur ſimilitudines, & quæ hanc inferre videntur concluſionem, vitioſæ ſunt, velut navis, quæ maris aquam excipit, & quæ guttatim repletur, donec penitus ſubmergatur; & quidquid inde poteſt inferri illud eſt, quod ſupra docuimus, videlicet peccata modica diſponere animam, eamque ad graviora committenda ſenſim præparare. Sed in bono, & in virtute aliæ ſimilitudines a fluminibus, ac theſauris petitæ æque ſunt, quia magnus meritorum acervus fit ex pluribus parvulis actionibus, & ſint licet variarum naturarum, tamen ſimul coaleſcunt, & fit corpus ex diverſis partibus, quarum una alteri ſuperaddita efficiunt totum, cujus magnitudo, & perfectio coaleſcit ex partibus ſimul collectis & congregatis. Ita ut Chriſtianus ſedulus, ac frugi jugiter ſuis officiis intentus augere ita poteſt theſaurum meritorum ſuorum in infinitum: quoniam omnia numerantur, & ponuntur in lucro; magnæ parvulæque actiones, ſeriues, abjectæ, ac neutræ, nihil horum peribit, & cum illas in vitæ ſuæ exitu aliquis centuplum duplicaverit, quinam erit meritorum acervus, quod gloriæ pondus, quænam in Cælo corona? Hoc Evangelium appellat eſſe divitem in Deo, qualis non erat avarus ille, qui ſua auxit horrea, ubi conderes meſſes, quas uberi anno collegeras, ſed qui ex hac vita exturbatus fuit nocte eadem, ita ut tantus frugum acervus eidem fuerit inutilis: *Non erat in Deo dives.* *Luca 12.* Sed Chriſtianus fidelis Deo etiam in minimis, & ſedulus in leviſſimis etiam officiis, vere dives eſt in Deo: actio quælibet eſt actus virtutis, quælibet virtus meritum habet ſuum, & gratiæ incrementum, & quilibet gratiæ hujus gradus æternum gloriæ pondus, quod jure debetur illi, & quod nunquam deficere poteſt.

Ut non ſemper actiones magnæ magnos Sanctos conſtituunt,

ſtituunt, non ſecus ac in hujus mundi bonis non ſemper magna negotia magnas pariunt fortunas; ſed ſæpiſſime parcitas, œconomia bene adminiſtrandi parum illud quod habes eas gignunt: Ita qui attenti ſunt in minimis occaſionibus, & qui minima non negligunt officia, non ſecus ac majora, virtutibus locupletantur, & Deus illos favoribus ſuis gaudet cumulare; cum interim qui eas ſibi elabi ſinunt, indignos ſe præbent, quibus aliæ occaſiones occurrant majora acquirendi merita, & amittunt etiam, quod habebant, vel ea quæ
Math. 13. antea adepti fuiſſe videbantur: *Omni habenti dabitur, & abundabit: & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo.* Hinc Doctores nos docent prædeſtinationem, vel reprobationem hominum ſæpe iis adhærere, quæ videntur leviſſima. Vel aliorum fidelitas ſibi Dei cor conciliavit, aliorum vero negligentia illud avertit, ut videmus in Saul, & alio Rege Iſrael, qui eo quod quinquies, vel ſepties terram minime percuſſit, occaſionem amiſit conquirendi Regnum Syriæ: cum e contra Deus remuneratus eſt minimas opellas ſibi præſtitas ſexcentis favoribus, & animas propter earum in modicis fidelitatem, extulit ad eminentem ſanctitatis apicem; & cum aliquando tandem auferet velum, quod nobis in præſentiarum aufert aſpectum conſiliorum providentiæ ſuæ, fortaſſe videbimus noſtram in Cælis fortunam perfectam eſſe ex modica hac charitatis actione, & occaſione hac, in qua fideles fuimus divinis inſpirationibus; & diligentiſſime caveamus, ne in rebus modicis negligentia ſit excidii noſtri cauſa, vel ſaltem non prohibeat magna, quæ de nobis Deus habet conſilia: quod nobis terrorem deberet immittere ea in negligentia, qua ſingulis diebus contemnimus ſexcenta, quorum exitus ignoramus.

Quod vero a nobis hanc curam, & vigilantiam impenſius requirit, hoc eſt tertio loco, quod fidelitas noſtra in Dei cultu in minimis etiam rebus illam indigitat, quæ a nobis habenda eſt in majoribus, immo ex S. Joannis Chryſoſtomi ſententia, illa hac major eſſe debet; quia Servi fidelitas minus elucet in occupationibus maxime eſſentialibus, quam in reculis quibuſdam, quæ non ita accurate quæruntur ſecundum illud Salva-
Luc. 16. toris Verbum: *Qui fidelis eſt in minimo, & in majori fidelis erit.* Hac autem in re dici poteſt, rationem perveniendi ad elatiſſimum ſanctitatis apicem, longe aliam eſſe ab illa, quæ ad majora deducit ſcelera; in vitiis enim fere ducitur initium a rebus minimis, ſed in virtute ipſa, & ſanctitate principium fit ex rebus maximis, & maxime eſſentialibus, ac perficitur cura rerum minimarum, quæ argumento ſunt, eos, qui id fecerint, jam aſſecutos fuiſſe perfectionem. Ita ubi convertitur peccator, ſtatim abſtinet ab impudicitiis, præcipua ſervat mandata, illatum reparat malum; inevitabilibus perfungitur ſtatus ſui muneribus, & officiis hominis Chriſtiani. Tunc illius ſanctitas, ut videtis, vix eſt adumbrata; hinc initium faciendum eſt, ut acquiratur; nam idem accidit ac in artium operibus, in quibus non ſtatim ducunt delicatiſſima lineamenta, neque ornatus, quæ illa perficere conſueverunt. Sed prout peccator iſte in virtute procedit, atque in Dei cultu, bona opera exercet; præceptis adjicit conſilia, ac tandem opus ſuum abſolvit quoſcumque licet minimos defectus amovendo. Ita ut maxima minimarum rerum cura, maximam indigitet virtutem, & ſanctitatem eminentem; nam hoc pacto homines teſtantur ſibi ſublimem eſſe conceptum, & magnum ſuæ perfectionis deſiderium, & ipſos ſequi vias a ſanctiſſimo quovis ſtratas. Et profecto cura hæc carere non poteſt gratiis omnino ſingularibus. & fideli cooperatione, quatenus ſpectat ad nos: ſed præſertim hoc pacto diſponit nos Deus ad majora. Cæterum manifeſta eorum illuſio eſt, qui arbitrantur, ſe deficientes in iis, quæ uſitata, ac faciliora ſunt, aliquid majoris momenti efficere poſſe. Quæ enim hæc eſt agendi ratio, exclamat Auctor Epiſtolæ ad Demetriadem, quæ tribuitur Sancto Hieronymo. Quid! audacter difficiliora facienda ſuſpicio, & faciliora facere nequeo? Spero me graviſſima quæque pericula ſuperaturum: & in facillimis hæreo. Super ardua montium cacumina, quæ ſunt inacceſſa, aſcendere conor, & in gradus ſingulos ceſpito, ubi in plano, ſtratoque ſolo mihi incedendum eſt: *Quæ hæc nova vivendi ratio?* ait ille. Quæ confidentia, vel potius quæ temeritas! Qui facere nequit quod minus eſt, quomodo ſperare poteſt ſe facturum, quod majus eſt? Quid magni nobis ab illo promittere poſſumus, qui ne minimas quidem ſuperare poteſt difficultates?

Unde, ut ſermoni huic finem faciam, argumentor, Concluſio.
fieri nequaquam poſſe, ut nobis deficiat in rebus minimis fidelitas, quin jugulemus in nobiſmetipſis certiſſimum teſtimonium ſinceritatis virtutis noſtræ; cum enim magna negligere nequeamus citra ſcandalum manifeſtum, & quin in caput noſtrum omnia convertamus opprobria; certum fieri nequit judicium, utrum Dei, an hominum timor nos agat, utrum conſcientiæ cauſa an ob humanas rationes; utrum plus avaritiæ, quam pietatis inveniatur in perfungendis officiis, a quibus noſmet diſpenſare non poſſumus, quin periculo objiciamus noſtram exiſtimationem; cum e contra ubi in omnibus regulares ſumus, & in minimis etiam obſervantiis fideles, evidens eſt teſtimonium, & certiſſimum argumentum, hoc proficiſci ex vero virtutis fundo; nos ſcilicet unice agere propter Deum, & nullam aliam cauſam eſſe hujus effecti participem. Itaque non aliud conſtantius eſt magnæ virtutis indicium, quam illam in minimis etiam rebus exercere, & in minimis occaſionibus, ita ut res quidem in ſemetipſis exiguæ eſſe poſſint, & leves, ſed fidelitas, vel infidelitas in minimis non eſſent eſſe magnæ; quia dimetiuntur ex diſpoſitione cordis noſtri, cujus ſunt ſignum, & ex Dei Mandato, cui parendum eſt in rebus omnibus, in minimis æque ac in majoribus. Et quamvis hinc minime liceat arguere de peccatorum, aut virtutum æqualitate, ut olim priſci argumentabantur philoſophi, dici tamen ſemper citra errorem poteſt, nihil parvum eſſe Dei habita ratione; quoniam minimum malum ei diſplicet, & ejus juſtitia illud ſevere punit in vita altera; dum e contra miſericordia, & bonitas ejus minimum illud quod facimus bonum infinito pondere gloriæ in beata æternitate remuneratur.

# SERMO QUARTUS.

## Medium generale ſemet ſanctificandi eſt Chriſtiana Patientia.

NOnne mirum eſt videre Chriſtianos homines, licet fidei luminibus illuſtratos, adeo parum noſſe quodnam interſit diſcrimen inter vitæ hujus bona, & vera mala, ut promiſcue gaudii, & veræ felicitatis ſuæ argumentum conſtituant ea, quæ ipſi felicitati magnum obicem ſtatuere conſueverunt; & e contra iis rebus doleant, quæ poſſent, ſi illis uti ſcirent, illos ad ſummi boni poſſeſſionem inducere? Tandem enim, quandoquidem veritas ipſa teſtatur, ea quæ nos Mundi hujus mala vocamus, cauſam lacrymarum, ægritudinum, & amaritudinum noſtrarum; intelligo moleſtos vitæ caſus, infortunia, bonorum jacturam, dolores, & male affectæ valetudinis incommoda, propinquorum, & amicorum mortem, omnia, verbo, quæ nobis dolorem creant: hæc, inquam, omnia ſunt pars fidelium Domini ſervorum; ideoque a nobis collocanda in numero bonorum, & favorum, quibus nos cumulat, uti loquitur S. Pau-
Ad Philip. lus: *Vobis datum eſt non ſolum, ut in ipſum credatis, ſed etiam, ut pro illo patiamini.* Hic fons eſt totius beatitudinis noſtræ, ac magnum noſtræ prædeſtinationis inſtrumentum; utiliſſima ratio ſalutis noſtræ expediendæ. Tamen, o graviſſimam mortalium cæcitatem! hæc illi reformidant tanquam mala graviſſima, & vocant adverſitatem, calamitatem, infortunium, moleſtos caſus, cum interim ſpectent gloriam, opes, valetudinem, omnium voluptatum perfruitionem, & quidquid Deus ſæpe concedit inimiciſſimis ſibi, & in ipſo æſtu indignationis ſuæ, cum inquam hæc omnia ſpectent tanquam ingentia bona, & illis toto corde inhæreſcant, atque conſtituant gaudium ſuum, eaque ſibi proponant tanquam ardentiſſimarum ſuarum cupiditatum objecta; quam ob cauſam ad rem hanc utar his cujuſdam Prophetæ Verbis: *Confu-*
Joel 1. *ſum eſt gaudium a filiis hominum.* Filii hominum confundunt objecta ſuorum gaudiorum, & divitiarum; quia iis rebus lætantur, quæ illos dolore deberent afficere, & contra iis dolent, quæ eos gaudio cumulare deberent, æque ac S. Paulum, qui ait: *Superabundo gaudio in om-*
2. ad Cor. *ni tribulatione noſtra.* Meum igitur conſilium eſt pro viribus adniti, ut hanc auferam confuſionem, oſtendens vobis gaudium, & felicitatem noſtram in Chriſtiana patientia collocandam eſſe, ut docet nos quidam Apoſto-
1. Jacob. lus: *Omne gaudium exiſtimate fratres, cum in varias tentationes incideritis.* Duo argumenta ex Chryſoſtomo delibata, qui ſæpe hoc pertractavit argumentum divina cum eloquentia, omnes mihi ſuppeditabunt rationes. Prior eſt inevitabilis neceſſitas patiendi in hoc mundo, quocumque ſimus in ſtatu, vel conditione: & noſtrum eſſe neceſſitatem hanc in magnam convertere virtutem per patientiam, quæ primum eſt lætitiæ, & conſolationis noſtræ argumentum. Ratio altera educitur ex incomparabili utilitate, quam nobis afferunt paſſiones undequaque proficiſcantur, Ineluctabilis eſt lex patiendi in hoc mundo: enitamur igitur ne paſſiones has inutiles efficiamus, ac meritis carentes per obmurmurationem, & impatientiam, quæ illas magis, magiſque augebunt. Infinitos percipere poſſumus ex paſſionibus noſtris fructus; illas igitur in patientiæ noſtræ argumentum convertamus;

mus; quandoquidem ibi cauſam invenimus lætitiæ, & conſolationis.

Quemadmodum ex virtutibus omnibus patientia ſine ulla contradictione illa eſt, quæ majoris eſt uſus, & cujus praxis eſt quotidiana, mirum eſſe non debet, ſi omnia illam prædicant, & in ſingulas horas admonemur patiendum eſſe, ineluctabilem hanc eſſe neceſſitatem, quoniam hæc noſtræ inhæret naturæ poſt primi parentis noſtri peccatum, & quia ad patiendum damnati ſumus ſententia illius, qui nobis vitam contulit, ita ut irrito labore contendamus evitare, ac noſmet diſpenſare ab ea lege, quæ omnibus communis eſt; *Jugum grave ſuper filios Adam a die exitus de ventre Matris eorum uſque in diem ſepulturæ.* Eccleſ. 4 Sed licet poſſemus noſtris conatibus noſmet huic ſubtrahere ſententiæ in omnes homines latæ: Religio illa quam ſumus amplexi non ne coget nos, ut quatenus Chriſtiani noſmet illi ſubjiciamus? Hæc enim Religio ſine patientia eſſe non poteſt, quemadmodum medius in perſecutionibus conſtituta eſt, & qui ejus Auctor eſt non niſi in cruce ſua fundavit illam: hoc enim pacto loquitur S. Auguſtinus. Sed tandem ſi Religionis noſtræ officiis perfungi poſſemus, & fideles permanere Deo quin per moleſtiſſimam hanc tentationem traduceremur, qua Deus omnes ſervos, maxime vero ſibi amiciſſimos probat; qualitas peccatorum cum qua naſcimur, & cujus veritatem ſatis, ſuperque adimplevimus peccatorum a nobis patratorum multitudinem, non ne illa per ſe divinæ juſtitiæ ſupplicia in caput noſtrum congereret? Ita ut hominis qualitas, quæ nos tot miſeriis, caſibuſque ſubjicit, Chriſtifidelium qualitas, quæ noſtram crucem bajulare nos cogit, & prototypum noſtrum imitari; qualitas peccatorum, quæ juſtis nos ſubjicit pœnis ab illo infligendis, qui omnium ſcelerum noſtrorum ſe jactat ultorem, tres ſunt cauſæ, quæ efficere debent, ut patienter, & æquo feramus animo hujus vitæ mala, ſi volumus paſſiones noſtras nequaquam carere meritis ac fructibus: animum quæſo advertite, ut rite hæc intelligatis.

Nanciſcor igitur primam paſſionum noſtrarum originem in natura, & conditione hominis ipſius, qui ſimulac naſci incipit, damnatur ſuſtinendis paſſionibus, & mox malis omnibus omnibuſque caſibus obnoxius eſt. Neceſſe non eſt ea vobis per hypotipoſim deſcribere; ubi ſemper uberrimus patuit campus Ethicis veterum Philoſophorum animadverſionibus, ex quo Sancti Patres ſolidas hauſerunt meditationes, ut nos ad patientiam excitarent, inferentes inde beatitudinem noſtram in terris neque nobis eſſe quærendam, neque conſtituendam. Satis ergo puto eſſe, ſi dixero, hos eoſdem Sanctos Doctores, qui horribiles nobis propoſuerunt imagines omnium vitæ hujus malorum, ibi validam invenire cauſam, ut nobis ſuadeant eas conſtanter ferre, non quidem Philoſophorum more per ſtoicam ſenſus carentiam; quæ non aliud eſt quam ſuperbia quædam, & illuſio, neque per animi fortitudinem, quæ omnem collocat virtutem ſuam in hoc quod nullum ſibi peculiare privilegium præ reliquis vulgo hominibus arroget; ſed per integram Providentiæ Conſiliis ſubmiſſionem. Huc nonnulli ex antiquis illis Sapientibus pervenerunt, qui ſuperiores fuerunt omnibus vitæ caſibus, temporum injuriis, hominum injuſtitiis, ac fortunæ vicibus. Saltem legimus in ſcriptis Senecæ, & Epicteti ſenſus hac de re, non longe abhorrentes a Patribus probatiſſimis: neque inficior hoc in argumento Sapientes illos, dum incumberent adhuc Ethnicæ ſuperſtitionis tenebræ, non minimam laudem fuiſſe promeritos. Sed eorum pretium, meritumque inde imminutum eſt, quod S. Auguſtinus ibi deprehendit inanem virtutis oſtentationem, cui nonniſi faſtus, & inanis inerat ſpecies, qua ſibi gloriæ vertebant, quidquid boni facerent, unde multa illis fiebat ambitionis, & æſtimationis ſuimet ipſorum acceſſio: & profecto Sanctus hic Doctor dignum ſe protulit oraculum, cum ait, veram patientiam nonniſi in Chriſtianiſmo inveniri, quippe ibi ſolum Religio vera invenitur.

Quod tamen non prohibet, quominus patientia quatenus moralis virtus non ſit mortalibus omnibus communis, ſi ab eorum Religione præſcindamus, quoniam ſæpe illis eadem mala perferenda ſunt, & quia iiſdem ſunt obnoxii calamitatibus, quæ ſunt patientiæ materia: quam ob rem conſtat inter omnes doctores hanc eſſe virtutem, qua conſtanter, & quadam animi æquabilitate vitæ hujus mala ſuſtinemus; ita ut nihil introrſum admodum perturbetur, & nullum extrinſecus præbeatur indicium doloris immodici. Itaque cum patientiæ argumenta ſint omnibus mortalibus communia, ſola ratio perferendi illa virtutis hujus diſcrimen conſtituit. Quænam igitur eſt hæc diſſimilis ratio? Hæc eſt quod dum Sapientes infideles non aliud ſpectabant niſi inevitabilem neceſſitatem ratione ſolius conditionis humanæ, quod erat in cauſa, ut æquo ferrent animo id a quo ſemet diſpenſare non poterant: Nos vero noſmet libenter ſubjicere debemus propter Dei voluntatem, ac imperium, qui voluit, ut ſemper nobis adeſſent occaſiones eidem voluntatem noſtram ſacrificandi. Infideles ſapientes ideo inibant conſilium æquo animo perferendi, ne mœrore malum ipſum exaſperarent, & augerent; & illud ſuperare conabantur contra ejuſdem impetum ſeſe obfirmantes; ita ut non valentes vim illius coercere, putabant ſe inde victoriam retuliſſe, cum corpore mali vehementia devicto, ſpiritus ſua firmitate, atque conſtantia ſuperior permanebat; vel ad ſummum acceptabant ratione ducti, quod evitare illis non permittebat neceſſitas.

Sed pati, ut Chriſtianum decet, eſt hanc reſpicere neceſſitatem relative ad Dei voluntatem, eſt, ſeſe æquo animo ſubjicere divinæ Providentiæ conſiliis, & hac mente ſervare animi tranquillitatem inter funeſtiſſimos hujus vitæ caſus; eſt, a Creatoris manu recipere quidquid per hanc cauſam accidit; quia nihil re vera accidit, niſi per diſpoſitionem ſapientiæ illius. Patior, Ethnicus inquit Philoſophus, quia ita jubet neceſſitas: acrius & acerbius mihi eſſet infortunium meum, ſi me dolori traderem, vel ſi me obrui mœrore permitterem: ſed patior, dicere debet Chriſtianus, quia hoc vult, & permittit Deus ſecundum ea conſilia, quæ divina de me Providentia ab æterno concepit. Hominis conditio ponit utrumque in neceſſitate patiendi, & in occaſione fere jugi exercendi patientiam; ſed alter quidem hanc neceſſitatem in virtutem convertere ſtudet, patiens, quod inhæret conditioni naturæ ſuæ ſine alia mente, quam confitendi ſe hominem eſſe, ac propterea obnoxium legibus communibus omnium mortalium: *Homo ſum, & humani nihil a me alienum puto*, vetus quidam ajebat. Terentius Sed ſapiens, ac virtute præditus Fidelis tranſcendit Philoſophi virtutem: intuetur enim has miſerias, & hos caſus, quibus ipſum natura ſubjecit, tanquam naturam, & materiam ſuarum paſſionum: ille his ſe ſubmittit cum obſequio tanquam imperiis divinæ Providentiæ, quæ illi has occaſiones ſuppeditat, & quæ voluit vitam ejuſdem his abundare, ut intelligat, quietem ac beatitudinem ſuam indigno cordis affectu ſibi non eſſe inquirendam.

Intelligitis ne, Auditores, ex prima hac adumbratione diſcrimen, quod inter Chriſtianam intereſt patientiam, & eam, quæ mere moralis eſt, licet utrique eadem ſint perferenda; videlicet vitæ hujus mala, & quidquid noſtris adverſatur cupiditatibus; altera quidem hortatur ut patiamur, quia homines ſumus, & ſubjecti legibus, ac miſeriis humanæ naturæ; ratio idcirco mere humana, ac mere naturalis. Hæc efficit ut acceptum referamus fortunæ, odio, inimicorum noſtrorum injuſtitiæ, vel tandem noſtræ conditionis miſeriæ, quidquid accidit nobis, & cogit nos illa perferre, quia non alia adeſt medicina, quam in patientia: Sed Chriſtiana patientia hæc eadem mala reſpicit, tanquam originem omnium bonorum noſtrorum, recipit illa a manu Dei tanquam totidem occaſiones oſtendendi illi noſtram obedientiam, ac ſubmiſſionem, & hoc in ſenſu inevitabilem neceſſitatem in magnam virtutem convertit; & hoc pacto convertit malum in bonum.

In hoc Doctrina Evangelica differt ab Ethnica, quæ nullum ex patientia percipit fructum. Nos vero Chriſtiani, ne ſinamus nobis noſtræ fructum eripi. Neque enim fert animus improbare, ac reprehendere modicas curas, & rationabiles præcautiones, quas gerimus, ut noſmet adverſus temporis injurias tueamur, ut paupertatem, ac miſerias evitemus. Ita ne Deus quidem hoc vetat, licet damnet immodicas, ſollicitaſque curas, quibus homines plerique, ut plurimum, unice occupantur. Non loquor autem niſi de malis, quæ neceſſario pati cogimur, & quæ prævidere non licet; illa ſaltem Chriſtianorum more ſuſtineamus, ſi evitare non poſſumus: cogitemus, nos quatenus homines damnatos eſſe, ut patiamur; & in hoc Mundi commercio, & in hac hominum Societate viventes ubique patientiæ exercendæ occaſionem inveniemus.

Ite, quocunque vobis placuerit, exclamat pius Auctor de imitatione Jeſu Chriſti, voſmet vobiſcum illuc geſtabitis. Quoquoverſum voſmet converteritis ſemper vobis ferenda erit ſurſum quidem libido, pravumque eorum ingenium, qui vobis ſævo dominabuntur imperio: deorſum rude, ac indocile ingenium eorum, qui vobis ſubſunt; & qui patientiam veſtram fatigabunt; dextrorſum invenietis pares, qui illam ad extremum uſque laceſſent, opprobriis, irriſionibus, calumniis & contumeliis; intus mortalibus urgebimini ægritudinibus, doloribus ob infelicem exitum rerum veſtrarum, & ob familiæ mala, in corpore acutis, ac teterrimis morbis, & crebro vobis opus erit univerſa virtute veſtra, ut hæc omnia patiamini citra murmur, & querelam: *Quocumque ieris teipſum tecum portas, & ſemper te ipſum invenies; converte te ſupra, converte te infra, & in omnibus invenies crucem.* Sed te quacumque convertens, oculos conjice in omnia, quæ te circumſtant, in ea quæ tibi deſunt, in ea, quæ ad te pertinent, & ad quæ jus habes, non ne ubique patientiæ argumenta reperies? Quis enim in terris eſt, qui habeat quodcunque cupit? Num ſemper tibi arridet fortuna? Nihil tibi negatur ex iis, quibus indiges? Nemo ne a te judicio contendit quod tuum eſt? Injuriæ, contumeliæ, calumniæ, paupertas, egeſtas, morbi, hæ tot ſunt occaſiones, quæ tibi ſunt patiendi quatenus homini, ſed Chriſtiano more; hi totidem ſunt caſus, quos evitare non potes; argumenta patientiæ, quæ ubique invenietis, & ſi Apoſtolus tribuit Deo opes, & patientiæ theſauros, eo quod omnia patitur ab hominibus;

bus; homines nonne & ipſi poſſunt inde haurire inexhauſtos, patientes quidquid ſibi accidit ex parte Dei, & omnia tanquam ex divina illius manu recipientes?

Quod ſi tenemur patientiam exercere quatenus homines; quibus natura, ſtatuſque noſter ſexcentas occaſiones ſuppeditat, multo magis tenemur etiam, quatenus Chriſtiani, nam hanc Religionem amplecti, eſt, ut ita dicam, vinculum contrahere cum paſſionibus, quæcunque illæ ſint, & undequaque proveniant; quia ſumus filii Crucis, & diſcipuli ejus magiſtri, qui nihil frequentius, neque urilius nos docuit, niſi Chriſtianiſmum nihil eſſe proprie loquendo, niſi ſcholam patientiæ, & Chriſtiani vitam jugem eſſe exercitationem hujus virtutis, ut loquitur S. Auguſtinus. [Sermone V. de vita mali in 1. tomo Adventus.] *Tota vita Chriſtiani, ſi ſecundum Evangelium vivas, crux eſt, & martyrium.* Inutile eſſet, Auditores, prolixius verba facere de veritate toties repetita, & de qua egimus alibi; dico ſolum, quod vos ad patientiam hortari, eſt non ſolum excitare vos ad perferendum, ut decet Chriſtianos, propter cauſas, quæ naturam excedunt, intra quam virtus Ethnicorum ſubſiſtit: ſed ad id vos impellere per qualitatem ipſumque Chriſtiani nomen; nam hoc eſt vos urgere ad illius muneris obeunda, vobis in memoriam revocare debitum in Baptiſmo contractum, ejuſque actus omnes repetere. Hoc eſt vobis dicere cum Tertulliano, quod renati in aquis, quæ figura ſunt paſſionum Salvatoris, & quæ earum virtutem continent, ſervare non poteſtis divinam, & ſupernaturalem vitam, quam ibi accepiſtis, niſi per paſſiones, quæ ſunt veluti alimentum, quo illa nutritur; & ſicut Propheta quidam olim dicebat, Deum aluiſſe populum ſuum pane lacrymarum: ita pariter in lege nova Patrem cæleſtem nutrire fideles, filios ſuos paſſionibus ſecundum exemplum Filii ſui, qui poſtquam in perſona ſua dediſſet perfectiſſimum exemplar patientiæ, voluit antequam de hoc mundo egrederetur, ſe ipſum ſaturare voluptate patiendi, ut loquitur Tertullianus: *Saginari voluntate patientiæ, diſceſſurus volebat.* Patientia igitur ita neceſſaria eſt homini Chriſtiano, ut ſine hac, nomen dumtaxat habeat Chriſtiani, quod etiam geſtare nequit ſine probro, eo quod ipſe ſemet dedecore afficit, & mentitur, quoniam verus Chriſtiani character eſt eſſe hominem patientem, ac paratum exhauriendis contumeliis, miſeriis, tormentis, ac ipſi morti. *Expeditum mortis genus;* ut idem Auctor addit.

Ut autem alicui perſuaſum ſit de neceſſitate patientiæ, ac obligatione illius exercendæ ſatis eſt cogitare: hanc eſſe tanquam individuam ſociam hujus qualitatis Chriſtianæ, quam geritis, eamque permiſceri in omnibus actibus, ac virtutibus propriis Noſtræ Religionis. Fides jubet credere, Cælum, & ingens gloriæ pondus eſſe præmium laborum, & paſſionum hominis Chriſtiani, ſed fides hæc nequaquam ſine labore exercetur; & hæc ſpes obtinendi hanc remunerationem præſumens eſt, niſi per patientiam gloriam hanc promereri ſatagamus. Charitas in Deum, quam fideles omnes reſpiciunt tanquam primum, & maximum legis ejuſdem præceptum, non ne cogit omnia pati, ac ſuſtinere potius, quam eumdem laceſſere? Et Martyrium ſublimum propter amorem Supremi hujus Domini, cui vitam ipſam ſacrificamus, non ne maximus eſt actus patientiæ? Cæteras virtutes percurrite, aliaque Chriſtianorum officia; charitas erga proximum, quæ illa complectitur, non ne patiens eſſe debet? [1. ad Cor.] *Charitas patiens eſt:* Nonne hæc eadem charitas vos jubet injurias dimittere, graviſſima opprobria devorare, & preces etiam fundere pro illis, qui vos perſequuntur? Nonne hic cumulus eſt, & poſtremus patientiæ gradus? Deinde ad examen revocate omnia Evangelii placita, ſecundum quæ Chriſtianus vitam ſuam debet componere, ullum ne reperietis, quod non egeat patientia? [Matth. 5.] *Beati qui lugent, beati qui perſecutionem patiuntur;* & reliqua. Nonne omnia concludunt, non niſi per patientiam, ſupremum bonum acquiri? Gradum facite ad omnes actus Chriſtianos; nullus exerceri poteſt ſine labore, ideoque ſine ſubſidio patientiæ; neque hoc [Corinth.] S. Paulus diſſimulat: *In omnibus,* exclamat ille, *exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis.* Chriſtianus igitur ſine patientia eſt Chriſtianus æquivocus, qui nomen gerit ſibi minima conveniens, & qui ſibi gloriæ vertit dignitatem, cujus munera non adimplet.

Hæc eſt concluſio, quam inde haurit S. Auguſtinus: *Si te putas non habere tribulationes, nondum cæpiſti eſſe Chriſtianus.* Si nihil adhuc paſſus es, & neſcis pati, ut Chriſtianum virum decet, niſi patienter ſuſtines, quippe duo hæc ſejungi non poſſunt, nondum cœpiſti eſſe Chriſtianus. Heu! quid igitur es, quæſo, qui ipſum paſſionis nomen perhorreſcis? qui tantum impatientiæ pro te fers in morbis, & in furoribus tuis, ubi vel minima laceſſeris injuria? Qui ſemper paratus es ad leviſſimam quamlibet injuriam vi propulſandam; dici ne jure potes vere Chriſtianus, cum contumelioſa evomis verba, ubi voculam tibi cum aliquo contemptu ingeſtam audis; qui in murmur, & queſtus erumpis in Cælum, ſi quid accidit triſte, quod quidem effectus eſt vitæ male anteactæ? Tu, qui temet prohibere non potes, quominus teſteris indignationem tuam adverſus eos, quos ſuſpicaris auctores fuiſſe tuæ calamitatis? Nunquam ſatis intellexiſti, & aſſecutus es hominis Chriſtiani officia; nam quacunque ex parte Religionem intuearis, nihil non invenies niſi patientes ſuſtinendi neceſſitatem.

Sin autem addideritis conditioni hominis, & fidelis illam quoque peccatoris, quam nemo diffiteri poteſt, quin ab ipſa veritate mendſcii arguatur; ſi addideritis, inquam, peccatoris qualitatem, ſentietis adhuc vos teneri, ut per patientiam veſtram divinæ ſatisfaciatis juſtitiæ iis pœnis, quas eadem infligere conſuevit, quæ ſunt adverſa, morbi, infortunia, & bonorum detrimenta, quæ replent cor veſtrum amaritudinibus, quas adeo impatienter ſuffertis. Si enim S. Auguſtinus docet, neceſſe eſſe, ut quodvis peccatum puniatur vel a peccatore, qui patravit illud, vel a divina juſtitia, quæ pœnas expoſcit in vita altera ſuppliciis longe ſeveriſſimis; quem ſanctiorem uſum efficere poſſumus paſſionum noſtrarum, quam illas patienter ferre, eaſque etiam offerre ipſi Deo, qui eas nobis immittit? *Peccatum omne puniatur neceſſe eſt, aut ab homine ſæviente, aut a Deo judicante.* Hæc igitur proculdubio valida ratio eſt excitandi ad patientiam, cogitare hanc eſſe Dei miſericordiam, qua nobiſcum utitur, nos in hac vita puniturus, ut loquitur S. Auguſtinus: *Aderas, Domine, miſericorditer ſæviens;* nam ſecundum Apoſtoli ſenſum, cum Deus ſe ita nobiſcum gerit, cum nos aliqua percutit adverſitate, quæ gravior nobis videtur, Pater eſt filium ſibi charum puniens, quem hac arte ad officium vult revocare. Patientia noſtra noſmet miſericordi huic juſtitiæ ſubjiciens locum tenet pœnitentiæ, & in hoc ſenſu nobis dicendum eſt cum fratribus Joſeph videntibus Dei juſtitiam, quæ illos perſequebatur: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum.* [Geneſ. 42.] Patienter ſuſtineamus; ſatis enim ſuperque ſupplicium hoc meriti ſumus.

Ita, Fideles, hæc una cogitatio nobis immittere poteſt patientiam nullis adverſis fortunæ telis, nulliſque pravæ hominum voluntatis effectibus labefactandam: ſi enim illas meriti ſumus, non ne cogitare debemus cum David, qui videbat ſe obrutum contumeliis a Semei uno ex numero ſubditorum ſuorum: *Dimitte eum, ut maledicat juxta præceptum Domini, ſi forte reſpiciat Dominus afflictionem meam.* [2. Reg.] Sui obliviſcitur hic inſolens vir, equidem video, ſed ſinite illum in me ſua evomere maledicta: hoc proculdubio jubente, vel permittente Deo accidit, cui fortaſſe ſatis erit levis hæc meorum criminum pœna. Meum eſt in præſentiarum æquo, magnoque animo ferre ſtatum, ad quem redactus ſum. Ita Sanctus Vir Job in primo impetu doloris, quem illi afferebant mala, quibus obrutus erat, dicebat: *Utinam appenderentur peccata mea, & calamitas, quam patior! quaſi arena maris hæc gravior appareret.* [Job 6.] Sed vis doloris extorquebat hos naturales ſenſus; nam ille in ſe reverſus, & conſiderans pœnam, quam merebatur, licet vita ejus eſſet ab omni crimine vacua, jugulavit queſtus, & murmura naturæ, & ex cogitatione ſuorum peccatorum eliciens heroicæ hujus patientiæ cauſam, quam mox prætulit, eamdem in apertiſſimæ conſolationis argumentum convertit, *Et hæc mihi ſit conſolatio, ut affligens me dolore, non parcas,* [Ibidem.] Parcis mihi nimis, Domine, & nimiam habes rationem infirmitatis meæ; quam enim grave mihi eſſet pondus brachii tui, ſi in me animadverteres potius tanquam iratus Judex, quam Pater miſericors? Non ne plurimum tibi debeo, quod in hac vita me excipias, quomodo ſoles excipere amicos tuos, potius quam me punias in altera, tanquam inimicum tuum? Ecce ſenſus illius, quem nobis Biblia tanquam abſolutiſſimum patientiæ exemplar proponunt.

Noſtis quem in ſtatum, permittente Domino, illum Satsnas redegerit, ſed fortaſſe non advertiſtis animum ad modum, calliditatem, & improbitatem, qua uſus eſt inimicus homo, ut illum de gradu dejiceret. Cum ſciret hic mala, & ærumnas, quæ ſimul, & uno, eodemque impetu feruntur in aliquem, vividiorem, acrioremque efficere impreſſionem, quam cum per intervalla ſibi ſuccedunt: quippe prima ſæpe præparant animum ſubſequentibus, & efficiunt, ut quamdam malorum conſuetudinem acquiramus; illum opprimere voluit turba calamitatum quæ ſemel, ac iterum, idque continenter irruentes, ne ſpiritus quidem reciprocandi facultatem illi ſinebant. Oppreſſit revera, ut ita dicam, primos motus cordis illius, quorum noſtrum non eſt arbitrium. Sed poſtquam illum primo hoc impetu quodammodo dejeciſſet, excidit ille ſpe, quam conceperat futurum eſſe, ut ille nequaquam reſurgeret, & ubi illi reſpirandi ſpatium relinqueretur, videns abacta pecora, direptas opes, dirutas domos, & familiam in earum ruina extinctam, & conſepultam, & ſe quoque ipſum ſordibus, ulceribuſque confectum, & ſanie manantem, erupturum eſſe in queſtus, & murmura, atque ſpem omnem abjecturum. Si virtus illius ſimulata fuiſſet, ac ſpecie tenus, quod dæmon Deo ipſi perſuadere conabatur, gravis hæc, & crudelis tentatio quamprimum illam labefactaſſet; ille ſeipſum prodidiſſet per impatientiam, per animi debilitationem, & mox per diffidentiam, atque blaſphemias. Hoc Dæmon ſperabat: ſed Jobi fidelitas fuit auro ſimilis, quod omnia flammarum vis magis magiſque emundat. Heroica hæc anima, ubi primum torporem excuſſit,

ſit; in quem tot mala re adhuc integra illum præcipitem dederant, & ſe ſe collegit, certamini ſubeundo par fuit inventa. Job omnia perdidit eo modo, quo illa a Dei manu receperat, videlicet cum iiſdem actionibus gratiarum, iiſdemque benedictionibus, ſemper manſit fidelis, ſemper conſtans, ſemper ſibi ſimilis, ſemper idem. Ecce exemplum, quod nos imitari debemus, ſi frui libet bonis patientiæ.

II. PARS. Deus in ea, qua nos poſuit neceſſitate perferendi in vita hac, & in hoc oppoſito horrore quo paſſiones fugimus, nequaquam reliquit nos ſine validis conſolationis argumentis, quæ earum ſævitiem imminuunt, & quæ nos excitare debent, ut illas patienter ſuſtineamus. Nec diffitebimini ſi ſtudioſius inſpicere volueritis utilitates, quas inde percipimus, fructus, & incomparabilia bona, quæ nobis procurant, & in hac vita, & in altera. Quinam ſunt ergo fructus hi, qui nos impellere poſſunt ad patiendum non ſolum ſine murmure, & querela, verum etiam cum alacritate, & gaudio, in quo Doctores omnes, Sanctique Patres altiſſimum hujus virtutis apicem collocant? Ad id ſatis eſt ſacras litteras legere, ut in qualibet pagina aliqua inveniatur ex his rationibus, quæ jucunditatem & conſolationem afferunt; quarum tres vobis propono, in quibus reliquæ contineri mihi videntur. Mala nobis in hac vita perferenda non poſſunt eſſe niſi leviſſima, atque breviſſima, & prima utilitas, quam ex patientia recipimus hæc mala perferentes cum ſubmiſſione eſt, parum illud, quod ferimus, a Deo excipi in ſatisfactionem graviſſimarum pœnarum, quæ nobis in vita altera eſſent perferendæ, & hac ratione æs alienum diſſolvimus leviſſimo ſumptu. Secundo hæc patientia cum ſit noviſſima ratio, qua ſolet Deus periculum facere virtutis noſtræ, hæc omni caret ſuſpicione, & nos ſimiles efficiens prototypo Sanctitatis ipſius, qui Dei Filius eſt, contingere nequit, ut minime placeat in oculis divinæ Majeſtatis. Denique vero Chriſtiani patientia acquirit illi gloriæ pondus in Cælo, efficiens ut in terra cumulet theſaurum meritorum. Quæ bona, qui fructus! Quam admirabiles Chriſtianæ patientiæ utilitates! Eas igitur, ſi vobis lubet, fuſius enucleemus.

Primum itaque, Auditores, evitamus mala, quæ nobis in altera vita eſſent perferenda, patienter, & æquo animo ſuſtinentes vitæ hujus mala, & calamitates. Bonum incomparabile! & neſcio utrum ſatis unquam æſtimari poſſit! Tandem enim hoc poſito, quod peccaverimus, quod negare non poſſumus, & poſito, quod Deus non relinquat unquam impunes abire noxas, ſive in hoc, ſive in altero mundo: pauliſper cogitate magnitudinem pœnarum, quas modica patientia in hac vita redimitis? Revocate in mentem veſtram conceptum Dei juſtiſſimi ſcelerum vindicis. Recordamini, quid Fides, & Chriſtiana Religio vos doceat de ſeveritate juſtitiæ ſuæ, ac de teterrimis carceribus in quibus detinet ſibi obæratos donec æs debitum diſſolverint ad extremum uſque quadrantem; denique vobiſmet exhibete terribilem peccatorum veſtrorum multitudinem, quæ multiplicata ſunt ſuper capillos capitis veſtri, & quorum ne unum quidem eſt, quod extrema cum ſeveritate puniendum non ſit. Quæ pœnarum congeries; o Deus! Quinam iræ theſaurus, ut Apoſtolus loquitur! Quantus debitorum acervus! quomodo hæc omnia perſolvi poſſunt! Quis me a flagellis graviſſimæ hujus manus tuebitur, & ubi inveniam perfugium adverſus judicis irritati iracundiam?
Job 14. *Quis dabit, ut in inferno protegas me?* Ita quærebat Sanctus Job: quis proteget me adverſus acres, vividaſque terribilis hujus juſtitiæ contentiones? Hæc, o Chriſtiani, veſtra erit patientia in malis, atque calamitatibus vitæ hujus perferendis; ita Deus vobis immittet illa hac mente, ut per aliquot momenta pœnarum ſatis levium ſatisfacere valeatis pluribus annis, & ſæculis etiam fortaſſe cruciatuum intolerabilium: Deus enim qui bis non animadvertit in ſcelera, nos per leves has adverſitates, quas ab ejus manu recipimus, & quas patienter ſuſtinemus, a debitis in altera vita perſolvendis nos liberat.

Igitur inſignis prudentiæ effectus eſt, Auditores, in uſum tantæ utilitatis caſus, & ægritudines vitæ hujus convertere, & hujuſmodi occaſiones conquirere ad perſolvendum tam modico ſumptu tantum æs alienum, evitare magna ſupplicia morbo aliquo, vel incommodo levi cum ſubmiſſione erga Deum tolerato; tribuere Deo in conflati æris alieni diſſolutionem dolores, ægritudines, & amaritudines cordis, quas noſmet ipſi toties comparavimus. Quod ſi nondum ſatis intelligitis hanc utilitatem, cui non alia par eſſe poteſt in hac vita; eam vobis oſtenderem, ſi mihi liceret ardentes, ac tenebricoſos vobis pandere carceres, ubi divina juſtitia punit eadem peccata, quæ ſæpe hic nihili facimus, vel efficere, ut extremo tandem digito attingeretis prunas illas iræ divinæ flatu ſuccenſas; vel tandem ut periculum faceretis furoris truculentiſſimorum divinæ ultionis miniſtrorum. Quam impreſſionem non efficeret in mente veſtra terribilis hic juſtitiæ apparatus? Heu! non defuerunt Sancti, qui eo quod illum in imagine duntaxat viderunt, vel ſibi finxerunt, nullam inveniebant in hoc mundo ſatis ſeveram pœnitentiam ad expianda peccata ſua, potiuſquam expectarent vitam alteram, ut iiſdem ſatisfacerent. Aliqui ſe ſe volutabant in nive, alii in prunis ardentibus; alii ferreis aculeis membra ſua diſcerpebant, vel omnibus tempeſtatum rigoribus ſe objiciebant. Intellexerant Sancti hi Pœnitentes, quanto melius ſit in hac vita peccatorum ſuorum pœnas luere, quam eorum expiationem in alteram differre: hac regula metiebantur bonum afflictionum, & paſſionum, quæ ſibi divinitus immittebantur, & moleſtiſſimas calamitates pro nihilo reputabant, quoniam ob oculos eorum obverſabatur magnitudo malorum, quam evitabant per patientiam, qua alia toto cælo leviora æquo ferebant animo.

Ita, animæ chriſtianæ, ſine murmure, & querela omnia ferretis mala, quæ in hoc mundo accidunt vobis, ſi illa cogitaretis, quæ per patientiam poſſetis evitare. Multis, ſcio equidem, laboribus ſtat naturæ has ferre irriſiones, ludibria, repulſas, calumnias, perſecutiones, morbos; ſed licet longe plurimis ſtaturum eſſet, nunquam vicem veſtram dolebitis, ubi attentius fueritis meditati, quantis aliquando tandem vobis ſtaturum ſit, ſi per impatientiam amiſeritis occaſionem propitiam univerſa hujuſmodi debita diſſolvendi. Heu! quam potens eſt hæc ratio ad omnes homines ad patientiam excitandos. Nullam ſane ſuaviorem nactus eſt dilectus Diſcipulus: nam poſtquam per hipotypoſim teterrima deſcripſit tormenta, quæ crimina noſtra merentur, & inter cætera ſulphureos ignes divinæ juſtitiæ inſtrumentum, addit, *hic patientia Sanctorum eſt.* En quid efficiat San- Apoc. c. 14
ctorum in hoc mundo patientia: illi gratiam, ac inſigne beneficium eſſe arbitrantur, quod efficit, ut alii lacrymas effundant, & in ſexcentos queſtus erumpant; *hic patientia Sanctorum eſt.* Comparate igitur quid aliquando paſſuri eſſetis, niſi modo vobiſcum Deus ſua uteretur miſericordia, vobis immittens has bonorum jacturas, vel caſus alios, quos tantopere reformidatis; hæc, inquam, omnia ſimul conferte, & aſſequemini illum S. Auguſtini ſenſum dicentis Domino: *Hic ure, hic ſeca, modo in æternum parcas.* Juſte ſcelerum vindex puni me in hac vita! Venite ergo paſſiones, quandoquidem mihi habendæ eſtis tanquam flagella miſericordiæ, & quibus uti dignatur Deus, ut nobis vitæ alterius ſupplicia diminuat.

Verum hoccine ſolum bonum eſt, quod in patientia invenitur? Nequaquam. En alterum quod fortaſſe non minorem nobis conſolationem eſt allaturum. Eſt autem, ſi vobis videtur peccatum aliquod, cujus vos reos eſſe cognoſcitis, non debuiſſe vobis tantam parere calamitatem, reſpiciatis hæc mala, hæc opprobria, has contumelias, has bonorum, vel amicorum jacturas tanquam virtutis veſtræ probationem: *Tribulatio patientiam opera-* Ad Rom. 5.
*tur, patientia vero probationem.* Arduam profecto probationem! Sed ex qua S. Job incomparabilem hauſit utilitatem. Patientiæ enim ipſius magnitudo effecit, ut agnoſceretur magnitudo virtutis ſuæ & quantum hæc ipſa valeret. Eodem pacto uſus eſt Deus erga Abraham amicum ſibi fidelem: dixiſſes eum, qui ſcrutatur renes, & corda nondum ſatis compertam, atque exploratam habuiſſe cordis ipſius fidelitatem, antequam ſummum de eadem faceret periculum imperans, ut ſibi ab eo ſacrificaretur ille, quo nihil illi jucundius, & antiquius erat, videlicet unigenitus ſuus, ſpes ſuæ poſteritatis, & rivulus, per quem diffundendæ erant benedictiones, quas illi pollicitus fuerat Deus in ejuſdem familiam ſe effuſurum. Etenim poſt hoc periculum Deus ſolemni pacto profeſſus eſt, ſe tunc incipere magni hujus Patriarchæ virtutem cognoſcere, in ejus fidelitate confidere, & de virtute illius non amplius dubitari poſſe:
*Nunc cognovi, quod times Deum.* Hoc in Scripturis ten- Geneſ. 22.
tatio vocatur; *tentavit Deus Abraham*, videlicet probavit illum; quaſi aliqua ſubeſſet cauſa de eodem diffidendi, & in ſuſpicionem vocandi virtutem, quæ poſtmodum ſæculorum omnium admirationem promeruit. Nonne opus fuit, ut Sanctus quoque Tobias per eamdem tentationem traduceretur, quemadmodum Sacer Textus innuit, ut fieret exemplum, ac patientiæ prototypus ſæculis futuris, non ſecus ac Job, qui præceſſerat illi?
*Quia acceptus eras Deo, ideo neceſſe fuit, ut tentatio ap-* Job 22.
*probenderet te.* Et ſapiens tandem nonne affirmavit, Deum amicos ſuos tentare, & emundare, tanquam aurum in fornace, neque eos judicare dignos ſe, niſi poſtquam illos ad examen vocaverit, tentaverit, ac tandem probaverit, ut illos mox efficeret objectum curarum Providentiæ ſuæ, & omnium affectionum ſui cordis?

Quæritis nunc, o Fideles, quænam vobis cedat utilitas ex patientia veſtra, & quam vobis immittere debeat conſolationem? Heu! Vobis certum eſſe debet morali certitudine, vos in hoc ſtatu acceptos, charoſque eſſe Deo: illum majorem habere rationem veſtri, quam aliorum, quorum felicitati fortaſſe invidetis, virtutem aliorum quodammodo ſuſpicione aliqua non carere, veſtram vero illi probari, & vos haberi in numero fidelium famulorum, quorum fidelitatem probavit. Deus, uti docet S. Auguſtinus, bifariam probat famulos ſuos proſpero rerum curſu, & adverſo, & ſæpe utroque ſimul, ſed non ſemper ſimili eventu; ſæpe enim contingit juſtorum cor proſperitate corrumpi; & nobis ſatis perſuaſum eſt, hominem in florenti fortuna, ſuique juris factum vix quidquam habere, quod cupiditatum ſuarum illuviem

coer-

exercere. Sed ubi aliquem Deus tentat adverſis, videtur ille certiſſime probandus; calamitas enim aperit cor illius, cum interim proſperitas oculos hominis perſtringat, eoſque cæcitate percutiat. Itaque Deus qui nos habere vult in numero ſervorum ſuorum hac via nos tentat, & per hanc ſemitam ad ſublimiorem perfectionis apicem adducit. *Patientia perfectum opus habet.*

*Jacob. 1.*

Quodnam vero conſolationis argumentum eſt, cogitare, tunc nos Deo jucundiores eſſe, noſtram illi perſpectam, exploratamque eſſe fidelitatem, illum, ubi noſtri fecit periculum debere quodammodo contentum eſſe noſtri; nos vero cum Rege Propheta, qui erat vir ſecundum cor illius, & quem graviſſimis malis tentaverat, dicere poſſe: *Domine, probaſti me, & cognoviſti feſſionem meam;* ſtatum videlicet cordis mei erga te. Sum ergo in eo ſitu, in quo vis me eſſe, & ſicuti non aliud concupiſco, quam placere tibi, ad te pervenire debeo per eam viam, per quam juſti omnes accedunt ad te, & tibi fiunt accepti. Ii enim, quos ab æterno prædeſtinaſti, eſſe debent ſimiles illi, qui objectum eſt, in quo tibi bene complacuiſti, & quod nobis in exemplum propoſuiſti. *Quos ſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imagini filii ſui.*

*Pſalm. 138.* *Ad Rom. 8.*

Denique, Auditores, pro tertio fructu, quem ex Chriſtiana patientia percipimus, recenſeo certam ſpem, non ſolum Cælum hoc pacto acquirendi; ſed etiam ſibi augendi gloriam noſtram, & locupletandi coronam noſtram in hoc æterno Regno; quod ſequitur in eodem Apoſtoli loco; *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non confundit*, quia non eſt incerta, ac nutans, ſed conſtans, & inconcuſſa. Hic autem fructus negari patientiæ non poteſt; Filius enim Dei de nulla re frequentius loquitur, quam de gloria, quæ præparata eſt paſſionibus, quas propter amorem illius ſuſtinemus, vel quas ab illius manu alacri, hilarique animo recipimus. Ipſe etiam de hac loquitur perinde ac jam hac mercede, ac beatitate perfrueremur. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum.* Corona hæc ad illos pertinet, hoc Regnum illis certum eſt: *ipſorum eſt*. Eodem fere pacto quo certi ſumus, nos aliquid poſſeſſuros, cujus in manibus habemus certa pignora, & arrhabones, vel non ſecus ac agricola effundens in arva ſemen, quod ſcit daturum eſſe fructum centuplum, quin doleat jacturam, quam facere videtur, lætatur ſpe meſſis uberrimæ, quam aliquando percepturus eſt.

*Ad Rom. 5.* *Matth. 5.*

Hoc validiſſimum conſolationis argumentum ſuppeditabat Apoſtolus primis fidelibus inter eorum perſecutiones, atque paſſiones: *Spe gaudentes*. Lætamini conſolamini, exultate præ gaudio inter tot ærumnas, & calamitates; & ſicut in lætitia, quam nobis præclara facta noſtra pariunt nobis, ſitus eſt ſupremus, ac ſublimis patientiæ gradus, non niſi extrema gaudii ſigna, & magna lætitiæ incrementa quæruntur, ut vivam teſtemur ſpem, quæ nobis eſt ſummi boni, quod nos manet.

*Ad Rom. 12.*

Itaque, Fideles, totius hujus Sermonis finem facio per ea verba, ex quibus initium ducit Evangelium: *Modicum, & videbitis me, & iterum modicum*. Hæc non intelligebant Apoſtoli, & ad illa reliquum referri videtur Evangelium, ex quo petenda eſt explicatio: Plorabitis, & flebitis vos in hoc mundo, donec Mundi ſectatores lætantur. Neceſſitas ſuſtinendi, eſt quodammodo inevitabilis illis, qui me ſequuntur, quemadmodum in Cælo ſtatutum eſt, me quoque pati, & per viam hanc me adire poſſeſſionem gloriæ, quæ mihi debetur. Conſolamini, Salvatoris Diſcipuli; patientiam habere fideles ſervi Dei remuneratoria, ac fidelia in promiſſionibus ſuis. *Modicum;* paulisper patiemini, ac triſtitia veſtra quam primum immutabitur in gaudium, quod nullum finem eſt habiturum. *Modicum*. Quidquid paſſuri eſtis, modicum eſt, ubi comparetur cum eo, quod tot alii paſſi ſunt æque ſpectabiles, ac vos, & quod illi patiuntur adhuc quotidie, alii quidem paupertatis incommoda, alii temporum, tempeſtatumque injurias, alii mala belli, alii vero vim, & odia inimicorum. *Modicum* eſt quidquid ſuffertis quatenus Chriſtiani, poſt ea, quæ pertulerunt tot Martyrum millia; & Eccleſia, cujus membra ſumus, non niſi per perſecutiones crevit. *Modicum* eſt, quidquid patimur, ſi conferatur cum multitudine peccatorum noſtrorum, quæ mererentur, ut in nos inſurgerent creata omnia, & conjuratione facta nobis omnia inferrent mala, ut Dei juſtitiæ ſatisfaceremus. *Modicum* tandem eſt ſi hæc omnia comparemus cum ea felicitate, & gloria, quam nos meremur, & quam per Chriſtianam patientiam acquirimus. Heu! cogitemus alteram, quidem finem eſſe, alteram vero medium: patientiam quidem brevi duraturam, mercedem autem æternam fore.

*Concluſio.*

# SERMO QUINTUS.

## De Perfectione Chriſtiana.

*In Chriſtiana Perfectione creſcendum ſemper eſſe.*

MAgnum intereſt diſcrimen, S. Thomas ait, in ea agendi ratione, qua uſus eſt Deus erga Angelos, & ea, qua utitur erga homines, ut illi mereantur gloriam, & beatitudinem, quæ ipſorum eſſe debet remuneratio; Angeli enim adepti ſunt totam ſimul perfectionem ſuam; & uno momento, unoque voluntatis ſuæ actu, uniuſque actionis merito; cum e contra Deus illuc adducit homines, tanquam per gradus, per primordia, & progreſſus, quos, ut ita dicam, in dies illos ſingulos proferunt, per meritorum inſtaurationem, ac demum per plures virtutis actus, quorum alii aliis accedentes illos extollunt ad cumulum perfectionis, ubi adhuc ſemper creſcere poſſunt, atque etiam debent ſemper altius ſe attollere, quin fines ſibi conſtituant, quandoquidem Deus, non alios conſtituit, quam ſibi propriam, cum omni prorſus fine careat, & ſit infinitus. *Eſtote ergo vos perfecti; ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Quamobrem Scriptura anhelantem in cælum, qui terminus eſt quietis, comparat homini ambulanti in via, & pedetentim accedenti ad terminum, quo perventurus eſt: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Hoc ipſo nomine Eccleſia, & Sancti Patres appellant Chriſtianos in hac vita, viatores, qui ambulant, & jugi motu excitantur; quia nos in Cælum pervenire non poſſumus, nec aſſequi Sanctitatem, niſi per plurium bonorum operum praxim, per laborum plurimorum exercitium, ac denique per progreſſus a nobis ſine remiſſione in omni virtutum genere efficiendos; ita ut creſcere, progredi, proficere, noſmet ſemper ad altiorem ſanctitatis gradum evehere, quin ullum nobis finem præſtituamus, ubi ceſſandum ſit, hoc ſit munus, & officium Chriſtiani.

*Matth. 5.* *Pſalm. 118.*

Re adhuc integra quæro a vobis; auditores, utrum progreſſus in chriſtiana vita præcepti ſit, an conſilii, videlicet utrum teneamini ſemper creſcere virtute, ac ſanctitate, & inceſſanter progredi, ut ad perfectionem perveniatis? Hoc enim mihi diſcutiendum in hoc ſermone propoſui, ubi ne quid dicam, quod minime conſtet, & quod non ſit inevitabilis neceſſitatis; animadvertendum eſt, ſi vobis lubet, quemadmodum Chriſtianiſmus conſtatus eſt ex variis ſtatibus, quorum alii aliis ſunt perfectiores, ita neceſſitatem hanc ad perfectionem contendendi eſſe diverſam. Status Regularis, exempli gratia, qui palam profitetur illam, tenetur ſemper adlaborare, & in ſingulos dies recentes conatus emittere, ut illuc perveniat, & hæc neceſſitas adeo arcta, & ineluctabilis eſt, ut S. Thomas aſſerat, conſiſtere eo in quo ſumus termino, quin ad altiorem virtutis gradum properemus, eſſe deficere in primo, ac potiori officio, & propoſitum ibi permanendi peccatum eſſe, damnationis ſententia dignum.

Dici tamen non poteſt, Chriſtianos omnes ad idem teneri, verum nihilominus eſt, omnibus adnitendum eſſe, ut ſint perfecti ſecundum ſtatum ſuum, ideoque non adniti, ut creſcant, & in virtute progrediantur, eſt adire periculum nunquam perveniendi ad terminum, ad quem omnes contendunt; quoniam 1. Dei voluntas hæc eſt, qui palam hoc docuit. 2. Status & conditio Chriſtiani ad id nos cogit. 3. Et infirmitas, ac noſtra in malum propenſio, exigit, ut jugiter nobiſmetipſis vim faciamus. Attendite quæſo, ut recte aſſequamini trium harum rationum pondus, atque momentum.

Primum nos Sanctos, atque Perfectos eſſe vult Deus, quocumque ſimus in ſtatu, & id imperat palam. Nobis igitur hanc irrogat neceſſitatem, ut pro viribus hanc perfectionem conemur acquirere: cumque nonniſi paulatim acquiratur, creſcendo, & progrediendo in virtutem tenetur fidelis quiſque creſcere in dies. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra.* Hoc Dei præceptum fidelibus omnibus Sanctus Paulus indicit, ac ſua intereſſe putat hoc mandatum, quod illis annuntiat, quia cum Deus homines ad majorem ſui nominis gloriam creaverit, & ad Chriſtianiſmum evocaverit, ut ad ſublimem hunc apicem perveniant, dubitari nequit quominus cordi habeat perfectionem illorum, quemadmodum artificis gloria eſt, ut opus ſuum ſit exquiſitum, & perfectum. Quis enim ignorat, opus expolitum & omnibus numeris abſolutum auctori ſuo majorem laudem promereri, quam ſexcenta alia minus affabre deformata, & quibus deeſt ſumma diligentia? Deus autem admirabilis opifex nobis naturalem tribuens eſſentiam, noluit impertire omnem moralem perfectionem, cujus pares ſumus, quemadmodum in rerum natura fecit omnibus in operibus, quæ ex manibus illius prodierunt: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Sed voluit, ut & ipſi operam collocaremus, & extrema adjiceremus lineamenta per virtutes, & merita, quæ acquirere

*1. ad Theſ.* *Geneſ. 1.*

quirere poſſumus ope ipſius nunquam nobis defutura: Ita ut ad ejuſdem gloriam creatis tot gradus perfectionis, qui deſunt nobis, totidem ſint furta, ac latrocinia gloriæ, quam a nobis expectat, opus enim eſt, ut ſilentia & actiones omnes creaturarum ſuarum referantur ad ipſum, quamobrem quemadmodum voluit, ut omnia ſua eſſent, & ad ipſum redirent, hinc ſequitur, (quandoquidem progreſſus noſter in eo poſitus eſt, ut ſemper propius accedamus ad illum, & perfectius eum illo conjungamur) ipſum velle, ut nos inceſſanter creſcamus, & progrediamur, quin cancellos ſtatuamus perfectioni noſtræ, ut ſancti, perfectique ſimus, ſicut ille perfectus eſt: *Eſtote & vos perfecti, ſicut Pater veſter Cæleſtis perfectus eſt.* *Matth. 5.*

Profecto gratia habitualis, in qua proprie ſita ſanctitas eſt, & quæ ideo ſanctificans appellatur, ſemper creſcere poteſt uſque in infinitum, & augetur in ſingulos virtutis actus; Actuales gratiæ, quibus nos prævenit Deus, vi, ac numero creſcunt, prout nos illis cooperamur, & in ſanctum uſum impendimus; Charitas, quam S. Bernardus animæ quantitatem appellat, quoniam illam minorem, vel majorem facit, prout magis, minuſque poſſidet illam; Charitas inquam, ſemper purior fieri poteſt, perfectior, ardentior, idroque gloria, quam deſtinat nobis Deus in Cælo non ne diverſos habet gradus, non ſecus ac Sydera variant lumine, magnitudine, & pulchritudine? Non ne majorem ſemper, nitidioremque coronam poſſumus adipiſci? Hæc igitur voluntas eſt Dei, ac verum præceptum nobis irrogatum ſemper creſcendi; & quamvis peccatum quod committitur præcepto huic reſiſtendo nequaquam diſtinctum ſit ab illo, quod continet ipſam actionem, prohibentem hunc progreſſum, neque hæc obligatio ſeorſim novum præceptum conſtituat, quemadmodum conſtituit in iis, qui Religionis voto ſeſe Deo devoverunt, & qui lethaliter peccarent, ſi haberent voluntatem prorſus oppoſitam; hæc ſemper eſt voluntas Dei erga Fideles omnes; quia non poſſumus obire officia, quæ nos illi conjungunt, tanquam Creatori, & ultimo Fini noſtro, niſi quotidie creſcere contendamus; non quod perfecti eſſe teneamur, ſed ad perfectionem hanc debeamus contendere, adniti ad illius acquiſitionem, conatus noſtros exerere, verbo dicam, ut in viros ſanctos, perfectoſque evadamus.

Ad hoc S. Paulus nos excitat, & inflammat ſemet nobis in exemplum proponens: *Non quod jam perfectus ſim*, ait ille, *ſequor autem ſi comprehendam.* Mihi ea non eſt audacia, ut me ad perfectionem perveniſſe putem, ad quam mihi eſt contendendum; ſed curro, ſed nihil inauſum prætermitto; & hæc via eſt, ac ſtatus, in quo

*Ad Philipp. 3.* Deus nos eſſe deſiderat: *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra.* Igitur inſignis, ac generalis hæc illuſio eſt, quæ hodierna die graſſatur inter homines, non ſolum præſcribere ſibi terminos in virtute, verum etiam terminos nimis anguſtos, & coarctatos. Mihi ſatis eſt, inquiunt, mortalia evitare peccata; Dei mandata non frangere, neceſſaria hominis Chriſtiani obire officia, mea coarctatur ambitio; nolo de primis Cæli ſubſelliis certare cum Anachoretis, cum Cœnobitis, cum illis qui ſe ſe pietati devoverunt; Mediocritas eſt pars mea, neque longius contentionem meam profero. Sed heu! quantum periculi eſt; ne aſſequamini quidem metam, ad quam anhelatis, & ne citra illam ſubſiſtatis. Cancelli, intra quos voſmet continetis, nimium ſunt arcti. Vobis ſatis eſt malum evitare, & jubet Deus, ut bonum etiam faciatis; non cogitatis, ſervum, qui talentum infodit ſibi creditum, ut poneretur in lucro, damnatum fuiſſe tanquam ſervum inutilem, non quia malum feciſſet, ſed quia nihil boni fuerat operatus; & parum illud, quod facitis, non eſt abundans illa juſtitia, quam a vobis expectat Deus, & quæ ſuperare debet illam Phariſæorum legis antiquæ. Non animadvertitis, inter præcepta, intra quæ voſmet coarctatis illud quoque contineri quo ſemper ad altiorem perfectionis gradum contendere jubemini; & fortaſſe hoc parum boni quod operamini vobis in peccatorum numero recenſitum iri. Illos tantum juſtitiam, qui eſuriunt & ſitiunt, aliquando ſaturandos eſſe, inquit Salvator; vos autem vix, & ne vix quidem illam guſtatis, cum illius tædium vos capit? Vobis ſatis eſt peccatum effugere; hæc minima pars eſt; hic primus eſt juſtitiæ gradus,

*Pſalm. 68.* quin in illam intretis, uti loquitur Propheta: *ut non intrent in juſtitiam*; cumque non proceſſeritis ultra, periculum eſt, ne ſitis ex eorum numero, qui æternum ſaturandi ſunt eo torrente voluptatis, qui reſervatus eſt illis, qui ſitiunt juſtitiam. Ita prout Sanctitas progreditur, progredi quoque debet deſiderium placendi Deo, & ſenſus quem habemus eorum, quæ debentur illi; & quod de avaro dicitur per opprobrium illum nunquam contentum eſſe eo, quod habet, ſed in dies magis ſitire; hoc de vero Chriſtiano dicere poſſumus, & hoc locupletiſſimum eſſe elogium illius, videlicet, illum ſibi congerere virtutum, bonorumque operum theſaurum, neque illi dicendum unquam eſſe, ſatis eſt; adnitendum illi ſemper eſſe, ut numerum augeat meritorum, ideoque Dei Filius illi famem, ac ſitim attribuit. *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam.*

Sed prætérquamquod Dei voluntas nos urget, ut ſemper hoc pacto creſcamus; nonne ipſe Chriſtianiſmi ſtatus, quem ingreſſi ſumus, & Chriſtiani qualitas nonne hoc ipſum flagitant? Profecto novo non eget præcepto judex, ut caſte, integreque juſtitiam exerceat, ſed ſatis eſt illum præditum eſſe ea, qua pollet, auctoritate, & poſitum in tribunali, de quo jus dicit. Neque miles, ut ſtrenue pugnet; ſatis enim novit ſibi præliandum eſſe, hoſtem propulſandum, vitam periculis objiciendam: ſimiliter Sanctitas quædam, atque perfectio inhærens ſtatui, & Chriſtianæ profeſſioni, quæ cum ſit omnibus communis, quavis in conditione Deus illos conſtituerit, non ceſſat eſſe ſublimis, & talis, ut in ea nemo ſibi præſcribere valeat cancellos, abſque eo quod ſubſiſtat intra terminum officiorum ſuorum, ideoque ubi ſemper adnitendum eſt, ut in dies progrediantur. Ut de hac re nobiſmet perſuadeamus, repetenda tantum ea ſunt, quæ ſolemniter in Baptiſmo ſpopondimus, ubi Religionem adeo ſanctam ſumus amplexi; quem enim non terrebit obligatio illa, quam contraximus, & quam Tertullianus *Baptiſmi pondus* appellat, & quam S. Ambroſius ſæpe nobis altius meditandam proponit? *Repete quod interrogatus ſis, attende quod ſpoponderis.* Recepiſti *L. de Idololatr. L. 1. de Sacr.* æternum te divortium cum Mundo facturum, te pompis ejus abrenuntiaturum, te vanitatibus ejus, honoribus, legibus, placitiſque adverſaturum; temet coercuiſti, ut crucem geſtares, quæ ex eo tempore fronti tuæ impreſſa fuit, ne illam erubeſceres; amplexus es jugum Salvatoris, temet Evangelicis præceptis ſubjeciſti, cuinam ergo perfectioni, & cui ſanctitati non debes incumbere? Conſiderate avulſionem cordis ab omnibus terræ bonis eſſe de præcepto; charitatem quoque erga infeſtiſſimos hoſtes eſſe de præcepto, ſenſuum mortificationem, & affectuum noſtrorum victoriam eſſe omnino neceſſariam; agendum eſſe, patiendum, multa ſibi eſſe neganda, proximo ſubveniendum, ſæpe etiam ut ea, quæ vobis ſunt neceſſaria, illis erogetis: hoc autem vitæ genus, in iis etiam quæ præcepti ſunt, ac neceſſitatis, adeo perfectum eſt, ut admirationem omnibus injecerit, atque ab Ethnicis ipſis hanc extorſerit confeſſionem, Religionem hanc eſſe opus Dei, non ſecus ac nomen Chriſtiani nomen erat Sancti, & perfecti ita ut utrumque promiſcue uſurparetur in S. Pauli Epiſtolis, & hic eſſet primorum Fidelium ſermo.

Itaque ex vobis quæro, Auditores, utrum ſublimis hæc ſanctitas, & perfectio, quæ adhæret neceſſario nomini, & profeſſioni Chriſtiani conferatur cum gratia Baptiſmi, & utrum ſit infuſa cum habitibus virtutum ſupernaturalium? Haud ita profecto, hi habitus ad illam acquirendam proſunt, & media ad eam indipiſcendam ſuppeditant; hic fructus eſt laboris noſtri, & gratiarum, quibus ad id cumulamur; quoniam tanta nobis via obeunda eſt, tot ſuperandæ difficultates, ſed Apoſtolum imitari debemus, qui obliviſcebatur quidquid hactenus fecerat in vita ſua, ut ſeſe excitaret, & oculos conjiceret in ea, quæ ipſi facienda ſupererant, ne unquam iis acquieſceret quæ jam ab ipſo facta fuerant, ſeque extenderet, & metiretur longum illud ſpatium, quod illi ſupererat decurrendum: *Quæ retro ſunt obliviſcens ad ea quæ ſunt priora me extendens, ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis.* Hoc vobis *Ad Philipp. 3.* faciendum eſt, Auditores, inſpicienda ſunt ea, quæ nobis deſunt, ut ſimus eo in ſtatu, ubi vult Deus; & conſideremus quam non longe abſumus a perfectione nobis acquirenda: *Ut ſitis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei*, idem inquit Apoſtolus. *Ad Col. 4.* Proh Deus! quam nobiſmet finximus ſpeciem religionis noſtræ, & officiorum eidem inhærentium. Ibi ne agnoſcitis electum hunc populum, gentem Sanctam, populum acquiſitionis conſecratam cultui Dei, qualem S. Petrus exhibet: *Vos vero genus electum, gens ſancta, populus acquiſitionis.* *1. Petr.* Quanam in re conſtituitis perfectionem hanc, quæ ſecernere debet hominem Chriſtianum ab aliis? Sed quomodonam illam aſſequetur, ſi eam non ſtudet acquirere, ſi progredi non conatur? Oporterne, ut in cæteris rebus adeo vaſta habeat deſideria, infinitam altius ſeſe attollendi ambitionem, vota fragrantia in dies creſcendi, ubi vero agitur de perfectione, adeo parvo contentus ſit? Dicetur ne, ille tantum curarum, laborumque adhibiturum, ut perfectus fiat in Artibus & Scientiis, & negligere virtutem, & ſanctitatem, quæ unicum illius ſtudium eſſe debet? In vitiis ipſis creſcimus, ſemperque progredimur; avarus ſemper augere vult reditus ſuos, & nunquam ſatis eſſe dicit; ſuperbus ſemper aſcendere feſtinat, & ſuperbia ipſius ſemper creſcit: *Superbia eorum aſcendit ſemper.* *Pſalm. 73.* Nulla conditio eſt, in qua creſcere non velimus, & ad majora non anhelemus, & in mediocritate ſubſiſtere volumus, ubi ſolum agitur de Sanctitate pro qua unice in hoc mundo ſumus. Heu! non cogitamus Chriſtiani conditionem, nec quid a nobis velit Deus in hoc ſtatu, nec obligationem, quam ipſi contraximus, cum illam ſumus ingreſſi.

At enim humana infirmitas, naturalis in malum proclivitas, quam baptiſmus nobis non abſtulit, nonne validum obicem opponunt huic perfectioni, quam a nobis requiris? Nonne ſatius eſt immorari in mediocritate, vel ſaltem ſibi fixum aliquod punctum conſtituere, quo pervenire contendamus? Hæc ſane prætexitur cauſa, ut

lan-

languens vita ducatur; ſed tantum abeſt, quod coram Deo poſſit admitti; ut immo tertia ſit ratio, quæ magis urget neceſſitatem hanc creſcendi, & progrediendi in ſanctitate, ac virtute, licet minorem experiremini obnitentiam in bene agendo, & minorem difficultatem in actibus virtutis, propriis ſtatus veſtri, & eſſetis perfecti, atque prorſus inferiorem hanc rebelliorem domuiſſetis, ac voſmet divinæ voluntati ſubjeciſſetis. Sed cum nobis multum itineris peragendum ſit, ut eo perveniamus; ajo, hunc obicem, quem experimur, nos excitare debere ad ſine ulla intermiſſione elaborandum; nam quantumvis parum ceſſemus, natura ſuperat gratiam, veluti cum navicula quæ adverſo flumini fertur, ſi paulisper remis contendere ceſſat, aquarum vi cogitur viam relegere, & niſu brachiorum, & labore aſſiduo progredi. Cum cupiditas nunquam penitus extinguatur in nobis, ubi ab illa coercenda ceſſes, brevi magnos efficit progreſſus, cumque corrupta natura in nobis reliquerit quamdam proclivitatem, quæ nos deorſum impellit, niſi jugi conatu noſmet attollere adnitamur; quærere, utrum teneamur progredi in chriſtiana perfectione, idem eſt ac quærere, utrum retrocedere liceat; namque unum neceſſario ex altero ſequitur.

Hoc eſt magnum, magnique momenti documentum,
Epiſt. 141. quod Sancti omnes nobis tradunt cum S. Auguſtino: *Tandiu non relabimur, quandiu ad priora contendimus, & ubi cœperimus ſtare, deſcendimus, neſtrumque non progredi, regredi eſt.* Itaque morari, vel in quiete conſiſtere labi eſt, & ſubſiſtere infra terminum ad quem eſt contendendum. Cum igitur infirmitatem vel magnos præteximus obices, qui in via virtutis occurrunt, vel difficultates ſuperandas, validoſque inimicos propulſandos; longe aliter nobis eſt argumentandum, ac inferendum, niſi indeſinenter pugnaverimus, niſi conſtanter obluctati fuerimus, niſi jugitee conatus intenderimus, nos tandem torrenti ceſſuros, & in proclivi prolapſuros. At graciles eſtis? Sed nonne Sancti vobis ſimiles erant? Num illi etiam iiſdem infirmitatibus laborabant? Numquid non eaſdem experiebantur difficultates? Verum cum ſentirent etiam ſibi ſatis virium ſuppetere, & cæleſtem ſibi opem non deeſſe, hoc ipſum illos excitabat ad pugnam, & urgebat, ut progredi conarentur, ne de ſtatu laberentur & deorſum deciderent. Eſtis infirmi, & Deus a vobis exquirit magnas virtutes, ſublimemque perfectionis gradum: ſed non additis cum S. Paulo, vos omnia poſſe cum illo, qui opem ſuam vobis pollicetur, vobiſque robur tribuit? Infirmi eſtis; numquid hinc argumentabimini, non poſſe vos ad propoſitam vobis metam pervenire? Sed vobis reſpondeo cum S. Hieronymo, *Deus impoſſibilia non jubet, ſed perfecta*; vobiſque conatus omnes eſſe exerendos, ut illuc aſſequamini. Eſtis infirmi, iterum, ac tertio dicam, ſed ſi modicis viribus veſtris faceretis, quod facere valetis, ſemper progrederemini; Dei gratia vos confortaret, & temporis beneficio vobis facile redderet, quidquid vobis videtur veſtras vires excedere, & curreretis, ut loquitur Propheta, in viis mandatorum Dei. Sed ecce rationes, propter quas opus eſt, ut creſcatis, & progrediamini in viis Dei; vobis videlicet indigitare quo pacto munus hoc obire valeatis.

II. PARS. Tria mihi omnino videntur requiri, ut corpora noſtra, omneſque res viventes creſcant, & perveniant ad perfectionem naturæ ſuæ propriam, videlicet ætas, alimentum, & exercitium; ætas eſt neceſſaria; ita enim infans pubeſcit, & intra aliquot annorum ſpatium in virum evadit, & arbos cum tempore caudicem emittit, & animalia creſcunt, & acquirunt vires ac magnitudinem ſuæ ſpeciei debitam. Alimentum nil minus confert, quam tempus, imo nonniſi cum tempore operatur; non enim niſi temporis beneficio alimenta in ſubſtantiam noſtram convertuntur, & creſcimus, quia in re plurimum prodeſt exercitatio; hæc enim enodat artus, ac tandem robuſtam efficit corporis conſtitutionem, cum e contra mollities, & otium infirmos efficit, languentes, ac valetudinarios. Hæc, Fideles, eadem ſunt tria media omnino neceſſaria ad acquirendam ſanctitatem, & perfectionem Chriſtiani hominis propriam. Tempore opus eſt, ut creſcat, ut quilibet annus, vel etiam dies illum magis benevalentem, ac perfectum reddat; opus habet alimento, videlicet eruditione, exemplis, Sacramentis & iis omnibus, quæ illum ad virtutem adducere poſſunt; denique accedit oportet exercitatio virtutum, quæ propriæ ſunt profeſſionis ejuſdem, & ſtatus, & occaſiones earum exercendarum. Cum vero hoc nunquam deſit in Religione Chriſtiana, inexcuſabiles ſumus niſi creſcimus in ſanctitate, & niſi inceſſanter progredimur in perfe-
1. Petri 1. ctione, quam Deus petit a nobis: *Sancti eritis, quia ego Sanctus ſum.* Hæc paucis percurramus.

Quod ſpectat ad ætatem ac tempus, liquet Auditores lectiſſimi, varias eſſe ætates, varioſque gradus fortitudinis, virtutis, & perfectionis in homine interiori, ut loquitur S. Paulus, non ſecus ac in exteriori; videlicet, quemadmodum in rerum natura nequaquam naſcimur perfecti, ſed per ætatem perficimur, & ſpiritus efformatur per cognitiones, quas mundi uſus affert, & quæ per crebras animadverſiones comparantur; ita Chriſtianus, quem Eccleſia vocat modo novum hominem, modo hominem ſpiritalem, Chriſtianus, inquam, varias habet ætates, ſua primodia, ſuos progreſſus, ſua incrementa, & per varios hos ſtatus traducendus eſt, antequam perveniat ad perfectionem, in ſtatu ſuo neceſſariam. Ita Apoſtolus S. Jacobus Chriſtianum vix regeneratum per baptiſma vocat initium creaturæ ad Deum pertinentis: *Ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus.* Hoc Jacob. 1.
pacto S. Paulus efformabat novos fideles, efficiebatque, ut creſcerent, poſtquam illis vitam divinam procuraverat: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur* Ad Gal. 4.
*Chriſtus in vobis*, & mox nihil miſſum facit, ut illos adducat ad perfectionem, & ad acquirendam plenitudinem propriam ſtatus ipſorum: *Ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Jeſu.* Ita ut quod de ſpiritu, & gratia, idem de corpore, & natura dicendum ſit. Si quis ætate procedens ſemper in pueritiæ ſuæ infirmitate permaneret, hoc manifeſtum eſſet argumentum alicujus defectus in illius conſtitutione & omen illum non diu eſſe victurum, ſi arbos parum creſceret, ſtatim abortivum aliquod eſſe cenſeretur: hoc ipſum judicari poſſet de Chriſtiano, nunquam progrediente in virtutem, nunquam ſe ſe corroborante, & ſemper in prima infirmitate permanente. Hic non diu ſervabit vitam gratiæ, quam poſſidet, eique timendum eſt, ne rejiciatur tanquam ſterilis arbor, de qua in Evangelio ſermo eſt, & quam hæres ſuccidi juſſit, ut locum daret alteri: *Succidite illam; ut quid terram occupat?* Luc. 13.

Videtur etiam Dei Filius, qui abſolutiſſimus fuit noſtræ perfectionis prototypus, & qui omnes poſſidebat ſcientiæ, ac ſapientiæ theſauros, ut ſe in ratione huic accommodaret, voluiſſe ſpeciem referre proficientis ætate ſimul, virtute, & gratia: *Et Jeſus proficiebat ſapientia,* Luc. 2.
*& ætate, & gratia apud Deum, & homines.* Sed in nobis virtus eſt infirma re adhuc integra, & tenera; opus eſt ut creſcat paulatim, & hac de cauſa tempus nobis conceditur; nam poſtquam illuc exceſſerit, non licebit nobis virtutes acquirere, neque meritorum noſtrorum augere theſauros, & loco illius remunerationis, quæ reſpondiſſet magnitudini meritorum noſtrorum, quoniam rubore ſuffundemur aliquando eo quod tam parum fecerimus, & adeo modicum proceſſerimus tanto temporis ſpatio, quo viximus? Cum quæretur ex nobis, quam virtutem fuerimus adepti, quænam merita congeſſerimus, ad quem perfectionis gradum pervenerimus? Heu! Numquid ſolum incepimus? Credimus quidem bene tempus inſumpſiſſe, in mundo noſmet præclare poſuiſſe, virtutem adeptos eſſe, ac nos perfectos reddidiſſe in alia quavia profeſſione, quin de Chriſtiana cogitaremus, cui præ cæteris quibuſcumque rebus opera nobis erat navanda. In hanc igitur mentem, atque cogitationem, quæſo a vobis ut revertamini brevi temporis momento ad examen revocaturi progreſſus, quos tot annis feciſtis; utrum cupiditates veſtras cohibueritis, utrum facti ſitis magis pii, ſobrii, ac in obeundis officiis veſtris ſollicitі, ac tunc eratis, cum annum ageretis decimum quintum, vel vigeſimum? Ita hæc nonne æque violenta eſt, hoc odium, hæc erga proximum indignatio æque acris, ac vivida, cupiditas hæc æque inexplebilis, & hæc adhæſio mundi vanitatibus, æque vehemens, ut ante? Quid imminutum eſt de luxu veſtro, vanitate, voluptate? Verbo, quod vitium domuiſtis, quam virtutem eſtis adepti? Fortaſſe in eodem ſtatu eſtis æque furentes, æque ambitioſi, adhoc in omnem libidinem proni, ac olim fuiſtis? Fortaſſe quin quidquam in virtute profeceritis, in vitiis creviſtis, in ſingulos annos addidiſtis novum criminum pondus, & congeſſiſtis iræ, ultioniſque theſaurum, ut loquitur Apoſtolus, qui meritorum theſaurum congerere debebatis. Num ad id vos Deus ad Chriſtianiſmum evocavit? Num ad id tot vitæ annos tradidit? Modo veritatem hanc non formidamus, ſed illam in mortis articulo ſentiemus, quo incipiemus cognoſcere vanitatem eorum omnium, quæ habuimus in pretio; & ardentius conquiſivimus. Verum ſequamur.

Secundo loco ajo, Auditores, alimoniam omnino neceſſariam eſſe in vita gratiæ ac in vita naturæ, alioquin enim tantum abeſt, quod viventia creſcere valeant, & perfici, ut ne ſervari quidem poſſint. Quemadmodum quodlibet vitæ genus cibum habet ſibi proprium, & alimenta differunt proveniuum varietate; vita ſpiritus, videlicet vita ſancta, & chriſtiana propriam habent alimoniam ad obtinendam perfectionem ſuam, eaque eſt verbum Dei, ita enim vocatur ab ipſo Domino, deinceps Sacramenta, monita, ſalutaria conſilia, bona exempla, oratio, & meditatio veritatum æternarum. Hoc nutrit animam, eamque creſcere facit in virtute, & ſanctitate. Quod ſi cibus hic ſaluberrimus ſuum non obtinet effectum; adſit opus eſt defectus aliquis, qui indicio eſt, nequaquam vivi gratiæ vita; quoniam ſicut in rerum natura res conſervantur, ac perficiuntur per eadem principia, quæ illis eſſentiam contulerunt, ſolum Dei verbum, quod tot peccatores convertit, atque tot Sanctos conſtituit, non eumdem habet effectum in nobis, quandoquidem ſemper habuit eamdem vim, eamdemque virtutem? Si cæleſtes veritates, quas meditati ſumus, nos ſervarunt, atque protexerunt adverſus mortale virus plaeitorum Mundi, non ne nos magis, magiſque in virtute confirmabunt? Et non efficient, ut creſcamus tan-
quam

Digitized by Google

quam arbores, quæ altiores non jaciunt radices, niſi ut magis aſcendant, & caput ad ſydera attollant. Tot optima documenta non ne totidem ſunt felicia ſemina, quæ in cor noſtrum jacta fuerunt, ut ſemper novos fructus afferrent? Quot gratias, bona conſilia, ſalutares afflatus ſingulis diebus accipimus? Hæc omnia proprius eſt cibus ut inceſſanter creſcamus, & ſemper ſanctiores evadamus. Etenim hac mente, & hoc conſilio Deus alias quidem immediate per ſe, alias per miniſtros ſuos nobis conciliat, ut nunquam deſint nobis progrediendi viæ & media fructus ferendi.

Sed quodnam pudoris, & confuſionis argumentum, videre nos ita parum hrctenus proceſſiſſe, & ſemper eodem in ſtatu permanſiſſe in ſumma neceſſitate quotidie creſcendi & cum tot ſubſidiis, quot ſunt adminicula, quæ nobis ad hanc rem ſuppetunt? Quid nobis exprobrare non poteſt Eccleſia, quæ nos in ſinu ſuo aluit? Ne vereamur, ne nos filios ſuos eſſe neget, quod faceret Mater proceræ formæ, quæ rubore ſuffunderetur oſtendens filios ſuos pumiliones, & formæ ſeſquipedalis? Sinus ejus adhuc ſucco eodem plenus eſt, qui tot inſignes Sanctitate viros educavit; eamdem habeant eſcam, eadem Sacramenta, eadem præcepta, quod ſi nos ad eamdem perfectionem minime pervenimus, dedecore afficimus Matrem hanc, quæ ut animum noſtrum eſtimulet, & ciat ad creſcendum, & progrediendum, nobis oſtentat ſubinde modo Apoſtolos zelo plenos in extremos terrarum plagas perlaturos, modo Martyres, qui ſuum effundunt ſanguinem, & modo novs ſydera ſanctitate micantia, ut itineri noſtro facem præferant. Hæc autem exempla, hæc monita totidem ſunt argumenta, quæ nos urgent, ut ſine intermiſſione progrediamur, & eſca idonea ad faciendum, ut creſcamus, ad reparandas vires noſtras, recentesque adjiciendas, ut novos ſemper progreſſus faciamus. Ita voluit Deus hoc diſcriminis intercedere inter naturalem corporum noſtrorum vitam, & ſupernaturalem, qua vivunt animæ noſtræ ut in natura determinaverit tempus, quo daret incrementum corporibus noſtris, omnibuſque viventibus, poſt quod cibus non alium habet effectum, quam illa conſervandi in hoc ſtatu; ſed cum noluerit ullos ſanctitati noſtræ terminos figere, niſi eos Sanctitatis ſuæ quæ infinita eſt; ita neque finitam tradidit virtutem mediis, quæ nobis ſuppeditat ad eam acquirendam.

Denique tertium illud, quod confert ad augendum corpus noſtrum, eſt labor, & exercitatio, quæ artus noſtros enodat, quæ bonam tuetur valetudinem, & quæ nos efficit fortiores, & robuſtiores, qua deficiente ſemper in languore, & infirmitate verſamur. Hæc autem exercitatio in vita Chriſtiana nihil eſt aliud, quam praxis virtutum, quæ decent ſtatum noſtrum, & profeſſionem; ideoque S. Paulus ſanctitatem, & perfectionem *2. ad Cor.* modo ſtadium in quo curritur, appellat: *Omnes in ſtadio currunt*; modo ſtudium, in quo Sancta æmulatione certamus ſemper magis proceſſuri, & evaſuri perfectiores in ſingulos dies: *Ibidem.* *Æmulamini charismata meliora*: modo prælium, in quo vis eſt propulſanda, & inferenda, ad innuendum neminem fieri ſanctum, atque perfectum ſine labore, & ſine jugi conatu & neminem perfici uſu, & exercitatione præſtantiſſimarum virtutum. Non ſecus ac in artibus qui majori præſtant experientia, perfectius, atque facilius opus ſuum ad optatum finem perducunt, ita in chriſtianarum virtutum exercitatione ſemper acquiritur perfectior habitus, & ſemper majori cum facilitate, atque elegantia abſolvuntur.

In Chriſtiana vero Religione non deeſt uſpiam occaſio has virtutes acquirendi quolibet in ſtatu, & qualibet in conditione eſſe valeamus, & niſi perfectionem acquirimus, hoc nonniſi noſtra accidit culpa, quoniam per hanc exercitationem ſemper creſcere poſſumus in ſanctitate, & perfectione. Etenim quot nobis in ſingula momenta ſeſe offerunt occaſiones modo exercendi patientiam, modo cupiditatum noſtrarum mortificationem, modo charitatem erga proximum, modo avulſionem animi a terrenis rebus? Quot adverſa, quot ærumnæ accidunt in vita, quæ eſſe poſſunt objecta omnium harum virtutum ſingillatim exercendarum? poſſumus tandem omnes acquirere, poſſumus ſemper majori cum perfectione exercere, quia fides noſtra poteſt in ſingulos dies acrior fieri, ardentior fieri charitas, patientia noſtra virilior, & altior humilitas noſtra; præterquamquod antequam unam dumtaxat in ſublimiori gradu comparaverimus, quandiu noſmet exercuerimus opus eſt? Exempli gratia. Charitas, quam petit Deus in latitudine cordis noſtri, in æſtimatione mentis, omnibuſque viribus animæ noſtræ. Videte auditores, quantum vobis ſuperſit viæ, ut perveniatis ad hunc perfectionis gradum? Charitas, quæ ſpectat ad proximum, nonne in dies magis perfectior evadere poteſt? Nam quandonam eo pervenietis, ut illum tanquam voſmet ipſos diligatis, & ejus negotia tanquam veſtra procuretis, eique quodcumque poteſtis pro virili parte bonum efficiatis? Omnes luſtrate virtutes, & videbitis illas ſuos gradus habere, & ſemper in dies perfectiores eſſe poſſe; ideoque nobis ſemper eadem hæc Apoſtoli verba dici poſſe: *Ibidem.* *Æmulamini charismata meliora, adhuc excellentiorem viam demonſtro vobis*. Prout progredimur, nobis recens ob oculos noſtros ſpatium aperitur, quod ubi meriti fuerimus, alterum ſemper recens patebit. Semper igitur nobis progrediendum eſt. *Adhuc excellentiorem viam demonſtro vobis.*

Hoc ipſum unum eſt es præſtantiſſimis mediis, quæ ad id nos docuerunt Sancti, nos videlicet ad ea, quæ ſunt altiſſima, atque perfectiſſima contendere oportere, ut ille, qui ſeſe exercet ad ſpicula in ſcopum jaculanda, & ſcit arcum ſuum eſſe paulo laxiorem, ut ſaltem illuc uſque perveniat; ſimili ratione Chriſtiano viro nequaquam ſatis eſſe debet, ut mediocrem virtutem aſſequatur; ſed illi contendendum eſt ad ea quæ ſunt præſtantiora, ut ſi corruptæ naturæ pondus prohibet, ne eo uſque pertingant, mediocrem ſaltem virtutem acquirat; etenim ſi hanc ſibi propoſuerit mediocritatem, non ſubſidat inferius, & nihil omnino lucretur. *Adhuc excellentiorem viam demonſtro vobis.*

*Concluſio.* Ut igitur Sermoni huic finem faciamus, & colligamus ea, quæ dicta ſunt de obligationibus, & mediis, quæ nobis ſuppeditant, ad noſmet ſanctificandos, & perfectionem acquirendam, dicere ſatis eſt, nos eſſe Chriſtianos; Sicuti hoc dicere eſt complecti univerſa apud eos, qui nobili genere, & factis renident; illis videlicet ſuſtinendum eſſe conſtantia, & actibus decus ſuum, & ſane nihil eſt in virtute, & ſanctitate, quo hoc nomen, & inſignis hæc dignitas nos non deducat; & ad quod nos amicus urgeat, hoc enim eſt nobis eshibere officia glorioſo huic nomini inhærentia, quod ſæpe confunditur cum illo ſancti, atque perfecti, & dicere nobis, ſemper creſcendum eſſe, & contendendum ad altiorem ſanctitatis gradum; ad id enim a Deo vocati ſumus: *Ut ſitis perfecti, & pleni omni voluntate Dei*; & quod perfectionis ſtudium non ſolum ampliſſimum eſt, cui operam dare poſſimus, ſed etiam maxime neceſſarium, quia inde ſuprema noſtra felicitas pendet. Meminiſſe debemus, virtutem hanc in qualitate nequaquam nobis eſſe imperatam in gradu quodam determinato, ac præſtituto; ſed nihil eſſe adeo ſublime ad quod nobis non ſit attendendum, ita ut ſemper nobis trepidandum ſit, utrum ſatis diligenter in lucro poſuerimus talentum, quod recepimus, & reſponderimus gratiis Dei, ejuſque de nobis conſilia repleverimus. Hinc Juſti, Sacer Textus inquit, imitari debent lucem Solis ſemper creſcentem. *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem.* *Prov. 4.*

Viam hanc Sancti omnes ſecuti ſunt. Abraham ſemper coram Deo ambulavit, & hoc pacto perfectionem adeptus eſt. *Ambula coram me, & eſto perfectus.* *Gen. 17.* Iſaac, de quo dictum fuit, quod ſemper progrederetur; Joſeph, qui ætate, & virtute creſcebat: *Filius accreſcens Joſeph*; *Gen. 49.* quod de Filio Dei ipſius teſtatur Evangelium, in quo id gratiæ commune eſt cum natura, quæ a rebus minimis ducit initium, ut finem faciat cum majoribus, & perfectioribus. Hæc propenſio nonne impreſſa eſt in ipſa eſſentia noſtra, quemadmodum videmus in pueris, qui ſemper creſcere volunt; quotcumque illecebris excipientur, cum adhuc in hac ætate verſantur? Omnia, ut verbo me expediam, hanc habent a natura proprietatem, ut ſemper velint procedere; nos autem Auditores, ſemper vellemus permanere in infantia, ut ita dicam in tanta hac creſcendi neceſſitate, cum tot ſubſidiis creſcendi, tempore, alimonia, exercitatione, & fortaſſe adhuc ſumus ex numero eorum, de quibus Scriptura loquitur, & quos pueros appellat annorum quadraginta, & quinquaginta; nam adeo ſumus imbecilles, & parum proceſſimus poſt tot annos, ac ſi hodie nati eſſemus. Videtur in nobis ſatietas donorum, & bonorum Dei, ſed non videtur deſiderium hoc, quod Salvator famem & ſitim juſtitiæ vocat, quod malum S. Auguſtinus deplorat, tanquam diſpoſitionem, ac ſtatum qui nos ſatis perdere poteſt. *Si dixeris, ſufficit, periiſti.* Hoc tamen eſt periculum, in quo ſumus, & in quo jugiter vivimus propter modicam curam, ac ſtudium, quo perfectiores fieri negligimus.

Neque dixeritis, nequaquam confundendos eſſe ſtatus, & conditiones; ab homine in mundi luce vivente expetendum non eſſe, quod a Cœnobita, vel Eremita requirimus; hæc fateor non ſunt confundenda, non ideo tamen minus Chriſtiane vivendum eſt. Ideoque voluit Deus in omnibus ſtatibus, muneribuſque eſſe homines ad ſublimem Sanctitatem elatos, ut alios excitent exemplo ſuo, qui illuc tendant, atque ſuſpirent. S. Ludovicus in ſolio, & purpura, & S. Mauritius in armorum profeſſione ſanctificati ſunt. Non deſunt Sancti, & perfecti viri in Aula, ac inter alia negotiorum impedimenta in aliis omnibus conditionibus non deſunt qui ad altam evaſerunt ſanctitatem, ut docerent, officium noſtrum, munus, conditionem nequaquam nos diſpenſare, quominus ad Sanctitatem anhelemus, & contendamus. Hoc quondam amico ſcribebat S. Paulinus, qui multitudinem ſuorum negotiorum cauſabatur, quaſi prohiberetur eidem perfectioni vacare. *Vacat tibi*, dicebat ille, *ut ſis philoſophus, & non vacat, ut ſis Chriſtianus?* *Epiſtola ad Jovium.* Inveniſti quidem tempus quo utereris, ut inſignis philoſophus, & in omni ſcientiarum genere abſolutiſſimus evaderes; tempus vero defuit, quo perfectus Chriſtianus evaderes. Hæc illuſio eſt, ac cæcitas, quæ nos fallit hodierna die in Chriſtianiſmo. Satagunt, ut ſe ſe perficiant in ſuo mune-

munere, & profeſſione ſua; volunt acquirere rerum peritiam, captum, & quidquid neceſſe eſt, ut perfecti opifices fiant. Quotidie progreſſus fiunt, in ſola Chriſtianiſmi profeſſione ſufficit nobis id eſſe, quod ſumus, quin noſmet meliores velimus efficere, & quin altius volatum audeamus attollere; ſed cogitemus, ſanctitatem, & perfectionem quam hic in terris adepti fuerimus, futuram menſuram felicitatis, quam in Cælo obtinebimus.

# SERMO SEXTUS.

## De bono Exemplo.

RE adhuc integra Auditores duo mihi in Evangelio occurrunt præcepta, quorum alterum alteri obſiſtere mihi videtur, licet utrumque immediate ex ore ipſius Veritatis prodierit. Primum quidem nos jubet opera noſtra bona per humilitatis virtutem contegere, cui ſatis eſſe debet, illa Deo uni eſſe explorata, quin eadem in oculis hominum oſtentemus, eo uſque ut velit lævam manum ignorare, quid faciat dextera, & præcipiat ſanctiſſimum Religionis actum, orationem videlicet, clauſis oſtiis, & clanculum Deo offerri; perinde, ac humilitatis apex eſſet ignorare ea ipſa bona, quæ facimus, & noſtram ipſam conſcientiam fallere: ſed ex altera parte aliud prorſus oppoſitum nanciſcor imperium; vult enim ut bona hæc opera noſtra ita niteant, ut alios illuminent, & quocunque virtutum noſtrarum lumen ſuos
Matth. 5. radios emittat: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona*. Quid? Poſſetne Dei Filius ſibi propugnantia dicere, ſimulque præcipere duo, quæ manifeſtam habere videntur oppoſitionem? Non ita, Auditores. Duo iſta præcepta optime ſibi cohærent, & conciliantur, & utrumque peculiare aliquid jubet. Ecce, quomodo oportet bona opera noſtra clam fieri. Videlicet, ea nequaquam faciendo per oſtentationem, & ad captandas hominum laudes, alioquin omnes labores noſtri non aliam mercedem haberent, niſi plauſus inanes: ſed profiteri tenemur virtutem, & bene operari etiam ante oculos hominum, ut illos ad noſtri ſequelam, & imitationem pertrahamus. Quod non in negativo ſolum præcepto conſiſtit, quod nos nihil facere cogit, quod cedat in ſcandalum proximi, ſed etiam in poſitivo, præbendi bonum exemplum; quamobrem fert animus duo peculiariter vobis oſtendere. Primum quorum eſt neceſſitas, quæ omnes homines urget præbendi bona exempla, & ſeſe in vita ab omni reprehenſione alienum oſtendendi; alterum vero eſt efficiendi magnum illud bonum, quod bonum exemplum parere poteſt in mundo ad majorem Dei honorem, & cultum; ſi Chriſtiani hoc munus ad unguem implerent. Memet intra boni exempli cancellos contineo, quin de pravo loquar, & me effundam de ſcandalo verba faciens, de quo ſatis in Bibliotheca morali noſtra dictum eſt.

I. PARS. Quod attinet ad neceſſitatem hanc, illam in ipſa chriſtiana Charitate conſtituo, quæ a nobis habenda eſt erga proximum, & quam ipſe Dei Filius tanquam inevitabile præceptum propoſuit; quæ ſi deſit, reſpuit nos habere in loco amicorum, & diſcipulorum, atque in vere Chriſtifidelium numero. Hæc autem charitas duos peculiariter habet effectus omnino eſſentiales. Prior eſt nos ſimul conjungendi; tanquam membra, quæ non ſunt niſi idem corpus myſticum Filii Dei. Alter vero quod cum ſit effectus ejuſdem amoris, quo Deum ipſum diligimus, & qui in fratres etiam noſtros ſe extendit, debet etiam ſibi proponere pro fine Deum; videlicet debet ſibi proponere, ſi poſſit omnes homines impellere ad amandum, & ſerviendum, quod zelus vocatur; unde arguo hunc ſine bonis exemplis vigere non poſſe.

Si quilibet Chriſtianus eſt membrum Salvatoris illi per charitatem conjunctum, ſequitur etiam Chriſtianos quoque ſimul conjunctos eſſe debere, tanquam ejuſdem corporis membra; & conſequenter, dicit S. Paulus Apoſtolus, Chriſtianus habere debet eandem pro proximo ſuo affectionem, quam habent membra ejuſdem corporis erga ſe, ita ut pars quælibet non ſolum procuret ſuum proprium, & particulare donum, ſed aliquid conferat univerſali bono totius, ut oculi videant, manus operentur, pedes ambulent pro toto corpore, ita Chriſtianus non eſt ſibi ſoli, ſed pro virili aliorum etiam ſalutem
Eccleſ. 17. debeat procurare: *Mandavit illis, unicuique de proximo ſuo*. Hinc uterque defectus ſemper æque vituperandus eſſet; vel extrinſecus niteſcere, & intus ſordere, vel ſi fieri poſſet, reipſa nitеſcere, & omnino ſordidum videri; charitas enim duo hæc poſtulat officia, primum ut Deo placere ſatagas ſolida virtute, ſine faſtu, ſine hypocriſi; alterum ut proximum ad virtutis praxim bonis agas exemplis; ita ut externa tantum virtutis ſpecies nihil ſit, ſed cum interiori virtute conjuncta, ſit tanquam corpus, quod eam ſenſibilem efficit, & homines ad eam ſequendam adigit; juxta egregium illud veteris cujuſdam viri effatum, ſi illa corporeis oculis videri poſſet, neminem fore, qui omnes illi affectus ſuos non conſecraret; itaque hoc intercedit diſcrimen, D. Thomas ait, inter Angeli, hominiſque virtutem; quod Angeli virtus, qui purus eſt ſpiritus, omnino perfecta eſt, & intrinſecus abſoluta; Sed hominis virtus, qui ex anima conſtat, & corpore, & qui viſibilis eſt atque ſociabilis, & cum aliis converſatur hominibus, in interiori quidem parte ſuum habet principium, ſed in exteriori ſuam invenit perfectionem: ideoque bonum exemplum eſt veluti flos, & nitor virtutis, illius eſt pretium atque perfectio: Externa quidem ſpecies, ſi lubet, oſtendit, quid intus lateat, non ſolum ut homines illud perſpiciant, nos laudent, nobiſque plaudant, quæ quidem eſſet vanitas prava, ſed ut ſequantur illud, & imitentur, quod bonum exemplum vocatur.

Videtur Deus omnes homines ſocietatis vinculo conjungens, voluiſſe, ut ibi omnia, virtutes etiam, eſſent communes; quarum licet proprietatem, ac meritum ſingulis relinquat, vult ſaltem illas eſſe poſſe aliis utiles, & præceptum Charitatis, quod nos Deo, hominibuſque ſimul obligat, petit, ut ita Deo tribuamus, quod ſumus, ut proximus noſter fructum percipere valeat ex iis, quæ facimus. Dico autem obligationem hanc oriri ex præcepto charitatis; quis enim dubitat, ſibi quatenus Chriſtiano, videlicet membro ejuſdem corporis non habendam eſſe eandem ſollicitudinem, quam habent ſibi invicem membra, juxta illud S. Pauli: *Pro ſe invicem ſollicita ſunt membra*. 1. Ad Cor. 12. Hic amor in eo ſitus eſt, ut proximo noſtro velimus maximum bonorum omnium, ſalutem æternam. Debet enim eſſe chriſtiana Charitas, quæ finem habet ſupernaturalem, & debet hunc illi procurare ſumma vi, atque labore; quoniam debet eodem pacto pro virili parte adniti, quemadmodum unius corporis membra invicem ſibi ultro, citroque favere conantur, omnibus videlicet ſtudiis, omnique affectu. Ratio autem hoc efficiendi potentiſſima, eaque facillima eſt bonum exemplum; unde ſequitur, hoc vulgatiſſimum eſſe omnium officiorum, quibus erga proximum teneamur; cetera quippe ſuos habent cancellos, & circumſtantias, quibus determinantur; ſed bonum exemplum officium eſt, quod omnes homines poſſunt adimplere: ad id apta ſunt tempora omnia, loci omnes ſunt commodi, occaſiones omnes acceptæ. Hæc igitur obligatio eſt etiam ineluctabilis, humilem æque ac nobilem inopem, ac divitem ſervum ac dominum reſpicit, ſingulos in conditione, ſtatu, munere ſuper hoc innixa argumento, quod quomodo eludi, infirmarique poſſit non video. Charitas Chriſtiana, & proximi dilectio nos cogunt, ut cum poſſumus, & ille indiget, ſpirituale bonum ei pro viribus procuremus; id extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, eſtque unum ex primis Chriſtianæ Religionis principiis. Sed hoc facere poſſumus bono exemplo, & proximus ſemper eget: nam licet de illo bene audire debeamus tamen ſemper præſumere illum infirmum eſſe, cæcum in vitia, nobis ſimilem: tenemur ergo & ſemper, & in omnibus occaſionibus, quæ nobis occurrunt, bonum hoc illi exemplum præbere, videlicet, primum nihil fratribus inſpectantibus facere, quod citra crimen nequeant imitari: deinde vero illos ædificare, cum muneris, ſocive noſtri dignitas nos bona facere jubet. Arcta obligatio, Auditores, a qua noſmet diſpenſare non poſſumus, quin violemus primum hoc, & magnum, magnique momenti charitatis præceptum, in quo Dei Filius totum complexus eſt Evangelium.

Adde his in hoc myſtico Salvatoris corpore, cujus membra ſunt Chriſtiani, non deeſſe *Membra Corporis infirmiora*, Ibidem. quo nomine illa S. Paulus appellat: cumque magnus hic Apoſtolus anſam inde arripiat amplificandi criminis illorum, qui eos ſcandalis perdunt, mihi videor operam nequaquam luſurus, ſi vobis ob oculos poſuero æquiſſimam neceſſitatem, quæ vos urget, ut illis bono exemplo feratis opem. Dico autem, ſicuti plantæ quædam ſemet regere nequeunt, & ſuſtentantur priori arbuſto, quod obvium reperiunt, eidem adhæreſcentes, ita quoſdam eſſe ſpiritus ita factos, ac ingenia ita diſpoſita, ut ſequantur quod vident; & adhæreant iis, quæ prima ipſis occurrunt eorumque oculos afficiunt, non aliam habentes vitæ regulam, quam aliorum exempla. Hi virtute præditi erunt, ſi alii ita fuerint, & in vitium proni, ſi cognoverint improborum partes frequentiores eſſe, & validiores. Hinc oritur eos, qui in civitate principes, & ſpectatiſſimi ſunt, arctiori vinculo teneri aliis prælucendi; quia cum eorum facta maxime intuentium oculis pateant, ſunt legis loco illis, qui ab iiſdem pendent, & qui eorum ſubjecti ſunt nutibus, & imperiis: ita quamvis omnibus communis non ſit obligatio, quatenus membris corporis ejuſdem, præcipue ſpectat ad eos, qui, ut ita dicam, ſunt corporis oculi & caput; videlicet, qui deducunt, & regunt alios, qui eos

cæcorum more ſequuntur, quin ſe ad examen revocent, quo vadant, & quo deducantur. Principum ſacta, vetus quidam ajebat, ſunt tanquam faces illæ, quæ eminus proſpiciebantur, quia in apice conſtituebantur obeliſcorum ad monendos viatores. Ita mortales id genus eminus conſpiciuntur; quidquid ipſi agant impetum facit, ſicut quilibet illos reſpicit, quilibet eos imitatur; ita ut quodammodo jubeant, quod faciunt, & vetent quod minime faciunt, quia eorum exemplum vim habet dominantem, & alios omnes trahentem. Quærebat vetus quidam Orator: quid eſt Princeps? & ego quoque eamdem quæſtionem facere poſſum: quid eſt nobilis vir, magiſtratus, vir dignitate ſpectabilis, vel nativitate, vel alia qualibet cauſa? *Lex loquens*. Lex, quæ loquitur; ſed lex potens, & efficax, quam omnes ſequuntur, cui omnes ſeſe conformant; & cum hujuſmodi viri virtutem exercent; exemplum hoc loquitur, perſuadet, & trahit omnes poſt ſe. Ratio eſt, quod homines vulgo non habent ſatis luminis, ut eorum qualitates diſtinguant, ut eas revereantur, quæ in pretio habendæ ſunt, & illas contemnant, quæ dignæ ſunt probro; accidit ergo, ut honor inhærens nobilium conditioni efficiat, ut illorum vitia, ſi vitioſi fuerint, in honore habeantur, & conciliet virtutibus eorum reverentiam, cum in eorum perſonis apparent. Ita veſtium modeſtia, periculoſarum voluptatum fuga, verecundia in converſationibus, exacta Divinarum, Eccleſiaſticarumque legum obſervantia, non vilia videntur abjecta, cum viri nobiles eas palam profitentur. Seſe ab hominum irriſionibus immunes putant illos imitantes, & gloriæ ſibi vertunt ſequi eos, quos gloria quocumque ſubſequitur; ita ut cum hoc munere perfunguntur, de illis dici poſſit, quod olim de generoſo Romano quondam dictum fuit, cujus tanta, ac tam fortis, & conſtans virtus extitit, ut videns Reipublicæ interitum, pro vallo oppoſuerit corpus ſuum, ut lapſum illius prohiberet, & re ipſa illum prohibuiſſet, ſi eos inveniſſet, qui eum ſequerentur, & imitarentur. Hoc illis faciendum eſt, qui præſunt aliis quocumque titulo. Sibi acriter perſuadere debent, ſe a Deo conſtitutos eſſe, ut vitæ ſuæ exemplo ſuſtineant Chriſtianiſmum in præceps ruentem per corruptionem morum, ut pondere auctoritatis ſuæ illum confirment, ut omnibus oſtendant, quam glorioſum ſit obedire Deo, ac tueri partes illius per vitæ omnino chriſtianæ profeſſionem. Licet omnino ſolos nos eſſe deceret, & ab univerſis mortalibus eſſemus derelinquendi, dicendum nobis eſt cum
Pſal. 140. Propheta: *Singulariter ſum ego donec tranſeam.*

Ita licet alii omnes ejuſdem dignitatis homines viserint in ſplendore, & luxu, & emicare conati fuerint opipara menſa, & ſervorum caterva; ego memet objiciam contra hunc torrentem, & contentus ero honeſto victu, ut ea quæ ſuperſunt, in pauperum cedat alimoniam. *Singulariter ſum ego*. Hoc dicere debet Chriſtiana matrona, dum ceteræ ad choreas, comœdias, theatra feruntur, & mundanas converſationes ſequuntur; in ſolitudine me continebo, ac vivam in modeſtia, & verecundia, quidquid de me mundus effutiat: *Singulariter ſum ego*. Ita cum alii ſanctiſſima quæque vertent in ludibrium, proximi exiſtimationem lancinabunt, palam teſtabor, hæc Chriſtiano, & honeſto viro eſſe indigna. At ſolus ne ero in hac ſententia? Me igitur irridebunt: quid ad me? *Singulariter ſum ego, donec tranſeam*. Hoc expetit Deus ab iis, quos aliis præpoſuit; quoniam illi non tenentur ſolum aliis exemplo prælucere jure communi fidelibus omnibus, ſed etiam jure peculiari, quod ex eorum ſtatu oritur, & conditione.

Primo huic effectui Charitatis noſmet ultro citroque conjungendi veluti membra ipſius corporis filii Dei, quæ ideo tenentur ſibi opitulari, ac mutuo defendere; addidimus alterum, & eſt, charitatem hanc quæ nobis habenda eſt pro fratribus noſtris, cum ſit emanatio quædam illius, qua diligimus Deum, habere etiam pro fine, & præcipuo objecto ſuo Deum, hoc eſt, hanc eo tendere, ut ille agnoſcatur, & diligatur a proximo; cui hoc pacto procuramus bonorum omnium maximum; hic autem zelus dicitur, & eſt ampliſſimus charitatis effectus, & conſtituit munus alterum bonis exemplis prælucendi illis.

Quam in rem dico cum S. Ambroſio, quamvis omnes virtutes, ut ita dicam, fuiſſent incarnatæ in Salvatore, qui deſcendit de cælis, ut fieret mortalibus omnibus exemplar, & qui illas quodammodo viſibiles reddidit in ſancta humanitate ſua, ut omnes alliceret homines ad imitationem ſui; tamen voluit uti opera noſtra ut officium hoc perenne faceret, ac illud noſtro exemplo perficeret; quo in ſenſu nobis dicendum eſt cum S. Pau-
Ad Col. 1. lo: *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti*. Abſolvo ea, quæ deſunt actibus æque ac paſſionibus filii Dei, ſed quid illis deeſt? Applicatio, & imitatio; ita ut quemadmodum ille ſe nobis ſimilem præbuit ut nos ſibi ſimiles faceret, vult nos imitari virtutes, & actiones ſuas, ut & nos aliis ſimus exemplo. Petit ut exemplis ejus aliquid adjiciamus, ſed quid adjicere poſſumus? Proprium exemplum noſtrum, quod, ut ita dicam præſtat ſuo, quia aliorum captui eſt accommodatius. Hoc exemplum filii Dei lumen eſt nimis coruſcans pro aliquibus: quid mirum, dicet fortaſſe quiſpiam, ſi Deus hoc fecerit, vel illud? Sed quod alius homo, naturæ ejuſdem, ejuſdemque conditionis ac nos, id faciat; hoc neque excuſationem patitur, neque reſponſionem. Itaque hac nobis conditione propoſita, Salvator nos ad Chriſtianiſmum, ſuique cultum evocavit; videlicet ut ſuum conſilium perennaret, & opus abſolveret. Quodnam autem hoc fuit conſilium? Quodnam hoc opus? Non diffitebamini, hoc fuiſſe ſalvos faciendi omnes homines, illos ad virtutem impellendi quacumque via poſſet; verum cum illos erudire non poterat ſingillatim, neque immediate per ſe ipſum, ut defectui ſuo ſuppleret, in locum ſuum ſuffecit Chriſtianos omnes, ut ſecundum hoc ipſum conſilium exercerentur, alii quidem ratione peculiari, & per miſſionem magis explicitam ut Apoſtoli, qui univerſas luſtrarunt orbis plagas, alii ex officio annuntiantes populis Evangelium & prædicantes illis veritates, tanquam paſtores, & Concionatores: ſed bonum exemplum omnibus æque commune eſt. Hac potiſſimum in re Chriſtianus ſuſtinere debet honorem, quo præditus eſt cum ad Dei ſervitium vocatur, ac teſtari, quonam amore proſequatur illum, ſubditos illi acquirens, & mortales, qui fideliter eidem deſerviant; hoc enim pacto charitas, qua diligit proximum, tendit in Deum, quemadmodum a Deo profecta eſt.

Qua in re habet etiam velut prototypum Dei filium, qui cum non vixerit in omnibus ſtatibus, & conditionibus, nos ad hoc officium vocavit in ſocietatem, ut quod ille incepit, adimpleremus. Hac via adeſſe debet omnibus in locis, & hac ſucceſſione omnibus temporibus adlaborabit; hic induſtria in tot ſeſe multiplicat exemplaria, quot ſunt Chriſtiani in omnibus conditionum generibus; hac de cauſa tandem dicebat Apoſtolis ſuis, quod intelligendum eſt de omnibus veris Chriſtianis, illos eſſe mundi lumen: *Vos eſtis lux mundi*, vel ſaltem Matth. 5.
totidem ſydera, quæ lumen ab illo mutuatum reflectere debent, & quocumque terrarum effundere. Itaque, Auditores, ut diſcatis chriſtianam humilitatem cum boni exempli luce conjungere, oculi tantum in Cælum vobis ſunt attollendi ad Aſtra conſideranda, quæ in Scripturis ſignificant viros bonos; quamvis illa ſint corpora propter magnitudinem immenſi, luce, ardore, ignique repleta. Tamen de illis nonniſi punctum coruſcans intuemur, & cetera cælo teguntur. Hoc vitæ Chriſtianæ ſecretum eſt, hominum oculis abſcondere fundum virtutum noſtrarum, pietatis praxim, ſecretas eleemoſynas, mortificationes, bonos ſenſus, quos nobis Deus tribuit ut veram latentem ducamus; debemus tamen illis aperire identidem lucem aliquam, & radium perfungentes officiis hominis Chriſtiani, accedentes crebro ad Sacramenta, audientes verbum Dei, inviſentes nonnunquam xenodochia, & carceres, ut bono ſatisfaciamus exemplo; & Chriſtianæ charitatis officio, quæ poſtulat, ut illum mundo univerſo cognoſcendum tradamus per zelum, quo flagrare debemus gloriæ ipſius. *Glorificate*, 1. ad Cor. 6.
*& portate Deum in corpore veſtro*, inquit Apoſtolus.

Hoc autem neque facilius, neque efficientius fieri poteſt, niſi bono exemplo, quod alios dirigit, ac deducit, quemadmodum ipſum exempli nomen nos docet: nam ſicut idea, quam Philoſophi vocant cauſam exemplarem, norma eſt opifici operis ſui, ſine qua nihil facere poſſet, ita exempli hoc proprium eſt, ut alios regat, eiſque norma ſit ad agendum, vitamque ſuam componendam. Quibus adjiciendum eſt vulgo duo exemplarium genera diſtingui, alterum quod interius eſt, & in artificis mente; velut cum Pictor animo concipit venuſtam faciei gratiam, ſecundum quam opus ſuum ſtudet effingere; alterum vero exterius, velut cum Pictor idem tabulam aliquam imitari conatur, & alteram adumbrat ad imitationem illius, quam ſibi ob oculos proponit. Ita & in Chriſtiana vita, duo ſunt veluti exemplaria, quæ nos regunt, atque deducunt; internus alterum, noſtra videlicet conſcientia, & lumen rationis per fidem illuſtratæ; ſed hoc ſatis non eſt; alterum præterea requiritur, quod ſenſus noſtros afficiat, & hoc exemplar eſt bonum exemplum. Verum eſt, in artibus eximios quoſlibet magiſtros gloriæ ſibi vertere ex ſemet invenire, & proprias tantum ideas ſequi, tyrunculis relinquentes exteriora exemplaria, ut illa in operibus ſuis imitentur. Sed in Chriſtianiſmo noſtis nos nequaquam eſſe perfectos, & nos ſemper indigere exemplis, atque prototypis, quorum auxilio operemur, & progrediamur. Deus enim non omnia tribuit ſua dona, & favores uni, ſed illos aliter, aliterque diſtribuit, unde ſequitur, quemadmodum homines habent varia naturalia talenta, varias etiam habere virtutes, vel ſaltem quaſdam, in quibus præſertim præ reliquis renident. Quamobrem cum mortalis homo nequeat in omnibus eſſe perfectus, ut in omni virtutum genere tanquam prototypus habeatur, opus eſt, ut omnes in id conſpirent, atque contendant, ut quod ab uno habere non poſſumus, a pluribus mutuemur.

Verum hoc ipſum ſimul illud eſt, quod conſtituit neceſſitatem, in qua ſumus, bonum exemplum præbendi. Mihi igitur audire videor, Auditores, Mundi Salvatorem eadem dicentem, quæ dixit olim Apoſtolis ſuis: *Exem-* Joan. 13.
*plum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*. Opus eſt, ut vos, qui aliquam in alios habetis auctoritatem, voſmet cogitetis tanquam peculiares

Apoſto-

Apoſtolos, quibus miſſio immediate data eſt a Deo. Grex veſter eſt familia veſtra vobis exemplo veſtro regenda: *Forma facti gregis ex animo*, inquit Princeps Apoſtolorum (*1. Petr.*); zeli veſtri argumentum erunt omnes ſocietates, quibus frequenter intereritis; quibus conabimini virtutis nitorem oſtendere inter tenebras tot vitiorum, quæ eidem offundunt caliginem. Vita veſtra, Pater quidam ait, eſſe debet interpretatio vivens, & animata Evangelii ad illud explicandum, atque in praxi oſtendendum. Vos eſtis totidem legati, atque vicarii Filii Dei, ut loquitur S. Paulus (*2. ad Cor.*): Pro Chriſto legatione fungimur; tanquam totidem echo vocis illius, ut exaudiatur in locis, ubi non auditur; verbo, tanquam totidem Salvatores, qui debetis ut ille, contendere ad homines ſalvos faciendos, inter quos exemplum veſtrum patere poteſt bonum inæſtimabile.

II. PARS. Ut hac de re nobis ſit perſuaſum, Auditores, ſufficit in memoriam revocare, Dei Filium illud lumen vocare, ad innuendum ipſum virtuti æque neceſſarium eſſe, ac lumen vitæ; quandoquidem eoſdem habet effectus in ſpiritus, quos lumen in corpora; nam primum hoc exemplum nos illuminat, & nobis oſtendit bonum meliori in luce, quam fieri poſſit, deinceps nos calefacit, & ciet ad amplectendum hoc ipſum bonum, quod nobis aperuit. Adnitar paucis ſolum utrumque explicare vobis effectum. Verum eſt, vulgo dici egregium præceptorem efficere, ut ſcientia altius pervadat per aures in ſpiritum diſcipuli ſui, ipſi aperiens, & enucleate evolvens obſcuriſſimas, & impeditiſſimas difficultates, quas ille oculis ſuis ſatis prolixa lectione poſſet detegere. Hoc utique crederem, ſi noſmet continemus intra terminos naturalis philoſophiæ, aut veritatum mere theoreticarum; nam quod pertinet ad morum diſciplinam, vitamque bonam, experientia ſatis oſtendit nobis, bonum longe alites nos permovere, obiatum ſingillatim exemplis, quam generatim verbis, atque præceptis (*Seneca.*): *longum iter per præcepta, breve per exempla*. Et hinc cognoſcite quantum bonum efficere poſſit perſona exemplo ſuo; nam ſicuti efficientius eſt quam omnia verba, nullus ſermo eſt, lectio nulla, quæ cum illo poſſit conferri, & audeo dicere, hominem optimi exempli in civitate, longe magis prodeſſe, quam centum concionatores. Nam præterquamquod una ex primis Concionatorum conditionibus eſt illos actibus potius quam verbis prædicare debere; alioquin vox eorum, non aliud eſt, quam ſonus evaneſcens in aere, & omni carens effectu (*1. ad Cor.*): *Cymbalum tinniens* eam vocat Apoſtolus: bonum exemplum, quod mutum prædicatorem appellare poſſum, bonum oſtendit in praxi, unde accidit quod ſicuti boni ſpeculatio communis eſt omnibus, & nequiſſimus quilibet peccator habet neſcio quam ſecretam virtutis æſtimationem, cujus ſæpe ſunt panegyriſtæ, ac admiratores, & e contra perpauci ſunt, qui illam exercent; erudire, ac docere exemplis, eſt habere lectionem, quæ oſtendit, quod dicit, & docet id, quod facit, illudque per oculos demittit uſque in animum, ideoque illum evincit, eique perſuadet. Cum igitur virtus in id ſita ſit, ut faciat bonum, & non illud tantum cognoſcat qui docet illud exemplo faciens, longe meliori modo illud docet.

Quantæ conſolationis, Auditores, hoc eſt, virtute prædito, qui aliquando putat ſe inutilem eſſe in mundo, & ineptum, qui aliquid operetur pro Deo; & qui tamen ſentit validos motus ut mortales omnes ad Dei amorem, & cultum traducat; cum videt zeli ardorem infirmitatibus ſuis impeditum, vel qui de ſua conqueritur conditione, qua prohibetur ne quid inſigne pro Dei gloria operetur? Nequaquam, animæ Chriſtianæ, non habetis occaſionem invidendi vel Prædicatoribus eorum ſuggeſtus, validoſque ſermones, vel Apoſtolicis viris eorum labores, & curſus: Veſtrum exemplum, & modeſtia veſtra in tanta aliorum licentia prædicat eloquenter, & plus fructus afferet anno uno, quam Prædicator fortaſſe tota vita; Verecundia, & pietas veſtra prædicare poteſt ſingulis diebus: Patientia, quam teſtabimini in perferenda hac calamitate, & perſecutione teſtem habebit integram civitatem, quæ ſummo cum fructu ædificabitur. Pergamus ad prædicandum, dixit quadam die cuidam ex fratribus ſuis Franciſcus, quem cum deduxiſſet per compita, vias, plateaſque civitatis, domum rediens, quin ullum protuliſſet verbum. Frater ille hoc ſilentium interpretatus oblivionem hominis de Deo occupati, & in profunda contemplatione abſorpti, volenſque in memoriam revocare eidem conſilium ab eodem initum prædicandi; jam actum eſt, magnus hic Sanctus reſpondit; viſi fuimus deambulantes, noſmet oſtendimus, conſpiciendos noſmet præbuimus; hic fuit ſermo, qui a me erat habendus. Adeo verum eſt, Auditores, quod Tertullianus inquit de homine bono (*l. de pallio.*): *Dum videtur, auditur;* ſatis eſt illum videre, ut intelligatur. Et ſane cuinam rei acceptum referendum eſſe putatis magnum illud & admirabile converſionis Mundi prodigium? Dei verbo, reſpondebitis, nec inficior; ſed verbo huic animato, & exemplorum auctoritate probato, ſine quo Apoſtoli altera quidem manu ædificaſſent, altera vero deſtruxiſſent, & omnis eorum doctrina ſpectatoribus caruiſſet. Sed viſa fuit eorum doctrina cum vitæ illorum exemplis conjuncta; lumen hoc ita refulſit in oculis mundi, tot radios emiſit, ut non videri non potuerint. Evangelicæ veritates magnum edidere ſtrepitum, & in ore illorum tonare videbantur, S. Chryſoſtomus ait; ſed fulgura præcedebant illa in vita ipſorum, & in eorum actionibus, & diceres, quemadmodum Solis lumen momento ſeſe quocunque diffundit, ita lumen exempli facile pervadere in animos omnium, adeo flexanimum eſt, & efficax ad bonum docendum. Immo ſæpe etiam plus roboris habet, quam miracula; teſtis eſt S. Joannes Baptiſta, qui cum nullum operatus fuerit, quod noverimus, prodigium, tamen exemplum vitæ, zelus, & pœnitentia ad ipſum pertrahebat omnes peccatores; & ſi Apoſtoli in vita ſua non oſtendiſſent, quod ore populis annuntiabant, cum omnibus miraculis ſuis nihil profeciſſent: Mortuos reſuſcitaſſent, cæcis viſum reddidiſſent, ſed nemo vitæ rationem mutaſſet. Quorſum iſtud? Actiones eorum inſpectæ fuiſſent; ſi minime faciunt, quod dicunt, dictum fuiſſet; ne illi quidem credunt quod dicunt; ergo ne ipſi quidem nos impellent ad id credendum; ad agendum vero multo minus. Hinc videtis citra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe, exemplo longe magis, quam ceteris quibuſcunque rebus illuminari, atque erudiri.

Tale enim eſt hominis ingenium, ut claræ ſint licet, atque conſtantes veritates, quas nobis proponit, iis victas manus dare non poteſt, niſi viderit illas per exempla practice exerceri. Frigide excipiet omnia ſeverioris morum diſciplinæ placita, & quidquid maxime ſublime eſt in Evangelio. Illius admirabitur ſublimitatem, magnitudinem, ſanctitatem; ſed ut illud exerceat, petit exemplum. Novit ille quidem facile eſſe Religionis ſyſtema proponere, & regimen vitæ omnino ſanctæ, ejuſque officia, & exercitia moderari, terrenarum rerum, honorumque vanitatem oſtendere, & nihilum: ſed hæc omnia nunquam in corde ſuo magnum obtinebunt effectum, niſi viderit eos, qui præclara hæc inſtituta proponunt, illa priores obſervare. Et fortaſſe ratio eſt, propter quam adeo modicum fructum intuemur, converſiones adeo infrequentes, devotionem adeo raram in mundo, quamvis numquam antea plures extiterint Prædicatores, Miſſionarii, Directores, neque tot homines, qui alios erudire conantur. Heu! Dicere erubeſco, exempla æque rara ſunt, ac frequentes ſunt correptiones. Olim uno tantum, vel etiam altero opus erat Apoſtolico viro, ut urbes, & Provinciæ totæ faciem mutarent, & ut ubique fides, ac pietas refloreſceret; eorum enim verba prodeuntia ex animo affecto iis veritatibus, quas nuntiabant, eundem accendebant ardorem in cordibus eorum, qui audiebant illos; & modo fortaſſe plerisque illud ipſum exprobrari poſſet, quod Salvator olim Evangelicis Phariſæis exprobravit: *dicunt, & non faciunt*. (*Matth. 23.*) Bene quidem dicunt, ſed non faciunt quod dicunt. Quapropter verba eorum ſunt ſterilia, quæ non ſolum carent effectu, ſed quæ nihil proſunt, niſi ad conciliandum contemptum, cenſuram, & irriſiones hominum, cupientibus alios docere, coarguere, reformare, cum illi ipſi ab exacta abhorreant regularitate.

Neque enim arbitrandum eſt, mundum, qui adeo parum æquum ſe præbet illis, qui nullam ipſi reprehendendi anſam præbent, ita affectum eſſe, ut æquo patiatur animo eos, qui inter ceteros niteſcere volunt, per ea, quæ tot ſuppeditant cauſas, illos deprimendi: ita illis minime parcit; quilibet ſumptibus ſuis fit ſpiritualis, & nemo eſt, qui non ſexcentas efficiat animadverſiones de vita eorum, atque ſermonibus. Hæc tota eſt merces illa, quam expectare debent a zelo ſuo inordinato, qui ab ipſis initium ducere debet, & in alios ſe non effundere, niſi ex plenitudine & abundantia charitatis. Alioquin omnia monita, quæ inſtituuntur, omnes correptiones, quæ adhibentur, omnes virtutum lectiones, quæ iterantur, ſunt aptiores ad laceſſendos eos, qui audiunt, quam ad corrigendos; & quin inde meliores evadant, in vitiis ſuis obdurentur juxta exemplum eorum, e quibus corripiuntur, vel ſaltem rationem inveniunt, qua ſibi inflictas objurgationes eludant. Vobiſmet fingite Patrem effuſis libidinibus depravatum, cujus filius ad oblatum ſibi exemplum imitandum pronus eſt; vel mundanam matrem, cui ejuſdem indolis eſt filia; ſi alter filio voluerit tradere temperantiæ præcepta; altera vero natam ad modeſtiæ, & verecundiæ leges componere; inſignem profecto obtinebunt effectum. Vellem equidem videre, quo ore, quo exordio utentur, ut quod cupiunt aſſequantur; & quid illi objurgationibus ſuis ſint profecturi? Poteruntne effugere æquam reprehenſionem, quam illi clam referent? Heus tu, qui alios regere, ac reformare contendis, quæſo te ipſum excute. Ex ſi vis nos tuis adhærere monitis atque conſiliis, cur non illa prior ante alios capeſſis?

Quod ſi ratio auctoritatis, aut honoris, quo frueris, vel characteris, qui tibi eſt, aliorum jugulat ſatyras, atque cenſuras; illi ſaltem in corde ſuo tua contemnent conſilia; & quin illa æqui, bonique faciant, ſtudebunt illi improba ſedulitate vitam tuam inquirere, ad examen opera tua revocare, verbis contradicere, ac tandem ſibi in ludibrium convertere monita, quæ præbes, charitate repleta, & nunquam deerit ipſis retribuendi facultas, quin de illis conqueri jure valeas, quandoquidem tu illis hanc adeo præclaram occaſionem præbuiſti. Quod ſi præ-

ceptis, monitiſque tuis exemplum acceſſerit; quidquid dixeris in meliorem partem accipietur; nihilque erit, quod tibi exprobretur, vel objiciatur, cum monita, conſilia, & correptiones tuæ tuis actionibus fuerint probatæ.

Alter boni exempli effectus eſt, nos ad bene agendum excitare, lucis inſtar, quæ fovet ſimul, ac illuminat. Conſtans enim eſt veritas, exemplo pondus eſſe, ac admirabilem vim in rebus omnibus, ad eorum executionem urgendam, & finem obtinendum, ſive quod animum, & aliorum generoſitatem extimulet, quos pudet non ſequi, quod fieri vident ſub oculis ſuis, ſeu quod viam ſternit, ac oſtendit, rem factu eſſe facilem, & non arduam, qualis exiſtimabatur. Sed audeo dicere hoc toto cælo magis eſſe neceſſarium ad virtutem, quam ad regulam morum. Sunt enim quamplurimæ animæ infirmæ, quas ineptus pavor, & humana ratio a pietatis exercitiis detorquet, & quæ reformidant, ut ſcrupuloſæ, ac ſingulares habeantur, ſi Dei partes fuerint amplexæ. Quamobrem infirmæ id genus animæ contra periculoſam hanc tentationem ſunt roborandæ. Hoc autem melius fieri non poteſt, quam aliarum exemplo, quod illas a ſingularitatis probro defendit.

Qua in re ſi modo dicimus eos, qui genere, & honore præſtant majori teneri neceſſitate in mundo, quam alios, bono exemplo præeundi; dico ego hos eſſe aptiores, quibus hoc benevertat; quandoquidem non deſunt circumſtantiæ, ubi quin aliud adhibeant quam exemplum ſuum, pares ſunt, ejiciendis omnibus vitiis a civitate, & aliis omnibus ad virtutem animandis; ita ut hoc ſit aliquid ad mundi totius reformationem conferre, a ſemet ipſius reformatione ducere initium. Ita, Auditores, indiſcretus hic zelus, & ſine ulla auctoritate, qui efficit, ut invehamini modo adverſum regimen ſtatuum omnium, modo contra abuſus, qui in jure dicundo committuntur, modo in Eccleſiaſticæ diſciplinæ relaxationem; & denique contra omnia flagitia, quibus nullam afferre poteſtis medicinam, hic inquam zelus nonniſi ab acri proficiſcitur temperamento, quod bilis inflammat, quod ſeſe exonerat per inutiles has invectivas. Si tibi malo medicinam faciendi facultas deeſt, conſtat Deum a te rationem nequaquam expetiturum: ſed memoria teneas, generalem morum reformationem quam cupis, pendere a reformatione ſingulorum; & tibi a te ipſo initium eſſe faciendum, ut aliquid conferas alienæ, præbens illis exemplum, teque proponens tanquam virtutis prototypum omnibus illis, qui in eadem conditione verſantur; hoc enim tandem a te potiſſimum expetit Deus.

Si hoc munere, ut opus eſt perfunctus fueris, ne parum te feciſſe putes; impreſſio, quam gignet exemplum tuum omnibus illis, qui pendent a te, ſe ſe extendet ad eos omnes, qui te norunt, & cum quibus conſueſces; qui te fuerint imitati, pertrahent alios, & hoc pacto non ſatis æſtimabilem fructum conſequeris.

Sin minus hunc obtinet effectum erga omne perſonarum genus, ſaltem pudore ſuffundit illud ſequi detrectantes: *Tu non poteris, quod iſti, & iſtæ?* Hoc olim L. 8. Conf. cap. 11.
calliditas exprobrabat Sancto Auguſtino, & hoc illud eſt, quod nunquam valuit ſuſtinere. Quid! tot mortales æque ac tu bene nati, & infirmi non ſecus ac tu huc uſque devenere: igitur non ferenda eſt ignavia illos non imitari; & rationi huic nihil eſt, quod reſpondeatur. Talis facit bonum hoc vel illud; cur tu illum non facies? Hoc exemplum vim non habet, ut nos a malo deterreat; eo uſque ut ſæpe viri boni aſpectus, ad impudentiſſimum quemlibet frænandum ſufficiat. Tertullianus ait: *Vitia ex exturſu meo ſuffunda.* Solus ejus aſpectus, & occurſus tacita eſt reprehenſio, & correctio, quam ferre tenentur; & vitium quantumvis impudentiſſimum, eo præſente, abjicit arma, ſed quæ confuſio erit aliquando videre tot mortales, qui nos præceſſerunt, & illos ſequi auſos non fuiſſe? Quæ excuſatio, qui prætextus, cum nobis oſtendentur ejuſdem profeſſionis, ætatis, conditionis homines, qui omnia fecerunt, & nos fecerimus adeo parum? Quæ ſpes nobis erit reliqua, cum illi, qui nobis Cæli viam indigitarunt, primi ab illius aditu prohibebunt, noſtramque damnationem urgebunt?

Sed quoniam illi, quos alloquor, optimi ſunt exem- CONCLUSIO.
pli, uti credere juvat, neque ullo indigent ſtimulo, niſi ut hac animi virtute macti in eadem periſiſtant, non alia opus eſt concluſione, nec ratione alia, ut eos perſuadeam, quam iterum dicere, hoc præſtantiſſimum eſſe ſubſidium ad aliquid proximorum ſaluti conferendum. Heu! ſi ſciretis auditores quid ſibi velit, quid ſit, animam Deo lucrifacere; & quid ſignificent verba illa Evangelica: *Lucratus fueris fratrem* Matth. 18.
*tuum!* Nulla eſt huic ſimilis gloria, nulla conſolatio in mortis articulo gravior, quam prodire in conſpectum Dei, de quo meriti fuerimus in re hac, qua nihil illi eſt antiquius. Nunquid negabit ille nobis cælum, poſtquam ejuſdem viam ſtraverimus aliis exemplo vitæ? Certum eſt quamcunque ſententiam Deus in nos prolaturus ſit, ſi ita beati fuerimus, ut ſaluti proximi noſtri contulerimus aliquid; has animas, quarum ſalutem procuravimus, acceſturas ad Tribunal Dei, ut illius miſericordiam deprecentur, & elata voce clamaturas, ut olim populus Iſrael Jonathæ virtute ſalvatus, æquum non eſſe, ut pereat ille, qui ſalvos fecit alios; vel ſi quis alios erudiverint, & docuerint, fulgere debent aliquando tanquam ſtellæ in cælo: *Qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt ſi-* Daniel. 12.
*cut ſtellæ in perpetuas æternitates.* Quandoquidem oſtendimus, optimam erudiendi formam eſſe exemplis docere: dicimus his potiſſimum dici hæc verba, & hanc referri remunerationem, ut cum ſyderum munere fuerint perfuncti in terra, illud in cælo etiam exequi perſeverent.

# SERMO SEPTIMUS.

## De Bona rectaque in actionibus omnibus intentione.

Bona in actionibus intentio ratio eſt noſtræ ſanctificandi.

SAtis non eſt, Auditores, in Chriſtiana Religione bonas actiones peragere, niſi ſtudium eis bene faciendi acceſſerit; quia ſi hoc deſit, totius virtutis labor ſuſtinetur, quin merces obtineatur. Multa etiam committuntur ſcelera in ſanctiſſima charitatis praxi, & minus malum, quod accidat, eſt plurimos quidem labores ſuſtinere, ac nullum meritum aſſequi. Etenim nonne hoc Salvator in Evangelio exprobrat Pharifæis, qui procul dubio bona faciebant opera, & qui ſatis aſſidue videbantur in præſtantiſſimarum virtutum, jejunii, eleemoſynæ, & orationis exercitatione, ſed hæc omnia prava intentione vitiabant, non alium actionum ſuarum finem habentes, quam hominum plauſus, quorum oculos non uſitatæ virtutis elatione perſtringere conabantur. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me.* Quod autem Filius Dei ſatis crebro exprobrabat Phariſæis, hodie quoque pleriſque fidelibus exprobrari poteſt ſexcentas bonas actiones peragentibus ſine merito, quorum auſteritates omnes, laboreſque Cælo inutiles ſunt; quia cum fiant ſine integritate, & per cupiditatem, ut ab hominibus videantur, & illis placeant, hic totus eſt fructus ille, quem ſperare
poſſunt, *Hominum juſtitia voluit videri, & viſa eſt*, S.
Serm. 7. Chryſoſt. inquit: *voluit hominibus placere, & placuit; habet mercedem quam voluit, præmium, quod habere noluit, non habebit.* Hoc vos quidem hodierna die excitare debet, ne bonorum operum veſtrorum fructum amittatis, ob humanam rationem aliquam, quæ illa corrumpere poſſet; me autem ad tradendum vobis artem efficiendi, ut merita veſtra in infinitum creſcant, & minimæ quævis actiones veſtræ, inæſtimabile coram Deo pretium conſequantur per rectam puramque intentionem, quæ vobis eſſe debet facientibus, illa videtur, Auditores, unica, vel ſaltem præcipua, quam Sapiens Deo tribuit occupatio eſſe, ſcrutari ſecretiſſimas hominum actiones, & oculos ſemper apertos habere, ut videat, quid fiat in abdituiſſimis cordium ipſorum latibulis. *Oculi Domini* Eccli. 23.
*multo plus lucidiores ſuper Solem circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & intuentes corda in abſconditas partes.* E contra Ethnici in tenebris errorum ſuorum, propriis cupiditatibus excæcati, credebant libenter Deum cæcum & nihil videntem eorum, quæ facerent; alioquin metus diſplicendi illi, & ſola cogitatio illum ſemper oculatum teſtem habendi, eos ſemper coegiſſet agere hac mente, quod illis ſemper crucem fixiſſet, quæ ſane offendiſſet amorem libertatis ipſorum. Sed dicam ne hodierna die in ſumma Evangelii luce licentiam pleriſque mortalium auferre intuitum, & cogitationem Dei, qui non ſolum omnes & ſingulas ipſorum actiones intuetur, ſed etiam ad examen vocat intentiones ipſas, cum quibus fiunt, & de earum bonitate judicat ſecundum earum veritatem, rejiciens omnes ſpecies exteriores, quibus eſſe poſſent involutæ. Ratio eſt, cum enim teneatur ille per magnificentiam prorſus divinam dare cælum, & beatam æternitatem in præmium minimorum etiam operum bonorum, nemo eſt, qui adeo diligenter inſpiciat ea, quæ emit, antequam earum pretium perſolvat, ut Deus omnes actiones noſtras perpendet, quarum, ut ita dicam, numerat omnes perfectionis gradus, antequam ſe ipſum in mercedem retribuat. *Ego ero merces tua magna nimis.* Quandoquidem Geneſ. 15.
vero intentio regula & menſura eſt bonitatis omnium operum noſtrorum, & præcipua conditio, quæ requiritur ad tantum bonum promerendum, ſinite, me hodierna die vobis tradere artem, ne amplius fruſtretur vos fructus laborum veſtrorum jacturam facientes meriti bonarum actionum veſtrarum, Quam ob rem fert animus

vobis

vobis oſtendere primum intentionem efficere bonas, pravaſque operationes, eamque harum qualitatem, pretiumque conſtituere: & ſecundo loco inſtigare vobis, quam utilitatem ex adeo ſancta exercitatione percipere valeamus ad faciendos progreſſus admirabiles in virtute. Nihil eſt, quod nobis antiquius eſſe debeat duabus hiſce veritatibus.

I. PARS. Si rectæ mentis, bonique ſpiritus intereſt, rebus in omnibus ſolido inhærere, quin inanes ſpecies conſectetur, audeo dicere Auditores, hoc axioma nullibi utilius eſſe, quam in pietate, ac in virtutis exercitatione. Illuſio mera eſt ex externa tantum ſpecie ferre judicium, & ex iis tantum, quæ ſenſus afficiunt, ſed quod factum coram Deo commendat, & quod illius pretium, atque præſtantiam conſtituit, illud eſt quod maxime latet, intentio videlicet, & cauſa. Etenim ſi ut humano agas more neceſſe eſt, ut tibi finem proponas, qui cognoſcatur, & ad quem veluti ſcopum contendas; & ſi hac in re a brutis ſecernimur, quæ nonniſi per inſtinctum, & naturæ impetum, quæ illa trahit potius, quam ducat, operantur; profecto nequit dubitari, quominus ut ſupernaturaliter, & Chriſtiano more agentibus proponendus ſit finis ſupernaturalis. Effectus nobiliores eſſe non poſſunt ſua cauſa, & actiones noſtræ altius nequeunt elevari fine ſuo. Hoc in rebus omnibus ad mores ſpectantibus eſt principium, & cauſa prima, quæ reliquis motum tribuit. At primus actus, qui ad hunc tendit finem, eſt primum organum, quod omnes facultates noſtras ciet in executione conſiliorum noſtrorum, eſt intentio, quæ non aliud eſt, quam deſiderium, & voluntas, quam habemus finis hujus; ita ut ſi quem prætendimus juſtus eſt, ſi honeſtus, ac tendit ad Sanctitatem, intentio, quæ deſiderii hujus eſt index, neceſſaria illatione, juſta eſt, ſancta, & honeſta, & effundit bonitatem ſuam in actionem, quæ non aliam habere poteſt, niſi quam a fine ſuo mutuatur.

Hoc poſito veluti tanquam fundamento eorum omnium, quæ vobis oſtenſurus ſum, dico iterum intentione conſtitui actionum qualitatem, videlicet fieri ſanctas, vel noxias ſecundum cauſam, propter quam fiunt; primum quia cum de moralibus ſermo eſt, nihil virtus eſt, nec eſſe poteſt ſine illa; quapropter S. Ambroſius ait, nos nihil facere boni, niſi quatenus illius faciendi intentionem habemus: *Quantum intendis, tantum facis*; vel ut alter adjicit: actio ſine intentione corpus eſt ſine anima, ſine vita, & ſine motu; intentio vero animat actionem, eam diſtinguit, ac in tali virtutis gradu conſtituit, & ad hunc, vel alium perfectionis ſtatum perducit. Ad hanc veritatem nobis perſuadendam Sacer Textus duabus utitur ſimilitudinibus, quæ ad vivum exhibent illius naturam, & effectus. Altera ex corde eſt deſumpta: *Dominus autem intuetur cor*; non ſolum eo quod a corde procedit, quemadmodum dici conſuevit, non reſpici tantum id, quod fit, vel quod datur, quantum cor; videlicet quantum intentio, & affectio, qua aliquid datur, vel fit: verum etiam, quia cum cor ſit prima pars, quam efficit in corpore natura, primum vivens, & vitæ principium, ut ita loquar; ita ut ſicuti ubi primum cor oppugnatur, jam de vita actum eſt, & mors conſequens neceſſario evitari non poteſt; ita ſi deficiat intentio; videlicet ſi quopiam fine pravo corrumpatur, hæc eſt actio mortua, nullius pretii, valoris, & meriti coram Deo: vel ſi mavis, quia ex corde metimur nobilitatem, & qualitatem hominis, velut cum Deus Saulem ad Regis dignitatem attollere voluit, eique populum ſuum regendum committere, non aliud fecit, niſi quod cor omnino regium ei tradidit: *Immutavit ei cor aliud*; & ex oppoſito, cum voluit de gradu dejicere Nabuchodonoſor, & ad brutorum genus redigere, ratione pari, ei cor immutavit: *Cor ejus ab humano commutetur, & cor feræ ei detur*. Hoc facit intentio. Vultis magnum aliquod, nobile, ſublime facinus aggredi, ac illud ad ſupremum perfectionis gradum transferre? Date illi nobilem, præſtantemque intentionem; e contra quomodo noſmet abjiciemus ad actiones homine indignas, ut ad brutorum conditionem perveniamus, niſi per humilem, ſervilemque intentionem, qua illas operabimur?

1. Reg. 10.

Daniel. 4.

Alia ſimilitudo, qua ipſe Dei Filius utitur in Evangelio, ab oculo deſumpta eſt: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus lucidum erit*. Inquiunt enim Sancti Patres, ſicut oculus totam oris pulchritudinem conſtituit, ſpeculum eſt animæ, dux viæ noſtræ, & quidquid magis in humano corpore nitet; ita intentio efficit omnem nitorem, ac pulchritudinem actionum noſtrarum; regulam qua diriguntur, & facem quæ nos in viam virtutis deducit; unde ſequitur, ut cum oculus bene affectus eſt; corpus univerſum gaudeat, & ſingula membra tuto in muneribus ſuis obeundis deducantur; dum e contra ſi aliqua labe offuſus eſt, vel ſi pulvere, vel fumo excæcatus ſit, poſt ſtatim nutabit, caput parieti impinget, & corpus tum periclitabitur, ut in ſingulos decidat gradus. Ecce vis, ac virtus, quam habet intentio, in omnibus actionibus noſtris in partem utramque: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus lucidum erit*. Si oculus eſt ſimplex, nempe, ſi pura eſt intentio, ſine mixtura cauſæ ullius, quæ illam corrumpat, ſimul lumen ejus, & nitor ſeſe in omne corpus extendet, videlicet in omnes actiones noſtras in minimas etiam, & eas, quæ nullo ſunt in diſcrimine, his nitorem, ac pretium tribuens, eaſque magnificis coloribus exornans. Sed ſi oculus hic nequam fuerit, nempe, ſi hæc intentio munda non fuerit, hoc ſatis eſt, ut habeantur omnia tanquam opera tenebrarum, quæ ne auderent quidem coram hominibus prodire, ne dicam Deo placere poſſent: *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tenebroſum erit*.

Hinc conjicite, Auditores, quanti momenti ſit rectam in omnibus actionibus habere intentionem. Si enim nobis adeo cordi eſt peculiaris aliqua devotio, ſi tanta ſedulitate has vel illas preces fundimus, hæc vel illa opera explemus, quæ cura, quæ diligentia nobis erit adhibenda ad dirigendam intentionem noſtram, ſine qua nihil placere poteſt Deo, neque virtutis loco haberi poteſt, ita ut de intentione illud dicendum ſit, quod S. Paulus dicit de Charitate. Licet omnia bona opera faceres, quæ poſſunt excogitari, niſi ob oculos habueris finem bonum, & niſi ea propter bonum finem operatus fueris, hæc omnia coram Deo pro nihilo habentur: *Charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt*. 1. ad Cor. 13.
Eſto, omnia bona tua in pauperum ſinum congeras, illis omnem ſubſtantiam tuam, ut Apoſtolus inquit, diſtribuas, jejunes in arcto pane, & aqua brevi; omnes veterum Anachoretarum auſteritates exerceas, & martyrium ipſum ſuſtineas: *Si corpus meum tradidero, ita ut ardeam*, ac tandem efficias actiones ſanctiſſimas, & homine Chriſtiano digniſſimas, ſi in his omnibus recta intentio tibi defuerit; ſi cupiditas, aut vanitas, aut alia quædam ſimilis cauſa corruperit actiones, quæ per ſe adeo ſanctæ ſunt, atque præſtantes: heu! dicere poteris cum Apoſtolo, *nihil mihi prodeſt*. Hæc omnia nihil mihi proderunt ad Cæli acquiſitionem promerendam. Hæc non eſt ultra Charitas, hæc non eſt ultra virtutis actio; ſubtile virus pravæ intentionis tantum obrepit; & ſi actio hæc noxia non fuerit, erit ſaltem inutilis. Ibid. v. 3.

Hujus rei præclaram imaginem nobis exhibet Scriptura in ſtatua Nabuchodonoſor. Hæc ex pretioſiſſimis, ſimulque ſolidiſſimis conflata erat metallis; ſed eo quod pedes, qui illius baſes erant, ac fulcra, fictiles erant, ad leviſſimum lapilli impetum corruit, & aurum, argentum, æs, & ferrum comminuit; Ita ſi bona deſit intentio, nihil ſubſiſtere poteſt, omnia vento vanitatis exſufflantur, omnia evaneſcunt, & in fumum abeunt. Quantumvis hoc tibi pretioſum, & ſolidum videatur, nihil Deo acceptum eſt, nulla virtus eſt in pretio, actio nulla jucunda eſt in oculis ejus, qui nequaquam perſtringi ſinunt, ut noſtri, rebus iis, quibus plus ineſt ſpeciei, quam ſoliditatis.

Qua igitur in re immoramini, Auditores, cum agitur de virtute, & pietate? Nonne umbram accipitis pro corpore, & quod accedit ad rem pro re ipſa? Libenter eas conſectamini actiones quæ nitent, opera charitatis quæ ſunt ſumma cum celebritate conjuncta, magnificas eleemoſynas? Abſit, quod ipſe ir probem facta, quæ omnibus ſuadere vellem; verum ſæpe Deus, cujus oculus adeo perſpicax eſt, inter hæc, quæ nitent falſum deprehendit, & metuendi locum habet, ne quæ ſecreta adſit illuſio, in hoc genere actionum, quæ non ſuſcipiuntur, niſi ut niteas, & non communem tibi laudem merearis. Repletur ſpiritus inani perfectionis imagine, quæ collocatur in virtutibus, quæ publicam exiſtimationem, & approbationem merentur; quæ ſæpe ſubtilis eſt vanitas, & delicata oſtentatio, cum Deus illas ex intentione conſideret. Ita bonitas accurata, & vita communis, ſed regularis, & recta intentione ſuffulta, quæ recta tendit in Deum, plerumque plus habet ſoliditatis, & meriti. Heu! quid igitur refert, quid faciamus, dummodo illud recte faciamus, & ſecundum ordinem officiorum noſtrorum? Quandoquidem Deus non reſpicit opus tantum, quam cor, videlicet rectitudinem intentionis, & ſine intentione nulla virtus eſſe poteſt.

Verum ſecundo loco, actiones, quæ ſanctiſſimæ, ac ingentium meritorum videntur nobis, crimina evadunt, ſi prava fiant cum intentione. Et ſane quid Deo acceptius oratione, quam Sancti tot laudibus celebrant, & quæ omnia poteſt impetrare a Deo, & ſupremam in ipſum Deum exercere videtur auctoritatem? Tamen oratio hæc licet efficax, & omnipotens, migrat in abominationem, ſi profecta fuerit a malo principio, ac prava intentione: *Oratio ejus fiat in peccatum*, juxta Prophetæ imprecationem; & quidam Pater jure comparat illam Virgæ Moyſi, quæ modo operabatur prodigia in natura univerſa, modo vertebatur in turpem colubrum, metum horroremque immittentem; idque pro varia magni illius legislatoris intentione: vel ſicuti nonnulli animadverterunt, prout ille virgam attollebat, vel demittebat. Ita igitur ſi in oratione veſtra non habetis niſi intentionem in voſmetipſos deflexam; exempli cauſa comparandæ vobis humanæ gloriæ, vos illam in abominabilem coram Deo hypocriſim convertitis. Pſalm. 108.

Quid Deo jucundius jejunio? Hic actus pœnitentiæ ita ad juſtitiam divinam flectendam aptus, ac idoneus ad ſatisfaciendum pro peccatis noſtris, adeo par

animæ elevandæ, ac diſponendo corpori ad omnia ſpiritus officia peragenda? Videte tamen quomodo illud Deus perhorreſcat ubi cum Sancta intentione conjunctum non eſt: Iſaiæ 58. *Ecce in die jejunii veſtri reperitur voluntas veſtra.* Eccleſia damnavit errorem Montani, tres quadrageſimas ſtudentis invehere; quia per hoc meritum ſibi conciliare ſatagebat, erroribuſque ſuis auctoritatem promereri, & eadem Eccleſia æternum celebrabit S. Franciſci Aſſiſinatis pietatem, qui quinque prorſus integras quadrageſimas jejunare conſueverat. Undenam, quæſo, hæ adeo ſimiles actiones, altera quidem criminoſa, altera vero actus pœnitentiæ Deo judicatur acceptus. Quid hoc diſcrimen conſtituit? Intentio, Auditores, ſola intentio, quæ virtutes omnes valet corrumpere, & noxias efficere actiones, quæ videntur ſanctiſſimæ.

Quid tandem ſanctius ſacrificio? Hoc primus, & maximus eſt Religionis actus, ſine quo Religio ipſa nequit ſubſiſtere. Si tamen prava cum intentione offeratur, fit in oculis Dei abominabile. Videte quo pacto in Scripturis recipiat Deus imperfectum nefatu Saulis ſacrificium, quod ibi Idololatriæ ſceleri comparatur: 1. Reg. 15. *Quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.*

Quid demum commendatius in Scripturis Sanctis eleemoſyna per charitatem facta? Hæc expiat peccata noſtra, ab æterna liberat morte, Dei ciet miſericordiam. Videtur Cælum ob hanc unam virtutem factum: verum ſi recta non fuerit intentio; ſi per hanc gloriam adipiſci conaris; hæc ambitio, hæc vanitas ſecreta, quæ illius cauſa eſt illam corrumpit, & veneno inficit omne meritum. Heu! quot id genus actiones, quæ in ſe commendabiles ſunt, intentio mala in totidem vitia convertit? Paupertatem, & injurias pati, vitam ſuam periculo objicere, temporis, tempeſtatumque incommoda perferre, & alia id genus ſexcenta loco virtutum patientiæ, zeli, conformitatis voluntati Dei, plerumque non aliud ſunt quam ſuorum commodorum perquiſitio, affectus avaritiæ, aut ambitionis, aliorumque id genus criminum, quæ ex venenato hoc fonte derivant, qui rivulos omnes inficit inde defluentes. Quænam igitur adhibenda cura eſt ad intentionem expiandam? Et quæ ſanctior praxis quam ſcire quodcunque ſit, ſanctificare? Eo autem major adhibenda eſt nobis ſedulitas; quia in actiones noſtras nihil facilius obrepit, quam intentio prava. Nullus eſt anguis, qui callidius ſuum virus inſpiret, & per ambages verſutiores. Quibus enim dolis non utitur philautia, quæ ubicunque nobis occurrit, & quæ ſæpe acutiſſimos oculos fallit; ſed quæ fere ſemper eſt ſecretum organum, quo movemur, & pondus dominans, quo trahimur? Quam ſubtile, & vix perceptibile virus eſt inanis gloriæ? Et quis callidior fur, qui rapit, & auſert omnem bonorum operum noſtrorum theſaurum? *Secretum virus, ſinus virtutum, tinea ſanctitatis*, Serm. 7. quo nomine illum appellat S. Petrus Chryſologus; qua calliditate noſtra ipſa cupiditas ſibi Dei locum vindicat, ac tegit ſe zeli nomine in omnibus actionibus noſtris? Hoc efficit, ut ardenter in iis quæ ad Religionem proximumque pertinent feſtinemus, ſicubi ulla ſpes lucri adeſt. Sed ubi hæc deeſt, neque ullus affulget oculis nitor, quo animabamur, nihil nobis eſt ignavius, aut languidius; ita ut ad bonam aliquam actionem aggrediendam, opus eſt, ut olim populus Iſrael faciebat, altera quidem manu ædificans, altera vero vim hoſtium propulſans, vel ſicut Abraham, qui cum offerret Deo ſacrificia, manu altera ejiciebat vultures, qui catervatim irruebant in victimas, quas immolabat altera. Denique dicendum eſt cum Sancto Job: Job 9. *Verebar omnia opera mea*, & ne de uno quidem operum meorum confidere audebam. Quid enim mihi prodeſt, Deus, ore tenus dicere, me illa facere propter te, cum ſe ipſa amor mei ipſius, & mea cupiditas me ad agendum impellat? Heu! quomodo hodierna die damnantur illa, quæ aliquando probabuntur; & quomodo aliqua hodie probantur, quæ aliquando reprobabuntur? Idque propter ſolum intentionis diſcrimen, quod latet, & cujus cognitio, ac judicium unice ſpectat ad Deum. Jure igitur iterum dicere poſſum, nullam ſanctiorem eſſe praxim, neque medicum magis neceſſarium ad actiones noſtras ſanctificandas, quam bonam intentionem; quoniam ſine hac bonæ haberi non poſſunt, & quæ meliores videntur, vera ſcelera evadunt.

Accedit tertio, Intentionem licet ſolam placere Deo magis, quam actionem ipſam; & illi ſatisfacere plerumque bonam voluntatem, quæ locum tenet rerum omnium, quas facere cuperemus propter amorem illius ſecundum S. Auguſtini doctrinam: *Deus coronat bonam voluntatem, quando non invenit facultatem*. Si enim intentio prava criminis committendi a Deo punitur eadem pœna qua crimen ipſum; fortiori jure ſola bona intentio, & voluntas bona, ut dicitur, reputatur pro facto; quia ut merito juſtitia tribuatur, ſolam intentionem reſpicit Deus, eo uſque ut pluris faciat actiones abjectiores, & humiliores, quam majores, & nobiliores, cum priores illæ factæ fuerint intentione defœcatiori, & propter cauſas præſtantiores, eodem ferme pacto, quo videmus non deeſſe quamdam dexteritatem efferendi quodam verborum ambitu, efficiendique ut minora majoribus pretia vadeantur, & ars ſæpe materiam exornat, quam pertractandam aggreditur, & opus reddit pretioſum, & exquiſitum. Hoc facit intentio in virtutibus noſtris; & mundi Salvator hoc nos docere dignatus eſt in Evangelio facto non vulgari, quod efficit, ut digito magni hanc momenti veritatem attingamus. Scribæ & Phariſæi ingrediebantur in Templum Jeruſalem cum faſtu, & ſuperbia; magna cum majeſtate incedebant, prædicantes largitates ſuas, & magnificentiam ſonitu aureorum nummorum, quos in gazophilacium immittebant: cum pauper acceſſit vidua, quæ multo labore per populi multitudinem via ſibi facta poſt alios accedit, ac deinde pudore ſuffuſa receſſit, eo quod duos tantum denarios attulerat. Cum illic adeſſet una cum Apoſtolis ſuis Dei Filius, eminus obſervans, vel ut melius dicam, perpendens eleemoſynas juxta verum earum pretium in trutina judiciorum ſuorum, quæ ſciunt omnia ſecundum æquiſſimum valorem æſtimare; cumque mulierculam hanc fuiſſet intuitus, in qua nemo alius dignatus fuerat oculos conjicere, illam digito oſtendit, & elata voce dixit: Hæc mulier, quæ nihil fere contulit, plus donavit, quam ceteri: nam manu utraque cor ſuum deſerebat: *Amen dico vobis, quia vidua hæc* Luc. 21. *pauper plus omnibus dedit.* Alii partem contulerunt eorum, quæ ſuis voluptatibus ſuperfuerunt; hæc partem contulit ejus, quod erat neceſſarium egeſtatibus ſuis, & dimidium victus unius diei: & quantum illa contuliſſet, ſi facultas ejus major extitiſſet votis ipſius, tantumdem Deus, qui videbat penitiores cordis ipſius latebras, ex eo temporis momento acceptum habuit munus illius, & mox remuneratus eſt; nam coram illo liberalitas ex affectu æſtimatur, qui cuicumque rei pretium tribuit, quod meretur. Quapropter Rex Propheta dixit: *Retribuet mihi Dominus ſecundum puritatem manuum* Pſalm. 17. *mearum in conſpectu oculorum ejus.* Non dicit Deum illi remuneraturum ſecundum multitudinem eleemoſynarum, quas erogaverit, neque ſecundum magnitudinem benefactorum illius; ſed ſecundum puritatem intentionis ipſius, & finem, quem hæc faciens ſibi propoſuerit: *Secundum puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum ejus.* Quo igitur in pretio nobis habendum eſt hoc medium, quod ſine labore, ſine novis ſumptibus, ſine operibus admodum arduis, ac inauditis exæquare poſſumus meritum maximorum, celeberrimorumque factorum? Quæ ſi vera ſunt, ut nefas ambigere; ſequitur, praxim hanc, quantum ſancta eſt, & quantum neceſſaria ad bene agendum hæc eſt conditio, tantum meritia eſſe uberem, & copioſam.

Ad id intelligendum, Auditores, ſciendum eſt, quamvis II. PARS. bonarum actionum merita generatim deſumantur a gratia habituali, vel ſanctificante, quæ illas dignas efficit beata æternitate, mox gratia actuali, quæ nos prævenit, ac tandem virtutis habitibus, unde proficiſcuntur actiones illæ, & quæ ſunt veluti facultates eaſdem gignentes; hoc meritum nihilominus ſingillatim æſtimatur ex præſtantia cauſæ, & intentionis agentis, qui ſemper præſupponitur in gratiæ ſtatu verſari; ſed qui meretur augumentum hujus gratiæ, cui data ratione elatior gloriæ gradus reſpondet. Secundo ſciendum eſt; actiones, quas facimus, omnes ad tria genera referri; vel enim bonæ ſunt per ſe, veluti oratio, eleemoſyna, jejunium omneſque virtutum actus; vel ſunt malæ, cujuſmodi eæ ſunt, quæ divinis humaniſque legibus prohibentur; vel neutræ quæ nullum habent finem, vel quarum finis, ſi fieri poteſt, nullo in diſcrimine habetur. Hoc poſito, ajo nullum eſſe exercitium, a quo nequeamus fructum percipere majorem, quam ab hoc ſancto habitu; habendi in omnibus rectam, puramque intentionem; & hanc viam eſſe ad plurimas brevi tempore divitias comparandas; quod omnes homines quærunt in terrenis, & quod omnes fere in cæleſtibus negligunt. Hoc autem vobis tradere conabor.

Facili negotio intelligetis veritatem hujus rei, quam propoſui vobis, ſi mecum inſpexeritis tres effectus admirabiles bonæ intentionis. Primum efficere poteſt bonum ex eo, quod tale non eſt. 2. Ex bono exiguo magnum; & quæcunque tandem ſit actio, eam majorem facere poteſt, addendo noviſſima perfectionis lineamenta. Bonum facit, quod bonum non eſt: quia illa, quæ nullo ſunt in diſcrimine pro æternitate numerantur, cum ea aliqua juſta cauſa commendamus, ita ut, negotia, viſitationes, colloquia, domeſticæ curæ, quies, ſomnus, & alia, ea etiam inquam quæ neutra ſunt, totidem ſint coronæ, quas acquirimus; quia cum hujuſmodi actiones bonum finem admittere valeant, hunc recta addit intentio: ita licet ſomnum, cibumque capere ad reficiendas vires, ut melius propter Deum operari valeamus. Itaque intentio præter propter ſimilis eſt iis molibus, quæ de terra attollunt graviſſimos lapides, & immania pondera ſine labore, & ſine difficultate; hæc eſt ſimilis fabuloſæ virgulæ, quidquid attingebat in aurum vertenti, hoc eſt quodammodo imitari Dei ipſius poteſtatem, quæ ex nihilo magnum aliquid facit. Ita enim de re nullius momenti, vel pretii, facere poſſumus aliquid tam magnum, ac pretioſum, ut terræ totius poſſeſſio, omniaque bona, quæ in ea reperiuntur, illius valorem exæquare non valeant, idque per ſolam intentionem, referendo, ut Deus, omnia ad gloriam ſuam.

ſuam, & de nobis dici poterit, quod Scriptura de illo teſtatur : *Vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt*. Utemur iis, quæ non ſunt, perinde ac eſſent ; at quomodo iſtud ? faciemus, ut ad æternitatem promerendam valeat, quod præterit brevi ; ex eo quod nihil eſt, vel quod prodeſſe non poſſet, faciemus aliquid, idque ſupra naturam univerſam attollemus ; & ea, quæ minime nitent, longe pretioſiora efficiemus. Hinc ſequitur, nos poſſe, ubi voluerimus, ne minimam quidem momenti alicujus vitæ noſtræ jacturam pati, & facere, ut omnes dies pleni ſint, ut Scriptura loquitur ; nulla enim eſt actio tam parva, cujuſcunque naturæ illa ſit, ne verbum quidem, cogitatio, intuitus, quæ non augeat hunc meritorum noſtrorum theſaurum, ſi has omnes actiones retulerimus ad bonum finem, quod Apoſtolus his verbis docet : *Sive manducatis, ſive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Quidquid facimus quantumvis humile ſit, & abjectum, nihil amiſſum eſt, cum fit ad Dei gloriam, vel cum refertur ad Deum ſive per ſe, ſive per unionem, quam habet cum alia aliqua re, quæ magis immediate tendit in illum. Quæ autem divitiæ hoc pacto cumulari non poſſunt ? Ita augentes, & multiplicantes in ſingula momenta merita noſtra, in ſingula opera quæ facimus, quin aliquid elabatur nobis, vel pereat : quam inde utilitatem haurire non poſſumus ? Quam virtutum congeriem, quod gloriæ pondus, quas in Cælo coronas poſtquam aliquot exceſſerint anni ?

Ad Rom. 4.

1. ad Cor.

Quod ſi bona intentio facit omnia ex nihilo, & bonum, ex eo, quod non eſt, quid tandem faciet ex eo, quod bonum eſt ? Re ipſa, Auditores, cum ſit bonum exiguum, magnum facit, & quod magnum incomparabili modo efficit excellentius, novum illi ſemper gradum perfectionis adjiciens. Non dico ſolum illam efficere ut actio parvula Deo accepta ſit æque, ac major ; ſed revera attollere, & commendare actionem quamlibet in natura conſideratam, efficiens, ut objecti ſui cancellos prætergrediatur, eamque evehens ad ordinem, claſſemque virtutis, ad quam per ſe nunquam perveniret. Exempli gratia, ſi pauperi ſtipem erogo propter finem eleemoſynæ proprium, actionem facio miſericordiæ ad quam refertur eleemoſyna, & actio meretur præmium coram Deo ; ſed ſi fiat propter finem ſublimiorem, erogando illam, ut placeas Deo, & propter amorem illius, altera hæc intentio priorem non deſtruit, ſed illam attollit ad finem ſublimiorem ; videlicet ad perfectam charitatem, quæ majoris eſt meriti ; quia prima virtus, quæ inter morales adnumeratur, facta propria alterius, quæ eſt Theologia, & quæ immediate ſpectat ad Deum recipit incrementum, & perfectionem duplo majorem, quæ explicari non poteſt.

Hæc, auditores, eſt via illa adeo recta, & nihilominus adeo parum frequens, per quam Deus Sanctos deducit, juxta illud Sapientiæ verbum : *Juſtum deduxit Dominus per vias rectas*. Per hanc citato gradu procedunt, & adeo præclaros in virtute progreſſus efficiunt. Hi ſæpe non faciunt, niſi quod faciunt alii meriti non adeo eximii : ſed magnum intercedit diſcrimen in eo modo quo faciunt. Paſſim communem ducunt vitam coram hominibus, qui vulgo de actionum meritis iniquum ferunt judicium ; ſed in oculis Dei hæc via eſt admirabilis : *Deduxit illos in via mirabili*. Quid enim quæſo fecerunt tot Sancti, qui vitam adeo perfectam duxerunt, quorum nitor in Clauſtris delituit ? Fortaſſe nil plus fecerunt, quam alii ejuſdem profeſſionis viri, & ſæpe non aliud invenietur meritorum diſcrimen, niſi quod illi actiones ſuas commendabant finibus nobilioribus, quod ex rebus minoribus magnas virtutes faciebant, & nullum elabi ſinebant momentum, quin aliquid recens proficerent.

Secundo loco praxis hæc magis frugifera fit, quia non ſolum ſe extendit ad omnes actiones noſtras, has bonas, alias meliores efficiens ; verum etiam facit, ut una poſſit ſemper creſcere meritis, ac pretio in infinitum per multiplicationem finium variorum, & bonarum intentionum, quæ illis tribuunt totidem diverſos gradus perfectionis, & bonitatis. Non ſecus ac ſi quis modum inveniret non ſolum lucrandi qualibet die aureorum copiam numero carentem, verum etiam efficiendi, ut quilibet nummus pretio creſcat, quantum ille velit, & unus tantum decem millibus valeat. Vel etiam quomodo inventa fuit ars varia fructuum genera in eodem arbuſto inferendi, quod ex ſe jam optimos ferebat, vel tandem ſicut aurea locupletiſſima veſtis aut pingi poteſt, ac diſtingui lapillis pretioſis, qui veſtem ipſam non deſtruunt, ſed nitidiorem efficiunt ; ita congeries, & conjunctio horum finium conflat admirabile ornamentum, ut in una tantum virtute aliæ omnes exerceri poſſint, & ipſa omnibus aliarum meritis decorari. Quænam vero ars aptior ad brevi diteſcendum inveniri poteſt, & quænam praxis hac uberior ? Hoc pacto evadimus æque beati, ac operarii illi Evangelici, qui cum una tantum hora fuiſſent operati, eamdem mercedem conſecuti ſunt ac illi, qui pondus diei, & æſtus pertulerunt. Minus fecerant, ſed fortaſſe una tantum actione fuerant promeriti, ac alii plures, & etiam fortaſſe majori labore.

Si hæc vera ſunt, ut de illis non liceat ambigere, heu ! Quot, quantorumque theſaurorum in ſingula momenta jacturam patimur ! Quot merita nobis effugiunt ! Quot occaſiones magnos evadendi coram Deo quotidie negligimus ? Errorem hac de re hodierna die abjiciamus. Non ſemper majores, ac nitidiores actiones ut vulgo creditur, illuſtriores Sanctos efficiunt ; nam tales evadere poſſumus, per eas quæ magis vulgatæ ſunt, & magis familiares ; dummodo extollantur præſtantioribus intentionibus, & finibus, qui ſint defæcatiores. Proh Deus quot mirabilia videbimus magna illa die, qua omnia revelabuntur ! Quot inſignes fortunæ, quibus nos Deus deſtinabat, dirutas, & everſas eo quod non præcaverimus ſexcenta minima, quæ nullo in diſcrimine videbantur habenda, ſed quæ promerita fuiſſent gloriæ pondus in Cælo ſi illam ſancta intentione communiſſemus ! Non loquor autem hic ſolum de cupidis finibus, & intentionibus improbis, quæ in pleriſque hominibus reperiuntur ; ſed de actionibus, quas propter intentionis defectum amiſimus. Quot enim factæ ſunt ex animi libidine, quot ex conſuetudine, quot ex incuria ? Quot mortales, qui ne animum quidem advertunt ad ea, quæ faciunt ; qui nullum ſibi proponunt finem, vel qui fortuito agunt, quidquid operantur ? Hæc autem omnia perierunt, eo quod facta non ſunt, ut erant facienda ; adnitendo, ut omnia ponerentur in lucro per adeo ſanctæ exercitationis conſuetudinem.

Sed ne quid, Auditores, earum vobis fructum eripiat, ut ſæpe accidit, quod licet re adhuc integra optimam habentibus intentionem in actionis curſu obrepant aleæ, quæ illius finem, & progreſſum corrumpant, tertio loco dico, ſicuti bona intentio facit, ut magnos meritorum theſauros acquiramus, non alia fortaſſe via eſt eorumdem tuendorum, quam eandem frequentius iterare. Profecto ſæpe numero optima cum intentione incipimus ; ſed in æſtu cogitationum, actionum, deſideriorum, difficile eſt, ut prima illa intentio vim, virtutemque ſuam tueatur, vel ne aliæ minus rectæ, minuſque puræ ſe immiſceant, & per improbam impreſſionem corrumpant, quod inceperamus egregie. Quam ob rem maxime refert ſæpe has eaſdem intentiones inſtaurare, ut videmus extructores ædium ſæpe ad normam confugere, viſuri utrum lapides illi reſpondeant : ita Chriſtianus agens propter Deum, & gloriam ipſius, vel propter aliquem alium ſanctum finem non ſemel debet actiones ſuas ad hanc normam erigere ; ſed ne recedat a ſcopo, ſæpe debet attendere utrum omnia ad illum colliment ; idque iterando fines eoſdem, quæ ſunt veluti organa, quæ laxata erant, & quæ iterum aptantur, ut in eodem motu perſeverent.

Sed, inquies, quantus labor eſt, quæ crux ſemper hanc ſervare regulam, & methodum, & habere ſemper mentem intentam, ac vacantem iis, quæ facimus ? Profecto Auditores licet vera eſſent quæ dicitis, cuinam moleſtus videretur labor, ex quo tantam mercedem reciperet ? Verum ſi quin omnia ita exaggeremus, & ſine tanta ſpiritus contentione, quæ nobis crucem figat, facile eſt frui omni illa utilitate, quam ſancta hæc praxis affert, non ne inexcuſabiles ſumus, ſi munus hoc maxime ſerium vitæ noſtræ negotium eſſe debere non ducimus ? En igitur quid hac de re peculiariter Doctores tradant, quorum alii dicunt, ſicuti nullus eſt Chriſtianus, qui mane, & veſpere, ſub initium, ac exitum diei non debeat Creatori ſuo reddere vota, & offerre illi tributum orationum ſuarum, tunc ſatis eſſe poſſe, ſi offerat illi actiones omnes diei illius generali intentione, quæ influat in omnia, quæ die illo facturi ſumus. Hoc non niſi optimum factu eſt : ſed hoc ſatis eſſe non liquet. Et ſane difficile eſt, eandem voluntatem ſemper ſubſiſtere in jugi diſſipatione, ac tot inter peculiarea intentiones, quæ ſubinde obrepunt. Cæterum quomodonam hic primus finis, qui eſt quædam veluti moralis forma, animare poterit tot actiones adeo varias, cujuſmodi ſunt oratio, & jejunium, communio, & convivium ? Saltem, pleriſque Doctores inquiunt, ſingulæ actiones diſtinguendæ ſunt, ubi offeruntur Deo ; & omnes recenſendæ ; & dummodo prima hæc intentio non retractetur ab altera, quæ mala ſit, omnes meritum, & bonitatem recipient. Equidem credo, Auditores, hunc nobis canonem ſequendum eſſe : ſed in accurato viro, qui ſollicitus eſt, ut omnes ſuas actiones in quæſtu ponat ad æternitatem adipiſcendam, optarem præterea, ut in ſingulas actiones graviores, & diurioris durationis, inſtauraret intentionem ſuam, pro cæteris vero, quæ diverſi generis ſunt, vel quæ non alium nexum habent, niſi fortuitum, conaretur illa conjungere eodem conſilio identidem repetito. Hæc animadverſio efficit, ut repleatur quod vacuum eſt, ut regatur, quod inconditum, ut rectificetur, quod male inchoatum eſt, & cum ſpiritus aberraverit, ſecunda hæc cogitatio illum ab errore ſuo revocat, & in ordinem cogit. Cæterum habitus facilem reddere poteſt hanc praxim, & efficere, ut omnis abſit ab hac regularitate moleſtia. En paucis, Auditores, artem omnem hujus praxeos, quæ adeo ſimul neceſſaria eſt, & frugifera.

CONCLUSIO.

Ut igitur huic Sermoni finem faciam, penes quem ſitum eſt, Auditores, vos Sanctos eſſe, atque perfectos ? Quandoquidem nihil a vobis petitur, niſi ut eadem faciatis,

D. Aug. 16. ciatis, quæ facitis; ſed ut ea bene faciatis. *Juſte, quod juſtum eſt perſequeris*; ut loquitur Scriptura; quia bonitas, & ſanctitas actionum noſtrarum, non deſumitur ex earum magnitudine, & ſulgore, ſed a fine, atque intentione, quæ earum conſtituit pretium, & meritum coram Deo, & peccato excepto, quod ſanctiſſima, & diviniſſima intentio excuſare non poteſt, actiones omnes eſſe poſſunt totidem actus virtutis. Sed heu! quam intentionem habent pleriquc hominum in actionibus ſuis? Quot videntur, qui multis exercentur laboribus, & qui ne minimam quidem habituri ſunt mercedem in Cælo? Quot omnes curas ſuas devovent idolo honoris, & vanitatis, ut olim Evangelici Phariſæi: *Omnia opera ſua faciunt, ut videantur ab hominibus?* Quot varias obeunt regiones, & maria, ut congerant opes? Et omnia hæc perierunt; quia nequaquam facta ſunt pro Deo, & cum ſancta intentione. Si pœnæ tantum, & labores facerent Sanctos; & Mors, atque tormenta Martyres efficerent, S. Auguſtinus ait, mundus totus martyribus plenus eſſet. Aulici mille numerarent operas ſuas, infortunia, moleſtias, ægritudines male impenſas. Mille militea ſua vulnera oſtentarent; mille opifices ſuas vigilias, laboreſque producerent, ſed propter quem, & ob quem Matth. 23. finem hæc omnia pertulerunt? Quam cauſam vel intentionem habuerunt? Heu! Magnus hic Doctor reſpondet: *Martyrem non facit pœna, ſed cauſa*. Metuendum eſt, ne dicatur aliquando de nobis, quod Scriptura inquit de Jechonia Rege: *Scribe virum iſtum ſterilem*. In hoc libro, in quo deſcriptæ ſunt omnes hominum actiones, ſcribe, Jechoniam hominem eſſe ſterilem. Verum quanam de ſterilitate vobis hic verba fieri videntur? non de naturali quidem, quandoquidem ille filios habuit Regni ſui ſucceſſores, & liquet, quænam fuerit poſteritas ejus; ſed de bonorum operum ſterilitate hic ſermo eſt. Homo eſt qui nihil fecit pro Deo, nihil pro ſalute ſua, nihil pro æternitate. *Scribe virum iſtum ſterilem*. At enim plurimas opes congeſſi: domum meam bonis cumulavi: de re publica optime ſum meritus, hoc non diffiteor, & fortaſſe extant monumenta. Sed propter Deum quid feciſti? Quam habuiſti in omnibus actionibus tuis intentionem? *Scribe virum iſtum ſterilem*. Spero, Auditores, vos ea hoc numero nequaquam futuros, & poſtquam omnes actiones veſtras ſanctificaveritis recta, ſanctaque intentione, vos mercedem eſſe ampliſſimam in æternitate conſecuturos, quam vobis ea corde concupiſco.

August. in Pſalm. 43.

Jerem. 22.

# SERMO OCTAVUS.

## De Fervore in Dei Cultu.

Ratio tum quam primum ſe ſe Sanctis perfectumque efficiendi.

INter præcipua bona, quæ Aſceticæ vitæ Magiſtri nobis tradiderunt, ut nos impellerent ad Deum cum fervore colendum, tria potiſſimum animadverti, quæ reddere poſſunt hominem aptum ad heroica facta, & opera præclara ingredienda. Primum eſt, quod faciles efficit graviores, ac difficiliores virtutis, chriſtianæque vitæ exercitationes, & leve facit jugum, quod alios ſuperat, ac frangit, qui nonniſi ægerrime adeo gravem ſarcinam gerunt. Alterum eſt, quod ratio eſt citato gradu progrediendi, & admirabiles progreſſus inferendi brevi intervallo in perfectione, ad quam quilibet Fidelis debet contendere; Tertium vero hoc illud eſt, propter quod omnia facienda ſuſcipimus ad Domini gloriam, qui præcipuus eſt finis, propter quem omnis Chriſtianus agere debet. Tria hæc in triplici Sermonis hujus parte vobis aggredior oſtendenda.

Dixi re adhuc integra primum bonum, ac primum fervoris effectum eſſe mulcere pœnas omnes, quæ divino cultui inhærere videntur, ac ſternere viam Cæli, quæ adeo aſpera, atque difficilis repræſentatur; & profecto licet unicum hoc inde ſuppeteret bonum, nihil non audendum eſſet ad illud acquirendum, atque ſervandum: quandoquidem dubitandum non eſt nos vulgo a virtutis praxi deterreri difficultate indicendi jugiter bellum noſtris cupiditatibus, noſmet abnegandi, & Crucem ferendi. Hoc durum quidem eſt, neque diffitemur; & ſi Sanctus Auguſtinus aſſerit veri Chriſtiani vitam ſecundum leges Evangelii viventis eſſe juge martyrium: *Tota vita Chriſtiani ſi ſecundum Evangelium vivat, crux eſt, & martyrium*: ne vereamur hoc potiori jure affirmare de vita veri Chriſtiani, qui præceptis addit conſilia, ſaltem pluribus in occaſionibus, & praxim devotionis, quæ torquet hanc libertatem, quæ adeo chara nobis eſt, & propter quam ſtatus Chriſtiani vulgo vita crucis, & mortificationis vocatur. Tanta difficultas, ut alii quidem hoc ſuſtinere jugum auſi non ſunt, alii illud excutiunt, ac inter eos, qui illud amplexi ſunt, quotuſquiſque eſt, qui eadem illud geſtet alacritate, & fortitudine, qua illud ſubiit? Si igitur aliqua inveniretur ars ad jugum hoc ea parte altera mulcendum, qui ex altera quidquam remitteretur, ea officiis, atque muneribus ſtatus ſui, non inveniretur ars artium omnium maxime admirabilis, atque utiliſſima? Hæc autem ars fervor eſt, qui unus virtuti poteſt auferre quidquid illi ineſt acerbitatis, ac moleſtiæ, & ſuave, ac facile efficere quod in Chriſtiani vita auſterum eſt, & corruptæ naturæ contrarium. Ratio ea eodem Sancto Auguſtino deſumitur, aſſerente, ibi ubi amor, & charitas eſt, nihil eſſe difficultatis, & laboris; vel ſi eſt, hanc ipſam difficultatem, & laborem amabilem fieri: *Ubi amor eſt, aut non laboratur, aut labor ipſe amatur*. Ipſa etiam experientia Sancti hujus ſententiam confirmat; quandoquidem in rebus omnibus, quas ardenter concupiſcimus, videmus ipſam cupiditatem efficere, ut difficultates omnes ſuperemus, omneſque labores contemnamus. Exempli gratia quid quæſo durius, vel laborioſius bello? Vetus quidam militiam *laboris diſciplinam* vocabat: & nihilominus qui valido urgentur deſiderio ibi gloriam ſibi comparandi, illic quaſdam inveniunt illecebras, quæ efficiunt, ut meliorem vitæ ſuæ partem inter pericula, laboreſque traducant, ſexcenta illic ſuſtinentes incommoda; videntur quinimmo alacriter ad ignem curſitare, ad oppugnanda urbium propugnacula ferri per ſtridentes plumbeorum, igneorumque globorum procellas, & vitam ſuam in murorum hiatu, aliiſque periculis objectare. Heu! quid cauſæ eſt, propter quam adeo libenter tot labores ſuſtineant, atque tot pericula contemnant? Gloria, quam inquirunt, illos agit, & flagrant cupiditate nominis ſibi hac via comparandi, & violentum hoc deſiderium omnes mulcet labores illorum. Adeo verum eſt, quod idem Sanctus addit, ardentem amorem, quo objectum aliquod proſequimur, non pati, ut in ea re aliqua difficultas ineſſe dicatur: *Amor ipſum difficultatis nomen erubeſcit*. Sed ubi fervor eſt, ibi proculdubio eſt amor Dei, & charitas, quod in dubium non revocabitis, nam proprie loquendo, fervor non aliud eſt, quam ardor ipſius charitatis; acutiſſimus ejuſdem ſpiritus, *vis omnis, & ſpiritus*, quemadmodum a quodam Sancto Patre vocatur; ſine quo languet, ſine vi, ſine motu, ſine actione, & neſcitur, utrum vivat, an prorſus extincta ſit. Verum igitur eſt aſſerere quo plus fervoris in virtutis praxi acceſſerit, minus ibi moleſtiæ laboriſque futurum; ideo hæc unctio eſt illa, de qua loquitur Propheta, quæ non ſolum lenire poteſt hoc jugum, ſed etiam efficere, ut computreſcat, ut ille ait, vel ſi mavis, ut liqueſcat ardore charitatis, ac fiat toto cælo ſuavius, & ferendo facilius: *Computreſcet jugum a facie olei*. Hinc illis, qui mirabantur videntes rigorem, atque auſteritatem, quam tot amplectuntur cœnobitæ tanta cum fortitudine, & perſeverantia, Sanctus Bernardus reſpondit: *Crucem vident, unctionem non vident*. Qui hæc mirantur, ait ille, nonniſi ea extima ſpecie judicium ferunt: Vident crucem, quam bajulamus, ſed minime vident unctionem gratiæ, & hanc impreſſionem divini Spiritus, quæ efficit ut nobis ſuavis, & jucunda videatur. Hinc facili negotio, Auditores, ſimul conciliare poſſumus locutiones duas, quibus utitur mundi Salvator in Evangelio, quæ primo quidem intuitu ſibimet adverſari videntur: modo enim dicit jugum ſuum eſſe leve: *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*; modo vero Cæli viam arctam, & incommodam vocat, & vim ſibi faciendam eſſe homini ut ſaluti ſuæ conſulat. Quod idem eſt ac aſſerere, jugum Dei ſuave ſimul eſſe, ac durum, vel viam hanc ſimul facilem, ac difficilem eſſe. Quid igitur? Dei Filius qui ipſa Veritas eſt, duo poſſet ſimul affirmare, quæ apertiſſime ſibi adverſari videntur? non proculdubio, ſed aliter loquitur ſecundum aliud ſitum humani cordis, & hominum geſtantium jugum hoc, & viam hanc ſequentium. Jugum hoc ſuave eſt, ac leve ferventibus, grave, & oneroſum ignavis, qui in languido tepore mareſcunt, hæc via facilis eſt cum fervore ambulantibus in Dei ſervitio; quoniam in eo currunt, & nihil eos valet remorari, ut inquit Propheta; *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*. Sed aliorum habita ratione, via dura eſt, & arcta, ſpinis conſita, prærupta, in qua nemo progreditur, niſi quatenus vi ſibi viam facit: *Quam arcta, atque anguſta via eſt, qua ducit ad vitam*. Jugum hoc iterum dicam, infiniti ponderis eſt, tepidam vitam agentibus; hi omnia faſtidiunt, omnia illis videntur aſpera, & minima quæque illis onus, & non ferenda videntur ſarcina, veluti Evangelicis operariis: *Portavimus pondus diei, & æſtus*. Suſtinuimus pondus diurni laboris, atque caloris & omnia vitæ hujus incommoda; nonne æquum eſt, ut aliquam carpamus requiem, ac tot operibus feſſi pauliſper reficiamur? Hic ſermo eſt animæ in Dei cultu languen-

Iſaiæ 10.

Pſalm. 118.

Matth. 7.

languentis, aperientis ſtatum, & ſenſus cordis ſui per querimonias, & murmura, modo queſtæ de modica ratione, quæ habetur ſui, modo de ſui laboris contemptu. Laborum prolixitas eam afficit tædio: quidquid illi diſplicet, videtur ipſi pondus, quo quamprimum eſt obruenda, Regulæ, præcepta, conſilia, omnia illi crucem figunt non ferendam. Tandem excutiat opus eſt hoc pondus, hac ſe liberet cruce, ut in quadam libertate vitam ducat: *Portavimus pondus diei, atque æſtus*. E contra fervor hoc onus aufert, alas charitatis nobis impertit, ut avolemus eo, quo alii vix alternis gradibus incedere poſſunt. Ideo Sanctus Bernardus, qui tamquam Magiſter loqui poteſt, cum adeo prolixa experientia id didicerit, animum advertens ad illa Salvatoris verba: [*Matth. 11.*] *Tollite jugum meum ſuper vos, & invenietis requiem animabus veſtris*, admirabiliter inquit, *Mira novitas! tollens jugum invenis requiem*. Quæ novitas, quæ illicia, quod præſtigium? Anima fervens in Dei cultu, quam ſuaviter fallitur? Jugum accipere, quieſcere eſt? & ſarcinam geſtare eſt relici? Hæc præſtigii ſpecies eſt, quæ feliciter nos illudit, exclamat ille cum Propheta: *Seduxiſti me Domine, & ſeductus ſum*. [*Jerem. 20.*] Quomodo illud? quia extrinſeca virtutis ſpecies horrens videtur, ibi non accidit ſermo niſi de Cruce, nonniſi auſteritas videtur, non audiuntur niſi nomina, quæ mundum univerſum exaſperant, jugum, mortificatio, abnegatio ſui ipſius, ſed intus nihil invenitur niſi gaudium, ſuavitas, & voluptas; *Seduxiſti me, Domine, & ſeductus ſum*. Sed, Sancte vir, cave ne temetipſum fallas? Quandoquidem tot videmus, qui ſub hoc pondere gemunt, & qui jugum hoc trahunt potius quam ferant; ſed cauſam adde; non enim deferunt illud cum fervore. Sed quid facit hic fervor? Partitur hoc jugum, & onus, & facit, ut minorem illius partem feramus; ut ſi deſiderium vos tenet ſciendi quomodo fieri poſſit, ut Dei ſervitus jugum appellari poſſit, Sanctus Chryſoſtomus inquit, ita vocatur, quia duo ſunt, qui geſtant illud, ut patet ex rei definitione. Itaque ſi illi noſmet ex corde ſubjicimus, ſi cum amore illud ferimus, ſi cum fervore illud amplectimur; Dei Filius ipſe majorem illius bajulat partem per unctionem, quam ſuper infundit, & per auxilium, quod nobis præbet, unde jugi nomen factum; *Jugum meum ſuave eſt*. Sed ſi iniquo animo hoc jugum ſubitur; ſi per ignaviam trahitur, jugum hoc non eſt amplius Dei, ſed noſtrum, nos ſolos deſerit ut illud geramus, neque mirum eſt, ſi nobis adeo grave videtur. Sed alia ne afferenda ſunt argumenta, cum noſtra adſit experientia? nam fervor hic, qui nos re adhuc integra animabat, cum noſmet Dei addiximus ſervituti, nonne omnia nobis facilia præbebat? Oportebat ut modus tunc temporis nobis conſtitueretur, ne ad periculoſos exceſſus raperemur; nihilque nobis erat moleſtum, vel quod nos deterreret? Heu! quidnam gigneret ſenſus adeo generoſos? Quid nobis ſuadebat, ut tanta fortitudine amplecteremur quidquid in Chriſtiana Religione laboris eſt, atque auſteritatis? Fervor erat, quo fiebat ne quid ardori votorum noſtrorum nimis durum, & arduum videretur. Quod ſi uſuvenit, ut hic ardor aliquoties tepeſceret, nonne verum eſt, tunc primum incepiſſe nos ſentire pondus hujus jugi, & laborem, ac difficultatem creviſſe, prout fervor deferveſcebat? Hinc ſequitur ad hoc ut ſine labore ambulemus in via hac adeo arcta, jugum hoc nobis eſſe cum alacritate ferendum. Omni niſu fovendus, alendusque nobis eſt hic fervor, vel ſi extinctus fuerit, iterum inflammandus eſt, & ſequendum illud conſilium, quod S. Paulus primis Chriſtianis intepeſcere incipientibus ſuggerebat: [*Hebr. 10.*] *rememoramini priſtinos dies*. Hic primus eſt fructus fervoris, in quo non immorabor amplius gradum facturus ad alterum.

[II. PARS,] Videlicet ut non ſolum facilem nobis perfectionis viam efficiamus, ſed etiam breviorem, ita ut intra paucos dies emetiamur viam, quam pluribus annis non fuerimus emenſi: [*Matth. 20.*] *Hi noviſſimi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti*. Et profecto hæc populi Theologia eſt illam ſemper longiorem eſſe vitam, in qua actionum multitudo efficit majorem ſanctitatem, & inſignius meritum coram Deo; ſed omnium Sanctorum, æque ac Doctorum ſententia eſt unum dumtaxat virtutis actum cum fervore factum plus valere ſexcentis languentibus, ubi voluntas nonniſi minorem virium ſuarum ſuæque activitatis adhibet partem. Ratio eſt, quod meritum actionum noſtrarum potiſſimum a charitate deſumitur, non habituali ſolum, cum aliquis eſt in gratia, verum etiam actuali, quæ non aliud eſt, niſi fervor, qui nos urget, & impellit, ut S. Paulus inquit: *Charitas urget nos*. Ideoque quod fit cum majori charitatis fervore, ſi cætera ſunt æqualia, fit cum majori merito, ac perfectione: quamobrem S. Auguſtinus dicit: *Offert ſe nobis de compendio Deus*; Nobis opus non eſt tanto tempore ad Deum inveniendum, ubi quæratur, uti quærendus eſt, neque curſu adeo longo, ut perveniamus ad Sanctitatem, quoniam ille citius ad eum pervenit, qui celerius, & ferventius currit: quomodo complures Sancti, quibus prolixius non conceſſum fuit temporis ſpatium, ut ſeſe ſanctificarent, & tamen longum ſtadium decurrerunt; illi via una tantum hora laboraverunt, & meriti ſunt mercedem eorum, qui diluculo laborare inceperunt: *Hi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti*, Quia in aliorum opere diurno, plurimum vacui interceſſerat, ac multum temporis perierat; & horum hora plena fuit, & integra, his applicari poteſt verbum illud Sapientiæ: *Conſummatus in brevi explevit tempora multa*. Eorum fervor modico intervallo hoc fecit, quod alii facere non potuerunt diutiore: quia horum dies vacui fuerunt ſecundum ſermonem Spiritus Sancti: *Dies vacui invenientur in eis*; ſi enim numerati fuiſſent anni ſervitutis eorum, ac illinc dempti, quidquid temporis propter eorum vecordiam, atque negligentiam periit, fortaſſe illis exprobrari poſſet cum eodem Spiritu Sancto, eos eſſe pueros annorum ſexaginta vel quinquaginta, vel quod eſt idem, ſenes unius, vel duorum annorum; ſed ratio æquiſſima hujus probri propulſandi eſt, obſequi monito Sancti Pauli, jubentis nos tempus redimere; *Redimentes tempus*. Sed quomodo redimi poteſt, cum ſit irreparabile: & alioquin tempus, quo utimur ad hoc tempus redimendum, & ipſum comprehenſum eſt in menſura, quæ eſt nobis conceſſa? Nam quod nobis faciendum eſt hoc tempore, non interim fiet, vel alio adhuc tempore opus eſſet, ut hoc redimeretur. Hac de cauſa verſio alia habet: *Conſtringentes tempus*, prementes, facientes temporis penetrationem: hodierna dies cum heſterna confundenda eſt, ad illam reparandam, quod fieri nequaquam poſſe videtur. Tamen quandoquidem id ſuadet Apoſtolus, dicendum eſt hoc aliquo modo, quicunque ille ſit, fieri poſſe. Quinam vero eſt? Per fervorem, ut Evangelici operarii, qui una hora fecerant, quod alii diei totius ſpatio. Cogitatione, huc nos adeo parum pro Deo, & pro nobiſmetipſis feciſſe; nobis inſpirante quamdam vim, quæ efficiet, ut menſe uno plura faciamus, quam annis integris feciſſemus; opus eſt, ut memoria temporis amiſſi nos adigat ad meliorem uſum faciendum temporis præſentis. Hactenus modicas preces effudimus: & cum modica attentione, & mortificatione ad acquirenda merita, verbo parum bonarum actionum fecimus. Heu! plus faciendum eſt bonorum omnium in ſingulos dies, quam antea in hebdomadas ſingulas: *Redimentes tempus*, vel ſecundum verſionem aliam, [*Ephes. 5.*] *conſtringentes tempus*. Tempus nobis eſt conſtringendum & per intenſionem faciendum quod per extenſionem non licet, ut loquuntur Philoſophi; veluti cum Solis radii collecti ſunt per ſpeculum uſtorium, calor major eſt in illo exiguo ſpatio, quam eſſet in majori. Tempus autem conſtringendum eſt hoc pacto, accuratius, attentius, ac denique ferventius omnes actiones noſtras faciendo. Hoc ſignificare vult magnus hic Apoſtolus admonens nos, ut tempus redimamus.

Quod ſi fervor via eſt adeo mirabilis progrediendi intra breve temporis ſpatium, ipſi conjicite quid fieret, ſi toto vitæ ſpatio fervorem hunc ſequeremur indeſinenter? Heu! quonam rubore ſuffundor quotieſcunque cogito, tot Fideles omnium ſtatuum, conditionum quinquaginta, vel ſexaginta annos tanta cum ſolertia, & cura tranſegiſſe! Quæ meritorum congeries? Mecum tacitus reputo; quod gloriæ pondus, qui theſauri in futurum ſæculum acquiſiti? Sed ubinam modo fervor hic invenitur? Profecto, ſicubi Apoſtolus ait, non deeſſe *virtutes venturi ſæculi*. Libenter adjicerem non deeſſe quoque virtutes ſæculi præteriti, & quæ ſæculo hoc noſtro non videntur amplius, & adderem, fervorem ex hoc eſſe numero; quoniam quo charitas hæc celeberrima primorum Fidelium evaſit? quo abiit inexplebile illud paſſionum deſiderium, ardens zelus, & primorum ſæculorum mortificatio? Hæc omnia cum fervore intepuerunt, ita ut ſi hodierna die pauci videntur homines perfecti, & Sancti, inde proficiſcatur, quod parum fervoris adeſt, quæ ſola via eſt creſcendi, progrediendi, tandemque perveniendi ad perfectionem, & ſanctitatem. At oporteret, ut in rebus cæteris foveamus immenſa deſideria; ambitionem infinitam, ſemper creſcendi cupiditatem, & in ſingulos dies contentiones noſtras proferendi: cum in iis quæ ad ſanctitatem pertinent paucis contenti ſimus videntes magnum hoc ſtadium late patere in tanta quotidie creſcendi neceſſitate, & cum Deus ipſe non alios conſtituit fines noſtræ perfectioni, quam ſuæ? Hoc inde oritur quod non adhibetur ratio omnium efficaciſſima, quæ fervor eſt, qua dempta cæteræ vel parum proſunt, vel nihilum. Ad nos extimulandos, & inflammandum in nobis fervorem hunc Eccleſia identidem nobis proponit modo Apoſtolos maria traducentes Barbaris Evangelium nuntiaturos, modo Martyres, eorumque cruore utitur, ut nos rubore ſuffundat, & modo nova ſydera ſanctitate præfulgentia, ut viam nobis oſtendat. Noſtrum eſt, auditores, noſmet ad hæc exemplaria componere imitando fervorem illorum, qui nos compellet ad omnia facienda, capeſſenda, patienda propter Deum.

Reſtat adhuc tertius fructus, quem paucis expediam, [III. PARS,] oſtendens fervorem hunc maxime neceſſarium eſſe ad obeunda præcipua Chriſtianæ vitæ officia, quam in ſenſu prorſus peculiari vocare poſſum vineam, in qua Deus nos tanquam colonos conſtituit, ut quilibet cum uberiori fructu operetur. Et ſane ſive Chriſtianus unice vacet ſuimet ipſius perfectioni, ſeu alienæ ſtudeat prodeſſe, aſſero, ſi fervor deſit, nunquam illi aliquid proceſſurum ex ſententia in utraque; illum videlicet nihil vel ſaluti ſuæ profuturum, vel alienæ. Primum enim, ſi ad perfectionem acquirendam ſemper arma expedienda ſunt, ut inceſſanter confligamus cum cupiditatibus noſtris, & conandum eſt,

ut

ut mundo, ac nobiſmet emoriamur: hoccine conſequi poſſumus ſine animi robore, & quomodo robur hoc haberi ſine fervore; quandoquidem hic illud inſpirat, attenta potiſſimum infirmitate, atque inconſtantis voluntatis noſtræ, quæ laaatur, ac reper ſenſim, ac ſine ſenſu optimis conſiliis; & quantumvis altius ſeſe attollat, proprio pondere deficit, quemadmodum violentus motus ſemper ſub finem tepeſcit. Hic autem ſatis violentus eſt motus, agere ſemper contra ſtudia ſua, & in jugi violentia verſari per accuratiſſimam regularitatem uſque in minimis rebus, quæ pertinent ad Religionem. Quæ enim vis nobiſmet inferenda non eſt, ut obnitamur ſemper torrenti naturæ noſtræ, qui nos trahit, & contra dominans pondus illud, quo rapimur? Et mirum eſt ſi accidit ſæpe, ut cum Cæli ſubſidium validum ſatis non eſt, natura reparet quod ipſi ademerat gratia? ſi cupiditates noſtræ, quæ non violentæ ſolum ſunt, ſed etiam verſutæ, ſi cupiditates inquam noſtræ aliqua ea parte propulſatæ, ex altera nova facie incurrant, & ibi benigne excipiantur? ſi amor proprius ſemper nobis fallendis intentus, ſæpe illudit nobis; & denique eo revertimur, ubi eramus antequam noſmet divino cultui manciparemus? Quod igitur remedium contra morbum, qui in ipſis nobis habet originem, quæ ratio confirmandi virtutem noſtram in tanta voluntatis noſtræ infirmitate? Non aliam novi, niſi frequentes ſubinde fervorem hunc fovere, & inflammare.

Quo ſi reſpexeritis Chriſtianum hominem non amplius generatim, ſed ſingillatim, Chriſtianum, qui præter propriam perfectionem, habet etiam pro ſcopo, ac fine, alienæ operam dare, quæ proprie vinea eſt, in quam Dei Filius mittit operarios: quæro a vobis, utrum his omnibus præſto eſſe valeamus, niſi fervor nos impellat ad hos ingrediendos labores, vel ſaltem nos iiſdem diſponat? Haud ita profecto: Hi enim charitatis motus ſimiles ſunt fluctibus aquæ ea vaſculo non egredientis niſi cum violenti ignis ardore calefacta eſt, & quæ hoc in ſtatu ſemet continere non poteſt. Hoc ipſum accidit Charitati, S. Bernardus ait, hæc ſuper proximum ſe non effundit niſi cum eſt per fervorem calefacta: *Charitas ubi æſtuat, teneri non poteſt, immenſitatem æmulatur*. Progredior. Fieri ne poteſt, ut obeamus, non equidem dico, heroica munera, ſed ne vulgatiſſima quidem & maxime communia, ſi deſit fervor? Nam ſicuti omnia plerumque ſervantur per eadem principia, per quæ eſſe inceperunt: cogitemus pauliſper, quid fecerit fervor ſub ipſa Chriſtianæ Religionis primordia, ubi duodecim tantum viris fuit opus, ut Chriſti Fidem in omnibus ferme terrarum plagis conſtituerent.

Conclusio. Ecce igitur, Auditores, fervoris bona, quibus ſolum adjicerem, ſermoni huic facturus finem, hanc non eſſe virtutem, quæ longe petenda ſit, cujus infrequens ſit occaſio, & parum utilis praxis. Hæc omnium temporum eſt, omnium locorum: ſeſe immiſcet omnibus muneribus, afficit omnes actiones noſtras, particeps eſt momentorum omnium vitæ noſtræ. Seſe nobis offert mane experrectis, ut diei principium faciamus per actum fervoris, & in præcipuis vitæ noſtræ negotiis. Hæc quocunque nos ſubſequi poteſt, & in omnibus actionibus vitæ noſtræ; ſed libenter vocem adjicerem, quam Deo Salomon effudit ſapientiam impetraturus: *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, quæ mecum ſit, & mecum laboret*. Sap. 9. Da mihi, Deus meus, ſanctum hunc fervorem, qui me ſequatur, & concomitetur quocunque, ut mecum precetur, agat, mecumque laboret: *quæ mecum ſit, mecumque laboret*. Sed ſi vultis generalem cauſam ob oculos ſemper a vobis habendam, ea eſt quam nobis ſuggerit S. Paulus Apoſtolus per hæc verba: *Ut ambuletis digne Deo*. Videlicet, quidquid agimus, cogitemus a nobis ſemper ſervari Deo, ideoque nobis ſerviendum eſſe eo modo, qui Deo dignus ſit, quatenus adeo ſublimis majeſtas meretur, & quatenus noſtra pati poteſt infirmitas: Et ſicuti prima cauſa, propter quam noſmet illius cultui devovimus, eſt ſuprema Dei celſitudo, quæ æterna eſt, & ſemper eadem, ac erat olim, eadem ſemper vigente cauſa, ſemper illi ſervire debemus eadem ſollicitudine, cura, actuoſitate, fervore: *Ut ambuletis digne Deo*. Nunquam pro illo faciemus, quod fecit ille pro nobis, & poſtquam fecerimus quidquid potuerimus, ſemper dicere poſſumus, nos eſſe inutiles ſervos. Ille nos dilexit, & de nobis cogitavit ab æternitate, quæ præceſſit, amabitque per æternitatem omnem, quæ eſt ſubſecutura. Heu! ſaltem hoc modicum temporis ſpatium, quod inter duplicem hanc intereſt æternitatem, totum quantum eſt in cultu illius impendatur, ut mercedem nobis in Cælo præparatam promereamur.

# SERMO NONUS.

## De Gaudiis, quæ in Dei cultu guſtantur.

Diſcrimen Gaudiorum quæ guſtantur in Dei cultu, & eorum quæ in mundo guſtantur.

DEus, & Mundus duo ſunt Domini, qui ad cultum quiſque ſui homines omnes conantur allicere: alter quidem nobis promittit gaudia, voluptates, & quidquid ſenſus noſtros palpat; alter vero nobis cruces proponit, pœnas, paſſiones; ſed per vos mihi liceat dicere oculos, mentemque noſtram nequaquam debere immorari in externa ſpecie, & veluti cortice harum promiſſionum. Mundus nos fallit, & jam pridem hanc exercet artem, ut hæc diu latere non poſſit, & licet illam palam profiteatur, tamen illum mortalium plerique ſequuntur. Deus quoque & ipſe, credetiſne? videtur nos fallere, quia nobis cruces, laboreſque tantum in ſui ſequela pollicitus, eos tanta ſuavitate perfundit, ut illa famuli ejus omnibus Mundi deliciis anteferant. Ego vero hodierna die omnem ex vobis excutere volo, ſi fieri poteſt, errorem, vobis oſtendens in Dei ſervitute multo minus eſſe ferendum, quam iis qui mundo famulantur; & gaudium, & voluptates, quæ in mundo guſtantur, comparandas non eſſe cum illis, quas delibat Deus illis, qui omnino illius cultui ſe mancipant.

1. PARS. Ut re adhuc integra vobis perſuadeam pœnas, quæ ſuſtinendæ ſunt in Dei cultu, toto Cælo mitiores illis eſſe, quas Mundus ſectatoribus ſuis ſuſtinendas infligit, ſatis eſſet proferre teſtimonium Veritatis ipſius, aſſerentis jugum ſuum ſuave eſſe, & qui illud ſubit requiem invenire, & geſtare ſarcinam, quam ſervis ſuis gerendam imponit. Verum cum oppoſita magis tunc eluceſcant, ubi ſimul comparantur, ſimul opponam labores, in cultu utriuſque hujus Domini ſuſtinendos, ſive conſideremus utriuſque irrogata præcepta, ſive ipſam præcipiendi rationem, ſive tandem mercedem, quam pollicentur, & qua noſtrum remunerantur obſequium; quoniam hæ totidem ſunt rationes, quæ nobis perſuadere debent de prima hac veritate, quam illi dumtaxat noverunt, qui experientia magiſtra illam didicerunt.

Primum quod pertinet ad ea, quæ uterque flagitant, non requiritur magnus uſus Mundi, ut intelligamus nullum eſſe ſtatum, nullum munus, nullam hominum conditionem, in qua ſi æque metimur officia, & onera illis inhærentia, non cognoſcamus difficultatem obeundi illa toto Cælo majorem eſſe ea, quæ in Dei cultu invenitur. Itaque Auditores nihil vobis ſum diſſimulaturus, & ſicuti non fert animus virtutis auſteritatem magis, quam revera ſit amplificare, neque illi os horrentius affingere, quam vera ejuſdem natura patiatur; ita neque ab eadem avulſurus ſum difficultatem, ac laborem, quibus ſepoſitis virtus non eſſet amplius. Igitur in Dei cultu ſuſtinendum eſt, neque hoc in dubium poteſt revocari; & mollities eſſet homine Chriſtiano indigna, emendicare diſpenſationem, & privilegia, quæ in alterius cujuſpiam Domini ſervitute non inveniuntur. Sunt igitur in Dei hujus cultu præcepta, quæ noſtris adverſantur ſtudiis, & voluptatibus; ſed crux eſt ferenda, ſibimet abnegandum, inceſſanter bellum cupiditatibus inferendum. Hæc omnia dura ſunt, & corruptæ naturæ moleſta, diffitendum non eſt; at melior ne eſt Mundi ſectatorum conditio? Faciliora illis proponuntur præcepta? Mundi leges ſuaviores ne ſunt, & commodiores? Num aliquis vitioſus eſt, minori ſumptu, ac labore?

Ut aſſertam veritatem meridiana luce clariorem videatis, ſenſibilibus tantum utar argumentis, ex ipſa experientia depromptis; ut opponam tantum utriuſque Domini leges, Evangelii dogmata ſæculi placitis, & præcepta Dei, Mundi præceptis. Homo exempli gratia honorem ſuum ſibi idolum conſtituit, ad quid hoc gloriæ violentum deſiderium non cogit illum? Opus eſt ſecundum Mundi leges, ut vitam ſanguinemque ſuum ſacrificet, ut ad gloriam hanc acquirendam aſcendat in muri dejecti ruinam, & per grandinem telorum, ignitorumque globorum crepantium millies, ac millies vitam ſuam mortis periculo objiciat; idque propter exiguam honoris auram, quæ ſæpius evaneſcit. Ulla ne in Chriſtiana Religione lex eſt æque crudelis, ac dura? Non ita profecto; & id quod heroice factum in Dei cultu videretur, non niſi commune eſt officium, & inevitabilis neceſſitas in famulatu, & qui hoc præſtare detrectat, e gradu dejicitur. Alter ille per immodicam ambitionem vult creſcere? Quot immania, & ambitioſa deſideria vitæ illius tranquillitatem non perturbabunt? Ille opes congerere cœpit? Bone Deus, quot ſollicitudines, quot curæ? Pro lite una perſequenda, quibus motibus ſe ſe non exercebit? Pro minimis quibuſque negotiis quot ægritudines perferendæ, vorandæque non ſunt? In iis, quæ nobis præcipit Deus, vel a nobis requirit aliquid ne huic ſimile eſt, & æque moleſtum? Vos ipſi negabitis. Non excipio ſeveriſſimas auſte-

Digitized by Google

auſteritates, quæ in auſteriſſimis clauſtris exercentur. Ipſe etiam voluptatibus addictus, antequam ſua fruatur voluptate, quot guſtat amaritudines? Quot metus, terrores, conſcientiæ ſtimulos, morſuſque non ſuſtinet? Quod in cauſa eſt, propter quam jure S. Auguſtinus hoc jugum ferreum appellet cum propter duritiem, tum propter difficultatem illud excutiendi, ac infringendi. Non igitur labor, neque difficultas, quæ in
Pſalm. 91. Dei cultu reperitur, deterrere nos debet: *Qui fingis laborem in præcepto*, ut inquit Propheta. Non ideo res difficilis eſt: quia Dei Lex nihil habet tam incommodum, nihil adeo rigidum, & auſterum, quod cum Mundi lege ſit exæquandum.

Nonne igitur turpe eſt, Auditores, homines ſollicitius feſtinare, ut bajulent crucem nocentium, & via inveniri qui defectant crucem Filii Dei? Coarctari non poſſumus ut quotidie ſingulas oras in precibus inſumamus, & dies, noctesque in moleſto opere traducuntur? Horæ quadrans aſcetici libri lectioni datum, videtur tempus pœnitentiæ, & dies integri in evolvendis litium tabulis tranſiguntur? Alterum altero jucundius eſt. Non ita ſane; ſit tamen libentius. Hujus rei cauſam poſtulo, neque enim aliam video, quam noſtram ſenſus carentiam in iis, quæ cæleſtia ſunt: quandoquidem Mundus, herus hic adeo moroſus, & prorſus crudelis fautores habet omnium conditionum, & eos, qui ſequuntur illum per ſpinas, & prærupta montium; & ad ea, quæ vel leviſſima propter Deum facienda ſunt, ſemper querimoniæ audiuntur, & minima quævis difficultas deterret. Tandem enim ſi pro altero fieret, quod fit pro altero, quæ meritorum congeries, quis gloriæ cumulus non acquireretur?

Hac de cauſa Regius Propheta Deum flagitat, ut ſe ipſi æquum judicem præbeat ad ſecernendos labores ſuos a laboribus eorum, qui mundo inhærent, & ut de ſuis
Pſalm. 42. meritis judicet: *Judica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta.* Quamobrem, quæſo, hoc poſtulat? Nihil propter Deum facimus quod pro alio quopiam objecto ab aliis non fiat. Jejunamus, & abſtinentiam exercemus; ſed avari non ne tantundem faciunt, ſibi earum etiam uſum interdicentes, quæ ſunt ipſis maxime neceſſaria? Vigilamus, noctesque in oratione traducimus; milites, homines negotioſi, ipſi etiam opifices non ne aliquid huic ſimile faciunt? Noſmet humiliamus, & ad omnium pedes noſmet ſubjicimus. Heu quot ignavi aſſentatores his plura non faciunt, ut deinceps ſe attollant, & propoſitum ſibi finem aſſequantur? O magne Deus, Propheta inquit, cum numerabis labores noſtros, atque cruciatus, utrorumque cognitionem inſtitue; nam licet Mundi ſectatores eadem peragant, & ſæpe etiam longe plura faciant, quam nos; hoc ſaltem diſcriminis intereſt, quod nos illa propter te operamur, illi vero propter proprias cupiditates.

Sed licet omnes difficultates, quæ in Dei cultu prætexuntur, longe graviores eſſent, quamvis plerumque non aliud ſunt niſi puerorum terriculamenta, numquid juſtus eſſet recedendi color, & cauſa? Nam ſi quod nobis præcipit Deus incommodat ſenſibus, ſaltem negari non poteſt, hoc eſſe rationi conforme & naturali innixum æquitati, quæ noſmet jubet ſubjicere? Quod ſi modo inſpicimus perfectionem Evangelii, ad quam Chriſtiano viro contendendum eſt, ſi quid laboris eſt, quod ſane liquet, nonne una ex præcipuis Evangelicis veritatibus eſt, laborem hunc leniri ſubſidio, quod ad id nobis ſuppeditat Deus? Ita cum a Dei cultu recedimus prætexentes difficultates, quæ adſunt in officiis obeundis, imitamur ſpeculatores illos, qui miſſi fuerunt ad cognoſcendam terram, quam Deus promiſerat filiis Iſrael; domum reduces populum perterruerunt dicentes, ſe vidiſſe urbes, & propugnacula in Cælum uſque minantia, quarum incolæ monſtra erant corporis immanitate, & inſignem eſſe temeritatem ſperare, ſe regionis illius potituros, quandoquidem terra ipſa devorabat ſuos habitatores. Hæc ea ſunt, quæ ipſi nobis fingimus in Dei ſervitio; nos numquam habituros eſſe vim ſuperandi omnes difficultates, quæ nobis ſuperandæ occurrent a dæmone, a nobiſmetipſis, & ab impotentia cupiditatum noſtrarum, quin cogitemus de gratiis inhærentibus ſtatui, muneri, vocationi ſingulorum, neque de habitibus ſupernaturalibus, quos Deus largitur, pro virtutibus omnibus ſingillatim. Per hæc enim ſubſidia, & gratias triumphat Deus de ingeniis maxime rebellibus; & facilia facit quæque difficillima; virtus jucunda fit iis, qui ſatis habent fidelitatis, atque perſeverantiæ ad eam exercendam: arctam eſſe viam hanc, quam nos ingredi jubet Deus, tamen quodammodo latiorem fieri, & deinceps eum alacritate ad finem perduci, quod ægre, & non ſine magno certamine inceptum eſt.

Hoc intellexit tandem S. Auguſtinus duce experientia:
L. 9. Confeſſ. *Quam ſuave*, ait ille, *mihi ſubito factum eſt carere ſuavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium fuit.* Reſpiciebam tanquam factu arduum, primos habitus convellere, mihi fingebam, vitam ſine voluptatibus, futuram mihi mortem non ferendam; & mihi perſuadebam conſilium hoc æque temerarium eſſe, ac chimericum, frangere turpia vincula, quæ mihi metipſi nexueram. Ideo non audebam incipere, veritus ne ad finem pervenire poſſem; ſed mihi videre videbar monſtra, quorum ſola cogitatio me perterrebat. Nam ex quo manum operi admovi, qui mihi viſi fuerant inſuperabiles obices, faciles factus ſum ope gratiæ tuæ Deus! Quo magis conabar me ipſum vincere, difficultates evaneſcebant, & experientia auferebat mihi funeſtam, fallacemque imaginem, quam propoſueram mihi de legis tuæ ſeveritate. Sarcina, quam minime ferendam putabam, ferenti facta eſt ſuavis, & levis.

Itaque, Auditores, ſi recedere voluerimus a cultu Dei propter difficultatem, quam experimur in legum ejus obſervantia, quæ nobis crucem figit, & noſtram coarctat libertatem, Deus aliquando ignaviam noſtram confundet, atque oſtendet, defectum non proficiſci a præceptorum auſteritate, ſed ex voluntatis noſtræ nequitia, quia nobis irrogata præcepta, non erant trans mare, neque ſuper montes poſita, ut per Prophetam loquitur, ſed in medio noſtri; & in eo conſtituta, ut noſtris perfungeremur officiis, quod res ipſa noſtra ſuadebat, gratiam, & opem illius nobis nunquam defuiſſe; verbo jugum illius ſuave eſſe, & onus, quod nobis deferendum imponebat, facili labore geſtandum: *Jugum meum ſuave* Matth. 11.
*eſt, & onus meum leve.*

Sin autem primis hæc ratio deſumpta ex legibus, & præceptis, quæ Deus, & Mundus irrogant non ſatis nos de veritate hac perſuadet, excutiamus alteram deceptam ex modo, quo uterque hic Dominus utitur erga nos, & quo nobis imperat. Conſtat enim Auditores, quemlibet herum cum ſervis ſuis ſe gerere ſecundum ingenium ſuum, atque libidinem; Phantaſticus, & imperioſus centum ſimul imperabit ſecum pugnantia: Avarus omnium rerum rationem haberi vult, ſimilis Evangelico illi: *Homo auſterus es, metis quod non ſeminaſti.* Iracundus, & furens impotenter præcipiet, imperiis ſingulis addet contumeliam, & volet prius imperata fieri, quam imperare, Deus autem dominorum omnium mitiſſimus eſt, æque ac faciliſſimus; nam officioſa ſuavitate, & admirabili indulgentia, quin cogat nos ſequi ingenium ſuum, ſe ſe noſtro accommodat; mortalium ſtudia, variaſque propenſiones ſcrutatur, ut ſe illis ſubjiciat: novit rationem habere ſpirituum tanta ſuavitate, ac dexteritate, ut eum aliquem vocat ſibi famulaturum, quantumvis hic a virtute abhorrere videatur, Deus ſenſim, & ſine ſenſu ei ſuum communicet ingenium; atque dumtaxat objectum mutet: Cum inſtabili, moroſoque Mundi ingenio parere oporteat, ſequi illius mores, & voluntates, ſenſus ejus & placita induere, & credit adhuc ſe de nobis perquam optime mereri, quotieſcunque illius partes ingrediamur. Itaque ergo illi placituri, quam vim, quam crucem ſuſtinere debemus? Quot nobis afferenda ſunt? Quot perſonæ induendæ?

Quidam exempli gratia fortunam ſuam præſtoletur ab alio; non ne omnem hujus hauriat oportet libidinem, ſtudia inquirat, omnibus illius voluntatibus obſequatur? Non ne illum palpare tenetur, & in ſingula momenta metuere, ut favoris ejuſdem jacturam faciat? Non ne dici poteſt de Mundi ſervitute, quod S. Paulus dicebat ratione ſui ipſius de ſervitute Dei: *propter te mortificamur tota die.* Mortificatus ſum a diluculo ad veſperam; nihil eorum facio, quæ volo; ſexcenta mihi exhaurienda ſunt, quæ mihi diſplicent; mœror opprimit me, ſollicitudo me conturbat, timor me humi affigit. Mihi diſſimulandum eſt, & aliena perſona in ſingula momenta induenda eſt mihi; cupiditates meæ coercendæ mihi ſunt; dolor diſſimulandus: ulla ne eſt ſervitus hac intolerabilior? Quid ergo? Num pro nihilo habes has omnes cautiones, & hanc jugem obedientiam, quam debeo præſtare? Nonne confitendum hoc unum efficere jugum hoc durius jugo Filii Dei? Et quod magis eſt admirabile, illud eſt, quod mortales id genus, qui ſunt ſuarum cupiditatum mancipia: & profitentur ſe devotos Mundi ſervitio, deoſculantur catenas, quibus in turpi hac ſervitute tenentur, ſuſpirant ſub jugo, quod timent, ut frangant, & ſæpe eos lædunt, quibus placere adnituntur per ea ipſa, per quæ gratiores illi eſſe oportebat. At ſi ſummi, verique Domini gratiam aucupari velim, quotieſcumque illi placere voluero, ejuſdem amicitia dignabor: *Amicus Dei,* Lib. 8. de
*ſi eſſe voluero, ecce nunc fio;* quomodo narrat S. Augu- Confeſſ.
ſtinus de Aulicis duobus, qui mundo vale extremum dicere decreverunt, ubi S. Antonii vitam legerunt.

Hæc una fuit ex conſiderationibus, quæ magis magiſque S. Auguſtinum ipſum commovit, majoremque in illius mente impreſſionem peperit; cum incertus adhuc conſilii, utras partes ſequeretur, & cui domino ſe traderet, Deo hinc quidem potenter urgente interioribus gratiis, inde vero mundo illum retinente vinculis habituum ſuorum; hæc tandem cogitatio acriter mentem ejus perculſit quadam die, cum omnes tentaret vias, quibus aditum ſibi aperiret apud Cæſarem, eumque obtinere non poſſet. Quid! ajebat ille, ſexcentis laboribus mereri non poſſum intuitum terreni Principis, quandonam igitur eo perveniam, ut illi placeam? Sed ut Dei amicus fiam, & in ejus familiaritatem ingrediar, velle ſatis eſt, ille primus amicitiam meam flagitat, me alloquitur per ſecretam ſuarum gratiarum vocem, & quaſi famulatus noſter illi utilis eſſet, ac neceſſarius, ut eo carere non poſſet, plus nobiſcum diſſimulat, quam cum mundi Principibus nobis diſſimulandum ſit, ut favorem eorum foveamus.

Nos pluſquam materno amore proſequitur: amantiſſimi Patris, & generoſi amici curas gerit; ſua putat intereſſe, quidquid noſtra refert; ærumnis noſtris afficitur, nobis ſolatium afferre ſtudet in noſtris calamitatibus; amicus eſt omnium temporum, & omnium momentorum, ſemper præſto, ut noſtras audiat petitiones, & noſtris conſulat egeſtatibus! Heu! quandoquidem res ita ſe habet, ajebat ille, non alium umquam habebo Dominum, præter Deum; quandoquidem mundus adeo ingratus eſt ſervientibus ſibi, & dominus eſt non ſolum crudelis, & ſuperbus, verum etiam injuſtus, & ingratus.

Hæc tertia ratio eſt, quæ me perſuadet, labores, qui in mundi ſervitute ſuſtinentur, duriores eſſe inhærentibus cultui divino, ubi comparanda merces, quam Dominus uterque pollicetur, vel tribuit ſervientibus ſibi. Noſtis enim, Auditores, labores non alia re magis leniri, quam ſpe mercedis. Corona, quæ eminus nobis exhibetur, efficit, ut omnes obices ſuperemus. Spiritus hoc objecto animatus, quin de labore cogitet, nonnumquam ſupra ſeipſum attollitur, & diceres omnem evaneſcere difficultatem, ex quo fructus prævidetur. Nolo tamen prolixius loqui de vitæ alterius mercede, cujus ſola cogitatio tot animarum decies centena millia compulit, ut arctam Evangelii ſemitam amplecterentur, & omnia mundi hujus magnalia pedibus calcarent. Dico ſolum Deum fidelem in fide ſuarum promiſſionum ſervanda, & juſtum in remunerationibus ſuis: mundum vero duas habere prorſus oppoſitas qualitates: Infidelis eſt, quia fruſtratur ſectatores ſuos mercede exantlatorum laborum, & ita injuſtus eſt, ut illam ſemper indignioribus tribuat quin ullam habeat rationem meritorum, vel magnitudinis pœnarum, quas quiſque illi ſerviens ſuſtinuit.

Etenim quid quæſo non ſuſtinetur ad inquirenda modica bona? Quis labor in ſtudio ad acquirendam ſcientiam, cujus fructus incertus eſt? Quot pericula militiæ adeunda pro adeo parum certa mercede? In rebus vero cæteris nonne acquiſitio diuturnior eſt perfruitione, ac poſſeſſione? Sed quot etiam ſunt, qui nihil unquam acquirunt! Mundus nonne repletus eſt iis, qui inceſſanter deplorant pravum laborum ſuorum exitum, quos ſuſceperunt, ut certam ibi fortunarum ſuarum ſedem facerent? Quot ſunt, qui poſtquam ſudores, laboreſque ſuſtinuerunt, ut in mundo niteſcerent, dies ſuos obeunt in paupertate, quam evitare contenderunt per incommoda ipſa etiam paupertate majora? Quot, qui poſtquam in armis incanuerunt, & plura meruerunt ſtipendia, nonniſi vulnera, & cicatrices reportarunt, ac ærumnas; quæ illis facultatem ademerunt reliquam dierum ſuorum partem in pacis tranquillitate ducendi? Quot poſt ſexcentas lites, & fori jurgia, bona ſua obligaverunt, quin ullam pro præſenti conſolationem invenirent, & quin ſe in futurum habituros ſperarent? Hoc accidit, quia Mundus æque infidelis eſt, ac injuſtus, quia inani, & chimerica ſpe paſcit ſua mancipia; quia jubet nihil inauſum relinqui, & rei nullius habet rationem; quia verbis perſolvit facta vera, veroſque labores; quia in ſingulos eorum qui optatum finem aſſequuntur, mille numerantur, qui in portu faciunt naufragium, & de hoc mundo auferuntur tunc cum laborum ſuorum fructum erant percepturi.

Sed in cultu Dei quam impreſſionem efficere non debet in animo noſtro ſpes præmii, quod nos manet, adeo magni, adeo certi, & quod toto Cælo cogitationes, & noſtra excedit deſideria? Propter hanc ſpem S. Paulus non vult, labores, ac paſſiones, quæ concomitantur praxim virtutis vocari nomine laboris, atque triſti-

2. ad Cor. tiæ: *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes*. Hæc videtur quidem triſtitia, non eſt tamen, quia illam ſubſequitur gaudium: ſed id quod mundi triſtitiam veram efficit triſtitiam, eſt, quia nulla mercedis ſpes eam lenit & e

Ibid. contra mors illam ſubſequitur: *Sæculi triſtitia mortem operatur*. Videlicet diſponit ad æternam triſtitiam, & audeo dicere, infernus eſt præcox. Neque aliis opus eſt argumentis, cum adſit proprium mundi aſſeclarum teſtimonium, in libro Sapientiæ, ubi poſt mortem ſuam agnoſcunt cæcitatem, & queri incipiunt ſe laſſatos eſſe

Cap. 5. errore viarum: *Ambulavimus vias difficiles*. O quam cæci eramus, & inſipientes! Heu! Parum eſt in malorum omnium abyſſum incidiſſe; quandoquidem huc adducunt gaudia, & voluptates mundi; ſed huc veniſſe per vias inæquales, & præruptas, ſpinis conſitas, & ſalebroſas, hoc eſt duplo eſſe calamitoſiores: *Ambulavimus vias difficiles*. Et nullus dubito quominus hoc illis majorem afferat dolorem, atque deſperationem, cum inter ſupplicia Deus illis oſtendit quomodo per eaſdem pœnas, atque etiam multo minores, & per labores eoſdem immo leviores æternam illi conſequi potuerint felicitatem; cum illis oſtendit, futurum fuiſſe ut minus delaſſarentur recta pergentes, quam aberrantes; & verbo, illos ſalutem ſuam minoribus ſumptibus aſſecuturos fuiſſe, quam iis, quibus æternum ſibi conflarunt exitium.

Poſt hujuſmodi confeſſionem, fieri ne poſſet, ut adeo eſſemus incauti, ut ſervitutem domini adeo crudelis, libidinoſi, & injuſti divino cultui anteferremus? Vulgo inſimulantur homines imprudentiæ, & ſtultitiæ nomine, cum terrena gaudia cæleſtibus anteponunt; ſed modo cum eadem, & multo majora ſuſtinenda ſint pro mundo, quam pro Deo, quo nomine vocandi ſunt illi, qui perire malunt patientes ſine ſpe, & ſine conſolatione, ac deferentes Mundi, dæmoniſque crucem, quam illam Filii Dei, toto cælo ſuaviorem, levioremque? Quamvis omnia gaudia, omneſque deliciæ in parte altera invenirentur, in altera vero labores omnes, & cruces, adhuc tamen deliberandum eſſet, pars utra eſſet præferenda. Deus mereretur cæteris quibuſcunque dominis anteferri; cum autem in illius cultu guſtentur ſumma gaudia, quæ longiſſime ſuperant mundi gaudia, & delicias, quam cauſam prætexere poſſumus, ut nolimus huic nos devovere? Hoc in Parte ſecunda viſuri ſumus, ubi comparaturus ſum gaudia juſtorum, atque ſervorum Dei, cum gaudiis mancipiorum Mundi, quemadmodum eorum pœnas, & cruces comparavimus.

S. Auguſtinus poſtquam diu quæſivit, & quantum potuit, guſtavit gaudia, & voluptates mundi, ipſe eorum tabulam ad vivum expreſſit, in Epiſtola ad Licentium II. PARS. ſcripta, ubi ut adoleſcentem ab hoc gaudiorum genere avocaret, tria tantum adhibet verba: *Mentiuntur, moriuntur, in mortem trahunt*. Ecce tria verba, quæ nobis repræſentant naturam, proprietatem, & effectus gaudiorum mundi; neque puto plura paucioribus verbis poſſe ſignificari. *Mentiuntur*: Hæc gaudia nos fallunt, non enim illis eſt niſi ſpecies, & fucus voluptatum, neque nobis ſatisfacere poſſunt. *Moriuntur*; celeriter prætereunt, via nitent, cum jam fugiunt. *In mortem trahunt*: Sunt excidii noſtri cauſa, nos in æternam detrudunt miſeriam. Hic character eſt, maxime naturalis, qui fieri valeat harum voluptatum. Sed cum hæc compendioſe nimis dicta ſint, liceat mihi per vos latius de his rebus diſſerere, ut per antitheſim vobis oſtendam ſoliditatem, durationem, & magnitudinem eorum, quæ in Dei cultu guſtantur. Repetamus igitur, ſi vobis lubet, ſingillatim quodlibet verbum, ut vobis vividior imprimatur idea, & per otium ſingula cognoſcatis per comparationem a me inſtituendam gaudiorum mundi, & eorum, quæ Deus famulis ſuis delibat.

Primum igitur mundi gaudia nos fallunt, *mentiuntur*. In ipſa tantum ſuperficie ſubſiſtunt, quin pervadant in cor, quin veram ſatisfactionem tribuant, & licet parum rerum humanarum ſtatus inſpiciatur, ſtatim illorum infirmitas intelligitur. Hac de re ipſi etiam Ethnici teſtimonium perhibuerunt; teſtimonium quod hac in re poteſt admitti, quandoquidem ſine præoccupatione loquuntur, & in ſuſpicionem incidere nequeunt, quaſi ſenſum ſuum diſſimulaverint, qui eſt tanquam vox veritatis ipſius, quam natura, & ratio ex eorum labiis, & corde deprompſit, & in ipſorum ſcripta traduxit, ut nos majori cum ſinceritate erudirent. Quæro igitur cum Philoſopho Seneca, undenam dimetiamini hominis felicitatem, cujus fortuna, & ſtatus oculos veſtros perſtringit? Videtis præclaras illius ædes, ſupellectiles pretioſas, magnificam familiam, & ſumptus immenſos; ſed quidnam horum vos moratur? Judicium ferte de rebus ipſis quin in variis circumſtantiis immoremini; hominem introſpicite, neque aſpiciatis ea, quæ ambiunt illum. Heu! Si cor illius penetrare liceret, ibique videre ſuis cupiditatibus perturbatum; habens intus tot dominos, quot domi famulos habet, lancinatum tot carnificibus, quot illius ſunt deſideria, ſtatim intelligeretis illud miſeratione dignius eſſe, quam invidia, videntes illud nulla frui tranquillitate, & mœroribus, atque triſtibus curis cor illius contabeſcere. Hinc idem accidit, Sanctus Auguſtinus ait, quod homini mœrore, & triſtitia confecto, & cujus intereſt cauſam diſſimulare; receſſum quærit, vel faciem involvit, ne videantur lacrymæ ex oculis effluentes. Ita hujus ſæculi beati ſub fallacis felicitatis ſpecie veros dolores tegunt, cordis ſui amaritudinem, animam ſexcentis cupiditatibus æſtuantem, cor ſexcentis deſideriis perturbatum, inquietum, & hujuſmodi, ut cum ad felicitatis cumulum evaſiſſe creditur, tunc vere ſit infeliciſſimum.

Hoc, Auditores, nobis ſignificare voluit Spiritus Sanctus in Apocalypſi ſub figura Babylonis impudiciſſimæ, quæ in aureo cratere omnibus mancipiis ſuis propinat; ſed poſtquam illi inebriati ſunt, in ima parte ſubſidet fæx amariſſima, qua veneno inficiuntur. Hæc eſt pictura gaudiorum, & voluptatum Mundi. Homines ſæculi ſuavitatibus inebriantur, eas requirunt, eas ardentius conſectantur, illas depereunt, ſed poſtquam illas guſtaverunt, quid illis reliqui eſt: *Verumtamen fæx ejus non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ*. Fæx, amaritudo, patientia, dolor in imo ſubſidunt calice. Mortalis qui ſuis ſenſibus, & cupiditatibus indulſit, num ideo eſt voti ſui compos; ipſe jam novit votorum ſuorum ſummam nequaquam attigiſſe, quia nihil illi remanet præter verecundiam, & pœnitentiam. Non miror tamen; quandoquidem omne gaudium, quod hæc bona conferre poſſunt, extrinſecum eſt dumtaxat, & externam dumtaxat ſpeciem habet, & fucatam pulchritudinem. Voluptuoſe! quanto agitur in errore verſaris, qui putas vitæ beatitudinem reperiri poſſe in flagitiis, ac libidinibus tuis, nonne vides te per hæc ipſa longius a beatitudine tua aberrare; Nam quidquid feceris te ipſum auferre non poteris probris, ac ſtimulis conſcientiæ tuæ. Exorna, & inſtrue quoad volueris menſam dapibus exquiſitiſſimis; tibi per-

mitte, quidquid Divina lex vetat quoad voluptates: ſæpe ſtatim plecteris eo dolore, quem parit læſa conſcientia. Ergo in his omnibus es miſer, & quin veram guſtes lætitiam, tecum geris tuam infelicitatem, quandoquidem eſt in te ipſo.

Et ſane quiſnam, amabo vos, efficere poteſt, ut lætitia ad cor ipſum pervadat, niſi ſolus Deus, juxta illud, quod Salvator in Evangelio pollicitus eſt: *& gaudebit cor veſtrum, ut gaudium veſtrum ſit plenum*: Creata
Joann. 16. neſciunt quomodo, vel qua penetrent in cor; Deus unus viam cognoſcit, & cum illud conſolari dignatur, nulla eſt ſenſuum voluptas, nullum in mundo ſolatium, quod valeat comparari. Etenim, quin loquar de favoribus, & inuſitatis illecebris, quibus quaſdam animas electas dignatur? Iis tantum immoror, quæ juſtis omnibus ſunt communia: videlicet lætitia conſcientiæ bonæ, quam Sapiens juge vocat convivium, ſemper inſtructum ſine ſumptu, ſine tædio. Lætitia hæc in ipſa percipitur anima; hæc requies eſt ſuavis, & tranquilla, oblectatio ſolida, & immutabilis; denique aliquid eſt ita magnum, ut dici poſſit ſi qua in hac vita felicitas eſt, & gutta veræ voluptatis in hac lacrymarum valle, hanc eſſe in rectæ conſcientiæ teſtimonio, quod unum ſupplere poteſt jacturæ, vel abſentiæ reliquarum voluptatum; nam ſicut viri boni geſtant ſemper malaciam, & pacem in corde per teſtimonium, quod illis perhibet cor ſuum; nihil extrinſecus eſt, quod eorum immutare, vel perturbare valeat felicitatem.

Quapropter hoc gaudium ſervorum Dei magnificis ſane verbis exprimitur in Scripturis. Sanctus Joannes illud manna abſconditum vocat, quod nonniſi a guſtantibus illud cognoſcitur: Sanctus Paulus illud pacem in-
Ad Phil. 4. comprehenſibilem vocat; *Pax Chriſti, quæ exuperat omnem ſenſum*; Iſaias Propheta, requiem deliciis affluentem, ſed Salvator ipſe illud unico verbo expreſſit, cum illud gaudium plenum appellat: *Ut gaudium veſtrum ſit plenum*. Gaudium eſt non ſolum, quod ingreditur in cor, ſed quod illud replet, & abunde replet; *Superabundo gaudio*, ut ajebat Sanctus Paulus, & ut generatim loquar, gaudium quod in Dei cultu guſtatur purum eſt gaudium, ſine ulla ægritudinis mixtura, gaudium, quod obnoxium non eſt moroſæ illi pœnitentiæ, quam mundi pariunt voluptates, gaudium ſanctum, quod quin hominem polluat, non ſecus ac impiorum gaudia, illum puriorem, & Deo efficit acceptiorem: *Reficis, nec inficis*, ut S. Auguſtinus dicebat; quia Deus ipſe illud infundit in cor.

Quod ſi hac de re dubitatis Auditores, qui gaudium hoc vere eſt manna vobis abſconditum, vos aptos efficite illud guſtando, & vobis hoc veſtra perſuadebit experientia: exhaurite cor veſtrum, ſi vultis a Deo illud repleri; nuntium mittite pinguibus Ægypti dapibus, ſi guſtare vultis hoc manna, quod nonniſi in deſerto invenitur; verbo, relinquite terrenas voluptates, ſi quidquam de cæleſtibus guſtare vultis, & experiemini non ſolum gaudium hoc ſolidum eſſe, ac plenum, verum etiam conſtans, & duraturum; cum gaudium, quod mundi bona pariunt non plus addit diuturnitatis, quam ſoliditatis.

Hoc alterum eſt vitium, quod in illo S. Auguſtinus deprehendit, *mentiuntur, moriuntur*. Hæc gaudia evaneſcunt, & intercidunt eodem fere momento, quo oriuntur, ideoque Sanctus Job illa comparat puncto, nullam habenti extenſionem, & cujus principium, ac finis ſi-
Job 20. mul conjuncta ſunt: *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti*, Etenim licet habitus non obtunderet illius apicem, ſolum tempus attenuaret illud, nobiſque dolorem relinqueret videndi illud præteriiſſe, hæc quippe illius eſt natura, eſſe mutabile, non ſecus ac objecta, quæ illud producunt, videlicet bona vitæ hujus, quæ in æſtu jugi verſantur, quæ invicem ſeſe impellunt, expelluntque; & Propterea S. Paulus Apoſtolus inquit; *Præterit figura hujus mundi*; Mundum inceſſanter os, faciemque mutare, perinde ac per hanc objectorum, eventuum, novorum ſpectaculorum, quæ noſtris incurrunt oculis, viciſſitudinem ſubſiſteret. Gaudia igitur, quæ ibi guſtantur, earum rerum imitantur mobilitatem, ita ut illis inhærentes in ſingula momenta eadem amittant. Hæc diffluunt prout illi fruuntur, & quidquid admittantur, ut fugientes has remorentur voluptates, velut umbræ prætereunt, & eos deſerunt, antequam illi ipſi mundum reliquerint.

Hoc illud eſt, quod hominum ſapientiſſimus docere nos voluit, poſtquam omnes conatus ſuos exhauſiſſet & totam potentiam, omniaque mentis ſuæ lumina adhibuiſſet quæſiturus gaudium conſtans ac diuturnum in rebus vitæ hujus, palam coram univerſo mundo profitetur, ſe id aſſequi non potuiſſe. Ad id autem quid fecit? Ipſe audiendus eſt: incepi inquit magnificas ædes extruere, immenſos theſauros colligere, ut ſumptibus pecunia ſuppeteret, ſed hæc omnia me voti compotem, beatioremque non efficiebant. Mutavi conſilium; *Verti me ad aliud*; pergit ille; Credidi gloriam, & honorem
Eccleſ. 2. quæ deperibam, jucundius objectum futurum; ideoque juſſi mihi præſtari omnia obſequia quæ Regi omnium ſuperbiſſimo præſtari poſſunt. Univerſus orbis coram me flexit genu, ut mihi obſequeretur: *Verti me ad aliud*. Alia mihi fuit inquirenda via, & medium aliud tentandum; inde expertus ſum, utrum voluptates, quæ meam decerent ætatem me beatiorem efficerent; & ſtatim quidquid in terris repertum fuit per alliciendo, ac trahendo me, ſeſe meis obtulit deſideriis; ſed ibi etiam quod quærebam nactus non ſum, *itaque verti me ad aliud*. Tranſibam de objecto in objectum, de voluptate in voluptatem cum tædio, quod efficiebat, ut omnes generatim perquirerem illis ſingillatim repulſam daturus. Denique commentitiam conſectabar felicitatem, quam aſſequi non poteram, quærens inceſſanter ſemperque deſiderans, mutans in ſingulas horas objecta, & poſt breve temporis intervallum rejiciens, quod ardentius fueram proſecutus; cognoſcebam quippe ea, quæ pluris feceram non aliud eſſe quam illuſæ imaginationis effectum. Denique inveni, in poſſeſſione bonorum mundi hujus nihil eſſe niſi oneroſam ſatietatem, quæ efficit, ut omnia contemnerem: *Et in his omnibus reperi* Eccleſ. 2.
*afflictionem Spiritus*.

Hoc autem accidit, quia cor noſtrum factum eſt propter alia bona, aliaſque voluptates, non terrenas, quæ illud occupant, quin illi ſatisfacere valeant, quemadmodum S. Auguſtinus exclamabat: *Feciſti nos ad te, Deus,* L. 1. Conf.
*& irrequietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*. Hinc oritur, ut cum cupiditates noſtræ exarſerunt, & cum ætate deferbuerunt, ſæpe videmus homines mundi hujus pertæſos, qui poſtquam objecta omnia conſectati ſunt, & nihil invenerunt, niſi ægritudines, & amaritudinem, reliquum vitæ ſuæ ſpatium traducunt in deploranda ſua cæcitate, ac inſania, & requirenda in Dei ſervitute ſolidiore, ac diutiore oblectatione.

Denique quod magis magiſque a mundi gaudiis vos debet avellere, eſt poſtrema qualitas, quam S. Auguſtinus illis attribuit, videlicet quod illa non ſolum nos fallunt, nos deſerunt, & brevi labuntur, verum etiam nos denique trahunt, & in æternum præcipites nos tradunt infortunium: *Mentiuntur, moriuntur, in mortem trahunt*. Hic finis, & funeſta hæc cataſtrophe in nobis ciere debet majorem horrorem, tanquam poculi veneno infecti, quantumvis guſtu ſuave eſſe videatur, etenim ad hanc mortem æternam hic mundus adducit, qui nobis placet, qui nos trahit, qui nos allicit, qui nos faſcinat, & ſeducit.

Nihil hoc ridentius, nihil acceptius, nihil officioſius; ſed non videtis lethale virus, quod ſub his floribus latet, non deprehenditis, quam abruptum ſit hoc iter, quod ita commodum, latumque videtur, neque ſolliciti eſtis de termino, in quem hæc noxia gaudia perducunt, quæ ubi ſemel præterierunt, locum vacuum relinquent ſuppliciis, quæ æternitate, ac incomprehenſibili auſteritate punient illud perfunctoriæ voluptatis momentum: *Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat*, S. Bernardus ait. Hæc eſt querimonia, in quam mundi ſectatores inter ſua erumpent ſupplicia. O Deus! adeo ne charo pretio emenda erant gaudia, quæ tam celeriter præterierunt? Tantane hæc erant gaudia, ut ſuppliciorum æternitate eſſent comparanda? Ideone æternum infelix futurus ſum? *Momentaneum quod delectat*. Hæc gaudia momento permanſerunt, ſed pœna, quam in caput noſtrum congeſſerunt, nullum eſt finem habitura? *Æternum quod cruciat*. Ne expectemus, auditores, donec propria calamitas nobis oculos aperuerit; cogitemus potius gaudia, quæ in Dei ſervitute guſtantur, in Bibliis vocari aquam vivam ſalientem in vitam æternam: *Fons* Joann. 4.
*aquæ ſalientis in vitam æternam*. Quemadmodum defluunt a Cælo, illuc revertuntur: illuc attollunt juſtum, & efficiunt, ut guſtet partem earum deliciarum, quibus in æternum eſt perfruiturus.

Quandoquidem ergo, fideles, Deus, & mundus duo Concluſio.
ſunt Domini ſimul certantes, uter nos ſit poſſeſſurus, ut ſermoni huic finem faciam, vobis dicam, quod olim magnus Imperator Joſue dixit populo ſuo: *Eligite vobis hodie, cui potiſſimum ſervire debeatis*. Vobis hodierna die eligendus eſt dominus, ſed ubi reperiri poteſt commodior, aut ſuavior Deo, qui efficit, ut jugum ſuum ferentes illud facile inveniant? Quod ſi animum advertimus non ſolum hunc eſſe dominum mitiſſimum, ſed etiam maximum, & qui meretur, ut creata omnia ſeſe immolent, atque abſumant pro gloria ſua, hac in re locum habebit illud Apoſtoli verbum: *Ut ambuletis digne Deo*. Ut illi ſerviamus, quantum ille meretur, & quantum patitur noſtra fragilitas; videlicet cum conſtantia, & ardore, quo percurrere valeamus, ubi vix alii poſſunt ambulare. Hoc effecit, ut olim martyres perferrent teterrima quæque ſupplicia; hoc effecit, ut illi inter vincula, & carceres deliciis perfunderentur; hoc modo etiam cruci, & mortificationibus ſuis addit illecebras, quas tot animæ ſanctæ amplectuntur. Hoc denique efficit, ut tot viri nobiles genere, & præſtantes ingenio voluptatibus, ac terræ divitiis nuntium mittant, ut ſeſe magno huic Domino in tot adeo auſteris Religionibus ſeſe devoveant, & facit, ut gaudium nanciſcantur in iis rebus ipſis, quæ aliis moleſtæ, horrenteſque videntur.

Sed licet Deus omnia poſſit a nobis exigere, immo etiam plena auctoritate titulo majeſtatis ſuæ nos ſubjicere valeat, mavult tamen nos illi ſponte, ac amoris cauſa inſervire. Ideo nos invitat, nos primus ſollicitat;

& vide-

& videtur etiam cum aliis dominis decertare qui ſimul in partes ſuas nos pertrahere conantur. Mundus nos urget, perſequitur dæmon & caro nos ſuis captat illecebris. Cuinam obſequemur? Cui noſmet trademus? Sed quia hoc melius meretur, quam Deus, Dominus iſte bonus adeo, & ſuavis, ſimulque ita magnus? Quis melius nos remunerabitur? *Mundus clamat, deficio*, S. Bernardus ait, *Caro, inficio, dæmon, conficio; Deus clamat, reficio*, Mundus nobis pollicetur honores, & opes, ſed eſt nobis pauperior, numquam nobis ſatisfaciet; *deficio*. Caro polluit cor noſtrum, *caro, inficio*; ego vero, dæmon ait, occido, & victimam facio inferni flammis abſumendam, *conficio*. Ne ſimus adeo miſeri, ut magiſtro adeo crudeli ſerviamus: Sed Deus nos conſolatur, nos replet, nos in hac etiam vita facit beatos. *Deus clamat: reficio*. Hic igitur hodie nobis eligendus eſt in Dominum; quia deinceps in omnem æternitatem opellam noſtram eſt remuneraturus.

# S E R M O D E C I M U S.

## De Conciliandis Officiis Mundi, & Religionis.

Sicuti mundi nomen æquivocum eſt æque in ſermone Spiritus Sancti, atque in communi hominum uſu, mirum non eſt, Auditores, ſi videmus in Evangelio placita, & propoſitiones quaſdam, quæ ſecum pugnare videntur, ſive vario conceptu, quem habemus de mundo; & niſi varia vocis hujus ſignificatio ſatis oſtenderet veritatem. Videmus profecto Dei Filium modo contorquere anathemata, & maledicta in hunc mundum, qui objectum eſt odii illius, modo vero dicere, ſe veniſſe, ut ſanctificaret illum, ac benedictionibus ſuis cumularet. Hic reſpicit illum tanquam inimicum, qui ab ipſo fuit ſuperandus, quem evitari jubet, & cum quo non vult diſcipulos ſuos habere commercium; alibi vero ait ſe miſereri illius, nihilque ſibi antiquius eſſe, quam omnem malorum ejus originem exhaurire. Obſtupeo, cum video Salvatorem hominum jam ſubeundæ morti paratum, nolle pro mundo preces
Joann. 17. effundere: *Non pro mundo rogo*, & ægre ſenſum hunc conciliare valeo Dei miſericordiæ cumulatiſſimi, cum immenſa ipſius charitate, quæ effecit, ut mundum univerſum complecteretur, & vitam ſuam impenderet, ut eumdem redimeret. Denique non ita facile intelligo, quomodo mundus ſit objectum odii illius ſimul & amoris, quomodo illum ſalvum faciat, & reprobet; quomodo nullis pepercerit ſumptibus, ut ſincerum teſtaretur deſiderium ſalutis ipſius, & nihilominus aſſerat, illum jam judicatum, damnatumque fuiſſe.

Ad conciliandos hos ſenſus, qui ſibi pugnare videntur in corde Hominis Dei, dicendum eſt mundum quoque in diverſo accipi ſenſu; modo enim ſumitur pro cœtu impiorum viventium ſine lege, ſine conſcientia, ſine religione, cupiditatum ſuarum mancipia, quibus voluptas quæcunque tandem ſit, inſtar eſt ſummi boni. Hoc in ſenſu, conciliaretur potius lumen cum tenebris, quam J. C. cum Belial, ut S. Paulus Apoſtolus loquitur; ita Dei Filius reſpicit eos, qui corruptum, ac perverſum hunc diligunt mundum, tanquam infeſtiſſimos hoſtes, & in hos fulmina, & maledicta contorquet; quia mundus tunc accipitur pro ſcandali regno, pro ſchola licentiæ, pro vitiorum omnium ſentina, pro virtus omnibus; ſed alius eſt mundus, quem Dei Filius diligit, quem fidei ſuæ luminibus illuſtraturus acceſſit, quem per gratiam ſuam cupit ſanctificare, & de quo dicit Evangelium, *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium*
Joann. 3. *ſuum Unigenitum daret*. Mundus autem hic eſt eorum ſocietas, qui Filium tanquam Salvatorem ſuum habentes, proficere adnituntur redemptionis beneficio illius placita ſequentes, ac ſeſe reddentes fideles obſervatores legum ipſius. Quod minime prohibet quominus tertiam mundi ſpeciem diſtinguamus, ſi fas eſt ita loqui, & eſt ille, qui a Religione abſtrahit, ut conſideret civiles tantum, & morales qualitates: & mundus hic ex illis conflatus eſt, qui honeſti viri vocantur; qui palam probantur, qui frugi vivunt, & ad rectæ rationis normam, officioſi, affabiles, recti corde, qui ſibi conciliant bonorum omnium amorem, & familiaritatem. Dico autem mundi hujus legibus & officiis fas eſſe Chriſtifidelem ſeſe accommodare in rebus omnibus, quæ neque Dei gloriæ, neque conſcientiæ ſuæ adverſantur; & in hoc ſenſu Cæſari eſſe reddenda, quæ Cæſaris ſunt. Itaque nulla eſt dubitatio, vel difficultas, quod aliquis mundi hujus ſimul eſſe poſſit, & vir perfecte honeſtus, & verus Chriſtianus. Audite argumenta.

I. PARS. Deſumpta ſunt autem ex tribus rebus, quæ mundum hunc civilem componunt, & quæ prorſus ſunt neceſſaria, ut aliquo in pretio ſimus, & illic aliquo in honore habeamur. Non deſunt leges, hujus mundi propriæ, quæ neceſſario conſtituendæ fuerunt, ut ſervaretur ordo, qui alioquin vigere non poterat; ſunt quædam officia, quæ normæ loco habenda ſunt in urbanæ ſocietatis officiis; ut quolibet in ſtatu vivamus, ſecundum honeſtorum virorum exempla: & hæ leges, & canones, ut noſtis, ſunt quædam agendi rationes, quædam obſequia invicem reddenda, & exigenda, vincula quædam citra exiſtimationis detrimentum infringenda, mores quidam denique, quos non prætermittere conſuetudo vetat, & minime honeſtum cenſetur. Dico autem, Auditores, tantum abeſſe, ut Chriſtiana Religio his legibus adverſetur, ac damnet conſuetudines in mundi commercio conſtitutas, ut illas probet, illis ſeſe conformem præbeat, eaſque nos ſequi jubeat. Sed ne fallamini, & cavete, me hoc in loco verba tantum facere de legibus, atque inſtitutis, ad decorem ſervandum inventis, non autem de illis, quæ in vitium, ac ſcelus impellunt, & quæ vulgo mundi placita, leges ſæculi, lata via, ac in mortem deducens vocatur. Hoc numquam ſatis prædicare poſſum, & numquam ſatis præcavere, ne ſermo iſte meus ſit nonnullis ſcandali, non ædificationis occaſio.

Igitur iterum prædico, inter Chriſtianum, honeſtumque virum nullam eſſe oppoſitionem. Chriſtianum poſſe, immo etiam debere ſui ſtatus, ſui characteris, ſuæ profeſſionis, munerisque officia exercere. Verum eſt re adhuc integra videri propoſitionem hanc pugnare cum ſalutari monito, quod S. Paulus generatim tradit fidelibus omnibus, ne ſequantur ſæculi placita, ſed actionum ſuarum aliam omnino regulam ſequantur: *Nolite* Ad Rom.
*conformari huic ſæculo*. Sed mihi in memoriam vobis revocandum eſt, ſenſum verborum hujus Apoſtoli omnino alium eſſe ab eo, quem ipſi intelligimus, ut videlicet noſmet conformemus legibus, & inſtitutis muneris, vel conditionis noſtræ. Quod docet Apoſtolus, in dubium revocari non poteſt, quia ſæculum, & mundus eo in ſenſu, quem ipſe intelligit, oppoſiti ſunt Spiritui Dei, & conſtantiſſimis Evangelicis doctrinis; ſed in eo ſenſu, quem ipſi accipimus, nihil habet, quod offici[illegible] magno huic noſtræ Religionis principio, & morali Chriſtianiſmi diſciplinæ. Quæro enim a vobis, utrum hoc fuerit Evangelii conſilium, evertendi ordinem a divina Providentia conſtitutum quoad conditionum diſcrimen, ac ſtatuum varietatem, quæ urbes, & Regna componunt? Non ita profecto reddetis. Deus idem voluit, & S. Paulus hoc docet, eſſe aliquam inter homines ſubordinationem, eſſe ſocietatem, commercium, nexum, ideoque regulas, ſtatuta, legeſque ad eas fovendas, ſervandaſque, atque ut in mundo vivant juxta eum ſtatum ad quem ſunt evocati. Hoc negari non poteſt: nam huic innixus principio idem Apoſtolus Dei verbis imperat, ut juſtitiæ adimpleamus officia, reddentes honorem, quibus debetur, obſequium, atque vectigal, illis ad quos pertinent. Hoc præcepto probatur jus, quod alii habent præcipiendi, & neceſſitatem, quæ aliis eſt obtemperandi; quippe hic ordo inſtitutus fuit ab ipſo Deo, & neceſſarius eſt, ad ſervandam in mundo pacem, concordiam & ſocietatem.

Tenentur ergo fideles, qui in mundo vivunt, hunc ſervare ordinem, ſeſe his legibus ſubjicere, & ſeſe his conformare conſuetudinibus; ne ut Apoſtolus noſter inquit demus cuipiam conquerendi cauſam magiſtratibus, Poteſtatibus, æqualibus, ac ne illis quidem, qui nobis ſubjecti ſunt: *Nemini dantes ullam offenſionem*. Quod oſtendit hoc non ſolum eſſe juſtitiæ debitum, ſed etiam urbanitatis, & etiam atque etiam commendat, ut hac in re omnis ſingularitas evitetur; ne qui alterius erant Religionis odiſſent, vel contemnerent Chriſtianos, tamquam homines rudes, inſociabiles, inhoneſtos, vivere neſcios, & omnia urbanitatis officia ignorantes. Opinio hæc adeo iniqua, quæ de illis concepta fuiſſet, omnes gentes repuliſſet, ac tandem obfeciſſet fini Religionis Chriſtianæ, quæ erat ſibi mundum univerſum conciliandi, faciens ſe omnibus omnia, ut omnes ad veri Dei cultum pertraheret. At ſi Chriſtianus ſubjectus eſt his legibus tam æquitatis, quam officii, & ſi Religio quin ab illis diſpenſet, jubet immo, ut diligentius, & fidelius illas adimpleamus, nos conſcientiæ vinculis adſtringens, quod nulla alia conſideratio arctius hoc efficere poſſet; nonne fatendum eſt, tantum abeſſe, ut obicem ſtatuat, ut valida ſit ratio propter quam illas obſervare tenemur? quis ergo ſimul & hanc hauriet concluſionem, ſi hoc eſt honeſte vivere haberi probum, ac virtute præditum virum; & ſi eſt honeſtum eſſe virum urbanum ſuperiorem ſe præbere cenſuræ, nullam cuipiam præbere anſam conquerendi? Religio, & virtus minime pugnant cum mundi officiis, atque urbanitate, ſed e contra hanc habent utilitatem, quam omnia ethnicæ diſciplinæ præcepta conferre nequeunt, & illud ipſum diſcrimen quod intercedit inter pro-

bita-

bitatem veri chriſtiani, & illa infidelis viri conſtituenda ſit in modo adimplendi officia, & munera vitæ civilis, in quo conſtituitur qualitas hominis honeſti.

Sed quid ratione opus eſt, cum ipſa loquatur experientia; omnium ſæculorum, inquam, experientia? omnium inquam mortalium experientia; noſtra tandem propria experientia. In ipſo Chriſtianiſmi ortu, quid moderatius, quid humanius, quid ſuavius, quid officioſius primis fidelibus? Hoc etiam atque etiam illis commendabat Apoſtolus, ut invicem certarent urbanitatis officiis, ſibi alternatim honorem adhiberent, reverentiam, & obſequia, quæ ſingulorum ordo, virtus, & munera flagitabant: *Honore invicem prævenientes*; Volebat, ut alios
ad Rom. 12. etiam in bonorum ſuorum partem vocarent: *invicem communicantes*; & eorum converſatio honeſta eſſet, & officioſa: *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, idipſum invicem ſentientes*. Ut jurgia, & lites procul extruderentur; & ſicut nihil magis opponitur qualitati honeſti viri, quam ſpiritus contentionis, cupiditatis, & litium; Apoſtolus hic nonne palam profitetur hanc non eſſe fidelium conſuetudinem? *Nos talem conſuetudinem non*
2. ad Cor *habemus*. Ceterum cum aſſentationes, inanes ſervileſque adulationes, & affectatæ laudes honeſto viro indignæ ſint, nonne illis commendat ſimplicitatem, ac ingenuam libertatem, quæ maxime decet virum illius characteris, de quo verba facimus; & cum S. Petrus volebat ut ſuavibus, modeſtiſque rationibus immitterent ſenſus humilitatis, nonne condemnat ſcrupulos, & formulas, quæ crucem figunt, & adverſantur facili commercio, quod
1. Petr. in homine honeſto requiritur? *Humilitatem invicem inſinuate*.

Sed quomodonam illi cum Ethnicis gerebant ſe? illorum ſuavitas, modeſtia, charitas honori erant Religioni ſuæ: quandoquidem ſatis erat videre hominem frugi, ſuis adimplendis muneribus attentum, moderatum, charitatis plenum, & officioſum, ut cenſeretur Chriſtifidelis. Qui illum intuebantur paratum, ut de omnibus bene mereretur, judicabant optimam eſſe legem quam ille profitebatur. Videbatur illa ferociſſima ingenia cicurire, furentiſſimum quemlibet placare, indocilem, & inhumanum quemlibet ſubjicere, ita ut Chriſtianiſmus videretur illis ſchola virtutis, & honeſtatis ſimul, ubi pietatis, & urbanitatis tradebantur officia, ac tandem diſcebatur, quid Deo deberetur, & quid a nobis homines poſſent exigere; & hoc illud eſt, quod præcepit
Matth. 12. Dei Filius, ut redderent: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ Dei ſunt, Deo*.

Quod ſi a primorum ſæculorum fidelibus ad eos noſtri hujus gradum faciamus, nonne verum eſt eos, qui honeſtiſſimi habentur, eos eſſe, qui accuratius ſua obeunt officia? Non loquor ſolum de iis officiis, quæ ad Chriſtianos in Religionis negotio pertinent, ſed loquor de illis, in quibus cavent, ne deficiant, ubi de illorum conditione agitur, vel profeſſione. Charitate ſunt pleni, & affabilitate, alieni ab injuria cuipiam inferenda; remittunt ſæpe aliquid de jure ſuo propter pacem, quam fovere vellent cum omni perſonarum genere. Viri boni dicuntur honeſti, frugi; quæ varia vocabula ſi ad examen revocaveris, invenies ſignificare eamdem rem, & diligentiam, ac fidem in obeundis Religionis officiis efficere, ut majori cum nominis exiſtimatione fruantur in mundo. Hinc ergo videtis, hæc officiorum genera, quin ſibimet adverſentur, aut viciſſim ſibi pugnent, perfectiſſime coaleſcere, & conciliari.

Neque aliam niſi ex vobiſmetipſis probationem quæritis; ſi perciti ſenſibus, ac veritatibus Religionis noſtræ unquam iniiſtis vitæ, morumque mutandorum conſilium; nonne ſtatim veſtra agendi ratio deprehenſa fuit? Nonne domi viſi fuiſtis moderatiores? Officiis veſtris obeundis alacriores, minus cum ſervis imperioſi? Gratia de vobis victoriam retulit, ſaltem ad tempus aliquod: igitur honeſtiores facti eſtis, cum meliores Chriſtiani evaſiſtis; & ſi in Dei cultu perſeveraſtis, igitur nuntium miſiſtis libidinibus, atque flagitiis, quibus voſmet ingurgitaſtis. Verum cum aliam vivendi rationem ſecuti eſtis, ſtatim aliud de vobis judicium ferri cœpit, & aliter de vobis æſtimari, quam antea. Meliores facti eſtis, & incepit eſſe in vobis honeſtus homo, cum virtute prædito, & homine Chriſtiano. Itaque ubi ſæpe auditis prædicari, ad hoc ut Chriſtiano more vivatis, viam eſſe inſtituendam prorſus oppoſitam conſuetudini mundi hujus, vel Evangelium, Patres, omneſque Sanctos illam reſpicere tanquam Chriſtianiſmi placitis oppoſitam, ne inferatis inde, me vobis aliud prædicare Evangelium ab aliis; quia illi per conſuetudinem mundi vocant verſutias, dolos, artes, technas, duplicitatem, aliaque placita, quæ omnem mundo fidem abrogarunt. Sed nos hic intelligimus quidquid boni, & laude digni, vel ſaltem nullo in diſcrimine poſiti, & cui noſmet conformare poſſumus, quin Religioni officiamus.

Hic ſubſiſtere poſſem, & acquieſcere adeo manifeſtæ probationi in gratiam ejus veritatis, quam vobis prædico. Sed aliam afferam non minus valentem; videlicet ſicut mundus in eo ſenſu acceptus, quem explicuimus, ſuas leges habet, quas oportet ſequi, & officia, quæ ſunt obeunda; ita non deeſſe virtutes. quæ omnino ſunt neceſſariæ, ut ibi ducatur vita, quæ honeſtum hominem deceat. Virtutes inquam civiles, & morales, quæ in omni Religionum genere honeſtorum virorum nomen conciliarunt illis, in quibus enituerunt; cujuſmodi ſunt bona fides in promiſſionibus, ſinceritas in verbis, conſtantia in amicitiis, vis, animi magnitudo, integritas, juſtitia, cordis rectitudo aliæque, quæ nonniſi pro objecto habeant morum honeſtatem, eo tendunt ut honeſtum virum conſtituant, quem ipſi Philoſophi cum homine virtute prædito confuderunt. At enim hæ non vocantur Chriſtianæ virtutes; quandoquidem uſum obtinebant apud Ethnicos, & inde argui poſſe videretur, igitur neminem eſſe poſſe honeſtum virum in mundo, cujuſcunque Religionis eſſet. Hæ veræ ſunt virtutes, non diffiteor, vel inter infideles: itaque nullus dubito quominus reddant poſſidentes ſe honeſtiſſimos homines in ſecta qualibet, ac natione; at non credo, dubitari poſſe quominus Chriſtianiſmus adoptet, ac recipiat virtutes eaſdem, ut etiam illas non attollat, ac reddat perfectiores, illas reddendo ſanctas, atque Chriſtianas, aliaſque adjiciat, quæ non minus conferant, ad homines honeſtos ſimul, & ſanctos efficiendos. Hujuſmodi ſunt humilitas, inimicorum dilectio, divitiarum ceterarumque mundi hujus rerum contemptus. Ponamus enim in Ethnica ſuperſtitione inventos fuiſſe, atque ad hanc uſque diem inveniri homines æquos, ſinceros, fideles, conſtantes, & generoſos, atque cum illis agi poſſe tanquam cum honeſtis viris, qui fidem præſtant, & qui ſibi legem indicunt nemini nocendi, ac de omnibus bene merendi; poteſtiſne ſolum dubitare, ne hæ eædem virtutes factæ Chriſtianæ, fiant etiam perfectiores, & ratio moralis honeſtatis, quæ illis ineſt, longe majorem non habeat vim; cum Religionis rationes acceſſerint; videlicet, cum vos illas intuebimini tanquam partem legis, quam ampleni fuiſtis, tanquam medium acquirendi, & promerendi æternam felicitatem, immo etiam tanquam obligationem, quam ſubiiſtis, chriſtianæ Religioni nomen dantes.

Mihi autem vobis dicere ſatis eſt, Chriſtianam Religionem majorem dediſſe omnibus hiſce moralibus virtutibus latitudinem, efficere, ut exerceantur ob validiores, & ſublimiores cauſas, velle, ut illis utamur erga omnia perſonarum genera, quin earum meritum humili, ac ſervili quopiam fine corrumpatur. Non eſt igitur dubitandum quominus Chriſtianiſmus præbeat auxilium inſigne, & ſatis ſingulare ad honeſtum hominem conſtituendum, & quominus homines pluris faciant, diligant, & confidant in eos, quos credent meliores, fideliores Deo, & ſecundum Religionis ſuæ principia paratiores ad benemerendum de omnibus, licet ſibi inimiciſſimis. Tandem enim mundus nequiſſimus facere nequit quominus concipiat ſecretam exiſtimationem pro bonis, & admiretur id etiam, quod imitari non vult. Quærit ſæpe horum hominum amicitiam, & illam ſibi gloriæ vertit; ſi cum illis ſibi agendum eſt, fidem habet eorum verbis, illorum æqui bonique facit conſilia quantumvis non ſemper ſequatur illa. Nonne viſi ſunt Reges vitiis diffluentes habere in honore homines exploratæ probitatis, & in eorum gratiam concedere, quod aſſentatoribus, ac libidinum ſuarum miniſtris negaverant? Videte in Evangelio, quo in loco haberetur Joannes Baptiſta in aula Regis Herodis, & quomodo ibi reciperetur, audiretur, & in honore haberetur; *Libenter eum audiebat, & audito eo multa faciebat*. Neque mirum eſt. Virtus ſecretas habet il- Marc. 6.
lecebras, quæ efficiunt, ut flagitioſiſſimus quiſque illam amet, atque admiretur, ita ut de illa dici poſſit, quod de Sapientia inquit Scriptura: *Innumerabilis honeſtas per manum illius*. Quemadmodum gratiam, bona officia, obſequium, reverentiam ab hominibus virtute præditis recipimus, ita illos colimus, & obſervamus; cumque honeſtas ſejungi nequeat a virtute, optimus quiſque ſemper habendus eſt ab hominibus tanquam honeſtiſſimus. Hoc illos ſpectabiles efficit, hoc illos a plebe ſecernit; huic non genus, non opes, non ingenium, non dexteritas, non cetera alia talenta ſupplere poſſunt; namque bonus uſus, qui fit harum rerum omnium, acquirit hominis honeſti ſimul, & boni qualitatem.

Poteſt quidem non deeſſe ſpiritus, ſcientia, dexteritas, exiſtimatio, auctoritas, non inficior. Verum ſi putas id, quod efficit honeſtum virum, fallacem eſſe conceptum, quem vobiſmet finxiſtis, ſola virtus hoc tribuit nomen, & hanc qualitatem, quamquam fatear, hæc omnia conferre nitorem virtuti, & prodeſſe ut aliquis inter bonos viros ſecernatur. Cum dicimus, hic vel ille eruditus eſt, ingenio præſtanti præditus, cognoſci, & æſtimari poteſt ex hiſce locis; ſed potiſſimum cum addimus, vir probus eſt, qui diligenter omnia Religionis ſuæ obit officia æque ac illa ſui ſtatus, ſuæque profeſſionis; hoc verum illius meritum conſtituit, hic perfecte honeſtus homo eſt, quia vere eſt vir bonus, & quod ſatis mirum eſt, homines ipſi, qui profecto non habentur ſatis frugi & bene morati, non ſemper habent in pretio id, quod fit pro mundo; ſi enim quid recti ſenſus illis reliquum eſt, probare nequeunt inſanos ſumptus, immodicum luxum, aleam interminatam, inordinatas libidines, & vulgatiſſima placita mundi reprobari, & facere nequeunt quominus laudent, probent, atque admirentur eos omnes, quos ſciunt ab hujuſmodi flagitiis quam longiſſime abhorrere. Hinc diſcite, Auditores, præſtantiſſimam educationem, quam filiis veſtris procurare valeatis, eſſe

illis

Digitized by Google

illis inſpirare pietatem, timorem Dei, accuratam, ſedulamque obſervantiam omnium Religionis officiorum. Vultis eos fieri aliquando honeſtos homines in Mundo; admiſſi, ut de illis erudiantur, quæ honeſto viro ſcienda ſunt, incipite igitur illis inſpirare virtutem & ſenſum Chriſtianiſmi, hæc enim tutiſſima via eſt, qua voti rei fieri poſſitis; ſuper hoc fundamento cetera vobis conſtituenda ſunt: norunt dare Cæſari, quod Cæſaris eſt, cum norunt reddere Deo, quod Dei eſt. Et ſicuti Religio illis in honorem vertet, ipſi etiam viciſſim honori erunt Religioni; quod in altera parte viſuri ſumus.

II. PARS. Dei Filius, ut ſtatim Chriſtianam Religionem inſtitueret, ac oſtenderet, hoc unice ſuum opus eſſe, uſus eſt, ut omnes noverunt, iis adminiculis, quæ humanæ ſapientiæ viſa ſunt ejuſdem conſilio maxime oppoſita; etenim ut S. Paulus animadvertit, nequaquam ſibi adjutores elegit viros genere, aut ſcientia ſpectabiles, vel fama, aut eloquentia inſignes, verbo eos, qui tunc temporis, & ibi gentium honeſtiſſimi haberentur, ſed rudes homines ex vulgi fæce, nullius auctoritatis, & nominis, ut mediorum relatio ad finem efficeret, ut totius operis gloria referretur acceptа dexteræ omnipotenti, ac prorſus divinæ Sapientiæ. Sed Chriſtiana Religione ſemel inſtituta, & prædicata Auctori tanti hujus miraculi viſum eſt conſilii rationem mutare, aliiſque uti mediis ad hanc Religionem ſervandam, latiuſque propagandam. Neque enim amplius adhibet perſonas contemptibiles, ſed honeſtiſſimas, videlicet homines, qui pietati, virtutique alias conſociant qualitates, quæ illas commendant, eiſque mundi exiſtimationem conciliant. Primum, quia ſuis oſtendunt exemplis, virtutem eſſe honore dignam, & glorioſum eſſe illius partes amplecti. Secundo, quia pondere auctoritatis ſuæ ſuſtinentes Religionem eamdem contra placita impiorum, qui conſiant mundum corruptum, manifeſta perſuaſione oſtendunt, quin aliquid de Evangelicis dogmatibus relaxetur, vel de hominis Chriſtiani officiis, hæc omnia conciliari poſſe cum iis conditionibus, quæ minus ad ſalutem conferre videntur. Hoc brevi ad examen vocemus.

Dico igitur honeſtos mundi hujus homines, quo nomine illos nunc intelligo, qui ſpectabiles ſunt genere, ortu, meritis, vel alio quocunque modo, hos, inquam homines honorem afferre Chriſtianiſmo, ac Religioni, cum illius obeunt officia, & Cæſari reddentes, quod ad Cæſarem ſpectat, nulla in re deſunt, quam debent Deo. Hæc ſententia vobis admirationem non debet injicere; nam ſicut fidelis nequam dedecorat Religionem incondito vitæ genere, & præbet anſam credendi illum non eſſe aliorum ſanctiſſimum, quoniam non didicit meliorem ſervare vitam, quemadmodum eloquens Salvianus olim conquerebatur; e contra dici etiam poteſt irreprehenſibiles eorum mores, ſanctas, ac præclaras actiones oſtendere, quanam in ſchola eruditi fuerint, cujus magiſtri diſcipuli ſint, & hoc pacto utique honorem afferre. Re ipſa cognoſcitur virtus eſſe honore digna, cum illam honeſtiſſimi profitentur, & audeo dicere, deletur macula, quam in prima inſtitutione illi conabantur offundere, & quam Ethnici inceſſanter oculis objiciebant, quod populus dumtaxat, & homines ex fæce plebis illam amplectebantur; Primum legis inſtitutorem illius præcepta, & myſteria pauperibus tantum rudibus, & ignaris revelaſſe; neque mirum eſſe, ſi tantum doceret honorum, divitiarum, gloriæ cerum rerum contemptum, quas homines ardentius inquirunt. Hæc accommodata eſt eorum ingenio, qui eamdem inſtituerunt, atque annuntiarunt. Homines in obſcuris tenebris nati, animæ humiles, quæ ſeſe ad magnum aliquid neſciunt attollere; veram magnitudinem in humilitate conſtituere voluerunt, ac novam ſibi ad gloriam viam ſternere per crucem, ac ignominiam, quam ſuſtinebant.

Tunc de Chriſtiana Religione ferebatur judicium a qualitatibus eorum, qui illam tradebant, vel amplexabantur; & ſatis diu manſit in contemptu, & mortalium opprobrio; neque inde emerſit, niſi poſtquam homines honeſtiſſimi illam ſecuti ſunt, & primi, ac fideliſſimi fuerunt, qui officiis illi inhærentibus perfungerentur. Hoc video eſſe honori Religioni ſuæ, illi famam conciliare, & efficere, ut ampliſſimus, & ſpectatiſſimus quiſque honori ſibi vertant ejuſdem ſequi placita, & ſemet illi primos ſubjicere. Hoc autem faciunt homines præſtantiſſimi, ubi conſtanter omnia obeunt Religionis officia; Tuentur nitorem, & auctoritatem, quam illa adepta eſt, vel ſaltem eximunt illam ex opprobrio, & contemptu, in quo erat adhuc apud quamplurimos, qui putant, devotionem, & pietatem eſſe veluti partem exilium ingeniorum; Evangelii placita apta non eſſe niſi ad populos in obedientia cohibendos, cum e contra homines honeſti, qui nati ſunt ad magna, aliam habere debent mentem, ac ampliora cogitare. Inſana illuſio, quæ oſtendit ſæculi corruptionem, & artem dæmonia! Quid objicere poſſum, Auditores, huic tam noxio errori, niſi exemplum eorum, qui inter ceteros nitent, cum non minus fideles ſunt Deo, quam Cæſari; videlicet cum ita accurati, & regulares ſunt in Religionis obſervantia, quam in muneria ſui officiis obeundis; cum hinc quidem adimplent ea, quæ debent mundo, & reddunt illi, quod jure ab ipſis exigere poteſt; ſed inde conantur omnibus perfungi officiis pietatis: Hi homines nonne ſuo oſtendunt exemplo, pietatem eſſe debere virtutem omnibus mortalibus communem? Chriſtianiſmi placita ab omnibus conditionibus generibus obſervari poſſe; & ſi Deus in eligendis electis ſuis rationem non habet generia, aliarumque naturalium qualitatum, ipſum non repellere quemquam, ac ſæpe etiam illis uti, quibus ſua contulit beneficia, ut alios in viam ſalutis educat; ita ut cum primi ſint in officiis ſuis obeundis, cum ſint homines ſpectabiles, vel auctoritatem, & poteſtatem habentes, atque publica approbatione, atque exiſtimatione gaudentes, Religioni ſuæ reverentiam, nomen, atque auctoritatem concilianr.

Quænam felicitas! quod bonum! videre mortalem, qui in ſua conditione, ac ſtatu honeſtus evadit, parem ſe præbet ſuſtinendo honori Religionis, eamque protegendi e contemptu impiorum, & flagitioſorum hominum, iiſque oſtendendi, non deeſſe Deo ſervos æque zelo ſuccenſos pro ejus gloria, ac viri Principes terræ, & officia æquiſſima, quæ nos mundo adnectunt, nequaquam prohibere, quominus Deo perfecte adhæreamus. En denique quid in noſtræ Religionis honorem cedat, videre, honeſtos homines eos eſſe, qui illi conſtantius inhæreant; quod etiam illud opprobrium poteſt excutere, cum infideles nobis exprobrant, vitam, moreſque noſtros nequaquam æque compoſitos eſſe, ut ſui ſunt. Profecto non alios teſtes probitatis Chriſtianæ Religionis illis proferre poſſumus, quam exempla primorum fidelium, qui illam fuerunt amplexi. Ut ipſi bene vivere teneamur, ſemperne ob oculos nobis erunt objiciendi martyres antiqui? Indeſinenter confugiendum erit ad Thebaidis Anachoretas, & Cœnobitas, qui in Clauſtra, & procul ab hominum commercio vixerunt? Vere Chriſtiani, ac virtute præditi eſſe non poſſumus niſi in Clauſtris, atque deſertis? Si hoc unum ſuſtineret nomen Chriſtiani, & Religionis noſtræ Sanctitatem, hæc ſane ad paucos eſſet redacta, neque ſatis dignus de illius Sanctitate conceptus haberetur: ſed ubi in mundi hujus luce, in magiſtratuum & publicorum honorum officiis obeundis illi videntur, qui honeſtiſſimi habentur, etiam eſſe maxime virtute præditi, & maxime regulares in officiorum ſuorum obſervantia; hoc illud eſt quod Religionem alit, quod cedit in Religionis honorem, quod Religioni decus addit, & lucem.

Hoc tamen non eſt unicum bonum, quod honeſtus homo conferat Religioni eo in loco, quem ſibi comparavit, ſuma inſignis probitatis; etenim ſecundo loco mundo aufert pernicioſum errorem, in quo ſunt nonnunquam illi ipſi, qui optimi habentur; videlicet credere, chriſtianas virtutes maxime ad ſalutem neceſſarias, cujuſmodi ſunt humilitas, ſenſuum mortificatio, paupertas ſpiritus, ſui ipſius abnegatio, aliaque magis eſſentialia Chriſtianæ Religionis placita ſimul ſtare non poſſe cum magnitudine, & auctoritate, cum nomine ſtrenui, ſapientis, & viri eruditi. Ita ſibi perſuadebat Tertullianus, Imperatores, & Principes viros eſſe non poſſe Chriſtianos, quin abdicent Imperium vel ditiones ſuas, & ſi Chriſtianus evaderet magnus, illi vel magnitudinem ſuam, vel Religionem eſſe abnegandam. Sublime hoc ingenium, ſed aſſuetum exaggerandis veritatibus, & hyperbolice amplificandis, cogitans Dei Filium in paupertate natum atque humilitate ad ſui cultum nonniſi pauperes, & humili natos loco evocaſſe; ceterum humilitatem ab ipſo conſtitutam fuiſſe tanquam legis Evangelicæ fundamentum, deprehendit quamdam oppoſitionem inter nitorem, & ſubmiſſionem, quam hominum plerique illis præſtabant; ſed non animadverterat, chriſtianam virtutem magis in interiori parte, & corde conſiſtere, quam in externa ſpecie; qua re diſtinguitur ab illa Ethnicorum Philoſophorum, qui famam dumtaxat, & gloriam aucupabantur. Ita Chriſtianus ſub nitenti aſpectu habere poteſt verum contemptum rerum omnium hujus mundi, humilem ſenſum de ſe ipſo, & ſpiritum mortificationis, qui illi omnem auferat ſenſum voluptatum. Cum autem zelotis hujus dogmatum Evangelicorum tempore pauca eſſent interioris hujus virtutis exempla, ſibi minime perſuadebat fore ut impoſterum nulla eſſent futura.

Sed non animadvertit Chriſtianiſmum ſeſe omnibus conditionibus accommodare, quin quidquam remittat de Religionis ſuæ muneribus, atque officiis; quia non jubet practicam divitiarum & honorum mundi abrenuntiationem, ſed interiorem dumtaxat, quam cordis affectionem, & ſpiritus paupertatem vocamus. Ita ut, quemadmodum nitor, magnificentia, reverentia, & populorum obſequium ſæpe requiruntur ad tuendam dignitatem, atque exiſtimationem, ut aliquis honeſtus habeatur in mundo; Chriſtiana Religio non adverſatur, ſed monet tantum, hæc ſimul difficile conciliari poſſe, humilitatem in honore raro inveniri, & temperantiam non adeo facile una cum voluptatibus licet honeſtis, licitiſque permanere, terrenarum rerum contemptum in ſumma bonorum omnium copia eſſe infrequentem; ſed videri tamen in Chriſtianiſmo per honeſtorum hominum exempla; quæ palam oſtendunt, poſſeſſionem, atque perfruitionem horum bonorum non prohibere, quominus aliquis eſſe valeat perfectus Chriſtianus, quandoquidem viſi ſunt Reges æque humiles in purpura, ac Solio, ac Cœnobitas in

ciliciis,

cilicis, & pœnitentes in pulvere, ac cinere; inveniti negotioſos homines, quos negotiorum multitudo ab officiis Religionis avocare non potuit, neque defuiſſe Reginas quæ foverunt ſenſus Eſther, cum ſe vidit ad gloriæ cumulum ſublatam, quatenus uxorem potentiſſimi Regis Terrarum. Scis Domine, neque alium præter te volo teſtem, me nequaquam ambiiſſe coronam, quam capite geſto; me etiam horrere hunc faſtum, & hæc inſignia ſuperbiæ, & me divinæ providentiæ tuæ juſſu ad hunc dignitatis apicem evectam, nunquam oblectatione captam fuiſſe propter inanem pompæ hujus fulgorem; neque me alluſam fuiſſe uſquam fallacibus meritis, quæ mihi deſunt, neque perſtrictam hujus mundanæ magnitudinis luce, neque deceptam voluptatum illicitis. Tu Domine id noſti, teque teſtem invoco, me millies beatiorem vixiſſe in caligine, & obſcuritate, ea qua me eduxiſti; & obedientiam, qua divinæ voluntati tuæ pareo, effeciſſe, ut huic ſtatus mutationi memet invitam ſubjicerem. Hoc exemplum ex honeſtis hominibus percipitur. Oſtendunt in mundo exerceri poſſe auſteriſſima Chriſtianæ Religionis placita, in ipſa dignitatum luce haberi poſſe cor ab omnibus terræ bonis avulſum, inter divitias, & rerum copiam; & demum aliquem eſſe poſſe ſimul virum honeſtum, verumque Chriſtianum, ubi reddat Cæſari quæ Cæſaris ſunt, & Deo quæ ſunt Dei.

Hoc, iterum dico, illud eſt, quod Religioni ſuæ honorem afferre voco per conciliationem officiorum ſtatus ſui, & eorum, quæ Chriſtiana flagitat fides; quia tertio loco vivent s, uti verum fidelem decet in tanta noſtri hujus ſæculi colluvie; oſtendimus, Deum hactenus ibi invenire famulos, in quibus gratia plus habet roboris ad illos in bono ſervandos, quam illecebrarum adſit in mundo ad eos corrumpendos; ita ut ſint tanquam totidem gratiæ miracula, quæ palam oſtendunt id quod S. Chryſoſtomus de Job prædicat. Vir juſtus, atque fidelis Deo in regione idolorum cultui addicta, atque inter vitiorum colluviem poſitus quamdam refert ſpeciem triumphi de virtute; eaque de cauſa Deus illum tanquam trophæum poſuit, & tanquam prodigium reſpexit. Hoc reipſa erat ſpectaculum, quod placuit in oculis ejus, videntis virum fidelem, ſuis inhærentem officiis, & obtinentem adverſum torrentem quo alii rapiebantur, & cujus exemplum ita validum erat ad inhibenda ſcelera eorum, a quibus videbatur, vel qui eidem ſubditi erant. Spectabilis erat propter locum, quem obtinebat, propter opes, atque auctoritatem ſuam: *Maximus inter Orientales*, ut ſacer Textus loquitur. In Oriente toto nemo erat, qui cum illo comparari poſſet; ſed præ ceteris magis nitebat virtute. Juſtus, & æquus in jure dicundo, ita ut patronus fieret ſervorum ſuorum, ſicubi de illo conquererentur; charitate ſuccenſus eo uſque, ut Deum invocet teſtem, ſe oculum cæco, pedem claudo, perfugium innocentiæ, & miſeris ſolatium fuiſſe. Ejus erga Deum pietas elucebat in Sacrificiis, quæ quotidie pro ſe offerebat, & pro filiis ſuis; zelus vero emicabat efficiendo, ut Dominus ubique coleretur, & in honore haberetur. En quid S. Chryſoſtomus & S. Ambroſius vocent triumphum virtutis inter ſcelera, & flagitia, quæ tunc parabantur; & videbatur Deus ipſe honori ſibi vertere, quod ſervum haberet hujus characteris, qui cum magnus eſſet in mundo propter locum, quem tenebat, major adhuc eſſet propter ſuam in Dei cultu fidelitatem.

Ecce quid honeſti viri faciunt in mundo, quo nomine illos intelligo, qui Chriſtianam vitam ducunt, qui æque replent ſui ſtatus, ſuæque Religionis officia. Hæc ſunt gratiæ miracula, viri viventes in ſæculo, quin ſæculi contagione inficiantur. Quo pauciores id genus inveniuntur, eo majus merentur elogium, atque admirationem; quod aliis exemplo præluceant, ac palam oſtendant, conſenſum officiorum mundi, & Religionis nequaquam ſecum pugnare; ſed ad id magna virtute opus eſſe, non vulgarem animæ magnitudinem, magnam conſtantiam ad ſuſtinendam hanc vitæ rationem. Sed hoc ipſum eorum gloriam, meritum, & coronam conſtituere. Tandem enim eſto quidem, non ſemper optimum ſit conſilium in mundo permanere, ſub hoc prætextu, in mundo etiam ſalvari nos poſſe, ibique vitam honeſtam, & Chriſtianam ducere, propterea quod virtus ibi eſt difficilior; pericula pereundi frequentiora; & laquei, quos dæmon nectit innocentiæ, fere inevitabiles. Eſt tamen magna gloria, & meritum ingens illis, quos ordo divinæ Providentiæ evocavit, aliis eſſe virtutis, & pietatis exemplo, & hoc faciunt honeſti viri, quos vobis exhibui, qui ſimul honori ſunt & Mundo, & Religioni; mundo quidem oſtendentes quamvis peſſime audiat, in eo tamen inveniri bonos, qui oſtendunt ibi etiam ſaluti ſuæ conſuli poſſe; Chriſtianæ autem Religioni oſtendentes, licet torrens alios trahat, licet molles adſint pereundi occaſiones, ac aſſidua in vitium proruenda pericula, poſſe tamen non ſine ope, & gratia cæleſti ſervari innocentiam, & fideles Deo permanere.

Itaque videtis, auditores lectiſſimi, non deeſſe rationem conciliandi Deum, & mundum, utrique reddendo, quod ſuum eſt, quod Dei Filius docuit dicens: *Reddite Cæſari quæ ſunt Cæſaris: & quæ Dei ſunt, Deo*. Quapropter cum jam vobis oſtenderim felicem eſſe conſenſum quem honeſtus homo in mundo facit, nihil eſt, quod adjiciam, niſi dixero, quantumlibet diſcrimen inter hæc officia conſtituatur, non ita facile me perſuaſum iri, illa ſeparari poſſe ab iis, qui in mundo & communi cum aliis commercio verſantur. CONCLUSIO. Tandem enim ſi Chriſtianus quædam non ſervat urbanitatis officia, ſi accuratus non eſt, atque fidelis in obeundo munere ſtatus, & profeſſionis, neque Dei, neque hominum approbationem meretur; nam in hoc ipſo deeſt uni ex præcipuis Religionis officiis. Sed multo minus hunc honeſtum eſſe hominem mihi perſuadebo, nam licet æſtimationis ſuæ cura, vel deſiderium acquirendi gloriam illum cogat quaſdam morales virtutes exercere, vel quaſdam ſervare menſuras, urgentes ſollicitationes ſuſtinere, acreſque cohibere cupiditates, at ſi deſit Religio, & religioſa conſcientia, ac Dei timor altius animo infixus, difficile erit contra tot impetus reſiſtere, nullis occaſionibus cedere, atque ut verbo me expediam, ſatis conſtanter in bono confirmatum eſſe; etenim omnes iſtæ rationes honeſtatis, urbanitatis, honoris, exiſtimationis non ſunt vincula ſatis valida ad hominem in officio continendum; cumque in Chriſtiana tantum religione inveniantur hæ conſiderationes ex Dei parte deſumptæ, ut aliquis conſtanter ſuo muneri inhæreat, ita verus tantum fidelis eſſe poteſt perfecte honeſtus homo, & qui præter gloriam, hominumque plauſum nobiliorem, atque glorioſiorem in æternitate mercedem promereatur.

# SERMO UNDECIMUS.

## Proprium ingenium, aut ſuperandum eſt, aut corrigendum ad hoc, ut in Mundo ſanctificemur.

AD litteram accipio, Auditores, verba Salvatoris, quibus jubet, omnes, qui chriſtianam vitam ducere velint, Evangelicisque Legibus conformem, ſeipſos vincere, & jugem mortificationem exercere. Per verbum illud ſeipſos intelligo id, quo a cæteris hominibus diſtinguimur, & id, quod nos cognoſcendos tradit per characteres adeo proprios, & adaptatos, ut neſciremus noſmet alios ſimulare ab iis, qui ſumus. Hæc natura noſtra eſt, hoc ingenium noſtrum, quod alii temperamentum appellant, alii morem, alii denique ſtudium, & propenſionem. Cum autem hæc natura, vel ingenium, quocunque nomine vocetur, eſt in nobiſmetipſis, per hoc noſmet cognoſcimus, & cognoſcimur ab aliis, & noſmet aliis cognoſcendos præbemus; dico hoc eſſe debere objectum zeli veri Chriſtiani, ſubjectum in quo exercere debet mortificationem ſuam, & demum in vincendis, vel corrigendis ingenii hujus defectibus conſiſtere perfectam illam ſuimet ipſius abnegationem, quam Dei Filius exigit a ſequentibus ſe: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum.*

Argumentum hoc, Auditores, quod determinat Chriſtianam mortificationem, quæ per ſe adeo generalis eſt, & quod illam ad rem prorſus peculiarem coarctat, vobis, ut opinor, videbitur maximi momenti, ſi animum adverteritis Chriſtianum haberi poſſe vel tanquam peculiarem perſonam, quæ Deo ſervire cupit, vel tanquam membrum civilis ſocietatis; quoniam Chriſtiana Religio tantum abeſt, quod deſtruat ordinem politicum conditionum, variorumque mundi ſtatuum, ut illis ſe accommodet, eos probet, atque perficiat. Hodierna autem die vobis probaturus ſum, niſi noſtras imperfectiones, ac vitia correxerimus, verbo, niſi hac in re vim nobis fecerimus, nos nunquam ſolidam virtutem eſſe adepturos, & ſicuti alioquin pacem cum aliis ſervare non poſſumus, neque ſervare poſſe conſenſum, & charitatem, quæ homini Chriſtiano eſt neceſſaria.

Re igitur adhuc integra Chriſtianum conſidero in ſeipſo, & tanquam peculiarem perſonam, cui perſuaſum eſt de Chriſtianis veritatibus, de fine, propter quem in mundo eſt, & quæ per vitam frugi, ſanctamque ſibi certam facere vult beatam æternitatem. Homo ſane qui hos fovet ſenſus aſſecutus eſt Spiritum Chriſtianæ Religionis, & firmum hoc, & conſtans conſilium argumentum eſt illum aptum eſſe Regno Dei. Sed hæc adeo felix diſpoſitio, quæ non oriri poteſt niſi ex gratia peculiari

cælitus immiſſa, ſatis non eſt, ut magno huic negotio ſe implicet, niſi calleat media, quibus uti debet, ut ſerio laborem aggrediatur, & unde ſit initium faciendum; & ajo, hoc ducendum eſſe ex abnegatione ſui ipſius, a vi ſibimet inferenda, & victoria de ſemet referenda.

Matth. 16. 24. Hoc in dubium nequit revocari: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*. Quod autem ſertam expoſcit animadverſionem illud eſt, quod hæc ſui ipſius abnegatio, hæc vis ſibi facienda, hoc prælium inceſſanter inferendum, & victoria neceſſario referenda, reſpicit noſtrum ingenium, atque naturam; hoc primum eſt objectum, materia, & occaſio chriſtianæ mortificationis, de qua loquitur Evangelium; en argumenta. Ut vivamus ritu Chriſtiano adnitendum eſt vitia convellere, cupiditates coercere, & ingenium noſtrum earum principium ſuperare. Ad hæc ingenium hoc, & hæc animi propenſio eſt, ut vulgo dicitur infirmitas noſtra, & locus, per quem aditum aperimus quibuſcunque, qui nos in partes ſuas vellent perducere; ac tandem ingenium noſtrum paſſim maximus eſt obex, quem invenimus in exercitatione virtutis, & poſtremum veluti vallum a gratia ſuperandum, ut nos ad deditionem faciendam impellat. Intelligite quæſo robur harum probationum eo in argumento, quod vobis eſſe debet utiliſſimum.

Primum ſi in natura id, quod vos ad agendum impellit, & motuum omnium principium eſt, etiam illud eſt, quod nobis eſſe largitur: Videtur mihi, Auditores, in iis, quæ ad mores pertinent, primum organum, quo omnes facultates noſtræ moventur, & nos in bonum, vel in malum impellimur, eſſe noſtrum ingenium; quia hoc eſt illud proclive, aut illa propenſio, qua ferimur in alterutrum; & cum ratio adducit nos per hoc ſtudium, tanquam bruta, quæ nonniſi per inſtinctum agunt, non aliam habemus regulam ad judicandum, cuinam rei ſimus apti, quam videre ad quid noſtra nos ferat propenſio, & ad quid noſtra nos impellat natura. Ceterum hoc aliud eſt principium experientiæ innixum, quod licet naſcamur cum propenſione erga ſenſibilia bona, & quadam cum difficultate erga bonum, quod effectus quidam eſt noxæ originalis, non ideo caremus omnibus virtutis ſeminibus, quemadmodum veteres Philoſophi cognovere; hi ſunt inſtinctus, & ſecreta ſtudia erga ea, quæ ſunt rationi, & naturali æquitati conformia, ita ut, inquiunt, ſi divina hæc ſemina colerentur, ſuos fructus afferrent, ac tempore ſuo non mediocres virtutes proferrent. Ita Ethnici quoque locuti ſunt.

Chriſtianiſmus non procul abeſt ab eorum ſententia hac in re; tenemur enim confiteri non deeſſe felicia ingenia, in quibus gratia multo minorem invenit oppoſitionem, & validiores efficit impreſſiones. In aliquibus deprehendimus moralis virtutis primordia, quæ non tam ſero prodeunt; & in aliis adeo validam in vitium propenſionem, quam optima quævis inſtitutio vix, & ne vix quidem corrigere poteſt. Illud vero conſtans eſt, ac ſemper a nobis præſupponendum, hoc eſt, nullum eſſe ingenium, quod ſuſcipere nequeat impreſſiones vitii, atque virtutis, & ex quo percipi nequeant inſignes fructus, ſi adnitamur corrigere illius exceſſum, vel defectum; & iterum dico, in hoc ſitum eſſe debere ſtudium, & occupationem Chriſtiani, qui vult fidelis eſſe Deo, & certam facere ſalutem ſuam. Quorſum iſtud?

Quia ut modo dictum eſt, ingenium, ac natura noſtra fons eſt omnium vitiorum noſtrorum, & omnium fere criminum, quæ committimus; & in vitæ chriſtianæ praxi incipiendum eſt ab omnibus vitiis, praviſque occaſionibus convellendis: *Poſui te, ut evellas, & deſtruas, & ad ſices, & plantes*, dicit Dominus per Prophetam: Iſai. 1. Convellenda ſunt arbuſta mala, quibus ager repletus eſt, antequam ibi bona, & ſalutaria conferantur; atque ut Evangelicis verbis utar, ſecuris ad arboris radicem ferentis fructus iniquitatis ponenda eſt, ne impoſterum pravos afferat fructus.

In iram exempli gratia pronus es, quoniam ea ingenii ardenti, iracundo, impatienti; nolo ad examen revocare, utrum hoc bonum ſit, quod a natura accepiſti, & utrum hoc temperamentum ſit præferendum aliis aliqua in re, tanquam aptius ad egregie facta, ſed dico, in ſingulas occaſiones, in quibus vi, atque fortitudine opus erit, ſexcentas fore, in quibus niſi ingenium hoc inhibueris vi aſſidua omnino eſſe corrupturum, & effecturum, ut in graviſſima incidas crimina. Etenim quæ contumelioſa verba, aſpera, incondita? Quot impetus ſine cauſa, ad minimam quamlibet oppoſitionem? Quonam furore hæc erumpet iracundia in ea omnia, quæ conſiliis tuis adverſabuntur? Quanam præcipiti feſtinatione in omnibus occaſionibus eges? Heu! quot malis pepercifſes, ſi diluculo ingenium hoc tuum ſuperare conatus fuiſſes.

Videte alium ſeipſo inflatum, propriiſque meritis tumidum: hic ſuapte natura gloriæ cupidus eſt, ipſius eſt, ut quocunque pretio præ ceteris niteat. Quot inanes aſſentationes in cogitatione mentorum ſuorum; quantum thuris ſibimet adolebit ſibi plaudens ob minima facta! Quam turpibus artibus ubique ſibi ſuffragatores emendicabit? Nonne jacturam faciet eorum omnium, quæ fecerit bona per oſtentationem, & callidam vanitatem, quæ jacturæ hujus ſemper erit cauſa? Hæc omnia evitaret mala, ſi moderari ſtuderet adeo cæcam cupiditatem in iis, quæ ad ipſum pertinent. Alium hunc cogitate hilari ingenio præditum, ac ſolatiis indulgentem. Gaudium in facie illius ridet, ac illud quocunque præfefert; & alacre hoc ejus ingenium nonne aliquando importune ſe prodit? Et homo iſte, in cujus ore ſemper lepidum aliquod, facetumque ſchema renidet, nonne aliquando verba ſcurrilia, ac parum decora effutit? Et in hac licentia, quam ſibi vindicat obloquendi, quidquid in buccam venerit, dummodo riſum excutiat ſibi, cuilibet ne parcit amico? Nunquamne vulnerat charitatem? Nonne operæ pretium eſſet, ut oris habitum indueret magis ſerium, atque decorum, & qui minorem mentis evagationem ferret præ ſe? Sed qui oppoſito eſt prorſus ingenio, numquid minus ſibi crucem figere, ut ſemet vincere debet? Etenim cum moroſum hoc ingenium invenit ſemper, quod rebus in omnibus reponat, ſemper audientur querimoniæ, murmurationes, contradictiones in occaſione qualibet, quin loquar de animi ægritudine, qua ipſe intus laborabit; numquid melius illo ſe accommodabit, quod ingenio eſt ita in neutram partem proclivi, & nullius rei affecta teneatur, & nihil habeat in pretio? Quiſnam languor in aſceticis! quæ in præcipuis officiis ſuis obeundis negligentia! Quot omiſſionum ſe reum præbebit in negotiis maximi momenti! Non moror diutius in inductionibus, quas quilibet aliis facilius applicare poſſet, quam ſibi. Dico ſolum, ſi noſtrum ingenium eſt fons vitiorum noſtrorum, teneri, quicunque velit vitæ rationem mutare, & ducere ſanctiorem, ac magis frugi; initium ducere a ſuimet ipſius victoria, vel correctione; alioquin ſi hoc deſit, ab eo nullam ſolidam pietatem, nullum in virtute progreſſum eſſe expectandum.

Neque ſatis eſt, quod ingenium noſtrum ſit omnium vitiorum vitæ noſtræ principium; dici enim ſecundo loco poteſt, hoc ipſum ingenium, quod in nos tantum roboris habet, & quemdam habet neceſſarium influxum in omnem vitæ noſtræ rationem, ſimul eſſe partem infirmiſſimam ac minus propugnatam, qua dæmon, omneſque ſalutis noſtræ inimici facilius inveniunt aditum in cor noſtrum, ac minimo niſu nos vincere poſſunt, niſi ea in parte propugnacula ædificemus. Infirmitas hæc ſtatim incurrit in oculos, uti noſtis, eamque diu diſſimulare non licet iis, qui nos propius inſpexerint. Illac, qui aliquid obtinere nituntur ab aliquo clam in animum irrepunt illius, illum circumagunt ad libitum, in rem ſuam pertrahunt; & tandem, quod optant conſequuntur. Igitur per eam partem nos adoritur dæmon, ac tentat; invenit in nobis arma, quibus nobis bellum inferre conſuevit, noſtris uſus contra nos tanquam exercitus Imperator, qui antequam urbem obſidione circumdet, reſpicit, & ad examen revocat locum, ubi muros facilius dejiciat; quem ubi cognovit, illum pulſat inceſſanter, ac tandem oppugnat, expugnatque. Hinc ergo conjicite, Auditores, quanti momenti ſit ſemet ea in parte communire, ſtudere, & cognoſcere noſmetipſos ingenium noſtrum, ac ſemper nobis cavere, ne per noſtram infirmitatem ſuperemur, ſed tutiſſima cautio habenda eſt, ut noſmet laboremus ad illam ſuperandam, antequam contra nos convaleſcat, & nos voti rei fieri non poſſimus citra manifeſtum gratiæ miraculum.

Adeo ſalutaris conſilii praxis, non diffiteor, eſt ardua; multo ſtat pretio ſeipſum vincere, ad id enim præliandum eſt contra noſmet, abrenuntiandum ſtudiis, & cupiditatibus noſtris, abſtinendum ab iis, quæ nos palpant, ac præ ceteris nobis placent; reſiſtendum eſt tandem naturæ, quæ violenter nos rapit; ſed victoria ſemel relata deinceps plurimis parcit certaminibus, viam aperit breviorem, & longius noſtra extendit trophæa. Habitus, qui altera vocatur natura, ſenſim, & ſine ſenſu prioris locum occupat, & poſt inſignem conatum, opus non eſt niſi modica fortitudine, atque conſtantia. Quis labor eſt re adhuc integra aſſueſcere moribus regionis alicujus, in qua nunquam fuimus? Tamen poſt aliquod tempus conſueſcimus. Nonne quamlibet vivendi conſuetudinem abjicimus oppoſitam amplectentes? Nonne quotidie videmus homines, qui ut ita dicam, gradum faciunt ab uno ad extremum alterum, de ſocietatibus ad ſolitudinem, de impedimentis negotiorum ad quietis dulcedinem, de vita tumultuoſa ad tranquilliorem? Si natura aſſueſcit; cur ingenium, quod in naturali temperamento ſitum eſt, non ſe accommodet? Sunt quædam tempora, atque ætates, quibus ne audire quidem poſſumus verba fieri de iis, quæ olim nobis perjucunda erant; & alia tantum ſufficit ætas, vel occaſio, ut abhorreamus ab iis, quæ nobis erant in deliciis. Quis ergo prohibere poteſt ne ingenium noſtrum flectamus, vel corrigamus, ſi parum attentionis, ac vigilantiæ adhibeamus ut de nobiſmet victoriam referamus? Bonus habitus intra tempus aliquod evertet, quod malus conſtituit, & naturam, atque ingenium mutabimus, cum gratia, & virtus ſient norma vitæ, & actionum noſtrarum. Sed ad id diluculo incumbendum eſt; nam quemadmodum facilius diſcitur malum, quam bonum,

& vi-

& vitium accedente naturæ noſtræ corruptione roboratur, & convaleſcit; periculum eſt, ut in dies dilata illius ſuperandi difficultate, prout differtur, magis magiſque augeatur.

Hinc tertiam elicio rationem, quæ nos ſerio ad id incumbere cogit; videlicet vim eſſe a nobis inferendam extremo amoris proprii propugnaculo, ſi pervenire cupimus ad felicem hanc noſtrummet ipſorum abnegationem adeo chriſtianæ vitæ neceſſariam: *Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum*. Plerumque ignoramus aſtus, & dolos hujus amoris proprii; ſcimus tamen illum quæri, & inveniri ubique, & hunc illum eſſe ex hoſtibus noſtris, qui poſtremo cedit, & poſt aliorum cladem viget adhuc. Ad illum autem detegendum, & irritas efficiendas artes illius, & auferenda quæcunque arma, vel perfugium, velum auferte, quo tegitur; veſtrum ſcrutamini ingenium, veſtramque naturam, & evertite poſtremum hoc perfugium, ubi latet, & per hoc illam quam cupitis de vobiſmet victoriam, aſſequimini; nam proprie loquendo, ſeipſum amare eſt, operari ex animi libidine, & ſuam dumtaxat naturam ſequi. Hinc oritur, hoc illud eſſe, quod optima quæque facta noſtra corrumpit; quod facit, ut jacturam patiamur omnium meritorum noſtrorum, ac privat nos remuneratione, quam in Cælo expectamus; ita ut niſi hinc duxerimus initium, nunquam acturi ſimus, ut decet Chriſtianos, nunquam facturi ſimus actionem ſupernaturalem, nihil lucraturi ad æternitatem; quia nonniſi per naturæ motum, non autem per gratiæ inſpirationem operabimur. Sed quid dico, vix agemus, ut homines decet: quoniam minime ſecuti rationem pro vitæ norma, nihil diſtabimus a brutis, quibus non alius dux eſt, niſi naturalis inſtinctus. Nonne de hoc paſſim plerique mortalium conqueruntur? Hic, ajunt, juxta ingenium ſuum deſumendus eſt; tempus ſuum captandum eſt, & quærenda commoda fandi tempora. Latet, utrum eo futurus ſit ingenio, ut nobis aurem adhibeat, ut æquas aures commodet, vel hunc, illumve favorem permittat; hoc pendet ab ingenio, quo tunc eſt, eum ad ipſum acceditur. Si hoc autem non eſt agere, ut hominem decet, qui rationem ſequi debet; numquid Chriſtiano more operabitur, ſi officium obierit ſuum ex libidine, orationem fuderit per ſcurrilitatem, atque ut me expediam verbo, ſuum habuerit ingenium, pro norma omnium actionum? igitur quam maxime intereſt ad Chriſtianam vitam ducendam initium facere ab ingenii noſtri imperio excutiendo: ſed illud officio noſtro ſubjiciendo, & ſubigendo, ubi a Dei lege rebellat; ubi obedientiam detrectaverit, corrigendo, reformando, & vincendo, ubi prorſus adverſetur, ac nitatur in oppoſitum.

Serio ad id animum auditores advertite; neſcitis fortaſſe, quomodo, vel unde vobis incipiendum ſit, ut Chriſtianam vitam vivatis. Incipite quæſo ſubigendo, vel corrigendo indocile ingenium, quod flecti nullatenus poteſt. Profecto illud omnino mutare non licet; itaque non videmus Filium Dei hoc propoſuiſſe S. Paulo, quem ad famulatum ſuum vocaverat vocatione adeo inſigni, ac inſolita; ſed vobis quoque, ut illi adnitendum eſt, ut illud ſubjiciatis, ſubigatis, eodemque ad majorem Domini gloriam utamini. Hæc fortitudo exempli gratia, quam jactatis, & quæ ardentis ingenii effectus eſt, eniteat ſuperando obices, qui illius ſervituti, & cultui adverſantur; ingenium hoc adeo facile, & humanum ſit ratio, qua vobiſmet captivetis omnes, eoſque ad virtutis amorem feratis. Moroſum illud ingenium ſeſe cohibeat, neque erumpat, niſi in vitia propria. Omnes aſſueſcite, ut omnibus in occaſionibus voſmetipſos vincatis, ubi noſtis pravum ingenium veſtrum ſolere exardeſcere, & plurima parere mala. Quidquid effeceritis, & quidquid extrinſecus aggreſſi fueritis, antequam de vobiſmet victoriam referatis, vobis parum proderit; Relinquetis arboris truncum, atque radices donec in aliquos ramis ſuccidendis immorabimini, qui vobis ſupervacanei videntur, & æquo latius extendi. Denique edomantes, & ingenium noſtrum corrigentes noſmet abnegamus; Domini jugum geſtamus; quia hoc jugum neque oneroſum eſt, neque difficile, quod geratur, niſi noſtrum repugnet ingenium, & ſi abſit difficultas, quam experimur ſatagentes, ut Dei legibus præceptiſque obſequatur. Fortiter ergo domeſticum hunc hoſtem impugnemus, & ſi integram perfectamque de nobis victoriam referre cupimus, corrigamus naturam hanc, quæ fons eſt omnium criminum, & locus, quo anſam præbemus hoſti, ut nobis officiat. Subigamus tandem naturam hanc ita rebellem Legi Dei, & motibus gratiæ: hinc enim incipimus ſanctiorem vitam ducere perfecta noſtrummet ipſorum abnegatione, ſine qua obire non poſſumus non ſolum Chriſtiani hominis officia quatenus privati, ut hactenus vidimus, ſed quatenus membri corporis politici, familiæ, vel ſocietatis alicujus, quæcunque illa ſit, ubi non poterit unquam dare, vel excipere oblectationem aliquam, niſi plurimum lucrum receperit de ingenio ſuo, & niſi, hoc in ſenſu plurimis in occaſionibus ſeipſum abnegaverit.

II. PARS. Ut hac de re vobis omnino ſit perſuaſum ſupponendum eſt, urbes, familias, atque reſpublicas non aliud eſſe, quam congeriem perſonarum, varias artes profitentium, ſibimet mutuo commercio, conjunctarum & a ſemet ultro citroque pendentium, quæ hunc politicum mundum ſuſtinent, alioquin enim minime ſubſiſtere poſſent. Hac de cauſa divina Providentia, quæ in Mundi ordine refulget, non minus admirabilis eſt, eo quod varia hominibus ingenia tradiderit, ut civilis hæc vita floreret, quam ordinem ſervare naturæ per conſenſum elementorum, quorum qualitates, & effectus adeo diſcrepant inter ſe. Etenim quis non videt ſimul, quemadmodum mundus non poſſet ſubſiſtere, ſi partes illum componentes, ſeſe conſociando per mixtionem ſuam infirmarentur, & amitterent quælibet ex ſe aliquid virium, atque actuoſitatis; ita nullam congregationem, nullam ſocietatem, nullam familiam, nullam communitatem pacem tueri, ac neceſſarium ſervare conſenſum poſſe niſi quilibet ſingillatim corrigeret ingenium ſuum, videlicet non moderaretur, quod nimis vividum, & ardens eſt, niſi excitaret, & inflammaret, quod nimis ignavum, & languidum eſt, & niſi quilibet naturalibus affectionibus ſuis vim faceret, pro communi bono pacis, quæ non aliud eſt, niſi effectus ordinis, & conſenſus rerum, quæ viciſſim poſſent collidi.

Adjicite, cum Chriſtianiſmus non aliud ſit, quam perſonarum ſimul conjunctarum ſocietas vinculo arctiori, & officiis, quæ magis inevitabilia ſunt; qualia ſunt Religionis officia; injicit etiam peculiarem neceſſitatem reformandi vitia, quæ in natura noſtra, noſtroque ingenio inveniuntur. Noſtis jam quænam ſint Chriſtifidelium officia, ubi agitur de charitate, & conſenſu, & quomodo Salvatori hominum cordi fuerit, quandoquidem lex Evangelica in hoc argumento tota verſari videtur. Denique ignorare non poteſtis, præter civilem ſocietatem, quæ ſervat urbes, & familias, & præter illam Religionis ejuſdem, quæ efficit, ut accedamus in partem eorundem myſteriorum, & Sacramentorum, non deeſſe cœtus, qui conſtituunt hæc diverſa corpora, ad eundem finem, eandemque profeſſionem conjuncta. Id genus ſunt Eccleſiaſticæ, & ſæculares Communitates; mortales, qui ratione munerum, officiorum, vel vocationis ſuæ ſimul tenentur vivere, & alii qui crebro converſari debent, ut de iiſdem agant negotiis, & aliqui tandem, qui pro communi utilitate ſocietatem ſimul inire debent; & ajo, niſi ſuo ſæpe vim faciant ingenio, & alieno ſe accommodent, has omnes ſocietates, niſi pro communi bono conjunctæ ſint, ex tot inimicis conflatum iri, qui ſemet invicem ſuſtinere non poſſunt; & niſi vitam ducant, ut veros decet Chriſtianos, ne victuros quidem, ut decet rationabiles viros, & tandem ſicuti nemo ſeorſim erit aliis contentus, ita ne ab aliis quidem ullam voluptatem percepturum.

Hoc certiſſimu continget, ſi quilibet pro modulo ſuo vivere voluerit, ſuumque ingenium ſequi poſthabita aliorum cura. Primum enim quanquam illi qui hos hominum cœtus componunt, omnes eodem eſſent ingenio, juges adhuc inter illos orirentur lites, cum ſinguli habere vellent bonum, quod dividi non poſſet, ſemper aliqua occurreret de ordine concertatio, quemadmodum videmus duos avaros conſentire non poſſe; quemadmodum duo ambitioſi in quavis occaſione ſecum præliantur, & qui ad idem bonum anhelant candidati vulgo infenſiſſimi fiunt inimici. Quod ſi econtra ſocietas hæc conflata eſt ex variis ingeniis, quod paſſim uſuvenit; ſi hæc ingenia fuerint antipathica, ut fit, ſi mortales fuerint diverſarum regionum, atque nationum, quæ ſimul conciliari non poſſunt, ut nonnunquam accidit, ſi unuſquiſque vult alios ſuo ingenio parere, ſi nemo ſuo vim inferri patitur, ſi in hac ingeniorum varietate nemo alium ſibi obſiſtere velit, immo velit, ut alii ſuæ obſequantur ſententiæ, vel ſtudio: quænam hæc erit ſocietas, quæ vita? Nunquid ſocietas erit rationabilium, an Babylonis confuſio? Cum ſinguli vario ſermone loquentur, varia eorum erunt conſilia; omnes agent ob varios fines, omnes ſuæ parebunt libidini.

Sed quo pacto pax ibi ſervabitur? quo diſſenſio evitabitur, lites, partes, convicia proſcribentur? nonne charitas, & conſenſus extorres erunt? quid ultra videbitur præter erumpentes ſciſſuras, ſine ſpe conciliationis, quæ ſit duratura? Malum hoc, & hæc rerum omnium perturbatio evitari non poteſt, niſi quilibet refringat in natura ſua, quod perturbare poteſt aliorum pacem, & excitare turbas, atque contradictiones. Nonne hoc florentiſſimas evertit reſpublicas? Nonne hinc initium duxit rerum perturbatio? Nonne hoc peperit ſeditiones, & conjurationes? Nonne hic fons eſt omnium ſeceſſionum, quæ tandem omnia ſubverterunt? Dico etiam præterea licet in uno corpore, vel cœtu unus tantum adeſſet ingenii imperioſi, difficilis; quod nulla in re ſibi vim facere, & nihil pati poſſit, rerum experientiam oſtendere, hunc non poſſe cum aliis conciliari, neque alios illi. Hic alter eſt Iſmael, cui omnes alii ferendi non ſunt, & qui viciſſim ferendus eſt nemini. Sed eadem experientia nonne pariter docet, ſicut ille pacem aliorum perturbat, ipſum quoque nunquam guſtare pacis dulcedinem? Et ſi unus hujuſmodi ingenii vir ſatis eſt ad familiæ totius requiem perturbandam, nonne ſatis perſuaſum eſt, illum nunquam fruiturum requie; conſtans enim eſt veritas, illi quicunque aliis negotium

faceſſit, nunquam deeſſe plurea, qui & illi faceſſant, atque contentam ducant vitam; adnitendum eſſe, ut aliquid conferat ſatisfactioni eorum, cum quibus verſatur? Quomodo vero quidquam conferre poteſt, quin vim ſibi inferat, naturamque ſuam omnibus accommodet, quantum ratio, & conſcientia patiuntur?

Profecto cum hæc una tantum haberetur cogitatio, nos aliis graves eſſe, non hæc quidem ſufficeret, ut ſaltem aliquam nobiſmet vim faceremus? Homo hic, exempli gratia, formularum exactor moleſtus eſt, vitiligator moroſus; quænam crux illis, quibus cum illo vivendum eſt, ſibi præcavere & ad trutinam vocare ſingula verba, quæ coram ipſo dicuntur? patientia tandem fatigabitur, & ad libertatem tuendam, vel fugiendum erit, vel ſemper cum illo de re aliqua concertandum: En alium, qui ſe magiſtrum, atque mundi totius cenſorem jactat, qui improbat quidquid abhorret a ſenſu illius, & cum ſemel aliqua de re tulerit ſententiam, hæc habenda eſt tanquam judicium, a quo provocare non licet. Si quis enim provocare ſtuduerit, idem eſt ac ſibi infeſtiſſimum hoſtem comparare. Cum hujus ingenii homine evitari ne jurgia poſſunt? Alius hic irriſor eſt, atque rerum omnium contemptor, vertens in jocum quidquid ſibi dicitur. Eſt ea eorum numero, quos S. Bernardus vocat peſtes communitatum, & civilis ſocietatis inimicos. Fieri nequit, ut homo hic minime ſentiat negotium, quod faceſſit aliis, & mos etiam ſibi, quod habeatur tanquam incommodus, & importunus, & quod omnibus crucem figat, & ſit objectum horroris, & odii omnibus illis, quibus cum illo agendum eſt. Igitur quemadmodum vita communis, quam ducere tenemur, ſit vita ſociabilis, atque commercii cum aliis, ſi alter non flectit ingenium ſuum impatiens, ac furens; ſi alter non ſubigit ambitioſam naturam ſuam; ſi hic nihil de ſua ſuperbia remittit, ſi ille non præbet ſe indulgentiorem, ac faciliorem; ſi denique vim ſibi non infert, & ingenium ſuum non reformat, nullus illi modus ſupererit, quo nobiſcum utatur, niſi evitare velit omnem cum nobis neceſſitudinem. Tandem quippe, ut S. Franciſcus Saleſius inquit, qui adeo mirifice exercuit conſilium, quod tribuit, omnibus omnia ſeſe faciendi, quænam hæc neceſſitas eſt alius impetus veſtros perferendi, contemptum veſtrum, cenſuras, animi veſtri inconſtantiam, libidinem veſtram? Quis hoc vobis contulit jus imperii, atque ſuperioritatis in illos? Alii quidem per charitatem vos ſuſtinebunt, ad quam Sanctus Paulus illos hortatur; ſed vos lex inevitabilis jubet illis non præbere anſam, ut hoc agat. Membra propter corpus facta ſunt, & pars pro toto. Quid ergo æquius eſt; utrum reliqui omnes ſeſe tibi accommodent; an tu omnibus?

Deinde ſicuti civiles ſocietates, quæ componunt civitates, atque reſpublicas, non ſolum ſunt cœtus mortalium, qui ſimul ineunt commercium cum aliis, ſed etiam qui iiſdem legibus ſubjecti, quæ pro ditionis alicujus regimine conſtitutæ ſunt; ſicuti in pleriſque civitatibus ſunt corpora, & communitates, quæ vigere nequeunt ſine regulis, ſtatutis, vel quibuſdam obſervantiis, quæ communes ſunt omnibus illos conſtituentibus, quis non videt, niſi plurimis in occaſionibus ſuopte ingenio vim inferant, æque eſſe impoſſibile ſtatus ſui munera obire, ac pacem ſervare cum iis, qui iiſdem tenentur officiis? Ratio patet. Quocunque noſtrum geſtamus ingenium: ingredimur in ſocietatem, primum quidem, vim nobis facimus, fateor; aliquando etiam diſſimulamus, ne tædio afficiamus eos, ad quos id pertinere poteſt: ſed cum quidquid violentum eſt, non diu ſit durabile: redimus brevi ad ingenium, & intra modicum tempus natura noſtra ſe prodit, ideoque alii non diu nos patientur. Hinc fit nullum eſſe corpus, vel communitatem, ubi non habeatur diligens perquiſitio morum eorum, qui in illam ingredi poſtulant, antequam admittantur. Ideo in familia antequam contrahatur cum aliquo affinitas primum accurate quæritur, quo ſit ingenio; & in Religioſis ſocietatibus tempus ſtatutum eſt, ad periculum faciendum eorum, qui recipiuntur, antequam patiantur, ut tyrones ſeſe ſolemnibus votis adſtringant. Cui bono, quæſo, omnes hæ perquiſitiones, curæ, probationes? Heu! Satis ſuperque liquet, quot inde contingere poſſunt mala. In pace vivitur cum illis, qui ſuavi ſunt ingenio; præclara fovetur ſpes, ubi præclara indoles nitet; omnia nobis pollicemur ab eo, qui humano eſt ingenio, officioſo, in bonum proclivi; omnia econtra metuimus ab eo, cui indocile ingenium eſt, ac ferum.

Ad hæc quemadmodum in urbibus, & rebuſpublicis ſunt Leges, ſtatuta in Corporibus, & cœtibus, Conſtitutiones, & Regulæ in Ordinibus Regularibus: hæ leges, hæ Regulæ, hæc Statuta ſæpe crucem figunt ingenio noſtro, & libertatem auferunt faciendi plura, ad quæ noſtrum ingenium eſt proclive. Negligere autem de ingenio noſtro victoriam nonne eſt noſmet objicere violandis legibus omnibus, cum civilibus, tum Eccleſiaſticis, cum generalibus, cum particularibus? Cum illis, quæ nobis communes ſunt cum omnibus hominibus, cum illis, quæ propriæ ſunt ſtatus noſtri, ac noſtræ profeſſionis. Nos ultro amamus noſtram libertatem, & Dei, vel hominum timor, vel communis utilitatis ratio nos cogunt, ut alienæ voluptati obſequamur. Si ergo non laboramus acriter, ut vincamus, vel captivemus ingenium noſtrum, quod omnibus adverſatur, hoc profecto nos ad jugum excutiendum impellet, & ad fallendam eorum vigilantiam, qui vitæ noſtræ invigilant, ut in libertate vivamus, & penes nos ſit actionum noſtrarum arbitrium. Accedit his, quod negligere ingenii noſtri reformationem, ac victoriam, eſt ſeſe imparem efficere cuicunque muneri obeundo, ac obtinendo cuipiam loco in vita civili & in corpore quolibet; hic enim ſtatus eſt, ad quem redacti ſunt illi, qui nequeunt, vel potius nolunt ulla in re vim ſibi inferre. Re enim vera noſtris in civitatibus, rebuſque publicis, & in Communitatibus varia adeſſe munera, publicas, ac domeſticas actiones, quemlibet illis occupatum eſſe debere pro viribus ſuis, ingenio, captuque. Ad hunc etiam ordinem ſervandum Deus aliter, aliterque diſtribuit talenta, dona naturalia, & ſupernaturalia omnibus hominibus, qua in varietate illius Providentia eluceſcit; etenim per hoc omnibus vitæ hujus neceſſitatibus conſulit. Verum eſt, ingenium, atque naturam haud minimam ſibi vendicare partem in electione profeſſionis, quam quiſque eligit ſibi, & Deum ipſum ſuas aptare gratias, cum nos vocat, verum cum omne munus exigat curam, ſtudium, diligentiam, ut ſuſcepta vitæ ratio benevertat, & ibi Deo ſerviatur, cum ſerviatur omnibus, niſi pluribus in rebus vis inferatur huic eidem ingenio, affirmo nihil unquam, ut opus eſt, obiri poſſe; neminem quod pertinet ad tempus fore regularem, & in omnibus ſuis uniformem, vel accuratum in iis, in quibus maxima cura eſt impendenda, quia agens ex ingenii ſui libidine, non aliam ſequetur normam, quam arbitrium ſuum, indulgebit quieti, vel ſolatio laboris tempore, & urgentiſſima negotia negligentur, cum nos ſtudia noſtra alio vocabunt. Eſto quidem Judex magnis ſit præditus qualitatibus, ad eam provinciam procurandam, quæ ſibi ſuit demandata; polleat ſcientia, integritate, perſpicacia; ſed ſi eo fuerit ingenio, ut ſolatiis operam dare velit, ſi ſemet captivare non poteſt, ſi laborem odit, quomodonam ſua majoris momenti adimplebit officia? Juſtitia nonne ab ejuſdem ingenio pendebit?

Quodnam feretis judicium de Opifice, qui moroſo eſt ingenio? Quam impatientiam, atque ægritudinem non ciebit ille in illis, qui illius opera utentur, vel qui illum conduxerint? Vel quis ſibi aliquid promittere poteſt regulare, & perfectum ab eo, qui nonniſi ex animi arbitrio operatur? Da mihi hominem, qui in mercatura exercenda ſuum tantummodo conſulit ingenium. Quot ſibi præclaras occaſiones elabi ſinet? Quot importune faciet? Percurrite omnes conditiones, ſtatus, profeſſiones omnes. Numquid ſatisfacere poſſumus officiis, quæ nobis adhærent, quin nobis vim faciamus, quin noſmet torqueamus, nobiſque crucem inferamus? Nam quantumvis munus aliquod ſit ingenio noſtro conforme, plurimæ occaſiones incidunt, quæ vigilantiam, & curam, laborem, atque ſolertiam inquirunt, quia ſunt eidem oppoſitæ. Quamobrem vobis vivendum eſt, ut decet Chriſtianos, quocunque in ſtatu ſitis, quodcunque munus amplexi fueritis; & hoc primum eſt officium veſtrum, & potiſſima veſtra obligatio; licet *forſitan illud* ſit magis oppoſitum ingenio veſtro; inceſſanter operam navate, ut illud vincatis, & corrigatis, ſi exceſſu peccat, & ex hoc temporis articulo incipite exercere hanc veſtri abnegationem, ut tanti momenti officio hoc perfungamini; ſive voſmet cogiteris tanquam privatos, qui ſaluti ſuæ cooperari tenentur, ſive tanquam membra corporis alicujus, ubi voſmet ſanctificare debetis per veſtram abnegationem, quæ ſumma eſt Chriſtianæ mortificationis; etenim reliquæ ad hujus acquiſitionem conducunt, & ſine hac vobis parum proderunt.

Fruſtra dicitis, Auditores, præclarum eſſe Dei donum, dives ingenium, cujus omnia ſtudia feruntur in bonum. Hoc ſemper eſt perficiendum, dirigendum, excolendum ad ampliora, ut fiat inſtrumentum virtutis; CONCLUSIO.
qua in re illi, quos natura non adeo exornavit hac in re, jacturam ſarcire tenentur, quia poſſunt per virtutem adipiſci, quod illis natura negavit, immo etiam fieri Sanctiores, referendo de ſemetipſis nobiliora trophæa, & perfectiorem exercendo abnegationem; Deus enim noſtros in perfectione progreſſus numerat ex iis conatibus, quibus nobiſmet vim facimus: *Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris*, ut ait Auctor de Imitatione Chriſti Jeſu. Eſto quidem non mediocre ſit bonum, ad virtutem proclivem eſſe, & bonum operari ſine labore, ac renitentia. Duo hæc ingeniorum genera tranquillo comparari poſſunt fluvio, qui ſecutus naturale declivium, ſuaviter defluit ſine ſtrepitu, ſine obice; cum econtra illi, qui labore, ac ſtudio virtutem adepti ſunt, ſimiles ſunt fontibus concluſis, ubi ars vim facit naturæ; hi longius magnis ſumptibus deducuntur; multo pretio ſervantur, & ſæpe accidit, ut poſtquam aquæ ſublatæ fuerint, atque altius ſalierint ad minimum uſque obicem ſubſidant.

Tandem enim proprie loquendo, ad bonum ſuapte natura ferri non ita magnum eſt meritum. Naſcimur cum

natura,

natura, & ſtudiis illis, quæ nobis injicere placet Deo; ſed nullum habemus jus, vel ſpem ad æternam felicitatem a nobis acquirendam, niſi ex eo momento, quo ingenium noſtrum incipimus ſuperare, omneſque conatus noſtros exerere, ut flectamus illud in bonum: ita ut, quod ars efficit in brutis, virtus in hominibus facere debeat. De illis facimus quidquid fere volumus, illa dirigendo; hi autem informantur ad ea omnia, quæ ab illis exigit Deus per curam ſeipſos vincendi. Noſtrum eſt ad examen vocare, quænam ſtudia ſequi debeamus, & quæ nobis ſint corrigenda. Cogitemus præcipuam, & maxime neceſſariam chriſtianæ morum diſciplinæ veritatem, veramque vim, quæ in Cælum ducit eſſe noſtrummet abnegationem, & per hanc peculiariter intelligendam eſſe vim, quæ propriis ſtudiis, ac ingenio ſuo quilibet infert; ac tandem illis tantum, qui ſtrenue pugnaverint, Deum polliceri, ac ſervare coronam gloriæ in beata æternitate.

# SERMO DUODECIMUS.

## Pauci Sancti ſunt, & Salvantur, quia pauci operam dant Saluti, & Sanctificationi ſuæ,

NAturale deſiderium, & in penitiori cordis noſtri parte impreſſum, eſſe velle beatos, ad id omnes referuntur cogitationes noſtræ; huc omnia tendunt noſtra conſilia; hunc in finem omnes actiones noſtræ collimant, tunc etiam cum per ſcelera noſtra quam longiſſime inde recedimus. Sed mirum eſt videre, quantum deſiderium hoc generale eſt, & altius impreſſum in omnium mortalium corde, tantum paucos eſſe, qui viam ſequantur quæ ad veram felicitatem indipiſcendam adducit; & ut rite loquamur juxta moralis Chriſtianæ principia quid ſit in cauſa, propter quam adeo pauci re ipſa ſalvi fiant, & operam navent, ut ſemetipſos ſanctificent, licet omnes homines in hoc mundo ſint poſiti, ad finem hunc ſecundum Oraculum Evangelicum, ut finem hunc aſſequantur. *Multi vocati, pauci vero electi,*

Qua in re ad evitandum quidquid in quæſtione hac videtur inutile, verba facio de Chriſtianis tantum, quin de infidelibus loquar, quorum numerus toto Cælo major eſt; immo etiam de ſolis Chriſtianis adultis, exceptis pueris, qui ſacro regenerati baptiſmate ante rationis uſum moriuntur; & aſſero, quidquid nonnulli ſentiant Doctores; ſcio enim, non unam hac in re omnium eſſe ſententiam, & inter Aſceticos quæſtionem hanc agitari, aſſero inquam, paucos eſſe, qui ſalvi fiunt, ſi conferantur cum terribili eorum multitudine, qui in nullam reditus ſpem intereunt in Chriſtianiſmo, cum tot mediis, & ſubſidiis, quæ ipſis ad ſalutem operandam ſuppetunt. Duas præcipuas rationes affero, quæ eo validiores mihi videntur, quo minus ſtudio quæſitæ ſunt, & quæ rudium etiam oculis patent. Pauci ſalvi fiunt, quia pauci ſerio cogitant de ſalutis ſuæ negotio: hæc prior eſt; Secunda vero, pauci ſalvi fiunt, quia pauci volunt, ut debent, ſeſe ſanctificare.

I. PARS. Pro primo hujus veritatis argumento dico paucos ſalvos eſſe, quia pauci ſunt qui ſerio cogitent de ſalute ſua, quandoquidem ex prophetæ ſententia, hæc origo eſt, & principium malorum hominum: *Deſolatione deſolata eſt terra, quia non eſt qui recogitet corde.* Nemo ſe colligit, ut ſerio meditetur, qua de cauſa in mundo ſit, & quinam ſit finis, qui unice illi ob oculos verſari debet, ſuimet ipſius videlicet ſanctificatio. Ut hæc ratio in lucem afferatur, & latius paulo extendatur, dico primum Auditores, negotium hoc maximum proculdubio eſſe, & maxime neceſſarium; quoniam hic eſt extremus finis noſter, ad quem propterea ceteri ſunt referendi, & in aliis quoque rebus videmus finem eſſe illum, qui motum tribuit creatis quibuſcunque rebus, ac taliter primam eſſe cauſarum omnium, ut fine illa nihil agere, aut vigere poſſit. Si igitur e contra hoc eſt negotium præ ceteris maxime neglectum, in quo homines minimum ſuarum curarum impendunt, & ut verbo me expediam illud de quo ne cogitatur quidem, nunquid aliis ſubtilioribus opus eſt argumentis, ut inferamus, paucos igitur eſſe, qui finem hunc aſſequuntur?

Itaque ut vos perſuaderem, cuperem ſolum vos adducere poſſe in cacumen montis illius, quo olim S. Cyprianus invitabat Donatum familiariſſimum ſuum, ut inde per otium contemplaretur, curas, ſtrepitum, ac mundi impedimenta, atque conſideraret homines, qui feſtinant, qui ſeſe angunt, ac alii alios viciſſim urgent, atque impediunt in tumultuoſis negotiorum occupationibus; libenter enim vobis ob oculos ſtatuerem omnes ſtatus, & conditiones; ibique videretis ſublatos ad inſignes fortunæ gradus, alios incredibili feſtinatione ad eos pervenire cupientes; alios denique, qui in populi turba premuntur; & rite conſideratis motibus, quibus ſeipſos torquent, illorum inceſſu, geſtu, totoque corporis habitu, a vobis ſciſcitarer, ad quid veſtra ſententia tendat hæc multitudo curarum, & hic æſtus cogitationum? Quo ſpectent iſta omnia conſilia ſæpe ſecum pugnantia? Nunquid ad magnum, magnique momenti noſtræ ſalutis negotium? Nonne dicere poſſem de noſtro hoc, omnibuſque ſæculis, quod de ſuo David: *Deus de Cælo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.* Conjecit Deus aciem oculorum ſuorum in terram univerſam viſurus, utrum in tanta mortalium

Pſalm. 52.

turba in tot ſtatus, & conditiones diſpertita aliquem inveniret, qui veram haberet rerum intelligentiam, & qui ſedulo operam daret negotio illi propter quod unum in mundo verſatur, & quot id genus invenit? *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum;* Mirum eſt, ait ille, omnes in aliud intentos eſſe, quaſi hoc non eſſet negotium; otiantur enim; nihil agunt, quod illis ſit profuturum; ita ut in millibus ſinguli vix inveniantur, qui hoc cogitent, & de hoc ſoliciti ſint.

Illud autem quod Prophetæ hujus tempore accidebat, modo etiam in hoc noſtro accidit, mundus enim præter propter ſimili pacto circumactus eſt, quoad ſpectat ad hominum mores, ac ſtudia; etenim, quæſo interrogate hominem hunc, quem triſtem, atque cogitabundum videtis quæ res illum mœrore conficiat, & cur ita turbetur? Heu! inquiet, doleo, & jure doleo, negotiis periculoſis implicitus ſum, neque quo inde pacto, me explicem video: res ſi intus & in cute eſſet tibi explorata videres me jure anxium, atque ſolicitum eſſe. Alterum vero, quem adire video de domo ad forum, & de foro domum redeuntem, quænam agitat cura? Ait intra paucos dies ſibi in judicium prodeundum eſſe, ubi de omnibus fere bonis agitur, & incertum ſe eſſe, quomodo ceſſura ſit res: verum ſi cauſa victus deceſſerit, ſe omnino periſſe. Alium interrogemus, & ex eo quæramus, quod ſæpe noctu ſomnum ejus interpellat, & quod interdiu ei negotium faceſſat: obſtrictus ſum, inquiet, ære alieno: urget fœnerator, & neſcio unde mutuer, & ne unum quidem temporis momentum differre poſſum ſolutionem. Sed quid hæc ſunt omnia? Temporalia negotia in quibus de fortunæ bonis, de negotiis ad vitam hanc pertinentibus agitur; ſed quiſnam in hac Mundi hujus turba cogitat, uti opus eſt de ſanctificatione ſua, vel quotuſ uſque hanc in numero curarum ſuarum recenſet? Heu! quam primum alia dijudicanda eſt cauſa, ubi de noſtra agitur æternitate, & ne cogitatis quidem? Heu! Debitores eſtis Deo tot gratiarum, quas contempſiſtis, & tot beneficiorum, quæ recepiſtis; tot vobis reddendæ ſunt rationes, & hac in re oſcitamini? Heu! quam primum futurus es vel beatus, vel in æternum miſer; & hæc, ut inquis, permittis Deo, in cujus manu ſunt omnia. Ita ſane, veruntamen Deus non agit ſolus in hac re; oportet, ut illius conſiliis, & tentationibus obſequare. Undenam oritur, ut tam parum ſolicitus ſis in tanto negotio? Verum fatere; inde, quod negotium hoc nullo tibi eſt in diſcrimine, vel parum te afficit; dum alia ad opes terrenas ſpectantia te omnino ſollicitum agunt.

Attamen cuinam hoc majus negotium ſucceſſere oportet, quam vobis; cujus hoc magis intereſt, quam veſtra. Heu! *Cum metu, & tremore ſalutem veſtram operamini,* Apoſtolus inquit; cogitate de ſalutis veſtræ negotio cum cura, & ſollicitudine, ſed hoc parum eſt *cum metu*, nec hic quidem ſatis; *cum tremore*. Sanctus hic Apoſtolus ſignificat nos jugibus terroribus agitandos eſſe, ac nobis in Dei bonitate non audacter eſſe confidendum? Nunquid ero ex numero prædeſtinatorum, an ſecus? Salutis meæ negotium in æternum Dei conſilio ſtatutum eſt? Non hoc ſignificare vult Apoſtolus, ſed quod operemur eadem cura, eadem feſtinatione, atque diligentia, quam adhibemus in negotiis illis quæ nobis ſunt antiquiſſima. Sed quotuſquiſque a nobis hoc facere, atque ita cogitare videtur. Profecto, Auditores, mihi videtur de hac potius terra, in qua vivimus, quam de illa, ubi poſt mortem ſumus tumulandi, Scriptura loqui, cum terram oblivionis nominat; diceres enim, omnes homines ibi memoriæ jacturam feciſſe, qui nunquam reminiſcuntur, & nunquam fere cogitant, cur ibi ſint. Hoc illis dicendum, atque indeſinenter prædicandum eſt, & in ſingula momenta ob oculos ſtatuendum, & adhuc admirabile eſt quam pauci ad id ſuas cogitationes convertant, & reminiſcantur: *Non eſt qui recogitet corde.* En quæ ſit cauſa exigui numeri eorum, qui ſalvi fiunt, quia videlicet admodum pauci, de eadem cogitant: & vitam ſuam inutiliter in terra traducunt.

Ad Philipp. 2.

Jerem. 12.

Si enim Homines quartam dumtaxat partem facerent eorum conatuum, quos pro rebus ceteris faciunt, omnes

Sancti

Digitized by Google

Sancti eſſent. Millia ſunt hominum negotioſorum, qui ſi partem aliquam impenderent harum curarum, & vigiliarum, ut ſuæ æternitati conſulerent, ſatis ſibi proſpicerent; ſed quotua eſt quiſque, qui id ſecum reputet? *Non eſt, qui recogitet corde*. Infinitus eſt opificum numerus, tota die, noctuque laborantium? Heu nonne ſatis eſſet hoc ipſum quod faciunt, ſi illud fieret, quomodo faciendum eſt; & quis rei hujus reminiſcitur? *Non eſt, qui recogitet corde.* Tanta eſt in pleriſque mortalibus ſuæ ſalutis oblivio, ut raro inveniatur, qui hanc foveat cogitationem. Quodnam igitur miraculum, ſi tanta hac in negligentia pauci ſanctificentur; quoniam in reliquis fortuito accidit, ſi quod contemnitur, bene vertat? Quod ſi ne minimum quidem negotium negligi poteſt, citra periculum omnia amittendi, quid de hoc dicendum erit, ubi ne minima quidem negligentia carere poteſt graviſſimo detrimento ea in re, qua in mundo nulla eſt præſtantior?

Ad hæc auditores prætérquamquod hoc negotium tanti momenti eſt, atque tot curas efflagitat, ſecundo loco opus eſt maxime dubium, & periculoſæ plenum aleæ. Illud tamen, in quo nobis præcavere ad felicem exitum nobis procurandum minime volumus. Unde oritur mirum non eſſe, ſi paucis bene vertit, & ſi adeo frequenter in irritum cedit. Dubium eſt, & ſexcentis periculis ex creaturarum parte obnoxium; hæ quippe omnes adverſus nos conjuraſſe videntur; propinqui, affines, amici, inimici, honores, fortunæ bona, ac cetera; undique ſaluti noſtræ periculum imminet; *Mundus totus in maligno poſitus eſt*: ex parte noſtra nihil minus eſt metuendum, improbitas noſtra, inconſtantia, ignavia, ingenium, ætas, cupiditates, omnia juſtam metuendi nobis ſuppeditant cauſam: quod vero ad Deum pertinet; negotium eſt optime libratum, concertatumque. *A negotio perambulante*. Hoc vocabulo uſus eſt Regius Propheta, quaſi diceret cauſam ab uno ad alterum tribunal evocatam, quæ modo abſoluta, & ſopita videtur, & quæ modo repente excitatur, & de foro in forum, & de magiſtratu ad magiſtratum admittitur; *a negotio perambulante*. Negotio, quod ut vulgo dicitur, per omnia loca perambulat. En quale in hac vita ſit noſtræ ſalutis negotium, antequam in ſupremo judicio morti adjudicemur. Modo in meliorem ſtatum adducitur, quam antea, a Dei juſtitia ad illius miſericordiam fit provocatio; ſemper metuendum eſt, & ſemper ſperandum.

In hoc autem adeo ancipiti negotio, quod tot periculis, caſibuſque obnoxium eſt, quotuſquiſque invenietur, qui ſibi caveat, ut accidit in aliis omnibus negotiis, ſi vendunt, vel emunt hæreditatem, tot opus eſt cautionibus, tot hypothecis inquiritur, & plura perquiruntur, utrum aliquis ſolvendo ſit; utrum ullum adſit jacturæ periculum. Heu! quid in diſcrimine ponitur? bonorum para? Nunquam ſatis curarum impenditur, & præcavetur in iis, quæ moleſtos exitus habere poſſunt; & fortuito ea tandem deſerenda ſunt, quorum jacturam non reformidamus; & reipſa ſtatuo, nullum eſſe contractum, acceptationem, obligationem, verbo negotium, in quo pro virili non omnem curam impenderis, & ſi aliquid tibi notum fuiſſet certius conſilium, ut illud tutius redderes, ac minus in dubium revocandum, illud profecto fuiſſes amplexus. Sed teſtor omnes, qui audiunt me, quis ſalva conſcientia dicere poteſt, ſe ut ſemet ſanctificaret, tutiſſimam elegiſſe partem, & nihil intentatum reliquiſſe eorum, quæ ſibi profutura cenſuerit? Se omnes tentaſſe vias, quas aptiores cenſuit, ut hoc ſibi cederet ex ſententia? Non dicam ex millibus, ſed ex centum millibus fortaſſe neſcio utrum unus tantum inveniretur.

Atque ut hæc fiant clariora, quiſnam minimam ſumptuum partem erogat pro hoc negotio, quos pro ceteris expendit? Hinc enim facile judicium ferri poteſt de cura, quæ habetur, & de pretio, in quo habetur. Heu! ſi liceret mihi evolvere hoc in loco Commentarios veſtros, & aperire rationes domorum veſtrarum, non aliam afferre vellem probationem quam confeſſionem veſtram; quippe invenirem, ſcio, tantum pro menſa inſtruenda, tantum pro alenda familia, tantum pro veſtibus, & ſupellectili, ſæpe ſupervacanea, tantum pro ſolatiis, & vos puderet, ſi reliqua viderentur, tantum pro conviviis, inſanuſque ſumptibus; ſed ubinam videtur, quod impenditur in bonis operibus, ut ſalutis æternæ negotium in tuto collocetur, quemadmodum nos admonet Princeps Apoſtolorum: *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis*. Heu! fruſtra lego, & relego, volvo, & revolvo, nullum reperio articulum, ubi ſcriptum ſit, tantum pro conſuetis eleemoſynis meis, tantum pro inſuetis pauperum pudentium, tantum ut pro me, meiſque Deo preces fundantur; ut verbo me expediam, pro ſalute veſtra nihil expenſum liquet. Homines vulgo ſine metu vivunt, ſine diffidentia, ſine prævidentia, ſine cogitatione, perinde ac negotium hoc eſſet in tuto, & nihil eſſet periclitandum; quod cum ſit adeo incertum, ac ita facile deficere valeat, nulla præcautio prætermittenda eſt, & multo major ea, quæ adhibetur pro incolumitate corporis, fortunæ, ac bonorum illius.

Si igitur e contra hoc illud negotium eſt, in quo minus præcavetur, quemadmodum quotidiana oſtendit experientia, cuinam mirum videbitur, ſi veritas eadem teſtetur, paucos eſſe, qui ſalvi fiunt? Sed quid de vobis ſpondere poſſum videns tam criminoſam ignaviam, tantam negligentiam in re, quæ tot ſepta eſt periculis, & quæ tam facile deficere poteſt? Poſſum ne dicere, vos ſerio de ſalute veſtra eſſe ſollicitos videns quam modicum præcautionis adhibeatis inter tot ſcopulos adeo periculoſos, ubi tot præcipites ruunt, ubi inceſſanter videntur naufragii reliquiæ eorum, qui perierunt? Heu! in rebus ceteris adeo vigilans es, cur adeo parum es vigilans in hoc negotio, quod unum tuas curas univerſas meretur? Unquam ne ad vivum perculſus fuiſti terribili eo malo, quod hanc negligentiam ſubſequitur? Haud ita profecto! Cetera enim negotio huic ſacrificares, quia præterquamquod ceterorum præſtantiſſimum eſt, eſt etiam incertiſſimum.

Tertio loco addendum eſt etiam urgentiſſimum eſſe, ideoque aliis præferendum, & de quo ante cetera cogitandum eſt, ut recta capiantur conſilia. Sed per maximam, atque criminoſiſſimam omnium negligentiarum accidit, ut homines de hoc noviſſime cogitent, ut pedem afferant, ac recedant quantum poſſunt, quin fere unquam incipiant ſerio. Curarum enim multitudo, & aliorum negotiorum turba prorſus illius jugulat cogitationem, & habetur tanquam res, ad quam agitandam nunquam tempus nobis defuturum ſit, & ipſi paſſim videmus hoc illud extremum eſſe, cui conſulamus. Unde uſuvenit, quod accidit in locupletandi occaſione; quæ in ſingulos eorum, qui eadem opportune utuntur, decies millia deficiunt; cumque nihil ſit quod amplius differatur, vel de quo ſerius cogitetur, nihil quoque eſt, cujus jactura ſit vulgatior, atque frequentior.

Rationem hanc amplificat ignea eloquentia S. Eucherius in admirabili Epiſtola ad Valerianum. *Primas apud nos curas, quæ prima habentur, obtineant, primaſque ſollicitudinis partes, ſalus, quæ prima eſt, vindicet*; eo quod ignoramus, quo loco, vel tempore mora nos ſit adoritura: Si noſtræ ſalutis negotium hujus generis eſt, ſi habere non poteſt exitum, qui magni momenti non ſit, oportet ergo, ut primum obtineat locum in animo noſtro, eique præcipuas curas impendamus. *Hæc nos occupet non jam plane prima, ſed ſola*, idem ſequitur: etenim in hac una deficere eſt perdere omnia, & omnia lucrari, conſequi illam etiam cum rerum ceterarum jactura. Hæc igitur ſecundum recti ſenſus regulam unicum eſſe debet curarum noſtrarum objectum, non ſecus ac cogitationum, ac perquiſitionum. *Primas apud nos curas, ſalus, quæ prima eſt, vindicet*. Et qui non videt, quid ex hac veritate conſequatur, lapſus eſt in reprobum ſenſum, & in extremam cæcitatem. *Epiſt. de contemptu Mundi.*

Verum dicito mihi quem locum habeat magnum iſtud negotium in animis plurimorum? Judicium ferendum eſt ex iis, quæ paſſim videmus, & propria experientia; etenim nonne verum eſt plurimorum prætextum, qui occupatiſſimi habentur, & quibus horæ quælibet pretioſæ ſunt, qui conqueruntur ſe per otium ſpiritum reciprocare non poſſe, cum urgentur, ut pauliſper cogitent de ſalute ſua; non vacat mihi de hac re cogitare inquient, frigide, expectandum eſt, ut ego mea negotia complanaverim, atque expediverim, atque illa in ſtatum meliorem adduxerim. Igitur ſi verum dicis, tuæ ſalutis negotium poſtremum obtinet locum in mente tua, tanquam illud, quod tibi curæ non eſt? Sed litem hanc conficere, ſed domum hanc ære alieno liberare, ſed honorem hunc, qui in periculum vocatur, certum facere, illud eſt, quod te totum occupat, hoc omnes tuas curas meretur, quod vero ſpectat ad conſulendum conſcientiæ tuæ impeditiſſimæ, ad ſatisfaciendum juſtitiæ Dei pro tot ſceleribus, ſeipſum ad reddendam rationem diſponere, cum nos evocaverit, ad id ſi homini aliquid temporis ſupereſſet, fortaſſe ad cogitandum mentem adjiciet.

Hæc negligentia, Auditores, quæ uſque ad indifferentiam procedit, ac inde ad oblivionem, cujus nomine Spiritus Sanctus inſimulat non ſolum aliquot ſingillatim, ſed omnes fere mortales, videlicet pleroſque, liquet enim pleroſque in vitam traducere: hæc inquam negligentia nonne plane probat Salvatoris Oraculum, pauciſſimos reipſa ſalvari? Etenim de hoc ſalutis negotio, non ſecus ac de aliis arguendum eſt. Negligitis aliquid magni momenti, quin illud quæratis, quid futurum ſit, neque obſtupeſcitis, ſi male verterit. Quid? parvula circumſtantia neglecta, formula non ſervata, occaſio prætermiſſa, vel factum aliquod importune, efficit aliquando, ut in irritum abeat ex ea parte, quæ tutiſſima videbatur, & cui optime videbatur conſultum; & alias eo quod non ſatis accurate conſilium initum fuit: quid igitur mirum, ſi in hac tanta ſalutis ſuæ negligentia, ſi in tanta oblivione adeo pauci ſalvantur? Verum igitur eſt paucos ſalvari, & ſanctificari, quia pauci ſunt, ut decet, de ſua ſalute ſolliciti.

Sed qua de re ſolliciti ſumus, niſi de hac unice cogitamus? Vos autem, Auditores, in his impedimentis, ac tot negotiorum tumultu nonne ſalutis veſtræ vos capit oblivio? Nonne eo modo vos geritis, qui a vobiſmet negligentiæ nomine redargueretur in quibuslibet aliis negotiis? Heu! Cum meditabimini eas curas, quas pro ceteris impenditis, ex quibus nihil ſolidi percepiſtis, & parum

rum

rum adeo ſaluti veſtræ profeciſtis; hoc magnum erit timoris veſtri argumentum, & cavete, ne hoc ſit in cauſa, propter quam ſugere debeatis numerum reproborum,

II. PARS. Quod ſi pauci de ſua ſalute, ac ſanctitate in mundo ſolliciti ſunt; dicere audeo, pauciores adhuc eſſe, qui ita, ut oportet, ſint ſolliciti, quæ altera pars eſt Dei apologiam conſtituens. Sanctus Thomas aliquando interrogatus, quid faciendum eſſet ad ſalutem aſſequendam, duo hæc reddidit verba: *Tantum velle*. Ratio conſtat, quia ſalus noſtra duo tantum habet principia, Dei voluntatem, & noſtram; unde ſequitur, quod ſi minus e prædeſtinatorum numero ſumus, id acceptum eſt referendum alterutri, vel Deo, vel nobis. Non autem Deo: quandoquidem nihil non egit, nihil non paſſus eſt propter noſtram ſalutem, ac nobis tot, tantaque ſubſidia ſubminiſtravit: ergo nobiſmet ſuccenſere debemus, & ſi minus ſalvi ſumus, id unice contingit, quia nolumus; & ita quo pauciores ſunt, qui id velint, uti opus eſt, eo pauciores ſunt, qui reipſa ſalventur; nam, ut velitis uti opus eſt, Auditores attendite quæſo, hoc enim intereſt veſtra, ut velitis inquam, uti opus eſt, velle debetis, ut Deus vult: quomodo autem vult Deus?

Primum, vult ſincere, & efficaciter per ſe, ſervans tamen ſemper jus noſtræ libertatis. Sed quomodonam hominum plerique id imperfecte tantummodo volunt? Simplicem habent pro negotio hoc oblectationem; nam cum voluntas vera eſt, & efficax, ſuperat omnes difficultates, omnes perſtingit obices, qui adverſantur. Ille, exempli gratia, pravum habet ingenium, quo in vitium trahitur, hic pravum habet habitum, qui cum præcipitem agit in crimina numero carentia. Hinc, Auditores, initium ducendum eſt, hoc ingenium domandum eſt, hic habitus infringendus. Quidquid alioquin dixeritis, vel feceritis non proderit. Non poſſum, inquiet ille; falleris. Potes, non vis; quidquid in oppoſitam partem dixeris: vel ſaltem non vis, niſi his poſitis conditionibus, quæ plerumque ſimul eſſe non poſſunt cum ſalute tua. Volo, dummodo hæc vitæ ratio mihi derelinquenda non ſit, non aleæ, non impudicitiæ, non ſocietates; non plura quæro: verum ſi reſtituendum eſt bonum male partum, vel injuria dimittenda? Nihil loqueris.

Verum, Auditores, hoccine eſt ſerio, & ſincere aliquid velle; velle ſub conditione, quæ deſtruit ipſam voluntatem? Nam ſimul colliduntur hæ duæ voluntates; hoc eſt velle ſimul & nolle; nam quicunque vult ſeipſum ſanctificare, uti oportet, id vult quocunque pretio, nullum refugit medium, nulla difficultate deterretur. Videte paulisper voſmetipſos, quomodo voſmet geratis in iis, quæ ſincere vultis. Vultis exempli cauſa optimam valetudinem, cum in morbum incidiſtis, omnia vobis ſolatia interdicitis, ignem ac ferrum in vulneris curatione ſuffertis. Cur? quia ſerio vultis convaleſcere. Sed ſalutem animæ veſtræ ex dimidio tantum vultis, quia qui illam volunt, uti opus eſt, Sanctum Paulum imi-

1. Ad Cor. tantur; *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte reprobus efficiar*. Domant, & plectunt corpus ſuum, cujus amor eſt infenſiſſimus ſalutis noſtræ inimicus. Qui id vere, & efficienter volunt, Sanctum Ludovicum Galliæ Regem imitantur, qui maluiſſet jacturam facere Sceptri, Coronæ, honoris, vitæque ipſius, quam unum lethale facinus admittere: utique, qui ſerio volunt, eadem in ſententia verſantur, in qua Sanctus Anſelmus, qui profitebatur, ſi hinc qualem apertum vidiſſet infernum, inde vero peccatum, & ipſi optio facta fuiſſet, ſe potius in infernum præcipitem daturum fuiſſe. Heu! hæc erat ratio vera inferni ejuſdem evitandi. Sed cum plerique Fidelium ſe velle profitentur; hæc ſimplex eſt velleitas, & dimidiata voluntas; quam minima quæque difficultas deterret.

Hinc Auditores in hoc negotio, ut in aliis accidit, quæ nonniſi ægre fiunt, & cum difficultate. Numerus eorum qui obtinet illa ſemper exiguus eſt, quia paucis ſatis eſt conſtantiæ ad illa acquirenda. Scientia, exempli gratia, laborem exigit, aſſiduitatem, ac ſtudii perſeverantiam; hinc ex centum, qui incipiunt, & ad illam acquirendam ſe diſponunt, vix unum invenies, qui voti reus fiat. Ut quis in arte perfectus fiat, tempore opus eſt, exercitio, experientia, & hoc efficit ut eximii opifices raro inveniantur, ut per ſæcula, & hominum ætates numerentur; hoc ipſum de ſalute, ac ſanctitate dicendum eſt, qui modus eſt illam acquirendi, & promerendi. Cum ſanctitas hæc ſuavis ſit, omnes illam cuperent, ſed pauci vere illam appetunt: ad id enim vis ſibimet facienda eſt; & hæc æquiſſima eſt concluſio; paucos eſſe, qui vere ſemet ſanctificare volunt, quemadmodum pauci ſunt, qui ſequantur media, quibus id conſequantur, quæcunque illa ſint; videlicet quemadmodum pauci ſunt, qui rectam ſequantur viam, de qua loquitus Mundi Salvator, ſicuti pauci ſunt, qui bellum indicant incompoſitis cupiditatibus ſuis, & crucem figant ſtudiis ſuis jugi niſu mentis, & conſtantiæ ſuæ, quemadmodum pauci exercent paupertatem Spiritus & contemptum terrenorum bonorum; quemadmodum pauci ſunt, verbo dicam, qui Dei Filium ſequuntur, ejuſque placita obſervant.

Quod vero attinet ad me, Auditores, ubi audio Salvatorem ad ſequelam ſui omnes homines evocantem, eiſque ſalutis media proponentem: *Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum &c.* Matth. 16. exiſtimo illi accidere, quod Sancto Regi David in rebellione Abſalon filii ſui: repente enim vidit ſe ab omnibus derelictum, licet tot virorum millia profeſſa fuiſſent ſe pro illius defenſione morituros: *Separatus eſt omnis Iſrael a David*. Re ipſa non fuit derelictus ab omnibus, ſed quid eſt manus exigua eorum, qui illum ſecuti ſunt? nihil erat fere, ubi comparetur cum aliorum multitudine. Ita ſi recenſendi illi eſſent, qui Deo fideliter adhærent, volentes, quidquid acciderit Dominum ſequi, ac ſeſe quocunque pretio ſanctificare: heu! quam exiguus eſſet hic numerus cum aliorum copia comparatus! Quia pauci id volunt, quomodo vult Deus, qui ex ſe id ſincere vult, & efficienter.

Sed qui ſecundo loco id vult ante omnia, cum omnia fecerit, ac retulerit ad finem hunc, in quo ſuam naniſcitur gloriam. Hoc ipſum juxta noſtrum concipiendi morem vetuſtiſſimum eſt deſiderium, quod unquam habuerit Deus, & primus voluntatis ſuæ actus habita ratione rerum earum, quæ ſunt extra ipſum, producendi creata, quæ illum poſſidere valeant, ac æternum frui propris illius beatitudine; unde accidit quod cum nos poſuerit in numero creaturarum rationabilium, veritas eſt de fide, illum vere nos ſalvos facere velle, ſed quomodonam volunt plerique mortales? Heu! Attendite, hoc nolunt niſi poſt cetera, voluntate ſolum interpretativa, & reliquis omnibus conſiliis poſteriori.

Dicam apertius. Prima eorum voluntas eſt ſe conſtituendi in tali conditione per politicam cupiditate plenam, quæ magnum eſt conſilii ſui principium, ſed iſta conditio utilis ne eſt, vel noxia eorum ſaluti? De hoc non deliberant; quoniam alio ſpectant. In negotio, ex. gr. finis illorum erit locupletari; at in congerendis opibus nunquid periclitatur conſcientis? Hæc altera conſideratio eſt, quæ ſi in mentem venerit, ut fieri poterit, expedietur. In conſiliorum electione homo ducitur vel animi propenſione, vel utilitate, quæ videtur; pro ſalute vero, quæ prius eſſet conſideranda, poſtmodum ſi fieri poteſt, eam conciliare conantur. Hoc ego generalem voluntatem appello, ac ſolum interpretativam: Quærite ab illis utrum velint. Nunquam aliter reſpondebunt: hæc eorum ſententia inutilis eſt interrogatio. Quot ſunt, qui hac mente agunt, & qui vera media amplectuntur? Certe pauci.

Quod adeo verum eſt, ut homines abutantur etiam ampliſſimis ſubſidiis, quæ illis ſuppeditat Deus, ut hoc illis benevertat, ut hæc in tot excidii ſui inſtrumenta convertant. Nam tot numerandi eſſent prædeſtinati, quot ſunt pauperes; quoniam paupertas unum eſt ex præſtantiſſimis adminiculis ſanctitatis acquirendæ; cum tamen tot ſint, qui eandem paupertatem ſibi in obmurmurationis, ac impatientiæ, ac in ſexcentorum criminum prætextum convertant. Credendum eſſet totidem eſſe in terra Sanctos, quot ſunt miſeri, & quot in mundo patiuntur; quippe hæc illa eſt via, quam ipſe Dei Filius nobis delineavit; ſed in ſingulos, qui uti opus eſt, eandem ſequuntur, decem mortalium millia in hoc etiam vitæ ſtatu illam ſibi in infernum commutant. Divitiæ deberent pleriſque cælum aperire per eleemoſynam: ſed per earum abuſum numerantur inter graviſſima ſalutis impedimenta, & quod mirum eſt, cum quidquid facimus, ac faciendum aggredimur, nobis eſſe poſſet adjumento, & adminiculo, videtur nobis obicem fieri, quia eodem abutimur, & ex rebus omnibus quæ accidunt, noſmet perdendi anſam arripimus.

Præterquam quod in hac generali, atque interpretativa voluntate, qua omnes homines cupiunt eſſe beatos, plurimi ſunt extra ſalutis, veræque beatitudinis viam; & alii per actualem, & determinatam voluntatem viam ſibimetipſis præcludunt. Ita ut conſiderata immenſa hac multitudine mortalium, qui hodierna die ſunt ſuper terram in tot Civitatibus, in tot Provinciis, atque ditionibus, mihi videar dicere poſſe de pleriſque illa Regii Prophetæ verba: *Domine a paucis divide eos*: hos ſubducendos Pſal. 16. 14. eſſe ex parvo Electorum numero, quandoquidem allata verba Sancti Patres, ut plurimum, hoc in ſenſu interpretantur. Non loquor autem de infidelibus, atque Idolorum cultoribus, qui profecto dimidium excedunt: *A paucis divide eos*. Illi ab hoc numero excluduntur; quippe fieri nequit, ut aliquis ſine fide ſalvetur. In reliqua terrarum parte, quam mundum Chriſtianum vocamus, quot nationes in hæreſi, vel ſchiſmate occaluerunt per voluntariam cæcitatem? Hunc etiam numerum, qui aliam non mediocrem partem conſtituit; abſcindamus: *Divide eos a paucis*. Inter reliquos vero qui in Eccleſiæ ſinu verſantur, quot peccatores, qui moriuntur repentino morbo in peccato correpti? omnes hi in exiguo numero non continentur? Quot vitam languentem ducunt, quot labuntur, & conſurgunt, & ut ita dicam in jugi æſtu verſantur a gratia in peccatum, a peccato in gratiam, & quot fluctuant ſalutem inter, & damnationem ſuam! Fieri nequit quominus horum plerique reprobentur: *A paucis divide eos*. Num quidquam præterea requiritur ad probandum hoc Salvatoris Oraculum, paucos eſſe prædeſtinatos ſi cum reprobis comparentur?

Nihilominus poſtremo adjicite pleroſque Chriſtianorum, qui hoc ſincere, ac ſerio videntur velle, nequa-

quam

Digitized by Google

quam omnino facere ea, quæ ad id facienda ſunt, ac præterea id minime velle ſub iiſdem conditionibus, quas Deus vult, videmini namque mihi dicere Auditores, ad hoc tandem, ut reipſa ſalvemini, ſatis eſſe Dei præcepta ſervare, quandoquidem Salvator ipſe nihil præterea re-
*Matth. 19.* quirit: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Fateor Auditores, neque ulterius quidquam poſtulo, ſed mandata ſervanda ſunt ſecundum eam latitudinem, quam legis verba ſignificant. Sed ſi pauciſſimi hoc pacto illam obſervant, & longe pauciores, quam putatis; nonne confitebimini etiam pauciſſimos eſſe, qui ſalvi fiant? Vultiſne, ſimul rem excutiamus, & unum, vel etiam alterum præceptorum vocemus ad trutinam? Deum amare omnibus viribus, & plus quam ſeipſum, hoc primum eſt. Heu! quotuſquiſque illud perfecte, & adamuſſim obſervat? Nam præterquamquod ſi Deus amaretur, ut jubet, nunquam læderetur; undenam fit, ut ubi de veſtra agitur utilitate, ardentes eſtis adeo, & e contra adeo frigidi, & glacie concreti videamini, cum de Dei negotiis agatur? Si Deus præ ceteris mundi rebus amaretur, minimum quidquam nos ab illius cultu deterreret. Amare proximum ſicut ſeipſum: hoc eſt alterum. Quotuſquiſque illud quantum eſt, diligenter adimplet? Si enim illum diligeretis, uti opus eſt, poſſetis ne pati illum fame enectum interire, cum interim laute, ac opipare cœnantes ventri indulgetis? Hoc fieri nequit. Si per otium mihi liceret ſingula perſequi præcepta, eaque diligentius excutere &c. Sed ex primis duobus de reliquis facilis patet conjectura.

Accedit his, ad ſalutem ſuam operandam, duo tantum generatim loquendo ſunt media, & viæ omnimode neceſſitatæ, quin aliunde ſuppleri poſſit alia qualibet ratione: Sunt autem innocentia, & pœnitentia; per harum alterutram neceſſario eſt incedendum. Priorem pauci ſequuntur, & tanquam miraculum habetur, ſi quis hanc tueatur integritatem, quam a Sacro Baptiſmatis fonte hauſit, uſque ad extremum vitæ ſpiritum. Quod tamen nobis magnum terrorem debet incutere illud eſt, quod Sanctus Ambroſius, qui tot omnium conditionum mortales cognoverit, tot conſcientias direxerat, aſſerit, ſibi facilius fuiſſe invenire qui hanc ſervaverint innocentiam, quod adeo rarum eſt, quam eos, qui poſtquam illius per peccatum jacturam fecerant, eandem congrua pœ-
*L. 2. de Pœnit.* nitentia repararent: *Facilius inveni qui innocentiam ſervaverint, quam qui dignam poſt peccatum egerint pœnitentiam.* Heu! bone Deus quot peccata in hoc mundo! quorum Propheta comparat illa terræ totius cataclyſmo: *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt.* Quid tantum ſcelerum, ac ſceleſtorum, pœnitentiæ vero adeo parum, ut ipſa etiam innocentia ſit infrequentior?

Poſt hæc mirum ne eſſe debet, ſi Sancti Patres, ut intelligeremus exiguum prædeſtinatorum numerum, omnibus utuntur Sacræ Scripturæ figuris, modo Iſraelitarum, quorum duo tantum in Terram promiſſam ingreſſi ſunt, cum ſexcenta capitum millia egreſſa fuiſſent de terra Ægypti, modo univerſalis diluvii, quo totus terrarum orbis funeſtiſſimo naufragio abſorptus fuit, excepto Noe, & ejus familia: ſi alii damnatorum numerum comparant grandini in terram labenti, vel floccis nivis per aerem volantibus; & ipſa Scriptura aſſerit, infernum aperiri, ac dilatari, ad ſignificandam multitudinem eorum, qui quotidie illuc præcipites corruunt: *dilatavit infernus* *Iſaias 5.*
*animam ſuam;* ſed prædeſtinati, qui ſalvantur, ſunt exiguo in numero delecto ex immani illa multitudine: *Multi vocati, pauci vero electi.* Pauci racemi, qui poſt vindemiam in vite ſuperſunt, & qui vinitorum oculos fefellerunt, paucæ oleæ, quæ in arbore remanent, poſtquam fortiter concuſſa fuit, atque iteratis impulſibus quaſſata; paucæ ariſtæ, quæ in agro poſt meſſem reliquæ ſunt. Nemo eſt Auditores niſi incredibili ſtupore fuerit perculſus, qui terreri non debeat; quoniam hæ ſunt ſimilitudines, & locutiones, quibus ſacer utitur Textus, ut nobis exiguum hunc numerum præbeat intelligendum. Heu! terribilis veritas, ubi ſumus? Quis non trepidabit, Auditores, id cogitans? Sed ne in aliud incidamus extremum, quod eſt diffidentia, & deſperatio; nam quantuluſcunque eſſe poſſit hic numerus, noſtrum erit in eo locum invenire, & inde nonniſi incuria, vel improbitas noſtra valebit prohibere.

Ut autem huic Sermoni finis fiat, veſtrum eſt eam *CONCLUSIO.*
concluſionem adjicere, qualem tanta hæc meretur veritas; nam quoniam nonniſi noſtra culpa accidere poteſt, ut parvo hoc in numero non ſimus, illorum videlicet, qui ſeſe ſanctificant; & negligentia atque improbitas noſtra ſunt noſtri interitus cauſæ; opus eſt, ut antequam ex hoc loco pedem efferamus, hoc ineamus conſilium ſerio admittendi, ut quidquid accidat, vel nobis ſtaturum ſit, noſmet ſanctificemus. His verbis hominum ſapientiſſimus admirabiles Sermones concludit ſuos: *Finem loquen-* *Eccle. 12.*
*di omnes pariter audiamus. Deum time, & mandata ejus obſerva. Hoc eſt enim omnis homo.* Quaſi vellet dicere: poſtquam propoſuerat præcepta, & vitæ regulas pro omnibus ſtatibus, & conditionibus, hoc eſſe proprium omnium generatim, & ſingillatim; cogitare de ſalute ſua per Dei timorem, ejuſque præceptorum obſervantiam: *Hoc eſt enim omnis homo.* Videlicet ſecundum Sancti Hieronymi interpretationem; Homo ad id unum factus eſt, & quomodo addit Sanctus Bernardus: *Si hoc eſt omnis homo, ergo ſine hoc nihil eſt omnis homo.* Si homo ad id unum factus eſt, ergo ſi de hoc ſollicitus non eſt, fruſtra ille eſt ſuper terram. Hac in re deliberandum eſt; neque enim unquam de extremo fine deliberatur. Poteſtis quidem ſtatuere, utrum hoc, vel aliud vitæ genus ſitis amplexuri; ſed vobis deliberandum eſt, utrum ſalvabimini, an ſecus; nam ad id unum ſumus in Mundo. Sin autem in certiſſima hac cognitione noſtra exigui numeri eorum, qui operam dant ſui ipſius ſanctificationi, negligimus ſerio de hac re cogitare, ac ſerio nervos omnes intendere, quid erit futurum? *Ah! quomodo nos effugiamus,* Sanctus Paulus Apoſtolus exclamat, *ſi tantam neglexerimus ſalutem?* Væ nobis! Quam enim ſpem habere poſſumus! Mihi perſuadeo, Auditores, eo momento, quo loquor, vos jam capere conſilium; ita ut nihil ſuperſit niſi exequi illud: hæc ratio erit inveniendi locum in hoc parvo electorum numero, cui Deus æternæ gloriæ ſuæ reſervat hæreditatem.

# T A B U L A
# A R G U M E N T O R U M,

*Quæ continentur in Supplemento Bibliothecæ Concionatorum.*


TRactatus Præliminaris de Sanctorum Apotheoſi, cum generatim, tum in particulari. 1
De Communi Apoſtolorum & Virorum Apoſtolicorum. 12
De Communi Martyrum. 22
De Communi Doctorum, aliorumque qui in Eccleſia dictis, & ſcriptis enituerunt. 30
De Communi Confeſſorum, quibus hoc nomen Eccleſia proprie aptavit, qui videlicet paſſi ſunt perſecutionem pro fide, & juſtitia. 41
De Communi Confeſſorum Pontificum, aliorumque Paſtorum. 46
De Communi Confeſſorum Eremitarum & Cœnobitarũ. 61
De Communi Confeſſorum Pœnitentium. 67
De Communi Sanctorum, qui honorum operum praxi in Mundo Sanctificati ſunt. 76
De Communi Confeſſorum, Regum, Principum ſexus utriuſque, qui in Mundo Sanctitatem adepti ſunt. 84
De Communi Sanctorum, qui in ſtatu Eccleſiaſtico ſanctificati ſunt. 92
De Communi Sanctorum, qui in Religionis ſtatu ſanctificati ſunt, Abbatum, Inſtitutorum Ordinis alicujus. 101
Miſſionarii, & Apoſtolici viri. 111
De Communi Virginum Sæcularium, & Regularium. 115
De Communi Sanctarum Viduarum. 122
Exempla Sanctorum, qui nobis imitandi ſunt ad noſtram ſanctificationem in quolibet ſtatu, & conditione. 128
De Sodalitiis, Congregationibus, Confraternitatibus in Eccleſia ſub variis Titulis Inſtitutis. 134
De Miraculis in gratiam Sanctorum, ſeu in Fidei, & Catholicæ Religionis confirmationem. 137


*Additiones ad Supplementum Bibliothecæ Concionatorum, in quo agitur de Communi Sanctorum generatim, videlicet Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum.*


Sermo I. Nos in quolibet ſtatu ſalvari poſſe. 142
Sermo II. Deum velle omnes homines in omni ſtatu ſalvos fieri. 146
Sermo III. Ad ſalutem acquirendam modica non eſſe negligenda. 150
Sermo IV. Generale ad ſalutem acquirendam medium eſt Chriſtiana patientia. 153
Sermo V. De Perfectione Chriſtiana. 157
Sermo VI. De bono Exemplo. 161
Sermo VII. De bona rectaque in omnibus intentione. 164
Sermo VIII. De fervore in Dei cultu. 168
Sermo IX. De gaudiis, quæ in Dei cultu guſtantur. 170
Sermo X. De Conciliat. Mundi, & Religionis officiis. 174
Sermo XI. Ad Sanctitatem acquirendam ſingulis ingenium ſuum eſſe corrigendum. 177
Sermo XII. Pauci ſalvantur, quia pauci operam dant ſuæ ſanctificationi, ac ſaluti. 181


*F I N I S.*

Digitized by Google